


NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07078709 2
















HULDRICI ZUINGLII
OPERA

COMPLETA EDITIO PRIMA

CURANTIBUS

MELCHIORE SCHULERO ET IO. SCHULTHESSIO

VOLUMEN QUINTUM

LATINORUM SCRIPTORUM

PARS QUINTA [sic] tertia

EXEGETICA VETERIS TESTAMENTI

MAXIMAM PARTEM

TURICI EX OFFICINA SCHULTHESSIANA
(F. SCHULTHESS UND S. HÖHR)
1835.



PRAEFATIO.

Longe tardius nostris votis promissisque suscepta peragitur editio Operum Zuinglii completorum, turbis rerum novarum interpellata, per quas admodum inviti quidem, verum tamen, ut quae tueri ac defendere nos religio, pietas, honestas postulabat, ut ne prodidisse vel desperata videamur, pro virili et ultra molestissimos labores devorare coacti eramus, ac typographia quoque diversis negotiis iisque nullam dilationem patientibus occupata huic operi profligando parum vacabat. Nunc vero animis viribusque sensim recollectis huc deventum est, ut Latinorum Operum volumen quintum, hoc est Exegeticorum primum, postremumque Vernaculorum in lucem simul prodeant. Ultimum Didacticorum pene non prelum evasit, atque altero exegeticorum nunc quum maxime operas exercemus. Altero autem epistolarum, cuius impatientior est expectatio, agmen claudi placet, ut sicunde quas symbolas ad numerum earum adaugendum adhuc impetrare licuerit, intertexere possimus. Sic dubitatio nulla superest, quin res proposita non ita diu absolvatur; praesertim, quum si quid nobis humanitus propediem accidat admodum defessis aetate, certi simus iuvenum egregiorum in residuum operis succedentium.

De laboribus Zuinglii exegeticis nonnihil praefari lubitum erat, quae quum per se spectata rudimenta potius videantur quam artificia, magna cum specie existimari queat, nos melius ista in oblivionem perpetuam ire passuros fuisse quam situ vetustatis obducta denuo protraxisse in medium. Sed vero etiam tirocinia magnorum virorum noscere pretium est, multumque nostra quidem sententia et iuvat et prodest inspicere, quantis e tenebris

quam multis opibus et auxiliis destituti quibusque, non suis, sed temporum opinionibus falsis praefascinati ad litterarum sacrarum notitiam et intelligentiam adspiraverint primi ecclesiae instauratores, qua ipsa quidem facultate veritas Christianae religionis apud Evangelicos omnis censetur; quantumque intervallum comperiatur atque discrimen inter infantiam illam cognitionis et scientiae eaque artis incrementa, quibus tempora nostra gaudent. Unde nihil mirum, quod seculo nostro non minus diversa dogmatica, quam vocant, doctrina viget ab ea quae tribus ante seculis fuit; si quidem lumine uti ius fas est, atque pari spatio heroas illius aevi in utraque ratione post nos relinquere convenit; si quidem Zuinglius ipse in praefatione sui Iesaiae divinitus locutus esse videtur perinde ac Seneca, qui de rebus astronomicis agens: « Veniet tempus, inquit, quo posteri nostri tam aperta nos nescisse mirentur. » Necessitatem non secus, sed aliter ac rectius, hodie sentiendi sole clarius theologis evicerit quisque commentariorum S. L. a Zuinglio eiusque aequalibus elucubratorum peritus ex hallucinationibus, erroribus rerumque multarum magnarumque ignoratione, cuius nunc illi manifesti tenentur.

Index Voluminis Quinti.

FARRAGO ANNOTATIONUM IN GENESIN

EX ORE HULDRICI ZUINGLII

PER LEONEM IUDAE ET CASPAREM MEGANDRUM EXCERPTARUM

Editio princeps in lucem prodiit Tiguri ex aedibus Christophori Froschoveri anno MDXXVII mense Martio. 8. pagg. 494. Ad finem huius editionis Leo Iudae et Megan[illegible]er adiecerunt eam, quam supra inseruimus introductioni, notitiam de scholis illis prophetiae nomine nuncupatis. In Gualteri collectione extat haec annotationum farrago T. IV. fol. 3 b — 86 a.

HULDRICUS ZUINGLIUS LECTORI SALUTEM.

Posteaquam Tiguri literas vere sacras cum humanis, non procacibus istis atque petulcis, sed puris, melioribus ac honestis, iungere constitutum esset: optime lector! sic illas tractavimus (quid enim de his nunc tam angusto loco refert dicere?) ut Latine aliquo usque praeeatur; mox Hebraicus interpres, qui pridem Ceporinus erat, nunc Pellicanus est, notior quam ut hoc epistolio debeat commendari, quod recitatum est ex Hebraeorum fontibus exponat; hinc Graecam sive Septuaginta, sive septies millium interpretationem secundus vel propheta vel interpres conferat (qua nos hactenus sumus functi provincia); postremo, quae tam ex Hebraicis quam Graecanicis prodita sunt venis, tertius interpres lingua Germanica reddat (quas partes Leo noster frequentius, nonnunquam vero Megander gessit): moti sunt nonnulli, ut quae tam a nobis quam aliis dice-

rentur, etiamsi minime dictarentur, indefessa comportarent opera. Quumque multi, qui gustum eius rei cepissent, alius alium sint inhortati, ut annotatorum copia eis fieret: sic convenerunt Leo et Megander. Accessit autem simul chalcographi suggestio ut, quae uterque pro sua virili e medio sermonis curriculo rapuisset, in unum acervum confunderent. Quumque ad caput Genesis quintum venissent, quae ante annum tractata nobis est, obtulerunt experiundi gratia quod parturiebant. Visi sunt ergo plus adsecuti quam calamo possit; diligentia vero non tam sibi quam aliis consulere voluisse. Consultus itaque adsensus sum ut, quae apes imitati sedulo congessissent, cum aliis quoque communicarent. Tu illorum interim opera, bone lector, bene utere! Vale! Tiguri, anno MDXXVII mense Martio.[1]

CAPUT PRIMUM GENESEOS.

In principio creavit Deus coelum et terram. Quod se hic torserunt veterum plerique, in causa fuit, quod ad simplicitatem sermonis Mosaici non respexerunt, qua rem maximam verbis simplicissimis ac maxime cognitis enuntiare voluit. Nam hoc est clare dicere, dum quis res arduas simplicissime ac clarissime ita ob oculos ponit, ut etiam idiotae ac rudes intelligant. Sunt qui hoc magnifice dictum esse putant, si quis ita dicat, ut a nemine intelligatur. Hi quidem existimant Mosen in tam ardua re voluisse aliquid obscurissimum dicere; at falluntur. Voluit Moses magnum illud opificium clarissime omnibus proponere, atque ideo utitur clarissimis et notissimis verbis: *terra*, *aqua*, *aer* etc. Proponit autem nobis Deum ut artificem aliquem insignem, qui primum ruditer et confuse opus parat; deinde lucem, umbras atque lineamenta addit ac singula suis coloribus exornat.

In principio. Nihil opus erat principium hic facere filium Dei. Nam principium hic non capitur ut Ioannis primo, ubi Evangelista divinam generationem explicaturus filium dei certa ratione λόγον adpellat, quod λόγος (quemadmodum Hebraeis דבר, dabar) *rem*, *verbum*, *sermonem*, *causam*, *rationem*, *supputationem*, *consilium*, *propositum* significat, quae omnia in filium dei competunt. Hic autem sermo, hoc consilium, haec sapientia, nempe filius Dei, erat in principio; hoc est: erat ille, per quem et in quo sunt omnia. Hic vero *in principio* tantum valet, ac si diceret: ab initio, primum, principio. Neque hoc

---

[1]) Vide Introductionem huius voluminis! Est editorum alteri exemplar, quod ipse Megander olim Michaeli cuidam Suicero dono dedit, in eoque adnotatum legitur: „M. H. Zuinglius hunc librum coepit legere in matutina lectione 19. Iunii 1525.“

principium ad *esse* ipsius Dei, sed ad mundi creationem referri debet, ut os obstruatur iis qui mundum ab aeterno fuisse contendunt.

In principio creavit deus coelum et terram. Vice tituli sive propositionis hoc a Mose positum est, idque more Hebraico, qui primum summam rei proponunt, deinde per partes digerunt. Aut si malis esse narrationem, nihil obsto, quum titulus aliud nihil sit quam brevis narratio sive propositio.

Coelum et terram hic συνεκδοχικῶς accipit pro coelestibus et terrenis: per coelum enim omnia quae in coelo sunt, ut sunt spiritales atque invisibiles substantiae, et quicquid sensibus nostris capi non potest; per terram, quicquid est terrenum, corporeum atque visibile, intelligit.

Terra autem erat inanis et vacua. Iam ad visibilem mundum descendit, atque hunc ἀνθρωποπαθῶς describit. Solent autem, qui aedificant, primum materiam contrahere; deinde opportunitatem temporum captare. Neque enim in hieme aut nocte aedificamus. Paravit autem Deus primum molem quandam ingentem, confusam, rudem et indigestam (ut poëta ait), quam Moses iam terram, iam abyssum, iam vero aquam vocat, idque συνεκδοχικῶς a parte totum nominans. Terram quidem, quod haec inter cetera elementa notissima sit et sensibus magis exposita; abyssum vero a quantitate et mole eius materiei, ex qua Deus omnia creavit. Porro aquam eandem molem ideo vocat, quod post terram aqua sit notior, quodque omnia nascentia atque crescentia humore quodam crescunt. Hinc fit ut in mari maxima animantia nascantur. Quandoquidem ergo ex hac mole singula erant creanda, nominat eam Moses aquam. Neque defuerunt philosophi, qui omnia putarent aquis constare. Utitur ergo Moses his vocibus, terra, abyssus, aqua, pro eadem re, sed hic duntaxat: nam in sequentibus aliter utitur. Neque statim sequitur: Moses hoc loco aqua pro terra utitur; ergo aqua ubique terram significat. Avarum aliquem aut foeneratorem lupum dicimus, neque ideo lupus ubique avarum significabit.

Tenebrae erant super abyssum. Expositio est illarum dictionum תהו ובהו, *thohu* et *vohu*. Reddit enim Moses rationem, cur terra, hoc est moles illa, fuerit vacua et inanis, seu (ut Graeci habent) ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαςος, invisibilis et incomposita seu imparata. Nam tenebrae erant super abyssum. Moles ergo erat rudis, indigesta, obscura.

Spiritus domini movitabatur super aquas. Metaphora sumta ab exercitu aut equitibus. Dicimus Germanice: Der züg[1] haltet; die reisigen haltend an dem Berg. Neque intelligimus eos illic tantum esse, sed observare vias atque transeuntes, in statione esse, vigilare, circuncurrere, tueri. Quibus verbis Moses divini spiritus operationem, ἐπιχείρησιν, digestionem ac gubernationem exprimit.

Fiat lux. Per lucem hic non solem neque lunam intelligit, sed humano more adhuc loquitur. Solent enim, qui noctu ac tenebris operaturi sunt, ante omnia lucernam accendere. Non quod Deus luce egeat, sed distinctionem operum Moses iis verbis explicare voluit. Prius enim dixerat chaos fuisse confusum ac tenebrosum; iam igitur

---

[1]) *Zeug*, Artillerie.

digestionem operum et ornatum eorum indicat, ne frustra sint condita; frustra autem essent, si non viderentur. Primum autem angelos creavit, qui lucidi sunt et in luce creati. Subiungit ergo

Distinxit lucem a tenebris. Unico virtutis suae verbo, imo sola potentia vivae voluntatis suae omnia creare potuit; sed sese nostris sensibus accommodans (ut clarius ac facilius opera eius cerneremus atque intelligeremus) singulis diebus aliquid operatus est; idque hominum more, qui solent aliud post aliud facere.

Et dixit Deus. Dicere Dei velle Dei est, operari est. Quasi dicat Moses: Voluntatem suam Deus externa operatione prodidit. Atque quae dixit statim facta et dicto absoluta sunt. Nam mox sequitur

Et factum est ita. Ubi divini verbi potentiam ac virtutem videmus. Sic David canit: Dixit et facta sunt Psal. 148: 5.

Fiat firmamentum. Latinus interpres ex voce Graecanica *στερέωμα firmamentum* interpretatus est, mentem *τῶν* Septuaginta non usque adeo, ut videtur, adsecutus. Nam illi etymon vocis Graecanicae non a *στερεόω*, quod *firmo*, sed a *στερέω*, quod *privo* significat, deduxisse videntur. Latine separamentum aut tabulatum, Germanice ein underschlacht [1] non inepte dici posset. Separat enim angelos (nam per aquas, quae supra coelos sunt, spiritales substantias, sive propter copiam earum sive propter elementi huius puritatem, intelligit) ab iis, quae infra sunt. Participat autem tabulatum istud partim angelis, partim inferioribus. Ebraica vox רקיע, Rakia, extensionem sonat, ad quam David Ps. 104: 2. alludit: Extendens coelos sicut pellem. Vocavit autem hoc tabulatum שמים, *schamaim*, quae vox sonat quod *aqua*. Unde forsitan non temere philosophi existimari possunt coelo suo crystallino mutuati esse nomen. Vocatur autem extensio illa *aqua* metonymicῶs, quod aquas ab aquis dividat.

Congregentur aquae. Tertia die aquas colligit, et terram aquis extare facit atque fines suos aquis ponit. Quod autem terra aquis eminet, potentia Dei est, non natura. Gravissimum enim elementum quum sit, nihil quam incubatum praebere ac subsidere posset; nunc autem quum sic emicat et eminet aquisque spongiae instar hospitium praebet: alium artificem quam se ipsam confitetur. Mare autem puteus est ac fons omnium aquarum, quae per terram colantur: nam aquae totam terram penetrant, irrigant, fecundant. Atque hic iterum nota, aquarum adpellatione aërem quoque contineri!

Germinet terra herbam virentem. Vim prolificandi aut gignendi terrae, naturae, herbis tribuunt impii; at fideles vivifico verbo Dei et potentiae Dei praesenti. Errant autem qui naturam aliud esse putant quam divinam assistentiam perpetuam, potentiam, virtutem, providentiam. Quasi vero homo aedificet domum, procreet liberos, et postea talia non curet, non provehat, non tueatur. Deus aliquando mittit famem in homines, in bestias; mittit grandines, pruinas etc. Et per haec quasi per instrumenta operatur unus idemque Deus omnia, non natura; nisi

---

[1]) *Unterschlag*, Zwischenboden.

naturam pro viva voluntate Dei accipias. Quare nos haec non terrae attribuere debemus, non arboribus, non herbis (tametsi Deus iis rebus propter nos utitur atque humano more loquitur); sed ipsi Deo, qui operatur omnia in omnibus, ut omnia ad fontem ipsum referantur.

Fiant luminaria in firmamento. Hic oritur quaestio, quae et veteres Theologos torsit: Cur tandem quarto iam die sol et luna creentur, quum primo die lux sit facta, atque adeo dies et nox, quae ex sole et luna constant?

Duo sunt elementa crassissima, quae videntur et sentiuntur, terra scilicet et aqua. Videmus enim ac sentimus ubi sit terra et aqua; rursus duo sunt, quae quum videamus ignoramus tamen, unde veniant aut ubi habitent. Sic Christus ad Nicodemum Io. 3: 8. Audis vocem venti, sed nescis unde veniat, aut quo vadat; quum vellet ex terrenis et visibilibus rebus docere spiritus regenerationem. Audimus quidem sonitum venti, aura nos perflat, immutat etiam; sed ubi subsidat, ubi sit venti habitatio, hoc nescimus. Contra: Ignis habitaculum scimus, nempe silicem; sed in silice ignem non sentimus, quum sit frigidus. Item quum lignum accenditur videmus quidem ignem; sed ignis ubi tandem habitet ignoramus. Instrumentum ignis lignum est, neque tamen ignis in ligno est. Sic Deus natura sua lux est, et omnia illuminat (nam lucem habitat inaccessam); sua igitur luce primos tres dies diem fecit atque luxit sine instrumento (atque hic mysterium Trinitatis latere nemo pius dubitat), ut disceremus ipsum solum esse lucem, quae omnia illuminat, a quo omnia lucem habent, utque caveremus ne more Gentium Solem et Lunam prae ipso coleremus, neque ipsis lucem acceptam referremus, sed ipsi soli Deo, lucis fonti; Solem autem et Lunam instrumenta duntaxat lucis agnosceremus. Creavit ergo Deus duo ista luminaria, ut essent instrumenta et conservacula lucis; ipse vero lux esset vera, non Sol, non Luna. Quemadmodum quum tu ex silice ignem excutis et lignum accendis: lignum ardens non ignis est, sed ignis conservaculum et instrumentum, in quo tu ignem excussum servas ac contines. Quum ergo dies esset antequam conderet Deus Solem et Lunam: videmus Deum ipsum esse lucem, non Solem neque Lunam. Quod autem Moses dicit: *Ut luceant, germinet terra*, et consimiles locutiones, quae videntur aliquid creaturis tribuere: de ipsis tanquam instrumentis loquitur. Revera autem Deus operatur omnia in omnibus: ipse lucet, ipse germinare facit. Soli ergo Deo auctori omnium omnia adscribenda sunt, non naturae, non creaturis, nisi ut instrumentis divinae operationis. Hactenus de litera! Si spiritus mysteria eruere quis velit, lucis spiritualis instrumentum externum verbum est, per quod Deus nonnunquam operatur; nonnunquam vero sine verbo, sola mentis illustratione.

Ut sint in signa. Prognostica scilicet. Etenim siderum rationem haud quaquam agricolis negligendam esse, veteres auctores diligentissime tradiderunt. Nam astrorum emersiones occultationesque, quum in agricolando tum in serendo, non aliter agricolae quam nautae observare debent; ad haec lunae revolutionem, incrementum, deminutionem, Vergiliarum atque Arcturi seu ortum seu occasum, quod iis tempesta-

tum significationes non parvas inesse, saepenumero compertum est. Signa ergo sunt astra, sed in sublunaria tantum, non in animos hominis qui superius ac penitius sunt nati: serviunt enim astra nobis, non dominantur etiam. Et propter hominem condita sunt, non homo propter astra. Quare frivolum est quod de faustis et infaustis diebus, de Aegyptiacis prodidit stulta Gentilitas.

Et stata tempora. Quod Graeci καιρὲς, Hebraei מועדים *Moadim* vocant, stata scilicet tempora. De Neomeniis maxime videntur haec intelligi; tametsi ceteris quoque anni temporibus non inepte quadrant. Videmus enim mutuas temporum vices sole et luna constare. Quadripartita est anni distinctio in brumam, ver, aestatem et autumnum, quae solstitiis et aequinoctiis certis currunt atque recurrunt. Sunt lunae menstrua dies, horae et momenta.

Luminaria magna. Solem et lunam. Luna autem (tametsi stellae quaedam ea maiores sunt) magna dicitur, quod nobis propinquissima est.

Ut praeessent. Hebraica vox משל *Maschal* non solum dominari significat, sed praeesse etiam, praeire, praecedere. Unde et principes non a dominando nomen habent, sed a praeeundo: sunt enim pastores populorum, ut est apud Homerum.

Producant aquae. Hic iterum sub aqua aërem quoque comprehendit: nam volucres, de quibus hic fit mentio, in aquis non degunt. Ex aqua enim saepe aër, rursus ex aëre aqua symbolico transitu generatur. Inde Austrum quasi haustrum ab hauriendo dictum quidam volunt, quod semper aquam secum ferat. Verbum (producat) vim Hebraicae dictionis non satis exprimit: significat enim שרץ scharatz, Germanice, sträben, regen, rüren, roden, krässmen, wymslen oder wydmen. Es rodind oder erregind die wasser lebendige thier, die sich regind oder sträbind.

Reptile animae viventis. שרץ נפש *schäretz näphäsch*, genus pro numero συνεκδοχικῶς. Ponitur enim anima pro omni animali vivente.

Creavit Deus cete. Hic certissimam notam habes omnia a Deo esse creata, neque vim creandi aut gignendi terrae aut aquae esse, sed Dei solius, tametsi dicat: Producat aqua, producat terra etc.

Cete grandia. Συνεκδοχὴ est. Per cete enim omnes marinas beluas intelligit; Moses tamen pro cetis thynnos habet, תנינים qui etiamnunc *Thunnini* adpellantur Italis, Germanis Husen, species pro genere.

Benedixit eis. Id est ditavit, locupletavit, multiplicavit, vim gignendi ac prolificandi insevit. Benedictio enim, id est donum erat, quod sequitur:

Crescite et multiplicamini. Quare David liberorum multiplicationem benedictionem vocat, Ps. 127: 3.

Producat terra animam vivam. Creat iam animalia, quibus homini vel in cibum vel in usum opus est. Hac dictione נפש *näphäsch* Hebraei utuntur quemadmodum Graeci philosophi ψυχὴ, anima: nam alioqui animalia animam non habent, nisi animam pro vivendi respiran-

dique vi accipias. Anima ergo viva pro animalibus vivis accipitur et generaliter tam ad bestias, quam ad feras atque iumenta refertur.

Cuncta erant bona. Venenata quoque, sed suo genere. Alioqui si vino abutaris: iam vinum venenum tibi facis, quod corpus inutile reddit, corrumpit ac interimit.

Faciamus hominem. In summa hoc et quasi per anticipationem viceque tituli Hebraeorum more proponit Moses: nam sequenti capite latius de hominis formatione disserit.

Faciamus. Quum hominem vellet creare, multa deliberatione magnoque consilio usus est deus. Neque enim simpliciter dixit: Fiat, producat terra, aqua, ut in superioribus; sed altius in se descendens gravibus verbis praemunit sermonem, dicens: Faciamus! ut primo agnoscamus divinam naturam in personarum proprietate; secundo, ut discamus nostram nobilitatem ac dignitatem. Nam tametsi ex terra factus est homo, tamen Deus fecit eum sua manu, ut videamus quantum dignatus sit Deus hominem, ut soli creatori homo serviat, hunc unum colat, huic uni fidat ac inhaereat, non terrae, non soli, non aquae.

Faciamus hominem. Genus pro numero: nam in uno homine coepit totum genus humanum. Lassend uns menschen machen, das menschlich geschlecht!

Ad imaginem et similitudinem nostram. Hoc quidam ad dominium super creaturas referunt, quod homo cunctis veluti Deus praesit; alii hoc ad animum trahunt. Ego vero imaginem hanc et similitudinem esse puto, quod nos naturae ius dicimus: Quod tibi vis fieri, aliis facito! haec imago dei inscripta est et impressa cordibus nostris. Animalia enim bruta haec non habent: animantium enim omni generi a natura tributum est, ut se, vitam corpusque tueantur. Qui ergo iustitiam colunt, qui deum quaerunt, qui deum innocentia vitae Christumque omnibus perinde atque sibi benefaciendo exprimunt, hi demum antiquam imaginem dei referunt, quae per Christum repurgata est ac instaurata. Nam sicut in Adamo omnes corrumpimur, ita in Christo omnes renovamur; quum divina mente praediti nos ad morem Christi gerimus.

Marem et feminam. Quemadmodum supra omnibus lignis et plantis semina ad propagationem indidit, ita genus humanum hic sexu discernit ad procreationem posteritatis.

Subiicite eam. Hebraicam vocem כבשה chibschuha, Graecus vertit κατακυριεύσατε. Cui voci nescio an Latina vox aliqua respondeat; Germanice: Beherrschend sy! *Dominari* infirmius est.

A fine huius capitis Moses in summa complectitur hominis conditionem, idque brevissime, ut opus sex dierum simul absolvat. Deinde sequenti capite rursum orditur de hominis creatione, clarius singula digerens.

Hactenus literam tractavimus simplicissime, nihil utile, imo perniciosum existimantes ineptis allegoriis obscurare historiam, quod haec per sese utilissimis doctrinis ac dulcissimis fructibus sit referta; quae tamen sola mens fidelis eruet ac degustabit. Siquidem discit invisibilia Dei ex creatione mundi, aeternam eius potentiam ac divinitatem ex operibus intelligere ac pervidere, admirari, suspicere; hunc omnium

rerum summum opificem venerari, metuere, amare; hunc unum vitae innocentia ac simplicitate colere; huic uni fidere atque adhaerere: omnem spem in eum collocare, se totum in eum proiicere. Qui ex coelo et terra nescio quid faciunt ac in clarissimam literam tenebras ultro ingerunt, mihi nihil aliud fecisse videntur, quam homines a veri dei cognitione et cultu abduxisse. Hinc factum esse non dubitamus, ut neglecto summo illo omnium rerum conditore deo, neglecto admirabili totius mundi opificio, homines manuum suarum opera et fabricam admirari et colere inceperint. Hinc ignoratio dei adeoque contemtus, hinc idololatria, hinc omnium scelerum sentina in ecclesiam dei sensim irrepsit, ut demum falsa religione ac superstitione gentes ipsas longe vinceremus. Moses autem, vir fidelis, historiam creationis ita texuit, ut potentiam, sapientiam, providentiam ac bonitatem summi illius opificis Dei omnibus ob oculos poneret, ut cuncti homines in cognitionem, admirationem, amorem illius summi boni allicerentur ac raperentur. Nam nullibi certius, nullibi clarius divina potentia ac bonitas quam in iis exemplaribus vivis exprimitur.

CAPUT II.

Initium huius capitis epilogus est totius creationis, de qua in superiori capite dictum est. Reliqua vero quae sequuntur facta sunt sexto die. Nam quae in superioribus summatim perstrinxerat hic latius explicat, de hominis scilicet ceterarumque rerum creatione.

Cum omni ornatu eorum. Hebraeus sic: Et absoluti sunt coeli et terra, et omnis exercitus eorum: significat enim צבא, *Zabaa*, Hebraeis militiam, exercitum, copias, vim, virtutem. Neque enim stellas duntaxat intelligit, sed stellarum et orbium vim; quicquid denique est in coelo et terra. Germanice mit all irer macht. LXX vocem Hebraicam צבאות, Zebaoth, Sabaoth, alias non verterunt, alias verterunt idque varie. Hoc in loco κόσμος dixerunt, quod creaturae ornatus sunt mundi. Alibi δύναμιν ponunt, ut, quum Hebraei dicunt *Dominus deus sabaoth* seu *exercituum:* Graeci dicunt *Dominus virtutum* seu *potentiarum;* nimirum quod virtus et potentia regis consistit in exercitu populi sui, et Israelis populus exercitus Dei non raro in scriptura vocatur.

Et complevit die septimo opus suum, et requievit die septimo ab omni opere. Quomodo requiescit septimo die, qui eodem die opus absolvit? Requievit die septimo, locutio est Hebraica, ut quum Germanice dicimus: Der rüst sich und macht alle ding uss uf den Sunnentag. Qua locutione Dominicum diem excludentes significamus absolutionem operis fieri in sabbato. Item quum dicimus: Der kummt uf alle frytag har mit kernen; intelligimus autem eum singulis sextis feriis (nam hisce diebus nundinae apud Tigurinos sunt) foro adesse, sed praecedente die nempe Iovis advenisse. Sic Moses indicat Deum universum opificium suum absolvisse *in* diem septimum, hoc est sexto die, ut septimo quieti se daret. Ita quod Germanice dicimus, uf, Ebraei per ב, Beth, praepositionem exprimunt. Graeci igitur magis ad sensum quam ad verba respicientes, dixerunt: Et complevit die sexto opus suum.

Benedixit diei septimo. Benedicere hic significat magnificare, donare, efferre. Extulit hunc diem singulari laude.

Sanctificavit eum. Id est, ad specialem cultum elegit, separavit, dedicavit. Sic Ios. 20: 7. Sanctificaverunt Kades in Galilaea; id est: Elegerunt, separaverunt hanc civitatem pro homicidis, ut hic liberi et tuti essent ab ultore sanguinis. Gott hat den sabbath gefryget. Ita Germanice dicimus Frytag, quod eo die frequenter sunt nundinae, ut plebs libera a labore conveniat.

Haec ideo dicimus, ne quis putet Deum huic diei prater alios quidpiam sanctificationis tribuisse. Nihilo enim melius aut sanctius est Sabbatum ceteris diebus, si in se consideretur. Hoc autem sanctius est, quo nos illo die sanctiores fuerimus. Nam ideo Deus Sabbatum sanctificavit, non quod feriis aut otio nostro delectaretur, sed ut liberiores ab omni opere eo die conveniamus, beneficia dei cum gratitudine recolamus, legem et verbum eius audiamus, ipsum colamus, ei serviamus; deinde ut proximorum curam geramus. Sabbati ergo observatio, quae in libris veteris Testamenti supra alia praecepta tam anxie tamque frequenter a Deo praecipitur, repetitur, inculcatur, partim fidem et Dei cultum, partim proximi caritatem respicit. Quatenus ergo sabbatum in immutabili pietatis lege fundatur: nunquam abolebitur, sed erit sabbatum ex sabbato, ut Iesaias ait. Externum vero in sabbato et plane ceremoniale a Christo abolitum esse evangelicae literae clarissime testantur. Sanctum ergo erit sabbatum, si nos sancti, hoc est pii, innocentes et veri Dei cultores fuerimus. Porro mysticam sabbati significationem quum prophetae tum Paulus in epistola ad Hebraeos lucidissime exponunt.

Requievit ab omni opere quod patrarat. Cessat semel a creatione Deus, non ab operatione quae perpetua est. Quae enim semel creavit, perpetuo gubernat, conservat et administrat divina providentia: ipse enim operatur omnia in omnibus, in ipso sumus, vivimus et movemur.

Istae sunt generationas. Epilogus est praedictorum, in quo breviter et summatim omnia complectitur. Quasi diceret: Haec est series, haec summa, haec ratio totius creationis. Das ist das register wie Gott himmel und erden geschaffen hat.

Non enim pluerat. Hoc est quod superius diximus: tametsi Deus dixit: *Producat terra herbam*, non tamen naturam terrae esse ut fructus producat, sed dei operationem. Huc enim Moses spectat iis verbis, ut incredulitati occurrat et Deum omnium rerum auctorem faciat. Quasi diceret: Herbae, virgulta et fructus terrae et agrorum erant non ex imbribus (nam nondum pluerat Deus super terram) nec ex labore hominum (nullus enim homo adhuc terram coluerat), sed Deo operante omnia haec producta sunt.

Et fons ascendebat de terra. Genus pro numero synecdochice, quae forma loquendi frequens est Hebraeis. Non enim sic intelligendum est, ut fons ille in uno aliquo loco fuerit, et terram totam irrigaverit; sed vult ita dicere: Deus indidit terrae vim, ingenium, virtutem attrahendi et colandi stillulas aquae, ex quibus fontes et flumina promanarent

ad irrigandam terram. Sensus est: Gott schuf ouch brunnen und fiichte (humorem) des erdrichs.

Finxit autem hominem de luto. Metaphora pulcherrima à figulis tracta, qui posteaquam formam alicuius vasis mente conceperunt, mox admota manu argillae in rota antitypon effingunt ac absolvunt. Sic quicquid Deus mente concipit, repente fit, si velit.

עפר, *aphar*, Hebraeis et lutum et pulverem significat. Hic magis quadrat lutum: haec nos conditionis et originis nostrae admonent. Primum ut discamus quam impura, quam immunda, imo quam nihil res sit homo absque spiritu Dei. Lutum enim impurat, contaminat, conspurcat omnia; sic caro, sibi relicta, nihil nisi impurum cogitat et agit. Deinde discimus hinc quam nihil deceat hominem se homini praeferre, ut quis efferatur et cristas erigat, quum omnes ex eodem luto simus conditi. Quid autem superbit cinis et lutum? Unde ergo praeclara stemmata? unde generosa nobilitas? Olim ex virtute, ex iustitia: qui rem strenue gessissent, qui virtute, qui vitae integritate ceteros antécelluissent, qui beneficiis iuvissent, qui fortiter pro republica pericula subiissent, ii laudibus vehebantur, ii ceteris clariores habiti sunt, iis coronae, insignia ac praemia decernebantur. Non ergo nascebantur generosi, sed factis egregiis et virtute fiebant. Si nostrae tempestatis nobilium ortum, vitam, mores spectemus: nihil inveniemus nisi carnem et delicias, ne dicam violentias et rapinas. Otio, Baccho et Veneri indulgent, tumultuantur, belligerant, grassantur, respublicas turbant, fas et ius omne confundunt plerique nobilium, qui hodie orbem moderantur; virtuti apud istos locus nullus est.

Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae. Ἀνθρωποπαθῶς omnia metaphora sumta ab iis, qui Samia, hoc est, vitrea vasa simul cum tractu inspirant. Significat autem Moses Deum hominem, quem e luto finxerat, vivificasse.

Et factus est homo in animam viventem. Eadem sententia est cum superiori; id est: Coepit vivere homo, qui prius humus erat et lutum.

Plantavit hortum in Eden. Putant aliqui Eden loci nomen esse proprium, ubi hortus fuerit plantatus; sed Hebraïca vox עדן, *Eden*, delicias, voluptatem significat. Quare puto hic nihil aliud dici quam: Deus plantavit etiam hortum quendam amoenissimum, voluptuosum, omnigenis deliciis affluentem, einen Lustgarten. Nam quod Latinus interpres paradisum voluptatis dicit, Hebraico more pro horto voluptuoso dicitur, sicut filius perditionis, pro filio perdito.

Is autem hortus ad Orientem erat plantatus. Sic enim videntur Hebraica sonare. Latinus interpres intellexit hunc hortum a principio esse conditum. Significant autem haec, hominem a Deo, qui sol est iustitiae, ortus omnis decoris, voluptatis et pulchritudinis, fuisse conditum natura integrum ac innocentia summa praeditum; quae res est amoenissima et summa voluptas.

Produxit Dominus omne lignum. Refricatio est eorum, quae superiori capite dicta sunt. Quasi dicat Moses: Dixi Deum creasse varia arborum genera; de his vero duabus nihil dixi, quae in medio

paradisi plantatae sunt, de quibus iam dicam, nempe de ligno vitae et ligno scientiae boni et mali.

Tulit hominem, et posuit eum in Paradisum, ut operaretur illum. Melius *coleret*, id est *inhabitaret*. Neque enim opus erat, ut Adamus terram operaretur quae virtute divina absque labore et sudore cuncta proferebat. Colere autem Latinis non solum terram aratro proscindere significat, sed inhabitare. Ponit ergo Deus Adamum in horto amoenissimo, ut eum inhabitet ut paterfamilias, atque sic eum opibus et deliciis undique circumvallat, das er ihn züchtete,[1] in eeren hielte.

Ex omni ligno Paradisi ede! de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas. Lignum more Hebraico pro arbore capit. Hoc in factis Dei omnibus summopere observandum est, corporalia haec et visibilia, per quae nobiscum agit divina maiestas, viciniam quandam ac significationem habere cum rebus, quas docet. Hoc idem duabus arboribus hic fieri videmus. Arborem scientiae boni et mali ne tangant, de fructu eius ne edant, poena mortis interdicit. Quid hic indicari aliud putamus, quam ne homo, ut solet, quid bonum, quid malum a se ipso, sed a solo Deo discere et scire tentet? Nam tametsi intellectu, voluntate et scientia praeditus sit homo, boni tamen et mali cognitionem non nisi Deo revelante habere potest; unde per prophetam increpantur, qui bonum malum et malum bonum dicunt. Exemplum ergo caecitatis et temeritatis humanae in Adamo proponitur, qui quum a Deo, ne de fructu scientiae boni et mali edat, prohiberetur, id est, ne sua consilia, neque quae sibi recta aut curva viderentur, protinus amplecteretur, praeterito mandato, Deus fieri maluit (Deus enim solus bonus est, solusque novit quid sit bonum, quid malum): aeternam incurrit mortem. Quum ergo solicitudinem ac curam paternam erga filium suum Adamum exprimere eumque, ne unquam sibi fideret suisque consiliis niteretur, sed totus a summo illo bono penderet, praemonere vellet, pulcherrima hac orationis figura usus est optimus pater, ab arborum plantatione sumta; quas dum vel fructibus onustae sunt, vel vetustate casum minantur, fulcris insistimus. Sic Deus duabus istis arboribus hominis casum et reparationem adumbrat. Dum enim homo in se reversus vocis Dei obliviscitur, morte moritur; deinde per lignum vitae, Christum scilicet, reparatur. Dicis: Ergo arbor scientiae boni et mali mala est? Minime! Lex enim spiritualis est et bona; sed quod bonum erat homini per abusum malum fit. Vinum bonum est, sed abutenti pessimum. De hac re clarius et copiosius tractat Paulus in epistola ad Romanos capite septimo. Iam, ut in eadem metaphora perstemus, translatione et insitione arborum una ex alia propagatur. Ita omnes nos ex uno patre Adamo peccatores nascimur, et in eo tamquam in radice tota humani generis soboles infecta et mortua est: nam arbor mala fructus bonos non potest edere, nec mortuus vivum aliquid generare. Sed de hoc morbo infra latius.

In quacunque die comederis ex ea, morte morieris. Dies pro tempore. In quacunque die, id est, quandocunque, quocunque tempore,

---

[1]) Castigaret.

quocunque momento. Deinde: Morte morieris hebraismus est, qua verborum reduplicatione vehementia et certitudo significatur. Morte morieris, id est: certissime citissimeque morieris. Sed quomodo mortuus est Adam ad pomi esum, quem postea seculis aliquot vixisse constat? Coelum et terra transibunt; verbum autem domini firmum et immotum maneat in aeternum! Factum ergo est quod dixit Deus. Statim enim post praevaricationem et pomi gustum mortuus est Adam secundum verbum Dei. Quae mors aliud nihil est quam peccatum, quod vitam adimit animae. Sed et corporis mors ex peccato oborta est, secuta animae mortem. Hoc Paulus explicat in epistola ad Romanos capite quinto.

Non est bonum hominem esse solum. Utuntur Hebraei hac voce טוב, *tob*, quemadmodum Graeci *καλὸν* et Latini bonum pro pulchro, bono, honesto, commodo. Non est bonum, id est: non est commodum; non decet, es fügt sich nit, es ist nit geschickt. Sic Cor. 1, 7: 1. Bonum est homini mulierem non tangere; hoc est, ut Catonis verbo utamur: Si uxoribus carere possemus, magna molestia careremus. Num ignorabat haec Deus, antequam conderet hominem? Minime; sed *ἀνθρωποπαθῶς* omnia dicuntur. Solent enim architecti, si quae aedificiis deesse vident, supplere ac sufficere. Fiunt autem haec, ut mulieres reverentiam et obedientiam se maritis debere discant, quandoquidem uxor a Deo ad maritum et post eum et ad eius imaginem creata sit.

Adiutorium simile sibi. Hebraei dicunt כנגדו, *kenägedo*. כ autem similitudinis etiam nota est. Potest igitur exponi: Non erat adiutorium sicut ipse, es was kein gschöpf wie er. Faciamus ergo ei adiutorium sicut ipse! Vel כנגדו *kenägedo*, penes ipsum. Hinc Graeci *κατ' αὐτὸν* dicunt, quae sit scilicet perpetuo penes eum. Et ideo postea subdit: Derelinquat homo patrem etc. Ein hilf die stäts by ihm sye, die ihm znächst bystande. Similis est sententia sequentium verborum:

Et Adamo non inveniebatur adiutor similis eius. Hoc est: Quum adduxisset omnia Deus ad Adamum, nihil erat in creaturis omnibus, cum quo Adam commercium et consuetudinem habere posset.

Hoc nunc os ex ossibus. פעם, *paam*, vocem Hebraicam *nunc* interpretati sunt omnes; ego autem פעם, *paam*, hic pro adiutorio accipi puto. Nam פעמים, *peamim*, pro pedibus ac progressu utuntur Hebraei, quod pes pedem per vices levet. Hinc etiam pro vicibus et pro auxilio saepe positam hanc vocem reperimus; quasi dicat Adam: Hoc est adiutorium, vicarium auxilium, os ex ossibus. Sed abundet quisque suo sensu!

Ob hoc vocabitur virago. איש *isch* Hebraeis virum, אשה *ischa* mulierem significat; sicut forma Latina herus hera, dominus domina dicimus; ac si Latinis dicere liceret: Vir, vira, ein mann, ein männin.

Derelinquat igitur homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carnem unam. Haec ita dicuntur, ut incertum sit an a Deo, an ab Adamo, an a Mose sint dicta; sed quisquis tandem dixerit: vehemens est epicherema et generalis quaedam *γνώμη*, quam et gentes diligentissime servarunt.

Duo in carnem unam. Hebraismus est pro: Erunt una caro, sicut Matth. 19: 5. Christus ait: Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Germanice eleganter dicimus *ein lyb.*

Mysterium coniugii honesti Paulus in epistola ad Ephesios cap. 5. aperuit.

Erat uterque nudus, et non erubescebant. Hoc est, sic erant conditi, ut eos nuditatis suae nihil puderet, quemadmodum nos non erubescimus, si quis faciem nostram ceteraque membra patentia aspiciat.

Omnia propter hominem hominisque gratia condidit Deus. Homo vero ad imaginem Dei et propter ipsum conditus est. Non licebit ergo homini ut se ad creaturas convertat, sed ad solum creatorem; hunc amet, hunc veneretur; ne ad hominem quidem convertatur. Hac ratione, quum reliquorum animantium multa fecisset, duntaxat unum hominem creavit, ut ad creatorem solum conversi essemus. Deinde homini adjumentum addit feminam, ut discamus, si quid adiumenti etiam homini ab homine proveniat id totum esse a Deo

CAPUT III.

In hoc capite casus hominis, principium nostrae miseriae et calamitatis, simplicissime ac brevissime describitur.

Serpens erat callidior. In serpente daemonis astutiam et versutiam adumbrat. Est enim serpens animal prudentissimum, ut eum Christus prudentiae exemplum proponat apostolis; sed quia simul est calidus et vafer, simplicitatem columbinam prudentiae serpentinae adiungit. Innuit ergo daemonem per serpentem ad mulierem fuisse locutum.

Nequaquam moriemini. Invidit tam eximiam felicitatem homini daemon (perpetuo enim felix futurus erat Adam si fructu ligni vetiti abstinuisset) ac Evae persuadet, ut poma, quae Deus vetuerat, ori admoveat atque degustet: nihil enim periculi hinc futurum. Nequaquam, inquit, moriemini. Dixerat enim Deus: in quacunque die comederis, morte morieris. Quasi dicat diabolus: Mentitus est Deus: certo enim scivit, ut primum ex fructu huius arboris ederitis, vos boni et mali doctos atque Deos futuros. Tantum abest ut moriamini. Metuit sibi Deus, metuit regno suo, atque ob hanc causam interdixit ista arbore, quae vel ipso nomine satis indicat, eos qui de ea edunt similes Deo reddi, boni et mali peritissimos.

Hic natura et ingenium eorum exprimitur, qui mendaciis et falsa doctrina simplicium animos parant seducere. Primum Deum corde expellunt (dicit enim impius in corde suo: Non est Deus), tametsi ore de Deo magnifice tonent: dissimulant enim, quod corde celant hypocritae. Deinde Deum mendacii insimulant, verbum Dei adulterant ac falsa interpretatione vitiant, imo Deo contrarium docent.

Vidit mulier quod bonum esset lignum. Mulier neglecta voce pientissimi patris adversarium audit; nec solum audit, sed considerat, et mente volvit (ut est animal curiosum) quae Daemon suggesserat; videt fructum amoenum esse et gratum, admovet manum, decerpit ac degustat. Hoc etiamnunc hodie in omni peccato fit: tentamur ac titillamur a concupiscentia, ut Iacobus ait; cui si assentimur, iam fructum

fatalem edimus et mortem incurrimus: stipendia enim peccati mors. Si vero de concupiscentia non edimus: nihil nocebit tentatio, sed erit nobis ad probationem. Hoc tum fiet, si Deum admonitorem audierimus; ille solus nos praeservat, huic soli gratias agere debemus.

Et aperti sunt oculi amborum. Quumque cognovissent se esse nudos. Describitur hic calamitas et miseria humani generis, quae ex inobedientia oborta est; quibus liber fuisset homo si patris imperio quam hostis obtemperare maluisset. Ut ergo videamus quae sit conscientia sceleris sequens in piis peccatum (nam et in sceleratissimis est peccati conscientia; sed adfectibus obcaecati non sentiunt), subiicit: Et aperti sunt oculi eorum etc. Erantne antea caeci? Minime. Nam quomodo vidisset Adam varia animantium genera, quibus adductis nomina indidit? vel quomodo Eva fructum arboris vidisset gratum esse et pulchrum? Sed erat mens cum oculis turpium ignara, quamdiu a ligno interdicto abstinebant: nihil erat quod contristaret, nihil cuius puderet. At posteaquam pomum fatale comederunt, aperti sunt oculi eorum: erat enim de ligno sciendi bonum et malum decerptum. Quid vero iam vident quod prius non vidissent? Nuditatem suam. Fuerunt autem et antea nudi. Sed nuditas non existimabatur nuditas, peccatum non reputabatur peccatum priusquam veniret lex: lex enim cognitio peccati ad Rom. 3. et 5. Sic nuditas non cognoscebatur, priusquam sentiretur vestitus penuria. Ea vero tum adfuit, quum homo a creatore suo omnis boni thesauro abiit. Ut vel hinc discamus mentem nostram, ad quamcunque tandem creaturarum, ad quaecunque consilia, ad quascunque spes sese convertat, nihil aliud quam aerumnas, calamitates ultimamque miseriam (nam haec est tandem nuditas ista, expositum esse malis omnibus ac Dei protectione destitui) invenire; consolationem autem et requiem nullibi sibi esse quam apud Deum repositas. Videmus et hic, si paulo propius introspiciamus, hanc nobis cognatam esse stultitiam, ut res incertas et arduas temere ordiamur, finem parum cordate considerantes; is vero quum tandem advenerit iam nostro malo videntes reddamur, sed sic, ut nihil videamus quam mala, in quae nos nostra audacia praecipitavimus.

Folia ficus. Breve est hoc et dulce venenum, quo vel in peccatum primum inescamur nobisque blandimur, quum praevaricantes dicimus: Quid haec officerent? vel quid deinde peccatum excusantes praeteximus.

Vocem dei deambulantis. Ἀνθρωποπαθῶς dictum est. Descensum Christi ad nos novissimis temporibus iam inter initia praefigurat Deus.

Abscondit se Adam et uxor eius a facie Dei inter ligna horti. Haec suut opera nostra, consilia nostra, ad quae post peccatum confugimus, putantes, vel peccatis liberos futuros vel iram ac iudicium Dei effugituros nos esse. Is aram aliquam aut templum erigit; hic divum aliquem quotidie colit; iste magna pecuniarum vi indulgentias Romanas redimit; alius profectionem Hierosolyma parat. Sed frustra omnia, dicit Esaias. Quo enim magis intra hanc silvam nos abstrudimus, hoc magis a Deo summo illo bono ac benignissimo patre abscedimus; a quo

abscedere, quem fugere, nihil aliud est quam lucem fugere, in tenebras sese praecipitare ac extremam mortem, quam fugere conamur, incurrere.

Vocavit Dominus Deus Adamum. Adamum post lapsum, sceleris conscientia territum, in conspectum Dei venire pudebat. Videt enim nihil superesse, quo gratiam Dei eblandiatur; videt causam suam deiectam ac plane deploratam esse seque extrema commeritum, ut coram Deo apparere sic non audeat, ut etiam vocantem formidet subque conspectum Dei venire detrectet. Haec primum docent nos, quo in statu homo sit post peccatum. Sed hic simul docemur Dei benignitatem et misericordiam, qui proditorio animo ad aliena castra desciscentem, non supplicem, sed perniciter adhuc fugientem vestemque mutantem in gratiam recipit. Vocat, increpat, quatenusque iustitia eius ferre potest conditionem optimam in aerumnosam convertit, potius quam pessimam, quam iste meruerat. Quid enim Adamus aliud quam internecionem excidiumque meruerat? Sed consuluit quoad licuit audax eius facinus Deus, ut iam inde ab exordio praeluderet, quid aliquando toti Adami posteritati praestiturus esset, qui ferventi adhuc recens perpetrati facinoris iusta ira benignius, quam culpa mereretur, iudicaret. Hic ergo religionem veram, pietatem, hominis conversionem ac salutem originem sumsisse luce clarius videmus, ubi Deus hominem fugitivum ad se revocavit, qui alioqui perpetuus desertor futurus erat (videbat enim nuditatem, hoc est, culpam suam talem ac tantam esse, ut reditionem in gratiam desperaret); sed clementior Deus fugae obstinationem attonitumque animum misertus, non aliter quam pius pater, qui filii sui sive stultitiam sive audaciam odio quidem habet, sed odio filium habere nequit: perditum ac desperantem blande vocat quoque in statu res sint interrogat.

Adam ubi es? Sic adclamare non absque irrisione solemus eos, qui ultra vires suas res arduas temere et parum considerate ordiuntur, dum vel cum pudore a coeptis desistunt aut se in periculum aliquod sua culpa iniiciunt. Wo wo? Wo nun? Wie wie? Et elegans et vehemens est haec anadiplosis apud Hebraeos. Sic: Adam ubi ubi? Nam (es) non habent, tametsi de verborum vi κατ' ἔλλειψιν adsit. O miram ineffabilemque coelestis patris suavitatem! Rogat ubi sit, qui nisi locaret omnia ubi sunt nusquam essent; sed propter infelicem hominem interrogat, quo ei culpam suam apertius opprobraret: is enim ignorabat ubi esset. Videbat enim pavens conscientia actum esse de patria tamque beatis laribus; videbat nimis vera esse Domini sui verba: In quocunque die ederis, morte morieris. Sentiebat enim ut tremeret cor, ut variaret mens in multa consilia, sed omnia inauspicata et proditoria, distracta, mortemque fatalem simul ad omne momentum adesse formidabat. Rogat ergo coelestis pater ubinam sit, ut perpetuo memor esset homo, quo in loco, in quo rerum statu ipsum mitis vocasset Deus. Hic, inquam, religio vel potius pietas (hanc enim inter parentes et liberos, interque Deum et homines statuunt) incunabula coepit. Videbat infelix homo nihil quam iram se commeruisse; desperat igitur et a Deo fugit. Iam erga impium filium parentis pietatem vide! accurrit contumacemque inter temeraria consilia opprimit. Quod quid est aliud

quam pietas erga filium? Oritur ergo pietas a Deo usque ad hodiernum diem, sed in nostrum usum. Quid enim defuturum Deo fuisse putabimus, etiamsi Adamus subito fatali morte concidisset? Est autem tunc absoluta pietas, quum nos ad vocantem a nobis nostrisque consiliis convertimur. Probant hoc Adam praevaricator, David adulter et homicida, et Paulus persecutor. Pietas ergo sive religio haec est: Exponit Deus hominem sibi, ut inobedientiam, proditionem ac miseriam suam non minus agnoscat quam Adam. Quo fit, ut de se penitus desperet. Sed simul exponit liberalitatis suae sinus et amplitudinem, ut qui iam apud se desperaverat videat sibi superesse gratiam apud creatorem parentemque suum tam certam ac paratam, ut ab eo, in cuius gratiam nititur, avelli nulla ratione possit. Ea igitur adhaesio, qua Deo, utpote solo bono, quod solum aerumnas nostras sarcire, mala omnia avertere aut in gloriam suam suorumque usum convertere scit et potest, inconcusse fidit eoque parentis loco utitur, pietas est, religio est. Ut enim qui sic animati sunt, Deo tanquam parente utuntur: ita e diverso sollicite ac sine intermissione relegunt, tractant et considerant, quibus ei rationibus placeant, quibus demereantur. Pietas ergo illic certo esse cognoscitur, ubi studium est ad voluntatem Dei vivendi. Nam istud absoluta quoque pietas inter parentes ac liberos requirit, ut filius aeque studeat patri obsequi ac pater prodesse. Iterum germana pietas isthic solummodo nascitur, ubi homo non modo deesse sibi multa putat, sed adesse penitus nihil videt quo placere deo possit; contra vero creatori patrique suo sic omnia exuberare ut nemo quidquam apud illum desiderare possit; liberalitatem vero ac erga hominum genus amorem tantum ut nihil cuiquam negare possit. Huius rei testimonia ex utroque Testamento pete! nam plena sunt omnia.

Vocem tuam Domine audivi in Paradiso et timui, eo quod nudus essem; et abscondi me. O domine! peccavi. Agnosco culpam, confiteor, voce tua territus abscondi me; non quod de te, sed de me desperaverim. Scio quam graviter sim lapsus, quam inique egerim. Quare in conspectum tuum venire non fui ausus. Sic pii culpam suam, monente et loquente deo, agnoscunt ac confitentur ingenue. Impii vero longe aliter loquuntur, et quum in profundum scelerum veniunt, contemnunt, atque deum non esse volunt.

Et quis nunciavit tibi quod nudus esses? Quasi diceret: Ecce quam sis a consultore tuo deceptus! Voluisti scire quid bonum, quid malum; voluisti Deus fieri et a tanta dignitate in tantam miseriam lapsus es. Haec est poena eorum, qui vocem dei non audiunt, qui magis mendacio quam veritati credunt.

Mulier, quam dedisti mihi sociam. Culpam in deum reiicit: nam hanc emphasim habent haec verba, quasi diceret: Tu in culpa es: nam mulier quam mihi dedisti etc. Adam uxori per serpentem seductae morem gessit; ideo eam pro excusatione adducit. Mulier a deo creata erat ut obsequens esset marito, non maritus uxori; quem ordinem statim pervertit Eva. Quare etiamnunc viri cavere debent, ne mulieri, si qua eis pro sua libidine praescribere tentet, obsecundent; sed viri sint et viri imperio mulieres subesse agnoscant.

Serpens decepit me. Vox Hebraica נשא, vastare et decipere significat, sed variatis punctis in ש. Nam serpens Evam decipiendo vastavit ac perdidit, quasi dicat: Serpens me miseram funditus perdidit.

Maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae. Du syest das verworfnest thier. Cetera animalia pedibus in terra gradiuntur; tu pectore et ventre repes. Dicis: At vero prius creaverat reptilia deus, inter quae et serpens erat. Quid ergo novi? Vult Deus iis verbis diaboli damnationem significare (nam is per serpentem seduxerat: quid enim huius potuit serpens?), eum perpetuo esse damnatum, non esse ei spem ullam salutis, eum nunquam esse surrecturum; sed sicut serpens in terra repit, terram comedit, in terra volutatur, ita diabolum perpetuae damnationi addictum. Utitur enim deus similitudinibus et rebus, quae cognationem quandam habent cum iis quae agit. Serpens humi repit, humo vivit, terrae incumbit; sic ingenium Satanae est ad terram trahere ad terrena rapere homines, et a supernis avocare.

Inimicitias inter te et mulierem. Non horruit serpentem homo, antequam per eum a Satana deciperetur, sicut nec cetera animantia. Ex deceptione igitur venit quod serpentem horremus

et semen tuum et semen illius. Semen diaboli omnes sunt, qui eum audiunt, qui ei obsequuntur. Sic Ioan. 8: 44. Vos ex patre diabolo estis, quum se semen Abrahami iactarent.

Ipsa conteret caput tuum. Relativum הוא, *Hu*, Hebraeis masculinum est, et ad זרע *saera* refertur, quod etiam masculinum est. Latinus (ipsa) ad feminam refert, Hebraicus autem contextus ad semen mulieris: nam femina non contrivit caput serpentis, sed semen eius, Christus scilicet. Hoc mysterium viderunt Septuaginta et dixerunt: *αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν. Ipse observabit tibi caput;* ubi observandi verbum pro comminuendi accipitur, eo quod qui quid comminuunt diligenter observant, ut in id impingant. Mysterium dixi hic latere altissimum: nam quid hoc magni erat, si inter mulierem et serpentem essent insidiae aut inimicitiae? Hic iam ab initio promittitur liberatio et semen illud benedictum, per quod benedicendae erant omnes gentes. Est autem sensus verborum dei: Per mulierem seduxisti, per mulierem succumbes. Quae quidem mulier (loquitur autem de sexu *κατὰ συνεκδοχήν*) quandoquidem tibi idonea visa est, per quam artes tuas et insidias exerceres, quantumvis sit imbecillis, quantumvis stulta et artibus proinde tuis obnoxia, semen tamen proferet, quod tibi sit caput contriturum. Capitur autem ראש *Rosch*, caput, Hebraico more pro potentia, tyrannide. Nam diabolus est princeps huius mundi, sub cuius tyrannide et potestate omnes tenebamur captivi, donec illud benedictum semen ex muliere nasceretur Christus Iesus dominus noster, qui dicit: Venit princeps huius mundi, et in me non habet quicquam. Item alibi: Nunc iudicium est mundi. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras etc.

Tu insidiaberis calcaneo eius. Quod superius conteret iam insidiaberis vertit. Apud Hebraeos idem est verbum שוף *Schof*, quod significat quassare, contundere, subvertere, conterere. Graeci utrobique habent *τηρέω*, quod *observo* significat, forte incuria librariorum

ου in η verso. Quasi dicat: Tu diabole, cuius caput per semen feminae conteretur, conteres calcaneum illius. Significat autem humanitatem Christi (quae per calcaneum pedis intelligitur: nam pedes infima pars corporis sunt et omnes sordes et pulveres terunt. Sic Christus iuxta carnem nostras infirmitates tulit) a Satana adfligendam ac tentandam, imo, ut mundi fert opinio, perdendam esse. Sic legimus Matth. 4. Christum a tentatore, qui in serpente figuratur (nam eadem vox נחש, *nahasch*, quae Hebraeis *serpentem*, etiam *tentare* significat) tentatum esse; denique Pharisaeos instigavit ut Christum odio prosequerentur, et tandem occiderent. Nam alioqui Satan in Christum nihil potuit nisi corpus occidere.

Multiplicabo aerumnas tuas. Haec est maledictio feminarum et poena inobedientiae, quam diluunt et expiant, dum maritis suis subditae fuerint ac morigerae, liberos genuerint ac in religione educaverint. Nam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum.

Sub viri potestate eris. Hebraei aliter legunt: Ad virum tuum concupiscentia tua seu desiderium tuum. Septuaginta dixerunt, *ἀποστροφή σου*, suspectio tua, seu conversio tua. Nam Graeci utuntur *ἀποστροφῇ* etiam pro *ἐπιστροφῇ*. Sensus est: Eris inermis ac imbecillis, sic omni ope et auxilio destituta, sic calamitatibus et aerumnis plena, ut ad virum semper confugias et opem illius implores. Aut: Tu suspicies virum tuum tanquam caput tuum et superiorem: caput enim feminae maritus est.

Maledicta terra in opere tuo. Hebraeus sic legit: Maledicta terra propter vel ob te. Das erdrich sye verbannet! [1] Pulcherrima antithesi Deus poenae degravationem exprimit; ac si diceret: Posui te dominum paradisi, terrae illius voluptuosae et deliciis affluentis, quae sponte et absque labore omnigenos fructus eosque amoenissimos et saluberrimos proferebat; quibus si sapere voluisses, potuisses cum gaudio et tranquillitate frui: nam אכל, *Acal*, comedere pro frui plane accipitur. Quandoquidem autem voci meae non obtemperasti: ecce habebis terram inobedientem et contumacem, ut etiam sterilis sit in opere tuo futura; et quae summo labore culta proferet, spinae erunt et tribuli. Atque hac terra, id est iis, quae ex terra nascuntur (est enim synecdoche) frueris tu, sed in aerumna ac calamitate. Noluisti arborum fructibus frui; ede ergo herbam terrae, quae tua culpa contumax et hostis tua est facta.

In sudore vultus. Generalis est sententia, qua labor et opus praecipitur, otium omnium vitiorum mater prohibetur: nam ad laborem omnes nati sumus; et qui non laborat, non manducet. Neque ullus ab hac lege excipitur, qui saltem Deum metuat: est enim peccati poena.

Donec revertaris in terram. Hunc ergo laborem ferre debemus usque ad mortem.

Lutum es et in lutum redibis. Hoc verbum omnem elationem, omnem ferociam atque superbiam premit. Omnes ex eodem luto, ex eadem massa conditi sumus. Quid ergo alter alterum contemnit?

---

[1]) Quod impune non intratur.

Et vocavit Adam nomen uxoris suae Hava, quod mater esset omnium viventium. Hava vitam significat seu vivam. Omnium viventium συνεκδοχὴ est: nam non erat mater luporum, sed viventium, hominum scilicet. Dicunt quidam Havam, *vitam* ideo κατ' ἔμφασιν vocatam, quod sicut vita nihil aliud est quam aerumna et mutatio: ita mulier aerumnosa sit et inconstans, ad omnem ventum mutabilis velut vita et luna.

Fecit eis tunicas ex pellibus. Qui in innocentia non manserunt, digni sunt, ut pecorum tergoribus induantur; et qui Deo similes esse voluerunt, merito bestiis comparantur. Ad hoc alludit David divinus propheta, hominis ingratitudinem et stultitiam taxans: Homo quum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis, Psalm. 49: 21. Bruta non ducunt, sed trahuntur; qui ergo adfectibus trahuntur similes sunt bestiis: non enim dominantur adfectibus, sed adfectus dominantur eis.

Et induit eos. Qui beluas adfectibus exprimunt, beluas induti sunt; qui Christum exprimunt, Christum induti sunt. Indui dominum Iesum Christum est Christo esse similem; Christum tota vita exprimere; sic vivere sicut Christus vixit; mortificare membra quae super terram sunt. Contra pellibus ferinis indui est sic vivere, quemadmodum beluae vivunt, adfectibus deditum esse.

Ecce Adam quasi unus ex nobis. Hac ironia ferit Deus conscientiam Adami, atque Adamo stultitiam et temeritatem suam ob oculos ponit: ironiae enim vehementes sunt.

Et emisit eum Dominus deus. Hac coniunctione ו *Vof*, apud Hebraeos, varie utuntur Hebraei: iam pro copulativa, iam pro causali, iam pro rationali, iam pro adversativa. Ideo emisit eum, quasi diceret: Et haec fuit causa ut amandaret eum Dominus. Nam verba Hebraica שלח et גרש, *garasch* et *schilah*, plus significant quam emittere; eiicere, expellere magis quadrat. Eiecit ergo eos ac expulit, nunquam reversuros: nam hoc factum eorum postulabat, ut severe et duriter cum eis ageret deus; et tamen misericorditer cum eis agit. Commeruerant aeternam mortem; ipse duntaxat eiicit eos, in temporali miseria et calamitate ponens, qui nulla gratia, sed aeterna poena digni erant; denique in mediis calamitatibus promittit eis liberatorem et salvatorem. Videte quid agatis, qui per stultam rebellionem crudelibus tragoediis materiam praebetis!

Et collocavit ante paradisum Cherubim et gladium. Abdicat hominem Deus ut degenerem, et veluti nothum e nido detrudit custodemque pro ianuis paradisi statuit, qui redire volentem arceat. Salutem ergo ac vitam sic occlusit, ne illuc homo redire unquam possit, nisi per eum qui via factus est et ostium, per cuius sanguinem libertatem adeundi habemus in sancta, ea scilicet via, quam dedicavit nobis recentem ac viventem. Hebr. 10: 20.

CAPUT IV.

Adam cognovit uxorem suam. Cognoscere pro concumbere et rem habere honeste utuntur Hebraei.

Dicens: Possedi hominem per Deum. Dicere frequenter utuntur Hebraei pro cogitare, deliberare, statuere. Ostendit autem Moses quaenam ratio moverit Evam, ut filium suum nominaret *Cain* (ab eventu enim aut occasione aliqua ferme imponunt nomina suis Hebraei). Cogitaverat enim intra se: Ecce possedi, inveni, nacta sum hominem cum Domino, vel per Dominum. Hebraeus sic legit: Et concepit et peperit Cain et dixit: Hic *et* causalis est coniunctio: *et* dixit pro *nam* dixit. Eo consilio, hac ratione nominavit eum Cainum. Nam dixit, id est intra se cogitavit: Iste est vir (nam hominem emphasim habet) quem mihi pollicitus est Dominus, dum dixit: Semen tuum conteret caput serpentis: (ita enim intellexerant Adam et Eva promissionem Dei) Possideo iam eum, ecce teneo eum, ecce adest quem mihi pollicitus est Deus. *Per Deum*, by Gott oder mit Gott: nam varie utuntur Hebraei suo את, *aeth.*

Rursus peperit fratrem eius Habel. Eius, scilicet Caini. Quemadmodum primum Cain vocaverat, ita et hunc *Hebel* vocat, quasi supervacaneum. הבל, *Häbäl*, enim Hebraeis inane, vacuum, supervacaneum significat. Hoc Iosephus in bonam partem exponit, quasi *Habel* evacuatus fuerit omnibus terrenis rebus, soli Deo vacaverit; sed tu intellige: ex superabundanti et affluentia datum a Domino. Hoc discimus quam ratio et prudentia humana saepe suis consiliis fallatur. Eva putat Cainum illum esse, in quo speranda sit salus; ob hoc exultans ait: Possedi hominem per Deum; alterum velut contemnens *Habel* vocat. Sic videmus Deum reiicere quos extollimus nos; contra, quos nos contemnimus, eos Deus non raro ad summa evehit, Iosephum, Davidem, Gedeonem.

Abel quoque obtulit. Etiam ante legem oblationibus et sacrificiis praeludit divina providentia, ut verum illud sacrificium, quod extremis temporibus pro totius mundi delictis offerri debuit, adumbraret.

De primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum. Per primogenita hic optima quaeque intelligit. חלב, *Helef*, non solum pro adipe capitur, sed pro pinguibus, pro opimis. Magnus erat Deus in corde Abelis; ideo non tenuia, non macilenta, sed pinguia et optima offert. Hanc fidem cordis Deus respexit. Opera ergo, quae foris fiunt, si non ex radice fidei nascantur, vana sunt et Deo non probantur. Offert Cain, offert et Abel. Cur Abelis munus respicit Deus, Caini non respicit? nimirum quod ex fide offert Abel, Cain non item.

Cur concidit facies tua? Germanice hunc Hebraismum commode exprimimus, Ihm entfiel das angsicht, ihm entfiel mut und freud, ihm entfiel das herz, alium vultum induit. Vultus autem animi est nuncius ac index.

Nonne si bene egeris, recipies? Sin male, peccatum statim in foribus aderit? Γνώμη est generalis, et apud omnes confessa; sed vehementior dum per interrogationem profertur. Hac ad increpationem Caini utitur Deus, praevenire volens, ne homicidium, quod animo conceperat, opere expleret; quasi diceret: Ambo mei estis; cur tibi displicet quod frater tuus optima mihi obtulit? Haec est inaestimabilis Dei misericordia: dum videt nos mala animo concepisse, praemonet ne

faciamus, ne erumpamus. *Peccatum in foribus quiescit*, idiotismus est sermonis Hebraici, Germanis quoque communis. Das unglück hockt ihm vor der thür.

Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis ei. Haec mihi videntur ad superiora sic esse annectenda, ut sub una interrogatione omnia proferantur. Nam apud Hebraeos unica pericope est, et unico Pasuk concluditur. Hebraeus sic legit ad verbum: Num non si benefeceris recipies; et si non recte feceris, peccatum ad fores quiescens; et ad te desiderium eius et tu dominaberis illius vel in eum? Quasi dicat Deus: Num Abelis desiderium et suspectio ad te esse debet, quemadmodum mulieris ad maritum? Num tu dominus eius, caput eius es? Qui relativa aut affixa (eius, illius) ad peccatum referunt, ignoratione linguae Hebraicae falluntur. חטאה, *Hatah*, enim, quod peccatum significat, femininum est, affixa autem masculina; ideo *eius* et *illius* ad Abelem, non ad peccatum referenda sunt. Porro, qui libero arbitrio ex hoc loco patrocinium quaerunt, nihil evincunt, quam hominem damnationis reum agere. Nam si salvari non possumus, nisi peccato et adpetitui dominemur: condemnata est omnis caro. Est ergo sensus: Num Abel adpetitum, hoc est, fidem et in Deum amorem ad tuum imperium temperabit? Plurimum me colit, maximus apud illum sum, ideo praestantissima obtulit; contra tu hypocrita es, qui mei cultor videri vis non inferior Abele, quum non sis. Hinc odium et audacia. Num ergo iste non erit magis pius ac mei reverens, quam tu illi praescribas?

Dixitque Cain ad Abel fratrem suum. Idem verbum est Hebraeis *loqui* et *dicere*. Potuisset Latinus commodius vertere: Et locutus est Cain cum fratre suo. Loqui enim hic absolutum est, non transitivum. Sensus est: Tametsi Cain corde fratrem suum oderat hostiliaque cogitarat; tametsi de occidendo fratre apud se statuerat: non tamen ei negabat sermonem, loquebatur cum eo. Sic agit impia hypocrisis: Deum ore fatetur, corde negat.

Egrediamur foras. Hoc apud Hebraeos non habetur, sed ab aliquo sciolo propter superiora additum existimo, qui non vidit Hebraeis *dicendi* verbum pro *colloquendi* aut conversandi acceptum esse.

Et factum est, dum essent in agro. Hebraica coniunctio ו Vof ordinis est. Sensus est: Deinde factum est, dum essent in agro.

Nescio. Hic plane cernimus caecitatem ac temeritatem impietatis. Non solum non audit admonentem Deum (mane enim consurgit Deus, nec monere cessat), sed et in medio scelere se defendit et excusat. Nil hic blanditiae, nil minae prosunt; sed qui Deum in corde suo abiecit, verbum eius non audit, et impudenter, vel coram Deo cordium scrutatore et iudice, quae turpiter commisit, negare audet, imo deo illudere non veretur, dicens: *Num ego custos sum fratris mei?* Tametsi sceleris est sibi conscius, fateri tamen non vult, sed arguentem irridet atque cum indignatione et sanna contemnit.

Quid fecisti? Vox sanguinum fratris tui clamantium ad me de terra. Prosopopoeia est, quasi dicat: Novi quid feceris, novi innocentiam fratris tui atque tuam audaciam. At interrogatio atque ipsa orationis figura multo plus gratiae habet.

Et nunc maledictus tu de terra, quae aperuit os suum, ut sumeret sanguinem fratris tui de manu tua. Sensus est: Tu eris maledictus de terra, quae fratris sanguinem absorpsit. Hoc est: terras evomet te, eiiciet, polluta erit ac contaminata homicidio tuo et innocentis sanguinis effusione; contumax et inobediens erit tibi.

Quum eam fueris operatus, non dabit tibi robur suum. Hoc est: non dabit tantum quantum posset etiam optime culta.

Vagus et profugus. Vagus, inconstans, mobilis, eiectus, profugus, instabilis. Sic Hebraei. Graeci legunt: suspirans et tremens; nam tales sunt impiorum conscientiae.

Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Qui paulo ante audacter excusat, imo pertinaciter peccatum negat, iam plane concidit et desperat. Sic omnes impii. Primum dicunt: non est deus. Deinde nullis neque exhortationibus ab impietate avocantur neque minis terrentur. At posteaquam iratus Deus peccatum eis ob oculos ponit, quumque nullum vident effugium: iam turpiter concidunt, trement, gemunt atque tandem desperant; et qui misericordiam Dei contemserunt, iustitiam eius ferre nequeunt.

Eiicis me de terra. Id est, patria me pellis ac solo natali.

Omnis qui invenerit me. Hebraeus legit: Quidquid invenerit me; quodcunque. Was mich findt.

Non sic fiet. Quasi diceret Dominus: Nequaquam sic fiet: ego aliter disponam. Nullus impune te feriet: nam ultio mea est. Hic homicidium, etiam sontis, privato cuique interdicitur ac vetatur: nam ultio Domini est. Qui ergo gladium gestant et ministri sunt dei ad vindictam malorum, ii gladio ferire sontes impune possunt, imo debent.

Et ponam in te signum. Incertum est qualenam hoc fuerit signum; verisimile tamen est deum certis quibusdam notis Cainum aliis manifestasse quis esset; vel forte manifesto eum signo ita prodidit, ut omnes eum quam sceleratus esset nossent; nemo tamen ei vim inferret, sua satis culpa miserabili ac infelici. Hic observa, sic esse comparatum, ut vitam et mores sceleratorum, dum vivunt, etiamsi nemo vel increpare vel in eos animadvertere audeat, post mortem tamen ii summa invidia et infamia commaculentur. Quibus enim lingua pepercit, calamus non parcet.

Deinde observa deum frequentius in initiis generationum figuris hoc adumbrare, quod Iudaei aliquando propter incredulitatem suam sint eiiciendi, gentes autem per fidem Christi ad salutem cooptandae. Quid enim similius Caino hodie quam Iudaicus populus?

Et fuit aedificans civitatem, et vocavit eam iuxta filii sui nomen Hanoch. Fuit aedificans Hebraismus est pro aedificavit. Hic incipit humanus fastus, humana audacia. Nam tyrannis primum arces et civitates extruxit, ut tuta esset et impunita violentia. Deinde nomina sua illis indiderunt. Tametsi aliquando diversum in urbium conditione sit factum, quo scilicet confugerent homines ab improbitate ferarum ac tyrannorum. Moses sic vult dicere: Tametsi profugus erat et desperabundus Cain: attamen ita se extollere audet, ut civitatem aedificet et eam nomine filii sui vocet. Hic videmus originem nobilium, qui ex rapto vivunt (qui nebulones rectius adpellarentur. Nam qui

vere nobiles sunt, digni haberi debent omni honore), primum ex sanguine et homicidiis prodiisse.

Pater eorum qui in tabernaculis. Quasi diceret: ex pessimo patre non omnino mali filii prognati sunt. Intelligit autem per eos, qui in tabernaculis habitabant, pastores et nomades, qui in casis ac mapalibus versantur. Pater pro inventore ponitur.

Lamech dixit uxoribus suis. Hebraei non solum describunt quid, sed quomodo. Potuisset Moses breviter dicere: Et recensuit Lamech uxoribus suis homicidium se perpetrasse; sed dicit: Interfeci hominem mihi in vulnus; hoc est: Interficiendo hominem me ipsum sauciavi; cauterio notavi conscientiam meam; attamen nemo me impune interficiet: soli deo poena servata est. Quod si quis me interfecerit, is septuagies septies luet, id est, infinitam poenam dabit. Quemadmodum olim dictum est de Caino: Si quis eum interficeret, licet homicidam, is septies puniri deberet.

Vocavit nomen eius Seth, quoniam posuit mihi Dominus semen aliud. Vocavit nomen eius Seth. Iam per reticentiam aliquid omittit, scilicet, dicens vel dicendo, id est cogitando; hoc est: hac ratione vocavit eum Seth, quod Dominus posuisset, id est dedisset (nam dandi et ponendi verbis vicissim altero pro altero utuntur Hebraei) ei aliud semen. Iterum intelligit de semine promisso. שוֹת Schoth significat *posuit.* Seth, ein Satz oder ein Setzling, hoc est: stolonem aut surculum, in bonam partem.

Iste coepit invocare nomen domini. Hebraeus sic legit: Tum coeptum est invocare nomen domini. Dicis: Et Abel invocaverat nomen Domini; sed eo occiso cultus unius Dei laborabat. Quicquid enim interim de Caino oritur, impium est et sanguinarium. In Setho ergo incipit genus humanum se rursus ad Deum convertere; is rursum coepit colere Deum, Dei cultum instaurat.

CAPUT V.

Hic est liber generationis Adami. Diss ist das register darin beschriben ist etc. Epilogus est brevis praedictorum.

Genuit Adam filium ad imaginem et similitudinem suam. Hoc loco operae pretium nobis visum est, miseram totius humani generis conditionem, quae ex primorum parentum culpa in sobolem ac posteritatem totam influxit, paulo exactius ac prolixius tractare; idque ex Zuinglii libello, in quo de originali morbo cum Urbano Rhegio copiose simul et docte commentatur, ut discamus tandem quale sit ingenium omnis carnis, quam vitiata et infecta sit natura hominis, quam misera et calamitosa servitute depressa.

Quum rerum omnium conditor Deus hominem, quem animantibus cunctis praefecerat, in hortum amoenissimum induxisset, hac lege sibi devinxit: De omni ligno horti edes; verumtamen de ligno sciendi bonum et malum non edes: quo enim die de ipso ederis, intermorieris. Quam legem miser homo non tam feminae blanditiis (nam haec serpentis astu seducta in pomum irruit, maritumque persuadet ut et ipse de pomo comedat) quam cupiditate quum malum bonumque sciendi, tum Deo

parem existendi superatus, fatali pomo dentem est admolitus confestimque oculos recepit, non eos quidem quos speraverat, sed quibus malorum omnium turbam, quae se manebant, unico aspectu intuebatur, ac protinus concidit. De qua re satis in superioribus auditum est. Nunc vero in hoc toti sumus, ut fontem huius mali ab ovo (ut aiunt) indagemus, et quonam modo Adami peccatum in omnes derivatum sit. Nam sic dicit Moses: Genuit Adam filium ad imaginem et similitudinem suam. Quam ergo tandem causam tam imprudentis facti aliam esse putamus, quam amorem sui? Admirabatur se Adam, aestimabatque non indignum esse maiore, quam quod tenebat, in beluas scilicet imperio. Mentem perlustrabat, inveniebatque plurium quam quae hactenus nosset capacem. Imo, transcensis ac superatis omnibus, iudicem quendam imaginando se faciebat, ac dictatorem boni et mali. His epiphonematis captae sunt aures eius, his epicherematis concussa est de non edendo lex, his arietibus solo aequata est arx innocentiae, evenitque ter quaterque misero quod Dominus praedixerat. Funditus enim periit ultima quaeque meritus, atque ut Hebraei loquuntur morte mortuus est; nisi quod Dominus remedium quid pro sua potius benignitate quam istius merito invenit, quo lapsas res fulsit. Habemus nunc praevaricationis fontem, *φιλαυτίαν* videlicet, hoc est, sui ipsius amorem. Ex hac manavit quidquid uspiam est malorum inter mortales. Hac mortuus iam homo filios degeneres procreavisse neutiquam cogitandus est, non magis quam ut ovem lupus, aut corvus cygnum pariat. Non ergo fuerunt liberi primorum parentum praestantiore conditione quam ipsi, nec vero tota posteritas. Adam autem peccati mancipium factus est, legem divinam transgrediendo. Qui enim facit peccatum, servus est peccati. Eadem ergo conditione omnes ex eo nati sumus: unde etiam fit, ut quicquid cogitemus nostra causa cogitemus, rebus nostris consulamus, ac prorsus per omnia sic incedamus, ut omnia nostra esse, nobis servire, nos autem super omnia esse cupiamus. Vitiata ergo in primo parente natura est, quae nihil quam se amando in omnibus peccat; nihil, si eam sibi relinquat Deus, ingenuum aut liberale cogitat, aeque ac fugitiva mancipia. Est ergo ista ad peccandum, amore sui, propensio peccatum originale: quae quidem propensio non est proprie peccatum, sed fons quidam ac ingenium. Exemplum damus de lupo adhuc catulo: is per omnia lupus est quod ad ingenium pertinet; at vero is qui ferocia sua omnia mactat rapinam adhuc nullam (quia per aetatem non poterat) avertit. Venatores ergo haud plus illi parcunt, quam ei, e cuius faucibus praedam eripiunt, eo quod natura, tametsi teneri, etiamnunc eo usque eis perspecta est, ut quum maturuerit gentis suae mores sit imitaturus. Ingenium ergo est vitium originale; rapina vero peccatum quod ex ingenio dimanat. Id demum peccatum actu est, quod recentiores actuale vocant quodque proprie peccatum est. Quod omnium clarissime Paulus ad Romanos 7: 14. paucissimis explicat: Ego, inquit, carnalis sum (en tibi lupi teneri ingenium!) venumdatus sub peccatum (en servi conditionem, naturam corruptam, ad peccandum propensionem, et quid multa? vitium sive morbum!). Quod enim operor, non probo (*cognoscendi* enim verbo impense utuntur Hebraei pro verbo *probandi*.

Ut Ps. 1: 6. Novit Dominus viam iustorum, id est, probat; et Ps. 37: 18. Novit Dominus dies immaculatorum; et Num. 14: 31. Et *probabunt* terram, quam vos sprevistis: ubi nos legimus: Et *videbunt*, sed perperam. Est enim ubique idem verbum ידע Idaa.) Non enim quod volo, hoc facio, sed id facio quod nolo. Quum ergo quod nolo, id facio, adsentior legi, quod iusta sit. At non ego operor illud (quod scilicet nolo secundum internum hominem), sed inhabitans in me peccatum. Scio enim, non habitare in me, hoc est in carne mea, bonum etc. Peccatum autem in nobis inhabitans aliud nihil est, quam vitium corruptae carnis, quae amore sui perpetuo concupiscit adversus spiritum. Spiritus enim rei publicae studet, caro privatae. Non enim consulit sibi Deus, sed a se conditis; quum ipse nullius egeat, eius omnia. Sic omnis caro quantumcunque se bonam simulet, quatenus caro est, ad se omnia refert. Si vero aliter habere apud se sentiat, iam gratum Deo acceptumque referat. Manifesta sunt enim opera carnis. Caro ergo aliud est, aliud opus ipsius. Non est autem peccatum caro; sed hoc quod caro perpetrat peccatum est. Caro ergo, ingenium hominis, vitium sive peccatum originale, propensio ista videtur, quae concupiscit adversus spiritum; ista vero concupiscentia absque causa non est. Quum autem nemo quidquam nisi sua causa concupiscat, relinquitur ut ista propensio ex φιλαυτίας, hoc est, amore sui ipsius sit, qui quidem morbus aut vitium est, ex quo omnia mala prodeunt. Originalis ergo contagio morbus est, non peccatum, non culpa. Nam culpa ex commisso vel admisso eius nascitur, qui facinus designavit. Exemplum do, ad quod Paulus quoque respexit: Servum nasci misera conditio est, non culpa eius qui nascitur neque crimen: qui enim nascitur, nondum quidquam admisit aut commisit. Quum ergo talis contagio peccatum aut culpa vocatur, fit id non vere, sed metonymice, a primi parentis admisso. Est autem nihil aliud quam conditio, misera quidem illa; at multo levior, quam crimen meruerat. Sicut enim bello capti, trucidari quum impune potuissent, per gratiam ac misericordiam hac lege servati sunt, ut serviant cum tota posteritate: sic humani generis auctor πανολεθρίαν, hoc est, internecionem meritus, Dei bonitate in exilium relegatus mortique addictus est, quo non modo ab amoenissimo horto exularet, sed etiam a iucundissimo divini vultus adspectu angelorumque laetissimo contubernio. Quae deinde calamitas posteritatem quoque invasit: nequit enim aut mortuus vivum parere aut ingenuum servus. Adam igitur, quum ex aequo mortuus esset ac exul, de se generare non potuit, qui vel vivus in conspectu Dei esset, vel civis aut heres rerum coelestium a quibus penitus exciderat. [1] De remedio autem istius morbi, et qua ratione benedicti illius seminis sanguine expiatus sit, non est hic dicendi locus. Puto iam satis declaratum esse, quomodo Adam iuxta suam similitudinem et imaginem filios genuerit. Quod quidem horribile est: nam Deus fecerat hominem ad suam imaginem; Adam autem post peccatum genuit sibi similes, nempe peccatores, Rom. III. V. VI. VII.

---

[1]) Haec de peccato originali videsis fusius exposita Vol. III. p. 629—632.

Hoc quoque hic loci praetereundum non est, in catalogo generationum primogenitos duntaxat recenseri: nam dubium non est sive Adamum sive Sethum plures habuisse filios quam hic censeantur.

Item videntur centum et triginta anni, quos vixit Adamus, ad generationem Sethi referri debere, non ad Abelis et Caini.

Et ambulavit Enoch cum Deo. Hebraei verbum habent reciprocum quod הִתְפַּעֵל Hithpaal vocant, cuius actus in agentem redit; et sic legunt: Et Hanoch fecit se ipsum ambulare cum Deo. Er hat sich geflissen nach Gott ze wandlen, ze leben. Hoc est: plus ceteris, qui ante eum vixerant, verae pietati et unius Dei cultui vacavit.

Observa hic generationem Hanochi septimam fuisse ab Adamo! Septimo autem die quievit Dominus ab omni opere. Sabbatum ergo in Hanocho renovatum est ac instauratum. Nam Moses non dicit eum mortuum esse, quemadmodum de ceteris locutus est, sed sublatum: ab omni labore scilicet in requiem sanctorum, hoc est: eorum qui vera fide Deum coluerunt. Quae requies deinde ob illius viri singularem fidem et probitatem a Christo Abrahami sinus adpellata est; in hanc et Elias receptus atque quotquot coram Deo innocenter ambularunt.

Plena sunt omnia doctrinis ac mysteriis. Primum discimus, sabbatum aliud nihil esse, quam innocentem coram Deo conversationem ac vitam. Secundo, nos, qui septima iam aetate vivimus, Hanochi esse; innocenter ergo nobis cum Deo ambulandum est. Tertio significatur hic Sabbatum quoddam perpetuum (quod Sabbatum ex Sabbato vocat Esaias), requies scilicet sanctorum, ad quam nos Deus, si cum Hanocho innocenter coram eo vixerimus, tandem exantlatis laboribus recipiet.

Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum. Statim post praevaricationem dulcissima promissione consolatus est hominem Deus, de qua re in superioribus satis multa. Promittit autem ex femina nasciturum, qui publici hostis caput contereret: huius enim insidiis imprudentes perierant. Quod parum fideliter promisisset Deus, si eius victoriae fructi nihil ad Adamum rediturum fuisset. Quid enim quam dolorem augere viro potuisset, scire venturum esse liberatorem, sese autem non fruiturum? Intellexit ergo Adam semen hoc non posteritati tantum, sed sibi quoque salutare futurum. Attamen temporis articulum, quo venturum erat, ignorabat. Quod utrumque his testimoniis probatur. Superius ex quarto capite audivimus: Cum Eva Cainum genuisset, dedit ei hoc nominis sic fata: Possedi hominem sive virum cum Deo, sive per Deum. In quibus verbis tanquam in speculo videntur feminae vota. Possedi, inquit, hoc est: inveni, nacta sum aut adquisivi: id enim valent Hebraica. Nacta sum virum, inquit, istum scilicet quem Deus sub nomine seminis promiserat, cum Deo, sive per Deum, hoc est: Dei bonitate. En tibi sententiam, quam habebant de promissione Dei! en simul momenti ignorantiam! putabant iam tum adesse, qui post annorum tantum curriculum vix tandem venit. Hoc capite videmus in Lamecho vota eadem. Quum enim natus esset ei Noah, ait: Hic praestabit nobis requiem operum et laborum manuum nostrarum, item arbitratus eum esse qui promissus erat, eo quod et dicimus esset et mille iam anni a condito mundo praeteriissent. Hic

pius homo bis, attamen innocue, falsus est. Non enim aderat tempus neque is erat qui promittebatur, sed eius tantummodo typus, ut Petrus testatur. Promissio ergo Dei primis mortalibus facta observata ab eis fuit, etiamsi brevibus verbis hoc expeditum sit; et ea spes aut fiducia, quam in semen hoc habebant, eos non est frustrata. Tametsi enim in persona et tempore nonnunquam, in re tamen nunquam erraront sanctissimi viri. Nec fides eorum falsa fuit, tametsi Noah non ille erat. Semper enim in unum aliquem speraverunt, nempe in semen illud benedictum quod erat Christus. Est ergo vaticinatio haec et figura Christi futuri liberatoris, qui aliquando requiem esset praestiturus humano generi ab operibus. Opera enim non salvare possunt. Terra nostri corporis maledicta est, aliud nihil quam spinas et tribulos profert, quamdiu hic vivimus; quantumvis colatur, semper spiritui repugnat et adversatur. Cupimus ergo dissolvi et esse cum Christo; is vere requiem praestat, is vere consolatur, is verus est Noah, pater futuri seculi.

De senio illorum hominum nemo mirabitur, qui gentiles historias aliquando legit. Nestorem trisaeclisenem scribunt poëtae. Plinius quoque iis non absimilia scribit. Quod autem hodie ad tantam aetatem non veniunt homines, partim in causa est seculi senium (habet enim et tempus suam aetatem), partim vitae nostrae immodestia atque intemperantia.

CAPUT VI.

Quumque coepissent homines multiplicari super terram. A creatione aut exordio mundi ad diluvium usque anni fluxere ferme MDLVI. Tanto ergo tempore multiplicati sunt homines super terram. Porro, multiplicatis hominibus, simul scelera et flagitia multiplicantur.

Videntes filii dei filias hominum quod essent speciosae. Filios dei hic nominat eos, qui deum metuebant, deum reverebantur atque amabant; qui a parentibus suis in religione ac cultu unius ac veri illius dei educati erant; qui deum pro suo deo habebant; qui ex linea illa erant ac gente, ex qua futurum erat semen illud promissum et benedictum. Contra filios hominum eos dicit, qui de parricida Caino erant geniti.

Acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Hoc est, libidinabantur cum filiabus hominum, neque tam castum ac impollutum habebant coniugium. Quasi diceret: Ad tantam ventum est impudentiam, ut etiam filii dei, qui pietate, verecundia, et innocentia ceteros antecellere debuerant, tantum sibi licentiae sumerent, ut iura matrimonii violarent, turpitudinem ac promiscuam libidinem cum filiabus hominum patrarent. Nam si quisque unam duntaxat sibi in matrimonium copulasset: fecissent nimirum iuxta legem dei et naturae; neque hoc deus tam atroci poena punivisset. Non ergo loquitur Moses quod sibi acceperint uxores, quatenus per legem licebat (legem appello pietatis dictamen et frequens dei alloquium), sed exaggerat culpam eorum qui pro libidine rapiebant uxores et filias. Reddit enim causam cur tot flagitia super terram inundaverint, nempe quod pii etiam adfectibus carnis occupati sunt. Nam haec est vis, hoc ingenium carnis, ut etiam

pii et filii dei libidinibus vincantur. Sic ergo exorbitabant filii dei, ut potius adfectibus carnis ducerentur, quam dei timore; plus spectarent quid flagitaret cupiditas, quam quid peteret honestas.

Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum. Hebraeus sic legit: Non disceptabit spiritus meus cum homine perpetuo, in eo quod et ipse caro est. Quasi diceret deus: Non digladiabor perpetuo cum homine spiritu meo: est enim caro. Nihil moror hominem: video enim eum esse inemendabilem, contumacem. Ich wil nit vil mit ihm zancken. Ad hunc modum loquimur de iis, qui pervicaciter nobis contradicunt, qui responsant, qui contendunt, qui monitis nostris non obtemperant.

Caro est, id est malus, perversus, adfectibus deditus. Hoc enim per carnem intelligit. Per spiritum rursus eum intelligit, qui Deo fidit, qui iussis dei obtemperat. *Est enim caro προσαπόδοσις* est, cur non sit ultra cum homine disceptaturus. Generalis autem est sententia, quasi diceret: Vidi ab initio hominem aliud nihil esse quam carnem. Delebo ergo eum, perdam eum: patienter ac diu tuli eum, sed nequidquam. Omnia autem haec *ἀνθρωποπαθῶς* dicta sunt.

Eruntque dies illius centum et viginti anni. Pro poenitentia scilicet et resipiscentia tantum temporis datum est peccantibus, qui admoniti per Noachum resipiscere noluerunt, quemadmodum divus quoque Petrus intellexit. Non ergo ad vitam hominis referendum est: plurimi enim plures post diluvium vixerunt annos.

Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt, isti sunt potentes a seculo viri famosi. Reddit sceleris causam, explicans interim qui sint גבורים Gibburim et נפילים Nephilim, quasi diceret: Erant viri violentia et viribus corporis freti, qui ceteros opprimebant, rapiebant, grassabantur, libidinabantur. Huius rei causa fuit congressus filiorum Dei cum filiabus hominum: qua commixtione et ipsi filii Dei sanguinarii facti sunt, sanguinariorum scilicet consortio commaculati. Quos famosos Latinus, Hebraeus vocat viros nominis, hoc est nominatos, qui sibi turpibus factis nomen magnum paraverunt. Habuerunt et Gentes suos Nephilim, qui violentia sua omnia turbabant, Iasones, Parides ac Aegisthos. Discimus hic quanti referat quibus cum vivas, quibuscum verseris, quam pestilens sit contagio pessimorum consuetudo.

A seculo, quasi diceret: Istud audax hominum genus a primaeva illa aetate ad hoc praesens seculum usque perdurat. De Gigantibus plura in libro Iosuae et Numerorum.

Videns autem quod multa malitia hominum esset in terra. Et omnis cogitatio consiliorum cordis humani vana est, et mala omni tempore. Sic fere habent Hebraica. Nam רק, Rak, inane significat, vanum, falsum, mendax, etiam significat *duntaxat*, et tunc sensus esset: Cogitatio humani cordis duntaxat mala est: non potest non esse mala. Generalis iterum sententia est, qua humani cordis malitia graphice describitur. Ex hoc loco desumserunt prophetae, quae in corruptionem humanae naturae ubique magno cum spiritu ac consona

voce intonant. Ierem. 17. Pravum est cor hominis et inscrutabile. Item David, et post eum Paulus: Omnes peccaverunt. Non est qui faciat bonum, ne unus quidem; omnes deflexerunt; omnes inutiles sunt facti. Declarat haec sententia quid sit hominem esse carnem. Nam supra dixit Deus, spiritum suum non disceptaturum esse cum homine, eo quod esset caro. Quum igitur caro simus: aliter fieri non potest, quam ut perpetuo quae carnis sunt sapiamus ac cogitemus. Quod si homo totus caro est nihilque cogitat, quam quae carnis sunt: quid aliud agit quam hostem Dei? Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Haec enim sibi mutuo adversantur. Homo ergo, quatenus homo est, et quatenus pro ingenio suo vel cogitat vel agit, nihil nisi quod carnis est, quod inimicorum Dei, quod adversariorum spiritus, cogitat et agit. Habemus aperte universam simul humanam cogitationem non modo propensam ad malum, sed totam malam esse. Nam omnia quae dicta sunt de carne, malitia ipsa sunt, ex qua pessimi deinde fructus prodeunt, quemadmodum docuit Paulus Gal. 5. Mala igitur mens malusque est animus hominis ab ineunte aetate; quia caro est, quae sui amans est, gloriae, voluptatis reique cupida, utcunque dissimulet, quaecunque praetexat, idque non per intervalla tantum (quemadmodum qui furunt aut febriunt, certis spatiis remissius habent) sed omni tempore, si eam sibi relinquas. Nec est cur ὑπερβολὴν causemur. Quod autem ex carne nascitur, caro est, ut testatur Christus. Omnes ergo in hac misera et calamitosa servitute, in hac ingenita malitia nascimur. Hinc fit ut in carne nostra non habitet bonum, ut Paulus dicit Rom. 7. Loquitur autem illic Paulus non de ea carne, quam cum brutis habemus communem: alioqui quid praeclari dixisset tantus Apostolus, in carne nostra cadaverosa nihil boni esse? quod caecis etiam pateat. Sed de toto homine, qui ut ex anima corporeque rebus natura diversis compactus est, caro tamen appellatur, quod pro ingenio suo nihil quam carnale mortiferumque cogitet. Quare si quid boni vel cogitat vel agit homo, hoc ex Deo est, non ex homine. Quum ergo Deus vidisset hominem totum carnem factum omninoque malum, de eo delendo apud se statuit. Atque his verbis Moses hominis malitiam ac perversitatem sic exaggerat, quasi Deus coactus fuisset hominem perdere. Quasi diceret: Prospexit Deus de coelo (dicta sunt enim haec ἀνθρωποπαθῶς) viditque, hoc est consideravit, perspexit ac intellexit, hominem nihil esse quam carnem. Quod si scintillam aliquam probitatis et innocentiae in eo invenisset: non delevisset; sed sic vastata erant omnia, sic perversa, sic conclamatae atque desperatae res humanae, ut Deus de internecione deliberaret. Pepercerat semel atque iterum Adamo et Caino praevaricantibus; nunc nihil spei superesse videns deploratos tollere constituit.

Poenituit eum quod hominem fecisset in terra. Quae hic dicuntur de poenitentia Dei et dolore cordis eius, ἀνθρωποπαθῶς intelligenda sunt: loquimur enim de Deo humano quodam more, atque iis vocibus quibus sumus assueti. Quorum nos poenitet, haec mutata, saepe etiam corrupta volumus ac perdita; aut quae mutata volumus,

horum poenitere dicimur. Poenituit ergo Deum humani generis, hoc est: mutare, delere voluit.

Desuper facie terra. Hebraismus est. Latinus dicit de terra, aut de superficie terrae.

Noe vero invenit gratiam coram Domino. Idiotismus Hebraicus, frequens in scripturis. Germanus diceret: Gott was ihm günstig, Gott was ihm gnädig. Sic Lucae primo angelus ait ad Mariam: Invenisti gratiam apud deum, id est nacta es gratiam. Invenire gratiam pro in gratia esse. Dicimus: Der hat vil gnad by dem, Noe hat einen gnädigen Gott. Neque intelligendum est, Noachum meritis suis apud Deum gratiam hanc iniisse, nisi et merita καταχρηςικῶς accipias. Diceret enim aliquis: Quum antea dictum sit omnem hominem carnem esse, carnem vero hostem esse Dei: quomodo Noachus potuit invenire gratiam coram Deo, quum et ipse caro esset? Huic ex iam dictis respondebimus, Noachum electum fuisse a Deo, ut esset semen futuri seculi, per quem Deus vellet servare reliquias humani generis. Tametsi enim et Noachus caro erat, non tamen pessimis illis flagitiis vitiatus erat, quibus Nephilim. Dicimus inter caecos monoculum regem esse. Sic Noachus inter ceteros mortales, qui ea tempestate vivebant, iustior erat; idque ex Dei gratia et conservatione. Quare si quis ceteros probitate antecellit, ne glorietur! ex Deo enim est.

Noe vir iustus atque perfectus fuit in generatione sua. Hebraei hic duas habent voces צדיק Zadik et תם vel תמים Thom vel Thamim. *Zadik* significat iustum, qui in sese quidem iustus est, at publicis non fungitur officiis. *Thom* vero (quem Latinus ubique perfectum reddit) significat eum, qui corrumpi nequaquam potest, qui ubique suo officio satisfacit, vir integer, ein ufrecht, trüw, styff, redlich mann, unzerbrochen, qui nusquam cedit. In generatione sua, hoc est suo seculo, sua tempestate, ut tum erant homines, inter quos vivebat, integer fuit et iustus, als da zemal lüt warend; aut quantum mortali licet esse iusto. Observanda enim est antithesis: coram Deo enim nemo iustus aut innocens esse potest; tanto autem quisque iustior est, quanto quisque Deo magis fidit, magis obsequitur. Sic fecit Noachus: credidit verbo Dei, et facit quae praecipit.

Cum Deo ambulavit Noah. Iterum ut supra de Hanocho dictum est: studuit verae pietati atque innocentiae: nam sic homo recte coram Deo aut cum Deo ambulat.

Corrupta est autem terra coram Deo. Corruptam esse terram coram Deo vel in facie Dei, emphasim habet. Adeo corrupta erat terra (id est homines habitantes in terra συνεκδοχικῶς), adeo perverse vivebant homines, ut nec Deum vererentur, ut non puderet vel coram Deo peccare. Ut enim coram Deo ambulare κατ' ἰδιωτισμὸν Hebraicum significat illius sese voluntati adtemperare, sic corruptum esse coram Deo illius monitis repugnare.

Et repleta est iniquitate. Hebraeus legit *rapina, violentia;* Graeci ἀδικίας habent, quae vox generaliter omnem iniustitiam, omnem malitiam et omne vitium significat: Zerbrochne aller frommkeit, aller

eerbarkeit, alles rechts, alles waaren. Significat autem his verbis omnia flagitia inundasse super terram.

Quumque vidisset Deus terram esse corruptam (nam omnis caro corruperat viam suam super terram) dicit ad Noe. Hebraeus sic legit: Et vidit Deus terram, et ecce corrupta. Iam subdit causam: Corruperat enim omnis caro viam suam super terram. Deinde est *Pasuk*, post quod sequitur: Et dixit Deus ad Noachum. Sensui nihil deest apud Latinos. LXX secuti sunt Hebraeos. Repetitio verborum vehementer exaggerat mortalium culpam (res enim magna est) ostenditque Deum non absque causa mundum aquis expiasse. Quandoquidem omnia plena erant rapina et violentia, omnia flagitiis et sceleribus inundabant: iustitia Dei hoc exegit, ut poenam flagitiis similem in terram mitteret, aquarum scilicet inundationem; ut quemadmodum malitia et impietate omnia diffluxerant et collapsa erant, sic omnia aquis quoque perirent ac vastarentur. Hic observa Mosen his vocibus, *terra*, *caro* indiscriminatim hoc loco usum esse: nam quod modo terram, mox carnem vocat. Quid caro sit, satis supra auditum est. Capitur enim terra pro homine terram incolente, et caro itidem pro homines synecdochicῶς. Via hominis erat secundum Deum ambulare, ad cuius imaginem conditus erat, ut de Hanocho et Noacho dictum est. Hanc viam omnis caro corruperat. De hoc Iesaias et Salomon: Contritio et calamitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum. Proinde dicit David viam iustorum Deo probari, impiorum vero perituram esse.

Corruperat enim omnis caro viam suam, προςαπόδοσις est cur terra sit corrupta. Videmus hic terram quoque hominum malitia vitiari et corrumpi. Primum autem corrupta est terra Dei maledictione ob Adami praevaricationem; mox innocentis sanguinis effusione: ut est capite 4. (nam polluitur terra innoxio sanguine, Num. 25); postremo malorum inundatione atque undarum profusione: nam terra post diluvium longe deterrima facta est. Non solum ergo homines, sed et terra cum hominibus perdita est, de qua re iam sequitur.

Et dixit Deus ad Noah: Finis universae carnis venit coram me. Hebraei hic vocem habent קץ *ketz*, cuius radix (ut ipsi vocant) est קצץ *katzatz*, quae significat truncare, mutilare, abscindere, amputare. קץ ergo amputationem, detruncationem, et per hoc finem significat, ut fit in messe et frugum maturitate. Huc puto Septuaginta respexisse, qui dixerunt καιρὸς, ut quum Germanice dicimus: Das stündly ist hie, significantes finem ac mortem adesse.

Coram me venit. Id est decretum, statutum apud me est. Germanice: Ich hab mirs schon fürgenommen, ich habs vor mir, לפני lepanai, atque ita statutum, ut revocari non possit. Mox causam subnectit:

Quoniam repleta est terra Hamas. Hoc est: iniquitate et violentia coram ipsis; quod Latinus dicit, a facie ipsorum. Est autem pulchra ἀντίθεσις: quasi diceret: Quandoquidem ipsi sibi nihil aliud proposuerunt, quam rapinam et violentiam, nihil quam scelus, et flagitium: ego quoque mihi aliud nihil proposui, quam deletionem et

vastationem eorum. Germanice significantius: Sy hand nüt dann fräfel vor ihnen: so hab ich vor mir nüt dann verderbung, ut digna talione eis rependam. Sic Hebraeas voces לפני lepanai, et מפניהם mipnehäm, Germanice significanter reddimus, vor mir, vor ihnen, quod Latinus interpres exprimit per coram, ante, et a facie.

Ostium autem arcae pones in latere deorsum, coenacula et tristega facies in ea. Sic habet vetus translatio Latina; sed halucinatum esse interpretem, ratio ipsa docet. Quomodo enim ostium potuit esse in arca deorsum, ut aquae non introeant? Deinde verba sic sonant, quasi tantum duo habitacula fuissent in arca. Ostendemus ergo quis sit sensus apud Hebraeos, qui sic legunt:

Et ostium arcae in latere eius pones. Iam est *athnach*, id est punctum; deinde sequitur: *Inferiora, secunda et tertia facies eam.* Hoc est: sic aedificabis arcam, ut infra seu subtus sit solum. Deinde fac secunda, id est media, tabulatum scilicet seu lacunar; demum tertia, suprema coenacula, ut arca ipsa in tres mansiones sit divisa. Sic etiam intellexerunt Septuaginta, qui dicunt, *κατάγαια, διώροφα καὶ τριώροφα ποιήσῃς αὐτὸν*, hoc est solum, tabulatum secundum, et tabulatum tertium, Underhuss, ynwonung, und ein Soler. [1]

Ponamque foedus meum tecum. Hebraeus dicit: Erigam pactum meum tecum, faciam surgere, statuam, firmabo. Est autem magna consolatio, qua dominus ipsum Noachum erigit, quum esset omnem carnem deleturus: invenit enim gratiam in oculis eius.

Observabit hic pius lector, quemadmodum tum in arca servati sunt homines pii, sic nunc servari fideles in Christo: ita enim Petrus exponit. Per arcam nempe misericordia dei significatur, qui in iustitia sua misericordiam non continet, et tamen impunitos non sinit impios et sceleratos. Interim servantur reliquiae, quibus miseretur Deus. Haec nobis est consolatio. Semper enim deus servat eos, qui in via eius ambulant, vel in media internicie. Est insuper cataclysmus futuri iudicii figura, nec solum futuri, sed et iustitiae divinae, quae impunita scelera non sinit, etiam si diu aliquando differat. Ventura est omnino in impios divina vindicta, tarditatemque supplicii poenae gravitate repensura. Haec docent timorem dei atque modestiam.

CAPUT VII.

De omni animanti mundo accipe tibi septem septem. Sic legit Hebraeus: pura animalia, quae sacrificiis et oblationibus apta erant; de quibus vide Levit. cap. 11. Intelligo autem non septem paria fuisse, sed tria tantum, et unum animal quod sacrificabatur post diluvium, ut *septem* referatur ad animalia pura, non ad paria. Sensus est: De animalibus puris, de quolibet genere, accipe septem! Idem intellige de volucribus. En tibi idiotismus Hebraicus, Germanis etiam communis: Nimm dir!

Et Noe natus erat sexcentos annos, et diluvium aquarum fuit super terram. Hebraeis hic mos loquendi fere est perpetuus,

---

[1]) Solarium, Söller.

erat filius sexcentorum annorum, sicut Germanice dicimus: Er was ein gsell oder ein knab von so vil oder so vil iaren, so alt. Hoc ipsi exprimunt per dictionem בן Ben, quae filium significat aut natum; Latini dicunt: Natus est annos tot. Et *natus* Latinis quoque filium significat, quemadmodum Hebraeis suum בן. Deinde per alloeosin Hebraicum ו, quod frequenter pro *et* exponunt, hic pro *dum* ponitur. Et diluvium venit, id est: *dum* venit, *quando* venit. Noachus erat natus annos sexcentos tum, quum inundare inciperent aquae. Hic nota, Noachum fuisse quingentorum annorum, tum quum primum locutus est cum eo Deus, ut ex fine capitis quinti claret. Quum vero diluvium venit, sexcentorum erat annorum. Dicet quis: Ubi iam sunt viginti anni? nam centum et viginti annos dedit Deus poenitentiae, ut patet ex sexto capite. Verisimile est Noachum nondum ad plenum complesse quingentos annos, dum loqueretur Deus. Sic Germanice dicimus: Es loufft sich in die fünf hundert iar. Latine: Iam seculum quintum vivebat, dum quadringentos annos excessit. Hieronymus intelligit Deum viginti annos decurtasse, atque ad hoc malitia hominum poenam accelerante provocatum.

Facta est pluvia super terram quadraginta dies et quadraginta noctes. Antequam scilicet arca posset moveri et elevari: nam 150 dies, de quibus in fine huius capitis dicetur, quibus aquae invaluerunt super terram, de toto tempore cataclysmi intelligendi sunt.

In articulo diei illius. Hebraeus dicit: in illo eodem die. Intellige primum diem pluviae, seu eum diem, quo Deus locutus est cum Noacho.

Vehementer inundaverunt aquae. Aquas invaluisse vehementer, saepe repetit Moses atque miris modis exaggerat, ut intelligamus metum ac horrorem eorum, quibus aquae ad poenam inundant, qui ad vocem Noachi resipiscere noluerint. Tempus iam aderat divini iudicii; deus amplius parcere noluit contemtoribus; non fuit effugio locus etc. Nam hoc potest sermo Mosis. Quid enim putas conscientiis eorum accidisse, quum internecionem viderent praesentem? Certe aliud nihil quam: Ah! cogitabant, cur non credidimus admonitioni iusti Noachi? cur non obtemperavimus? cur non resipuimus? cur timere Deum noluimus? Sed nimis sera est haec poenitentia, potius ex desperatione ac praesentium malorum metu quam amore Dei profecta. Atque hic nota, impiis, ut foris internecionem et vastationem, ita intus longe graviorem imminere poenam, conscientiae scilicet terrorem ac desperationem, qua demum perduntur et obruuntur qui voci Dei non crediderunt. Ad hos descendit Christus (ut Petrus ait) ut vel tum viderent Noachum vera dixisse, agnoscerentque Dei iustitiam seque merito damnatos esse, dum Noachus cum ceteris a Christo liberatur. Nam quum ipsi interirent, scire certo non potuerunt, interierit Noachus an non. Non solum autem liberavit Deus Noachum ab universali omnium rerum vastatione, sed ei insuper fortitudinem animi dedit ac constantiam eam, quae nullis adfectibus, nullo metu vinci potuerit. Quis enim Noachum tam indolentem fuisse existimat, ut hominum et propinquorum suorum tam horrendo excidio

nihil moveretur? ingenti dolore non cruciaretur? Tacemus reliquarum rerum simul pereuntium miserandam faciem. Sed cor eius ita firmat Deus, ut tametsi adfectu misericordiae ac compassionis tangatur, nusquam tamen cedat, nusquam non voci Dei immotus adhaereat.

Haec exempla nobis proponamus (quandoquidem haec ad nostram doctrinam scripta esse constat), si vere pii et videri et esse volumus. Nam si boni, si innocentes, si Dei timentes fuerimus: aderit nobis deus, fovebit, salvabit vel in morte. Si perrexerimus impii esse, dei contemtores: exscindemur quemadmodum et illi excisi sunt. Orandus itaque nobis est Deus, ut et sua gratia a flagitiis nos servet immunes et virtute sua ita nos corroboret, ut non adfectibus aut carnis imbecillitate victi ab eo divellamur.

CAPUT VIII.

Recordatus autem Dominus Noah etc. In media tempestate apparet mitissimus pater reliquiis humani generis, atque misericordiae suae memor consolatur eos, quos ad propagandum genus humanum ab interitu servarat. Describuntur autem haec omnia ἀνθρωποπαθῶς: nunquam enim suorum obliviscitur Deus.

Et adduxit Deus ventum super terram. Potuit deus totam terram aquis implere solo verbo, sed aperuit venas terrae, fontes et abyssos desubter; pluvias autem misit desuper terram, donec tantum invalescerent aquae ut omnia delerent. Sic rursus potuit uno verbo aquas revocare, sed ventum ad hoc excitavit, ut videamus, quod et antea saepe dictum est, deum, tametsi virtute sua soloque nutu et verbo omnia possit, uti instrumentis tamen, quae ad hoc creavit. Nihilominus pii agnoscunt omnia fieri a deo, omnia deo accepta referunt; contra impii stellis, fortunae, casui; nec Deum agnoscunt ut vitiis suis praetexant.

Et clausi sunt fontes. Graeci legunt ἀπεκαλύφθησαν, quod ad verbum sonat, retecti sunt, sed puto praepositionem ἀπὸ in compositione in eo usu fuisse, quo *re* apud Latinos est. Retegere enim non solum significat aperire, sed tegere et occludere. Sensus est, obturati, obstructi, clausi sunt fontes. Forte olim in Graecis exemplaribus fuit ἐπεκαλύφθησαν.

Et prohibitae sunt aquae. Hebraeus legit: et reversae sunt. Graecus καὶ ἐνεδίδε, remiserunt aut terga verterunt aquae. Metaphora tracta ab his, qui in pugna remittunt ac cedunt. Das wasser hat abgelassen, ist geflohen. Eundo et redeundo dicit Hebraeus, hoc est: paulatim decurrendo.

Mense septimo requievit arca. Septimo mense anni, non diluvii.

Super montes Armeniae. In fine scilicet terrae Chananaicae. In septimo mense anni resedit arca in verticibus montium Armeniae; in decimo vero mense eiusdem anni tum primum coeperunt adparere cacumina reliquorum montium.

Emisit Noah corvum, qui egressus revertebatur, donec siccarentur aquae super terram. Sic habent fere Hebraica. In Latinis exemplaribus quibusdam legunt: non revertebatur, sed mendose et

perperam. In antiquis codicibus Latinis illud *non* non scriptum reperitur; quapropter sciolus aliquis nesciens quo referret *donec*, adscripsit *non*, falsus nimirum ethologia. Fingitur enim hic corvus hoc modo ratiocinari: Hic habitare nequaquam potes; redibis ergo ad arcam, donec aquae exiccentur. Sic finge corvum in arcam non rediisse, ut textus mendosus habet: quomodo potuit genus corvorum servari et propagari? nam interire corvum oportuit si reversus non est. Iuxta Hebraica ergo sic legitur: Exivit exeundo, et revertebatur donec siccarentur aquae.

Aquae enim erant super universam terram. Reddit rationem cur columba redierit, quod non inveniret locum quo pedem sisteret. Aquas enim adhuc fuisse super universam terram, quae oratio synecdochica est: totum enim pro parte intelligit. De planitie enim et fundo loquitur: nam e montibus aquae iam defluxerant, ut etiam vertices eminerent.

At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo. Sensui nihil deest, tametsi ad verbum secus habent Hebraei. Adparet tempus vernum tum fuisse aut saltem adpetivisse. Ut facile patebit, si quis tempora exacte supputet. Decimus iam erat mensis; vicesima autem die secundi mensis, Aprilis scilicet, egressus est Noachus ex arca; erat autem secundus mensis anni secundi. Item aqua invaluit centum quinquaginta dies; rursus totidem dies defluxerunt aquae. Habes iam dies trecentos; adhuc desunt sexaginta ad anni completionem, in quibus terra, absorptis aquis et exiccatis undique lacunis, rursus adparere coepit et habitabilis esse. Arefacta igitur terra iussus est egredi Noachus.

Igitur sexcentesimo primo anno vitae Noah, primo mense prima die mensis imminutae sunt aquae super terram. Sensum reddidit Latinus interpres, non verba: nam (*vitae Noachi*) non habetur apud Hebraeos, anni tamen ad vitam Noachi referuntur; appositum est ergo exponendi gratia. Quidam enim annos ab initio mundi computant; quidam incipiunt novam computationem a Noacho: nam tum novum coepit seculum. Deinde *primo mense* apud Hebraeos non est, sed tantum *in primo* quod Latinus intellexit *mense*. Alii exponunt *in primo*, hoc est: in principio, ab initio, primi scilicet anni. Postremo observa synecdochen, quum dixit: prima die primi mensis aquas super terram imminutas (Hebraice exiccatas) esse. Nam mox sequitur: mense secundo 27. die mensis tandem arefactam esse terram.

Cuncta animantia quae sunt apud te ex omni carne. Omnis caro pro omni vivente accipitur, quod fuit in arca.

Crescite et multiplicamini. Noachus pater est futuri et novi seculi; quare repetit deus quae ad patrem humani generis primum locutus erat. Praecipit ergo tam ipsi Noacho quam ceteris, qui cum ipso erant, ut operam dent posteritatis propagationi.

Aedificavit Noah aram Domino, et obtulit holocausta super aram. Per holocaustum magnificam oblationem intellige, quam rebus integris ac salvis offert Noachus pro gratiarum actione. Sic Deus ab initio praelusit sacrificiis et oblationibus corporalibus et pecuinis, etiam

ante legem (ut supra de Abelo et Caino auditum est) non ut huiusmodi gauderet, sed ut assuescerent et facilius crederent, dei filium futurum esse sacrificium pro totius mundi expiatione.

Et odoratus est Dominus odorem suavitatis. Anthropopathῶs id Deo tribuit. Quum autem talia de Deo in sacris literis legimus: quid miramur si Gentilium poëtae deos suos nidore sacrificiorum scribant oblectari? Figurata autem locutio est. Quemadmodum enim nos epularum nidore ac suaveolentia delectamur ac reficimur: ita cordis pietate ac devotione gaudet Deus. Quasi diceret: Animi gratitudo et alacritas fidei ipsius Noachi vehementer placuit Deo.

Et dixit Dominus in corde suo: Ultra non maledicam terrae propter hominem. Et haec de Deo ἀνθρωποπαθῶς dicuntur. Quemadmodum, qui vehementi ira et furore percitus magnum aliquod ac poenitendum facinus designat, tandem facti pertaesus intra sese cogitare solet: Quid fecisti? Nunquam tale quid posthac committes: sic fingit deum, quasi eum huius crudelissimi facti poenituerit.

Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt. Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem sicut feci. Προσαπόδοσις est; subiungit enim Deus causam cur non sit ultra omnem carnem perditurus, considerata scilicet natura et ingenio hominis, quod totus aliud nihil sit quam malum, quam peccatum. Nam si pro malitia hominis puniendo pergere velit Deus, cogeretur perpetuo omnem hominem perdere, quum tota eius cogitatio seu potius meditatio non sit nisi mala. Haec quod ad continuationem contextus attinet, dicta sunt; iam verba et sensum paulo altius repetamus. Neque enim sine periculo halucinatus est hic interpres Latinus, ut in aliis locis saepe. Quare iuxta Hebraicam veritatem hanc pericopen interpretabimur. Habet autem sic: Cogitatio vel consilium humani cordis malum est a pueritia sua. Nec longe aliter habent LXX: Quoniam imminet humana mens ad mala a iuventute. Quod autem Latinus dicit: *prona est*, quum Hebraeus dicit: *prava est*, vel notariorum vitio aut incuria fieri potuit, aut quod magis credo ex φιλαυτίᾳ. Sumus enim omnes nostri amantes paucique mortalium ad hanc mensuram contemtus sui ipsorum veniunt, ut sibi boni nihil tribuant, ac cupiditatum interna consilia palam confiteantur. Unde fit, ut induci nolimus ad concedendum, totam mentem nostram malam esse. Quod ubi pertinaciter infitiamur, iam, ut est audacia, dei quoque verbum ad nostram sententiam immutare vel potius depravare pergimus. Quemadmodum hic quoque factum est, ubi Hebraica veritas tam dilucide habet *mala est*, ausus fuit aliquis dicere *prona est ad malum*; ne ipse quoque in suspicionem veniret, quod malus natura esset. Quanquam satis incircumspicienter hoc factum sit. Quid enim levabat causam humanae malitiae, hic temperavisse sententiam, quum paulo ante dictum sit nos carnem esse et universam cogitationem nostram omni tempore intentam ad malum? imo nil nisi malum? Docet igitur hic locus hominem aliud nihil esse quam carnem, id est ipsam malitiam. Qui, nisi per Christum e supernis aut denuo regeneretur, boni nihil neque cogitare neque agere valeat. Quo considerato statuit Deus, ne posthac totum genus humanum delere velit;

neque tamen inulta aut impunita scelera sinit, sed aliis atque aliis subinde poenis in peccantes animadvertit: iam mittit famem, iam pestem, mox gladium etc.

Cunctis diebus terrae sementis et messis etc. Hoc est: Tempora certis vicibus posthac current, quemadmodum fuit ab initio.

Docet ipsa historia ut a flagitiis temperemus. Omnia enim in figura contingebant illis; scripta autem ad nostri admonitionem, in quos seculorum fines devenerunt, ut iuste ac innocenter vivamus, ut simus Dei metuentes et reverentes. Quem si audierimus, servabimur cum Noacho; sin minus, cum impiis perdemur. Quare nemo se ipsum fallat, fretus aut viribus corporis aut sapientia aut opibus ac praesidio huius mundi, ut dicat: Integra et salva sunt omnia, securi sumus, fecimus pactum cum morte, flagellum inundans praeteribit nos. Nemo periculosius opprimitur, quam qui, quum tuta omnia esse putat, non vigilat. Proinde Christus Matth. 24. vigilare iubet: nemini enim neque diem illam neque horam cognitam esse; atque ut negligentes terreat, exemplum Noachi proponit. Neque enim eodem loci de extremo iudicio aut de excidio Hierosolymae et Iudaicae gentis duntaxat loquitur Christus, sed de omnium malorum poena atque vindicta: est enim Deus semper sui similis. Quemadmodum ergo tum eos, qui innocentis viri Noachi admonitioni, imo divino oraculo non obtemperarant, subito aquis diluvii perdidit: ita perditurus est omnes, qui verbo Dei admoniti a peccando non cessant.

Deinde observabimus quaedam in typum futurorum esse facta. Noachus enim, qui (ut supra quoque audivimus) typum gerit Christi, aquas iam exsiccatas esse super terram atque divinam iram cessasse, per columbam certus factus est. Ita Christus per spiritum sanctum, qui per columbam significatur, certos nos salutis facit, ut nihil piis posthac sit metuendum, neque mors neque inferi; sed qui credunt in filium dei, vitam habent aeternam. Possumus et per arcam Christum intelligere, in qua omnes credentes salvantur: nam nulla damnatio iis, qui sunt in Christo Iesu; etiam si omnia extra arcam perdantur. Nam Deus considerata nostra fragilitate parcit nobis per Christum. Hic sese pro nobis Deo patri sacrificium gratissimum obtulit, quo placatus pater iram remittit.

Porro quemadmodum Noachus fenestram in arca aperuit, ita Christus factus est nobis via et ostium ad vitam.

CAPUT IX.

Benedixit Deus Noacho et filiis eius et dixit ad eos: Crescite et multiplicamini et replete terram. Benedicere hic, ut supra primo capite, pro locupletare capitur. Er hat sy fruchtbar gemacht, fecundos reddidit. Erat enim Noachus seminarium futuri et novi seculi. Gratiam ergo fecunditatis inserit summus ille mundi parens, ut propagetur et reparetur quod per diluvium absorptum erat. Discimus autem hic omnem fecunditatem ac humani generis propagationem Deo acceptam referre: divinae enim gratiae *benedictionem*, id est, *munus* esse cernimus.

Observandum deinde, diluvium argumentum certissimum ac eviden-

tissimum fuisse ipsi Noacho, ut totum hominis studium huc tendat, ut iuste et pie in hoc seculo coram Deo illo vivat, huic uni placere studeat, hunc unum vitae innocentia ac simplicitate colat, hunc unum agnoscat, metuat, revereatur, qui tam severiter in peccantes animadvertat. Neque dubium est Noachum hac de re his verbis praeceptum accepisse a Domino, ut, quandoquidem pater erat novus, eos qui a se essent geniti in agnitione, metu et amore illius iustissimi Dei educaret erudiretque. Facit enim impunitas sceleris (nam promiserat Deus postbac non fore, ut omnis caro pereat) homines securos ac stertentes, moxque hac Dei bonitate freti incipiunt iterum feroces ac impii esse. Opus est ergo admonitore, qui cessantibus calcar, contumacibus metum incutiat.

Terror vester et tremor sit super cuncta animalia terrae. Renovat foedus cum Adamo ictum. Nam et ille dominus omnium animantium fuit. At hoc praestabat Adami dominium, quod tum, quum innocens adhuc esset homo et incorruptus, animalia sic eius imperium metuerent, ut ad nutum eius cuncta promtissime, sine responsatione, sine cunctatione parerent. Iam vero hoc imperium ob peccatum sic imminutum est, ut non pro voto pareant ac obsequantur homini, sed reluctentur atque abhorreant.

Omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt, et omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Observandae sunt antitheses, quasi diceret: Ipsi Adamo proferebat humus sine semine, sine labore ac sudore omnia. Neque opus erat eam aratro proscindere, non semen ei committere; ideo carne ad cibum non egebat; per diluvium autem terra tantum vitiata est, ut iam nihil nisi magno labore extortum proferat, atque id infirmum et fragile. Do igitur vobis in cibum carnes bestiarum et voluerum, quemadmodum Adamo herbas terrae in cibum dedi.

Hic nota omnia absque discrimine permitti hominibus in cibum. Neque enim tum mundorum et immundorum animalium erat discrimen. Quod postea in lege factum est, non tam in praeceptum quam in figuram, esse quosdam mundos, Iudaeos scilicet, immundos quosdam, ut Gentes, quas postmodum Deus per fidem mundavit, illis in perfidiae immunditia pereuntibus. Noachus figuram gerit Christi; quare in Christo haec lex seu libertas renovata est, ut quibuslibet possit absque discrimine vesci homo fidelis. Matth. 15. Act. 10. Col. 2.

Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Hebraeus sic habet: Veruntamen carnem cum anima eius sanguinis eius (hoc est: quae anima est sanguis eius) non comedetis. Ut sit inter animam beluarum et hominis, quae non est sanguis, sed vehitur sanguine, discrimen. Sanguine interdixit Iudaeis, ut hoc diligentius a sanguinis fusione et homicidio abstinerent. Quae quidem externa licet sint: admonent tamen ne unquam atrocitatem hanc committamus. Neque tamen figura carent: sanguinem enim vetat, qui per sanguinem filii sui redemturus erat mundum et omnes credentes sanguinem et corpus filii sui facturus, ut semper ante oculos hanc legem haberent, ne unquam sanguinem funderent. Nam si non licet ferae aut pecudis sanguinem comedere, multo minus licet vel fundere sanguinem humanum, vel aliorum

sanguine partis frui. Ita Deus externis hisce rebus longe sublimiora docet ac praescribit. Si enim humana mens videt Deum pecuino sanguini cavere, iam suo Marte intelligit longe periculosiorem esse humani sanguinis contemtum.

Etenim sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis. Hebraeus legit ואך *veach*, Graecus καὶ γάρ, etenim vel nam. Causam subnectit latae legis: requiram enim sanguinem vestrum etc. Hic sermo hyperbolicus est seu δυνατόν. Ein thüre, vil vergryfende, gemeine red. [1] Quasi diceret: Tam mihi displicet sanguinis humani fusio, ut etiam a bestiis, si fuderint, eum requiram. Exprimitur autem his verbis quantum abominetur Deus homicidium. Potest et per feras, qui sanguinem effundunt, omnis impius, omnis infidelis intelligi, quasi diceret: Gentes quae ferae sunt, si sanguinem vestrum fuderint, ego vindicabo, ego ulciscar; ut sit consolatio oppressorum, ne frangantur animo, si quando persecutionem pati contigerit. Deus enim vindex est sanguinis innoxii ad se clamantis, supra cap. 4.

Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Hebraica sic habent ad verbum: Fundens sanguinem hominis, per hominem sanguis eius fundetur. Lex haec talionis est. Datur autem hic gladius in manum ministris Dei magistratibus, quem non frustra ferre debent, Rom. 13. Omnis enim qui percutit gladio, gladio perire debet.

Ecce ego statuam pactum meum vobiscum et cum semine vestro post vos. Observa pactum firmatum esse non solum cum patribus, sed et cum semine, id est, posteris. Si hoc tum factum est, quis negare audeat testamentum Christi, non solum nobiscum, sed et cum posteris nostris esse firmatum? quod quidam hodie solent. Pactum autem est, quod ultra non sit aquis diluvii terram perditurus.

Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram. Arcus ergo non natura fit, sed voluntate Dei. Est autem arcus tempestatis signum et pluviae, quo Deus iam in contrarium utitur. Ordinante ergo Deo factus est arcus, non natura. Pacti nos admonet, quod nobiscum pepigit, ut in mediis tempestatibus sciamus nobis salutem superesse.

Recordabor foederis mei vobiscum, quum apparuerit arcus in nubibus. Ἀνθρωποπαθῶς haec: nam non eget Deus hisce monumentis nec monitore opus habet, qui nostri perpetuam curam gerit neque unquam obliviscitur.

Hoc est signum foederis mei. Signa externa addit Deus promissionibus suis, idque nostri causa, ut et caro nostra habeat quo fulciatur. Pia enim mens solo verbo Dei freta requiescit tranquillaque efficitur. Signum ergo neque pactum est, neque pactum facit, sed pacti nos admonet. Quandoquidem autem in hanc de signis mentionem incidimus: notandum varia esse signorum genera. Sunt signa quae portenta dicimus, miracula scilicet supernaturalia et inusitata. Sunt deinde signa

---

[1]) Gravis, longe patens, universalis sententia.

usitata quidem, sed rara; ut iris, ceteraeque impressiones. Sunt postremo usitatissima, ut solis ortus et occasus; quae signa sunt, ut supra patuit. Signa ergo illa inusitata admonent ac carnem tranquillant. At sacramentalia quae vocamus, inter quae est baptismus et eucharistia, non certificant, sed uniunt et coniungunt.

Et dixit Deus ad Noah: hoc est signum testamenti etc. Haec per epilogum adiecit: nam iam ad alia transit.

Coepit Noah vir agricola exercere terram et plantavit vineas. Observat ac spectat Noachus (quod in primis diligentem agricolam decet) vim et ingenium terrae: animadvertit enim eam vehementer vitiatam esse.

Bibensque vinum inebriatus est. Haec vitio suo praetexunt ebrii, atque Noachum fidelem sibi proponunt, sed frustra. Aliud enim est inexpertum et imprudentem, vim vini non intelligentem, vino semel obrui; aliud sese dedita opera ingurgitare, et vino deditum esse. Nemo est, qui non semel imprudens vino sit obrutus et superatus, atque hoc non usque adeo cum vitio coniunctum est. Ille ebrius proprie dici potest, hic vero ebriosus; alter vino aliquando gravatur, alter vitio ebrietatis obnoxius est ac adsuetus.

Quam foedum sit vitium ebrietas, quotque ex hac incommoda ac damna non tam corporis quam animi nascantur, ex duobus illis magnis ac sanctissimis viris pete, Basilio et Seneca, altero quidem theologo Christiano; ethnico altero, sed ferme magis theologo.

Et denudavit se in tabernaculo suo. Hoc inter cetera mala habet ebrietas, quod erubescentiam et verecundiam omnem tollit, quae vel impios tenet, quos Dei metus nequaquam a peccando cohibet. Quo velo sublato, quidquid in homine secretum est, palam fit: profluunt impudica verba, fiunt indecora et spurcissima quaeque efferuntur. Penetrat vinum, et quae abstrusissima sunt in homine promit. Considera autem quam turpiter denudatus iaceat tantus vir.

Maledictus puer Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Puer in Hebraeo non habetur. Quandoquidem tam illiberale et inhonestum erat ingenium ipsius Chami, ut verenda patris sui non solum non tegerit, sed insuper fratribus suis deridenda exposuerit, merito a patre maledicitur et iugo servitutis subiicitur. Servitus ergo ex scelere est.

Benedictus Dominus Deus Schem, sit Chanaan servus eius. Quasi diceret: Gratia Deo, qui Semum, ut a tanta turpitudine sibi temperaret, sua gratia praeservavit. Ab isto ergo Semo semen promissum venit: nam in generationibus diligenter spectanda atque observanda est seminis illius benedicti linea.

De ingenuitatis et servitutis origine sic accipe! Chamo minimo inter fratres pater maledicit, quod verenda eius inverecunde fratribus ostendisset. Qua ex re discimus, iuventutem petulantem esse et lascivam, inverecundam, audacem et incogitantem: detrahit, offendit, turpitudinem, si quam in fratribus videt, propalat ac traducit. Tales maledicti sunt, et pessimorum adfectuum ac vitiorum contumaces servi. Nam qui fratris turpitudinem revelat, non modo pessime facit, sed et inhumaniter: con-

ditione enim omnes fratres sumus. Ceterum *ingenui*, quos nos corrupto vocabulo *nobiles* vocamus, ii sunt, qui integritatem, probitatem et constantiam maiorum suorum imitantur. Qui a generosis ac claris factis avorum suorum non degenerant, qui optimos patrum suorum mores egregiis factis referunt, ii liberas habent mentes, non deditas adfectibus: fratribus, si quos viderint errantes ac peccantes, compatiuntur, dolent, levant, adiuvant, consolantur, hortantur, admonent, corripiunt, modo severiter, modo mansuete, utcunque res postulat. Ii vere *liberi* sunt, per fidem filii Dei liberi, ac turpissimorum adfectuum iam domini facti. Quare non est ut stemmatis glorieris, ab avis et proavis originem numeres; nisi et tu illorum (si boni fuerunt) claras virtutes et egregia gesta aemuleris. Non genus, sed virtus, et clara facta, ingenuos facit.

Dilatet Deus Iaphet, et habitet in tabernaculis Schem. Alludit haec benedictio ad nominis interpretationem: פתח, pathah, enim Hebraeis dilatare significat. Dicis: Quae haec benedictio, quod Iaphetus in tabernaculis Semi habitaturus est? Nonne hoc potius est maledicere? Subest ergo hic arcanum quoddam, et mysterium non vulgare. A Semo Iudaei, a Iapheto Gentes originem ducunt. Benedicti sunt Iudaei, populus peculiaris et selectus a Deo, cui semen benedictum promissum est. At Iaphetus, hoc est, Gentes habitant iam in tabernaculis Iudaeorum: est enim oleaster in oleam insitus, Gentibus ad hereditatem regni vocatis et adsumtis; Iudaeis exclusis et reiectis, Rom. 11. Matth. 9. Potest et hic esse sensus: Habitet Iaphetus in tabernaculis Semi, hoc est: cum eo, propter concordiam, quae summa inter eos futura est, habitet ac castra iungat. Quo etiam allegoria quadrat: summam enim concordiam in ecclesia ex Iudaeis ac Gentibus congregata videmus.

Sitque Chanaan servus eius. Chanaan maledicitur, id est, tota posteritas ipsius Chami, de qua in sequenti capite.

CAPUT X.

Novae generationis initium hoc capite describitur. Atque primum quidem generationem filiorum Noachi, Iapheti et Chami, ex quibus Gentes descenderunt, brevibus absolvit, ut de Semo, ex quo benedictum illud semen erat nasciturum, postremo loco disserat.

Nimrod coepit esse potens in terra, et erat robustus venator coram Domino. Hebraeus legit: Nimrod coepit esse גבור, quae vox a violentia derivatur, ut non solum fortitudinem, ut Latinus habet, exprimere velit Moses, sed violentiam et tyrannidem. *Gibborim* enim (ut supra quoque audivimus) sunt, quos nos Gigantes vocamus, Helden, Risen, qui viribus corporis freti ceteris dominantur, ceteros opprimunt atque violentia sua omnia invadunt. Atque hoc idem per venatorem hic intelligi puto: audax scilicet hominum hoc genus et plane tyrannicum, quod rapto et latrociniis vivit. Talis Nimrodus fuisse describitur, idque coram Domino vel ante Dominum. Et hoc magnam habet emphasim; quasi diceret Moses: Nimrodus audax latro erat, et grassabatur ne Deum quidem veritus. Haec omnia ex cupiditate et ambitione nascuntur. Videmus autem homines paulatim in peius labascere atque

degenerare; at Deus semen aliquod, parvum licet, semper reservat. In fine per epilogum caput hoc clauditur his verbis:

Hae familiae Noah iuxta populos et nationes suas. Ab his divisae sunt Gentes in terra post diluvium. Qui de hac re plura cupit, Iosephum legat et Hieronymum!

CAPUT XI.

Ab initio huius capitis audaciam et stultitiam impietatis describit Moses, quae contra Deum se erigere tentat; atque, ut de Gigantibus fabulantur poëtae, Deum e coelo deturbare. Quae hodie stultitia notior est, quam ut indice habeat opus. Postliminio enim redeunte Evangelio quid non videmus ab impiis pontificibus ac principibus esse tentatum? Quae par atrocitas, quo seculo unquam visa est? latrocinantur heriles manus in servos, imo sanguine eorum madent, imo tepent. Sed rebellarunt. Quasi vero nunquam factum sit ut servi rebellarint. Livium legant qui imperiti sunt harum rerum! Si nobiles erant, cur ignobilem vulgum crudelitate superarunt? [1]

Deinde resumit generationem Semi, ut ad Abrahami fidelis historiam viam paret.

Venite faciamus nobis civitatem et turrim, cuius culmen pertingat ad coelum: et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras. Latinus sensum satis probe exprimit: licet Hebraea, quod ad verba attinet, secus habeant.

Consilium condendae turris a Nimrodo (ut Iosephus prudenter scribit) profectum est: nam is erat ferox et dei contemtor, atque ceteros ad contemtum dei incitabat. Parandi autem nominis gratia (nam haec causa eos ad extructionem turris movit, ut ex suis ipsorum verbis facile intelligimus) turrim hanc altam et civitatem fortissimam extruxerunt; nimirum consiliis suis freti, ut si aquae rursus invalescerent (aquis enim praeteritam internecionem, non Deo tribuunt) ipsi tuti ab interitu essent. In quo et impietas eorum manifesta fit. Nam si pii et fideles fuissent, sic utique cogitassent: Nobis secundum consilium Dei ac verbum eius vivendum est. Ne et nos, quemadmodum patres nostros, puniat ac perdat, innocentia vitam muniamus, non speculis et arcibus.

Usque in coelum, id est: magnum aedificium, hyperbolice dictum.

Antequam dissipemur in regiones. Hebraica dictio פן, *pen*, quae alias, ne forte, significat, hic pro antequam ponitur. Et sic etiam intellexerunt LXX. Terra inculta erat et vasta, et homines multiplicabantur; opus ergo erat, ut in regiones deductis coloniis dissiparentur.

Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrim, quam aedificabant filii Adam. Dicuntur haec ἀνθρωποπαθῶς de καρδιογνώστῃ, cuius oculis omnia nuda et retecta sunt, qui omnia pervidet atque novit antequam fiant. Exemplum hic iudicibus imitandum proponitur, ne temere et re minime perpensa damnent quempiam, sed exacte et diligenter causas discutiant atque cognoscant, antequam ad poenam accingantur.

---

[1]) Tumultus rusticorum, qui eo ipso tempore quo Zuinglius in hunc textum disseruit (1525) in Germania immaniter opprimebatur.

Filii Adam, hanc emphasim habet, quasi diceret: Miserum hoc mortalium genus, generatio illa carnalis, homines illi e terra facti, e luto, audent contra summum illum Deum regnatorem Olympi contendere et aedificare. Ecce quanta audacia, quanta arrogantia! Lepida est antithesis.

Ecce unus est populus, et unum labium omnibus. Et hic sermo emphasim habet. Sensus est: Ecce homines unius linguae, unius gentis, populus unus. Quibus rebus ad concordiam, ad amicitiam, ad mutua inter sese officia uti conveniebat, non ad fastum, non ad violentiam. Iam hoc quod eos arctissimo vinculo colligare debuerat, inter sese discordes abutuntur ad iniurias; et quasi alteri ab altero metuendum sit, aedificant et se muniunt. Exaggerant haec mirum in modum impiorum malitiam.

Et hoc facere coeperunt, et nunc non desistent, seu non vitabitur ab eis: quaecunque praesument facient. Hebraica sunt elegantia, quorum sensus hic redditus est, quasi diceret Deus: Si hoc eis permisero, si hoc inultum ac impunitum sino, nihil erit tam magnum quod non audeant: facient enim quaecunque sibi proposuerint; quae libido suggesserit, putabunt sibi licere.

Adeste ergo, descendamus et confundamus illic labium eorum, ne alter alterius linguam audiat. Labium pro lingua et idiomate ponitur; deinde audire pro intelligere.

Linguarum confusio ac idiomatum varietas poena est peccati et quasi aliud diluvium: confusionem enim facit et discordiam. Hoc idem etiamnunc hodie fit in orbe. Est enim magna incommoditas non esse omnium populorum unam linguam. Deinde interpretes (quae res hodie carissimo constat) plerunque vel ex ignoratione in quibusdam halucinantur, vel ex perfidia quaedam vitiant. Sunt enim qui linguis vel ad vanam gloriam vel ad quaestum et fraudem abuti didicerunt. Quod si qui linguis ad dei gloriam, ad eruditionem, ad reipublicae Christianae utilitatem utuntur, hoc certe dei donum est non vulgare, qui etiam peccatis nostris ac poenis peccatorum ad suam gloriam abuti novit. Hoc modo optat Paulus, ut omnes diserti simus variis linguis. Ita redduntur puris dei bonitate omnia pura; immundis vero etiam optima immunda fiunt. Significat etiam labiorum dissonantia omnem discordiam.

Et dispersit eos Dominus illinc super faciem universae terrae, et cessaverunt ab aedificatione urbis; et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quod illic Dominus confuderit labium universae terrae. בלל, balal Hebraeis significat permiscere, confundere. Hinc Babel dicta quasi Balbal, dictione quadrilitera et geminata, quae Hebraeis frequentes in usu sunt. Diligenter autem exempla huius historiae spectanda sunt. Primum: quid non audet impietas? vel contra deum ipsum quem coelo (quemadmodum olim Gigantes) deturbare conantur. Qui potentia sua et viribus, qui sapientia et consiliis suis nituntur, qui opibus inhiant, qui foenori student, qui mercationibus rem parant, qui artium et civitatum extructione se tuentur, magna et ardua quaedam moliuntur. Ordiuntur telam, sed non ex deo; imo putant non esse deum, neque credunt deo mortalium res curae esse. Haec sunt nostra aedificia, quae

contra creatorem erigit misera creatura. Quid enim lateres, qui ex luto fiunt, quam cogitationes nostrae? Quid pix sive asphaltus, qui sponte nascitur, quam pietatis praetextum significat? Hoc enim tectorio adulteria, homicidia, foenora, turpia omnia atque nefanda oblinimus.

Deinde videmus non esse consilium contra Dominum: dissipat enim deus suo consilio omnia impiorum consilia. Quidquid enim contra ipsum erigitur, quantumvis firmum, quantumvis altum, virtute illius summi numinis corruit. Lateres ad petram comparati infirmi sunt et imbecilles. Ita nimirum nostrae adinventiones ad petram Christum, ad divini verbi flatum concident atque evanescent, neque arietum et machinarum impetum ferre poterunt. Neque enim armis carnalibus utitur deus, sed spiritu oris sui et verbo virtutis suae omnia conterit, ut est in epistola posteriore ad Cor. cap. X. Is locus maxime ad verbi ministros pertinet.

Qui pii sunt, auctore deo, consultore deo omnia agunt, in illum omnia referunt, huic uni omnia tribuunt, nihilque magis sitiunt quam omnis boni fontem deum.

Hae sunt generationes Schem. Hoc est: Ista est historia gentis ex Semo natae. Generatione enim Hebraei non raro utuntur pro historia rebusve gestis gentis aut populi huius vel istius.

Hic resumit quae superius coeperat, ut tandem ad Abrahamum veniat. Ubi et hoc notandum, quod a Noacho ad Abraham decem generationes sunt. Erit itaque Abraham a Noacho decimus, quemadmodum Noachus ab Adamo decimus fuisse supra memoratus est. Atque haec mysterio nequaquam carent: Noachus dictus est gerere typum Christi, ultimus in veteri generatione, primus in nova. Ita Christus α est et ω, principium et finis, unicum caput in quo salvantur omnes.

Vixit Thare septuaginta annos, et genuit Abram, Nachor et Aram. Propter excellentiam Abrami quasi primogenitus praeponitur: nam, quod primogenitus fuerit, verisimile non videtur; ut ex supputatione annorum Abrami et uxoris suae Sarai colligi potest. In generationibus enim subinde primogenitorum iura permutata esse videmus in figuram, quod Israel primogenitus Dei aliquando abiiciendus esset et Gentes ad hanc dignitatem cooptandae.

Facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran. Hic nodus indissolubilis nectitur: nam sequenti capite abitio Tharae et Abrami primum describitur. Ex quo sequi videtur Tharen mortuum fuisse ante abitionem Abrami, quae cum praecedentibus non quadrant. Ubi notandum quod Hebraeis aeternus mos est, rei, quam scripturi sunt, titulum aut summam proponendi, ac mox ad ordinem rei gestae, quibus consiliis et ut gesta sit, redeundi. Exemplum damus: Si Hebraeus tradere velit quomodo urbs Roma sit a Gallis liberata, sic rem ordietur: Camillus Romanos liberavit in ipso articulo, quum aurum adpenderetur, irruens ac hostem urbe pellens. Hoc proponeret vice tituli aut propositionis; deinde ad fontes rediret, ex quibus tanta clades urbi manasset, et ad ipsius Camilli incunabula quoque. Id notabit sacrarum literarum studiosus. Quod enim quidam dicunt indoctum esse ac neglectum, id ex usu et more linguae est; quod et hic

fit. Nam constat Tharen in terra Mesopotamia mortuum fuisse, idque post abitionem ipsius Abrami. Quae igitur temporis et rei gestae ordine sequuntur, frequenter apud Hebraeos primum scribuntur. Hunc ergo nodum solvit Hieronymus in quaestionibus super Genesin; sed melius et clarius Augustinus in libro de civitate Dei 16: 15. Et Stephanus Actorum VII.

Potest enim dici, Tharam non statim, quum esset septuaginta annorum, genuisse Abramum, sed aliquanto post. Nam non omnes tres filios simul genuit: neque enim tergemini erant. Si nunc Haran primogenitus fuit, fieri potuit, ut Abram longe post natus atque in Mesopotamia apparitio Domini ei facta sit; ut non sit tantopere laborandum in tam dudum lapsi temporis computatione.

CAPUT XII.

Hic Moses incipit magnificam et iucundissimam historiam incomparabilis ac admirandi illius Abrami, cuius fides non solum in libris veteris Testamenti, sed et in evangelicis literis cantata est; imo illius fides Christianis omnibus imitanda proponitur. Nam eadem est fides Abrahami et nostra. Lux evangelii (licet non tam clare, ut in novo (quae enim nondum facta sunt, etiamsi certo futura sint ut crastina lux, videntur humanae caecitati non tam plane patere, atque ea quae iam et vidimus et sensimus) etiam tum luxit; quod hi facile intelligunt, qui revelatos oculos habent in evangelica doctrina. Evangelium enim nihil est aliud quam divinae beneficentiae et gratiae manifestatio ac pignus; quae et patribus (tametsi non usque adeo clare et late) facta est. In novo vero Testamento per Christum gratia manifeste exhibita et in orbem diffusa est. Una ergo fides, una ecclesia dei fuit omnibus temporibus. Quotquot fideles sunt, per solum Christum salutis ac gratiae pignus ad Deum iverunt: nam ipse solus est via et ostium, et nemo ad patrem venit nisi per Christum.

Egredere de terra, et de cognatione tua, et de domo patris tui. Hebraica brevia sunt, sed elegantia לֵךְ Lech, לְךָ Lecha, vade tibi, heb dich. Sic Germanice Hebraismum exprimimus, mach dich uf, gang dir! Facesse hinc, ocyus hinc! Haec sunt cara quae omnes tenent, parentes, patria, liberi, amici; et haec relinquere iubetur Abram. Gentiles commenti sunt Lares deos esse, qui nobis lares tam familiares ac caros faciant. Apud pios aliud nihil est quam pietas et metus Dei, quae securam faciunt conscientiam. Nam quod honeste et cum metu dei in laribus essent conversati, reddidit nimirum eis domos familiares et caras, etiam fortunatas. Contra, qui male, qui impie, qui inhoneste domi suae vixerunt, terrentur nimirum, ac conscii sibi scelerum in parietibus suis sibi timent; quibus inauspicata et ominosa sunt omnia. Hi sunt boni et mali Lares, boni et mali angeli: nam pios ministri dei consolantur, custodiunt et ubique comitantur. Quod si quis quaerat, quis Abramum certum fecerit hanc esse vocem dei? respondemus hanc esse verbi divini naturam ac vim, ut quamprimum in mente loquitur deus illuminat (nam lucerna est et fax) et intellectum dat, ut homo statim agnoscat certusque sit, id esse verbum dei. Verbum ergo dei

lucem secum adfert, ac tantam claritatem, imo tam clara lux est, ut ambigi non possit, quin sit dei verbum. Is ergo qui vocavit certum fecit eum: nam eum elegerat; non autem elegerat, ut deciperet. Oves pastoris sui vocem audiunt ac agnoscunt. Confestim, ut aliud verbum sonat, certo sciunt non esse verbum dei. Certos itaque reddit deus hos quos trahit et ad quos loquitur, neque sinit eos aberrare. Sed hic virtus omnis, omnes nervi fidei tenduntur.

Vade in terram quam monstravero tibi. Viae viri non sunt in potestate eius, sed deus ductor est ac viae praemonstrator. Tentatur autem supra modum Abrami fides. Non dicit: Vade in hanc vel in illam terram (quod levius ei fuisset), sed in terram incognitam quam monstraturus est deus, ut totus ab eo pendeat qui vocavit.

Faciamque te in gentem magnam, et benedicam te. Benedicere varia significat; hic: fortunatum, felicem aut beatum te reddam. Ich wil dich glückhaft machen, bescheren, beraaten, rychlich begaaben.

Erisque benedictus. Hebraice est והיה ברכה, vaeheieh, berachah. Et sit benedictio: nam imperativus est; quasi diceret: Und das sôl ouch der sägen sin. Loquitur enim de benedictione, quae per Christum toti mundo erat obventura.

Hic nota duplicem factam esse promissionem ipsi Abramo, alteram de terra Chanaan, quam erat ingressurus; alteram de benedictione spirituali, quae fidem et spiritale semen respicit.

Benedicam benedicentibus te. Hic benedicere pro benefacere ac honorare ponitur: der dir gûts thût; idque propter semen. Nam qui Christo adhaerent atque insiti sunt, benedicti sunt; qui vero maledicunt ac repugnant, maledicti.

Et benedicentur in te universae cognationes terrae. Haec est evangelii laeta annunciatio, in omnes gentes diffusa. Nam Hebraei duas dictiones habent, quae terram significant ארץ, ärätz, et אדמה, adama, quae posterior hic ponitur et plerunque pro orbe accipitur. Neque enim haec benedictio ad solos Iudaeos pertinet, sed ad Gentes quoque, et ad omnes qui fidem Abrami imitantur.

Egressus est itaque Abram, quemadmodum praeceperat ei Dominus. Exemplum obedientiae nobis in Abramo proponitur. Non cunctatus mox pergit, non responsat, nihil causatur, non nectit moras, nihil excusat, sed praecepto Domini promtissime paret. Adparet ergo Deum plus apud eum valuisse, quam quicquid erat in mundo carum; pluris facit patrem coelestem quam terrenum. Nemini ergo durum videatur, quod Christus sui gratia patrem, matrem et omnia relinquere iubet. Qui deum super omnia amat, mox vocantem sequitur, omnia relinquere paratus, ne eum perdat qui fons est omnis boni. Nec solum temporalia relinquere oportet discipulum Christi, sed se ipsum quoque. Sic nudatus esse debet, sic omnibus adfectibus mortuus, qui pauperem Christum sequi volet. Quam viam, quia arcta est, pauci inveniunt, pauciores ingrediuntur, paucissimi in ea perseverant.

Et animas quas fecerant in Haran. Hic animas pro pecoribus et iumentis accipit, quae acquisiverat Abram in Haran: nam liberos adhuc non habebat.

Cumque venissent in terram Chanaan, pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem ad quercum altam. Hic habetur altera dictio quae terram significat ארץ, qua utitur dum solum de terra Chanaan loquitur: prius, quum de toto orbe loqueretur, ad quem benedictio esset perventura, usus est *adama*. Latinus pro quercu convallem legit, sed Hebraice est אילון elon, quod quercum aut quercetum, et מורה morā, quod *conspicuum* significat, *illustrem* transtulit Hieronymus. Graeci δρῦν ὑψηλὴν, hoc est *quercum altam* habent.

Et Chananaeus habitabat in terra. Chanaanem filium fuisse impudentis illius Hami, qui a patre Noacho maledicitur, superius auditum est. Ex quo Chananaei deinde dicti sunt gentes illae, quarum terram, ipsis expulsis, Deus filiis Israelis promisit ac dedit. Haec igitur inserit Moses, quasi diceret: Chananaei (est enim genus pro numero), gentes illae pessimae, iam terram istam obtinuerant.

Facta est fames in terra. Vide, quam multis, quam variis tribulationibus probat pios Deus et in gravissimas calamitates ac tentationes quandoque suos inducit. Eduxerat eum de patria sua, iam in terra aliena sinit eum fame torqueri, cogiturque pius vir et hanc terram relinquere ac in Aegypto peregrinus degere.

Descendit Abram in Aegyptum. Propositio est: nam mox sequitur in textu: Quumque prope esset ut ingrederetur in Aegyptum. Quomodo ergo in Aegyptum eum iam descendisse Moses dixit? Sed sic solent Hebraei primum summam rei totius proponere, deinde singula digerere.

Et dixit ad Sarai uxorem suam: Ecce amabo, novi quod mulier venusta et pulchra forma tu es, et fiet quum viderint te Aegyptii, et dicent: Uxor eius haec est, et interficient me, te autem vivificabunt. Hic quaedam sunt annotanda de Vof coniunctione Hebraica, cuius significatum subinde variant Hebraei; cuius exemplum in hac ipsa oratione praescripta clare habemus. Et dixit ad Sarai. Sensus est: Quumque iam prope esset, ut Aegyptum ingressurus esset: et dixit, id est: tunc dixit (*et* pro *tunc.*) Dixit, id est: hoc consilium iniit cum uxore. Mox sequitur: Et fiet. Sic enim habent Hebraica, ad verbum. Iam *et* pro *igitur* vel *ergo* ponitur; ac si dicat: Novi te esse venustam. Fiet igitur quum Aegyptii te viderint etc. Deinde mox: Et dicent, iterum *et* pro *tunc*. Tunc dicent, forma scilicet tua visa. Et me interficient, hic copulat *et*. Postremo loco observa verbo vivificandi Hebraeos saepe uti pro servandi et liberandi. Servabunt te, me vero interficient. Tu salva evades, ego morti tradar. Prius enim vivebat Sarai antequam veniret in Aegyptum; quomodo ergo ab Aegyptiis vivificari potuit? nisi vivificare pro servare accipias, ut dictum est.

Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui. Sensui nihil deest. Hebraica sic habent: Dic quaeso: soror mea tu.

Considera hic quam callidum consilium excogitarit Abramus, ut simul et vitae suae et uxoris pudicitiae consuleret. Cogitabat vir pius intra se: Descensurus es in Aegyptum, ad gentem impiam et ferocem, ad homines impudentes, qui ob copiam vini et frumenti libidini pessimae

dediti sunt. In huiusmodi homines incides aliquando, apud quos pudicitia uxoris non potest non periclitari. Omnino sic necesse est. Melius ergo est ut dicas, eam sororem tuam esse quam uxorem. Nam si uxorem dicas, rapient eam, et quisque pro libidine ea abutetur; te autem interficient. Eligendum ergo minus periculum, ut et tu in vita maneas, et ipsa uni alicui in uxorem adsumatur honestoque coniugio copuletur. Id fiet, si dices eam sororem tuam esse. Nam qui eam sibi petent, benefacient tibi in gratiam eius: iungentur enim amicitia tibi et ditabunt te etc. Eligit ergo Abram hoc quod, si incolumitatem corporis spectes, minus habet periculi; si fidem, si caritatem, si constantiam, maximum est periculum. Neque eum fefellit opinio: electa est in uxorem regis. Videmus ergo hoc consilium fuisse a Domino. Quare mentitus non est Abram: nam sororem etiam fratris filiam appellant Iudaei. Exemplum ergo est diligentibus deum omnia in bonum cooperari. Quod si haec sententia minus probatur, nihil obstamus. Sunt enim qui volunt Abramum graviter esse lapsum, eo quod animus eius ad rem arduam et periculosam, ne dicam inhonestam propendit. Quum enim vir bonus virtutis amore mortem oppetit: cur Abramus vitam suam pluris facit, quam uxoris pudicitiam? Quis non praeeligeret mori, quam hanc in uxore iniuriam pati? Ut ergo illorum sententiae accinamus, damus hoc eis, Abramum hoc consilio peccasse quidem, idque graviter; sed hoc divina providentia factum esse volumus. Qui enim Davidem tam audax tamque perfidum facinus patrare permisit, qui Petrum discipulum carissimum tam graviter labi passus est: is Abrahami carissimi amici conscientiam tam gravi ariete quatit ac pulsat, ne familiaritate et consuetudine dei efferatur. Sic Paulo stimulum carnis datum esse legimus, sed ad humiliationem, ne magnitudo revelationum eum extolleret. Hoc ergo remedio utitur deus contra φιλαυτίαν, communem humanae pravitatis morbum. Abutitur enim deus nostra sive stultitia sive malitia ad suam gloriam et ad nostrum profectum. Ostendit ergo Abrahamo deus quam nihil profuerit eius consilium, nisi ipse periculum praevenisset. Et ipsi Abrahamo suo bono hic infixus est aculeus: Uxoris pudicitiam servandae brevis vitae gratia prodidisti, quo ambitiosos conatus per omnem vitam temperaret. Et hoc ex hac historia discendum est, Abrahamo nullibi plus sibi metuisse quam in Pharaonis regno, ubi minus metus et periculi esse debuit. Nam regis est cavere, ne cuiquam fiat iniuria, ne quis laedatur. Sed vide quae sit forma rerum, qualis commutatio! a quo defendendus erat vir bonus, ab illo sibi metuendum est maxime; ubique tutus est, praeterquam in regno ubi vigere debuit publica iustitia.

Et laudaverunt eam principes apud Pharaonem. Observa hic ingenium aulicorum, qui nihil aliud apud principes faciunt quam adulari et lenones esse. Amat enim sui similes rex, et ex vita et moribus ministrorum facile manifestum fit, qualis sit princeps. Si adulter est, lenones fovet et adulteros; si aleo, omnes aulici ludunt: si scortator, scortantur omnes: si potator, bibulos rigat: sic ergo officio suo satisfaciunt pessimi principis pessimi ministri, deferunt optimos quosque apud dominum.

Et rapta est mulier in domum Pharaonis. Ecce quam gravem et inenarrabilem tentationem permittit deus cadere in cor Abrahami, ut videre cogatur dilectissimam et castissimam coniugem suam ab impiis rapi. Sed interim hoc malo bene usus est Deus, ut servaretur maritus et uxoris pudicitia; deinde Abramus exul et peregrinus ditaretur: nam sequitur: *Et Abrae benefecit propter eam.* Vel: Abrahamo prospere cessit propter eam: habuit enim oves et boves et asinos, servos et familiam etc. Non solum in fame eum servat et pascit Deus, sed et locupletem facit.

Et flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis magnis et domum eius propter Sarai uxorem Abram. Percussit eum, plagis affecit, multavit. Septuaginta hic sic legunt: καὶ ἤτασεν ὁ θεὸς τὸν φαραὼ ἐτασμοῖς μεγάλοις, et excussit Deus Pharaonem tormentis magnis. Significat enim ἐτάζω seu ἐξετάζω, scrutari, perquirere, examinare; qua voce eleganter usi sunt hic Septuaginta. Metaphora sumta ab iis qui per tormenta examinantur. Significat autem ἐτασμὸς, ἐξετασμὸς, examen seu discussionem, quae fit per tormenta, per poenas. Gott ersûchts am Pharao, hoc est plectebat Pharaonem. Sic pater dicit filio peccanti: Ich wil dich ersûchen, id est: corrigam te. Tempore ergo Septuaginta ἐτασμὸς pro נגע, *nägaa*, Hebraica voce (quae multam, poenam et plagam significat) usi sunt Graeci. Vel forte de eo examine loquitur, quo Pharao a sacerdotibus edoctus fuit hanc esse causam plagae, quod viro huic peregrino uxorem rapuisset. Nam et Gentes sacerdotes suos habebant, quos in rebus arduis et dubiis consulerent.

Hic primum videmus alia esse dei consilia, quam hominis. Alia enim via servat deus uxoris pudicitiam, quam Abram coniecerat, atque Abrami consilium alio dirigit. Percussit autem dominus Pharaonem antequam tangeret uxorem Abrami. Neque enim credendum est deum permisisse, ut Sarae pudicitia laederetur, aut ut tanta nota castissimae feminae inureretur, ob quam apud maritum contemta et ingrata esse posset. Haec omnia ex 20. et 26. capitibus huius libri clariora erunt. Sic novit Deus suos e tribulationibus eripere et servare in se sperantes.

Quam ob causam dixisti esse sororem tuam? Secus habent Hebraei: nam ii verbum ad personam referunt ad quam loquuntur, et hoc est eis peculiare. Legunt ergo sic: Cur dixisti: soror mea est, vel soror mea ipsa, scilicet est?

Sic excusant se etiam impii, ignorantiam praetexunt; quasi diceret: Si indicasses mihi eam uxorem tuam esse, non rapuissem. Sed mentitur: etiam si scivisset, nihilo minus rapuisset. Sed sic excusat, ne malus fuisse videatur.

Accipe eam et vade. Hoc poena et castigatione didicit; et beatus qui eruditione Dei fit melior. At reperies plerosque, qui nec castigati resipiscunt, obstinati et excaecati malitia et impietate. Hos aeterna poena manet.

CAPUT XIII.

Ascendit ergo Abram de Aegypto, ipse et uxor eius et omnia quae habebat, et Lot cum eo ad australem plagam. Sic Hebraei

habent: ad austrum sive meridiem versus, ubi Septuaginta habent: ad desertum. Quod hac ratione factum esse puto, quod eremus seu desertum erat terrae Chananaicae, et huic loco, ubi Abram prius fixerat tabernaculum, ad meridiem. Unde fit ut meridie hic pro deserto sit usus Moses κατ' ἀλλοίωσιν, quemadmodum deserto utuntur pro meridie. Non enim potuit Abram meridiem versus ex Aegypto proficisci; sed vult dicere: Ea via rediit qua venerat. Venerat autem meridiem versus seu desertum versus. Quare immerito videtur mihi Hieronymus Septuaginta taxasse: „Aegyptus meridionalis est; quo modo ergo ad meridiem vadit, ex Aegypto ascendens?" Den weg zoch er wider hinus, den er hinyn zogen was. Hac via rediit per quam venerat.

Erat autem dives valde, in possessione auri et argenti. Qui rebus parandis student, mox arripiunt Abramum in exemplum, ac cupiditatibus suis praetexunt, parum considerantes quam sit res plena periculi divitiis inhiare, ut etiam Christus facilius camelum per foramen acus transire asserat, quam divitem in regnum Dei. Raro fit ut non insolescant, qui divitias possident. Animant enim et spiritum addunt, sed malum: Sy blasend uf. Et beatus Paulus radicem omnium malorum ait esse pecuniae studium, monetque ne quis dives fieri studeat: hisce enim curis homines multis et variis tentationibus involvi et laqueum diaboli incidere; deinde in desideria inutilia et noxia, quae mergunt homines in interitum et perditionem, imo defectionem a fide, á deo; et idololatriam nominat avaritiam. Porro qua via dives sit factus Abram non vident. Erat a rege Aegypti donatus honorificis muneribus. Ubi iterum ansam prehendunt, qui largitiones a principibus capiunt, non considerantes quam sit ratio longe diversissima. Isti sunt patriae, libertatis, iustitiae, veritatis proditores ac corruptores. Non sic Abram. Postremo non cogitant Abramum et Lotum non divitias corrasisse, sed his quae adfluxerant bene usos esse, dispensatores rerum fuisse, non dominos.

Inter Bethel et Hai. Hoc nomen huic loco datum est, tum quum Iacob iret in Mesopotamiam, ut infra videbitur capite 28; quare hic per anticipationem Bethel dicitur.

In loco Arae, quam fecerat prius, et invocavit ibi nomen Domini. Id est in eo loco, ubi prius invocaverat nomen Domini. *Et* pro *ubi.*

Sed et ipsi Loto fuerunt greges ovium et armenta et tabernacula, nec poterat eos capere terra ut habitarent simul. Causam mox subnectit: *Erat quippe substantia eorum multa.* Iam iterum repetit quae superius dixerat. *Et nequibant habitare simul.* Macrologia est, non ταυτολογία. Proprium enim et peculiare est Hebraeis eadem saepe repetere, sed eleganter; neque supervacue neque absque causa, sed ideo ne alio referatur sententia.

Unde rixa facta est inter pastores gregum Abrami et Loti. Solent saepe servi nimis esse curiosi, ut ditent dominos suos, ut perire nihil sinant; quum tamen interim non sint adeo diligentes et strenui curatores. Unde saepe et inter dominos contentio et rixa oritur, saepe bella et homicidia, quum scilicet ipsorum servi ἀνθρωπάρεσκοι potius

sint, hoc est adulatores, quam fidi laboratores. Statim dum divitiae crescunt atque augentur: actum est; statim oritur dissidium vel inter coniunctissimos; non fames, non peregrinatio, non ulla calamitas separare Abramum et Lotum poterant, at rerum copia alterum ab altero avellit. Ita miseri sumus omnes, quantumvis excusemus, quantumvis dissimulemus; fortissimum pectus et constantissimum sit oportet, et quod Deus ipse inhabitet quodque totum possideat, quod prosperis in rebus non mollescat, quod nusquam cedat, quod divitiis a vero, a recto non abducatur.

Ne quaeso sit iurgium inter me et te. Vide quam mitis, quam liberalis, quam minime tenax sit divinus vir! Nam quum potuisset Lotum nepotem suum a se repellere (nam quae Lotus habebat, Abramo erant): non tamen hoc facit, sed ei optionem dat eligendi. Sed hoc caritas facit: non contendit, non est procax; benigna est, mansueta etc.

Ecce universa terra coram te est, recede a me obsecro. Sensum transtulit Latinus, non verba. Solent autem Hebraei plerumque, quae certo affirmant, sub interrogatione proferre: vehementius enim movent ἐπιφωνήματα quam ἰσχνὸν πλάσμα, hoc est, simplex forma. Num non terra tota coram te est? Num non haec scripta sunt in libro dierum regum Iuda? Pro eo quod dicimus: Reliqua scripta sunt in libro gestorum regum Iuda. Consolatur iis verbis Abram ipsum Lotum, ne gravatim ab eo avellatur: Ecce mi Lot, ne graviter feras hanc a me divulsionem: terra enim tota ante nos est, coram nobis, id est: terra satis ampla est atque exposita, non deest locus ad habitandum.

Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Hebraea vehementer sunt elegantia. Sic ad verbum: Si tu sinistrabis, ego dextrabo; si tu dextrabis, ego sinistrabo. His verbis manifesta fit dexteritas et candor ipsius Abrami, qui ipsi Loto optionem dat eligendi, quum tamen esset potentior et maior; sed quanto est potentior, tanto magis se humiliat, et minori cedit.

Elevatis itaque oculis Lotus, vidit omnem circa regionem Iordanis, quae universa irrigabatur antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorram, sicut Paradisus Domini, et sicut Aegyptus venientibus in Segor. Obscura satis sunt Latina, nec vim Hebraicae dictionis clare exprimunt. Nam mira brevitate et elegantia scribuntur haec a Mose. Et sublatis oculis suis Lot vidit omnem planitiem Iordanis, ut tota fertilis seu pinguis esset. Antequam enim subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham, erat haec terra sicut paradisus seu hortus Domini, sicut terra Aegypti. Prope Zoar, hoc est circum vel ad Zoar, haec est Segor. Omnem circa regionem Iordanis dicit Latinus ex Hebraica voce כיכר Kikar, quae vox hic planitiem, campestria, fundum significat; ut ex sequentibus magis clarescet. Quae quidem planities circa Iordanem fertilissima et pinguissima erat; Hebraice, quod tota seu undequaque משקה, mascke. Nam verbum שקה, schaka, irrigare, potare significat, inde maschke irrigua; Germanice, mastig, gnüchtig.[1] Et sicut paradisus seu hortus Dei. Hyperbola

[1]) Idem sensu vocabulum *Nüchtland.*

circumloquitur loci amoenitatem. Sic Germanice dicimus: Sölte Gott selber da wonen, so wer es doch hüpsch gnug: ein Gottsgarten. Et sicut Aegyptus, hoc est, regio illa et planities circa Iordanem erat Aegypto similis, quae fertilissima est. Sed ubi est planities tam fertilis? prope Zoar. Non ergo refertur (prope Zoar) ad Aegyptum, sed ad Iordanis regionem, quam Lot elegit. Germanice reddam, ut sensus fiat clarior. Do hub Lot sine ougen uf, und besach die ganze äbne am Iordan, das es ein mastig land was: dann ee der Herr Sodom und Gomorrha verdarbt, was es umb Zoar harumb, wie ein lustgarten des Herren, und wie Egypten land.

Elegit sibi Lot omnem planiciem Iordanis. Et profectus est Lot ab Oriente. Haec praepositio מ Hebraeis non semper (de) significat, sed aliquando ad, ut hic: profectus est Lot a Bethel Sodomam versus Orientem. Tantum ergo potest מקדם mikkedem, quantum si diceres: Profectus est ad eam regionem, quae illi, unde solvebat, orientalis est.

Et separati sunt alter ab altero. Abram habitavit in terra Chanaan et Lot in oppidis quae sunt circa regionem Iordanis. Quid opus erat dicere Abram habitavit in terra Chanaan, quum et ipse Lot quoque habitaret in terra Chanaan? Sed Hebraica hic clara sunt: utitur enim Moses duabus dictionibus, aeretz et kikar. Abramus habitavit in aeretz, id est in montanis Chanaan; Lot vero in kikar Iordanis, id est in fundis circa Iordanem. Antithesis ergo est aeretz et kikar: per aeretz montana intelligit (nam Bethel in montanis Iudaeae sita est, quae quidem montana aspera non fuerunt sed fertilia, iam vero deserto quam terrae fertili similiora. Completum enim est, quod Dominus in numeris vaticinatur: Qui occiderit sanguinem, contaminat terram, et terra evomet habitatores homicidas. Morte enim innocentis Christi terram contaminarunt); per kikar vero planitiem circa Iordanem.

Et homines Sodomitae pessimi erant, et peccatores coram Domino. Coram Domino est Hebraice ליהוה la Adonay, quod sonat ipsi Domino, vel ut ל pro adversus et contra ponatur, ut saepe in Bibliis; alias: in conspectu Domini. Quemadmodum supra de Nimrod dictum est, quod esset tyrannus et ferox coram Domino, vel in conspectu Domini; id est non verebatur Deum, et vidente Domino ausus est exercere tyrannidem: sic hic quoque intellige! Sic David: Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.

Aggravat autem his verbis culpam ipsius Loti, simul indicans Sodomitarum mores pessimos. Quasi diceret Moses: Tametsi videret gentem esse impiam in hac regione, nihilominus eam eligit, loci scilicet amoenitate captus. Vide quo nos adfectus carnis ducant! Caro semper quaerit quae sibi dulcia, iucunda et grata sunt. Levis animi autem argumentum est evidens eligere pessimorum consuetudinem. Qui enim amat periculum, peribit in illo. Lot igitur, consilio humano et carnis adfectu ductus, fertilem regionem eligit. Sed quid fit? Cogitur cohabitare pessimis et facinorosis hominibus; incidit in maxima pericula, in graves angustias: quibus certe pereundum erat, ni Deus eum gratia sua eripuisset. Coactus nihilo minus hanc, quae sibi amoenissima fuit

visa, terram deserere, quamque tantopere desideraverat. Sic quod nobis optimum videtur, consilio Domini aliter disponitur; sic studium Loti punitur. Nonne ad Abramum patrem suum dicere debuit: Ecce tu maior me es, tu pater meus. Elige ergo tu, tu cape meliorem! Sed caro quaerit quae sua sunt.

Sodomorum mentionem ideo facit hic Moses, ut ad futuram historiam viam paret.

Titulus huius impiae gentis terrere nos debet, ne patrum nostrorum pessimis factis nostra scelera praetexamus. Sunt enim qui dicant: Et patres nostri talia fecerunt. Cur nobis eadem non liceant? Nam tametsi impietas nostra nonnunquam nobis viventibus supprimitur: olores tamen in morte canent; hoc est: nobis mortuis erunt qui talia commemorabunt. Neque vero ideo minor erit culpa, si vestigiis pessimorum patrum incedimus, in pessimos mores eorum degenerando. Romani, Athenienses, Crotoniatae, ceteri, laudatissima habent nomina in historiis, sed simul et pessima. Nam eo usque tandem malorum venerunt, ut ex optimis in pessimos degenerarent. Ut, si hodie quis Romam nominaverit, intelligit quisque prudens sentinam et omnium malorum lernam, factumque est nomen illud invisum et abominabile piis auribus. Sic fiet aliquando nobis, ut de nobis dicatur: Haec gens pessima fuit. Quod autem quidam dicunt: Quid ad me, quid quisque post mortem de me vel scribat vel loquatur? sed ii profecto turpissimi sunt, qui talia vel cogitare audent. Quum enim etiam pessimi quique gloriae studeant et gloriae causa nihil non faciant ac patiantur, quam illi spernunt: quid aliud eos dices esse quam bestias? Imo peiores sunt bestiis: nam et bestiae gloriam quaerunt, et equi et leones et boves gloriosi ac superbi sunt. Actum ergo de illis est, quos nec virtutis amor nec poenarum metus nec gloriae sitis a flagitiis avocat: bestiae sunt, indigni qui homines vocentur.

Et dixit Dominus ad Abram, postquam recesserat ab eo Lot: Leva oculos tuos etc. Hoc verbo consolatur Dominus servum suum Abramum. Quasi diceret: Ne doleas quod Lot potiorem et meliorem terram elegit. Omnem terram quam vides dabo tibi et semini tuo. Nihil ergo poeniteat nos, si mali nonnunquam a nobis avelluntur, si eorum consuetudine privamur. Retinemus saepenumero quae maxime obsunt; inviti plerunque deserimus quae paulopost inviti reciperemus.

Dabo eam tibi et semini tuo usque in sempiternum. Hebraica vox עד עולם, *ad olam,* non semper perpetuitatem, sed longum tempus significat, tempus indeterminatum et indefinitum; ut patet ex cap. 31. Exod. et 15. Deut. Item 1. Reg. 2 et 3. Reg. 2. Tam diu scilicet dabit hanc terram semini Abrami, quam diu pactum cum patre initum servarint. Interim tamen *perpetuo* quoque significat.

Faciamque semen tuum sicut pulverem terrae. Hyperbole est. Atque magis de universis gentibus (quae per Christum Abrahami semen benedictae sunt) intelligi videtur, quam de solis Iudaeis. Nam Iudaei non tanti, nec tot fuerunt quin numerari possent, saepeque numerati sunt. Sed qui fidem Abrahami imitantur, filii et semen Abrahami sunt; et illorum non est numerus. Quasi diceret Deus: Ecce, Abrame! fides

illa quam in me habes, praedicabitur olim in universo orbe, in omnibus gentibus; neque tu solus es qui mihi fidis, sed ad exemplum tuum tot fideles erunt, quot pulveres terrae.

Surge ergo et perambula terram. Sic agit Deus cum iis, quos maxime amat: variis exponit eos periculis, saepe loca mutare compellit et quae cara sunt relinquere. Aut enim Deus suis temporalia non dat; aut si dat fel admiscet, ne rebus caducis fidant aut nimium oblectentur. Sic Christus in Evangelio se temporalia daturum pollicetur, at cum persecutionibus, ne nimium dulcescant; sed ut semper ad futura anhelemus, ad coelestia, ad nunquam interitura; ut simus hoc mundo tanquam non utentes, omnia habentes et quasi nihil possidentes. Sic amaricat Deus suis, quibus maxime gaudent, ut corda eorum ad se trahat, ne sordidis huius mundi curis nimis involvantur. At quum suos variis tentationibus vexat atque exagitat: fidem eorum probat atque explorat; et quum maxime adfligit, maxime suis adest Deus.

Movit ergo tabernaculum suum. Verbum Hebraicum אהל non solum tabernacula figere aut tendere significat, sed etiam tentoriis sublatis alio proficisci. Ambo significata in hoc ipso capite ponuntur.

Aedificavit altare Domino. Futurum erat, ut aliquando Christus Dei filius in cruce pro nobis sacrificaretur; quam rem se credere testabantur veteres fideles pecorum sacrificiis. Ara crucem figurat, pecus Christum.

CAPUT XIV.

Ab initio huius capitis bellum regum magnifice describitur, ut in posterioribus maxima virtus Dei intelligatur, qui parvis magna demolitur: quum unus Abram tot potentissimos reges percusserit atque in fugam verterit.

Duodecim annis servierunt Kedorlaomer, decimo tertio autem anno defecerunt. Et haec causa fuit suscepti belli contra quinque reges. Fuerunt enim quinque civitates sub potentissimo rege Elami Kedorlaomero duodecim annis tributariae. Defectione autem facta decimo tertio anno indixit eis rex bellum, vocatis sociis in auxilium tribus aliis regibus; idque factum est decimo quarto anno.

Omnes hi convenerunt in vallem sylvestrem, quae nunc est mare salis. Hebraeus dicit אל עמק השדום, el emek hasidim, ad vallem planam, campestrem, ins breyttal, quae est Mare Salis; id est, ubi nunc est mare salsum. Hoc ex loco clarum fit, mare salsum et mortuum mare idem esse; quod et סוף suph aliquando vocatur. Nam est caricosum seu carectosum, quod ad intelligentiam Numerorum et Deuteronomii facit. Non enim hic loquitur de Erythraeo mari, quod et ipsum *suph*, hoc est arundinosum est.

Percusserunt Rephaim in Astaroth, et Carnaym et Susim cum eis, et Emim in Sabe Cariathaim, et Horeos in montibus Seir, usque ad campestria Paran. Hebraea hic paulo aliter habent: dicunt enim Astharoth Carnaym absque coniunctione. Qui sint Rephaim in capite Iosuae XIV. manifestum fit: hominum genus ferox et crudele, ex rapto et violentia vivens. Vox Latina et Germanica nonnihil ad

significationem et vocem Hebraicam, non ad radicem alludit: raptores, Raeuber oder raeuffer, streyffer; hoc est praedones ac latrones. Ut sunt apud nos quidam, qui nobilitatis titulo gloriantur, qui omnia vastant, omnia occupant, nihil sanctum, nihil intaetum relinquentes.[1] Qui virtute et egregiis factis ingenui sunt, hos non fraudamus sua laude et gloria.

זוזים. Et hi tales sunt, quales Rephaim, de quibus ab initio Deuteronomii habebimus.

Susim cum eis. Hieronymus aut est halucinatus, quum Hom dicit esse locum: aut sua tempestate in exemplaribus Hebraicis בהם scriptum reperit. Nostra habent בהם. בשוי, Beschave, Hieronymus loci nomen esse putat Schave. Ego vero existimo a radice שוה, *schive*, hanc dictionem esse derivatam. Significat autem *schive* Hebraeis aequare. Schave ergo puto significare planitiem aut campum. Nos vallem aut campum vocamus, quidquid inter duos montes, etiam longissime dissitos, iacet.

Et reversi venerunt ad fontem iudicii, ipsa est Kades. Loca quaedam hic per anticipationem sic vocantur. De fonte iudicii in Kades Exodi XV et XVII. Numer. XX. Quae sit Kades et Kades Barne et Paran, vide Num. XII—XV. et sequentibus.

Grassati sunt reges illi (ut adparet) in ea Eremo, per quam filii Israelis postea profecti sunt: ut habetur in Numeris et Deuteronomio.

Et egressus rex Sodom et rex Amorraeorum etc. Hi quinque non fuerunt reges, sed domini et magistratus. Nisi quod quemvis principem ac summum Hebraei regem vocant; quod itidem Graecis et Latinis aliquando in usu fuisse perhibetur. Quatuor autem alios, de quibus ab initio capitis scribitur, constat fuisse reges magnos et potentissimos.

Direxerunt aciem contra eos in valle sylvestri. Elegantius, instruxerunt aciem: nam hoc Hebraica vox proprie significat. Acies autem variis modis instruuntur, ut norunt qui rei bellicae sunt gnari. De qua re et Gellius alicubi. *In valle sylvestri* iterum est Hebraice, in valle plana, ut supra.

Et fugerunt et ceciderunt illic. Ceciderunt, id est, percussi sunt, prostrati sunt. Nam cadere pro occisum iacere usurpant. Dicit autem reges esse percussos, quum solum populus et exercitus regis Sodomorum et Amorrhaeorum esset percussus: nimirum quod regi tribuitur, si exercitus eius superatur. Sic Germanice dicimus: Der küng ist geschlagen, quum exercitus eius duntaxat fusus est. Nam reges superfuisse ex sequentibus clarum fit, quum audiemus eos auxiliares Abrami fuisse.

Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum et Gomorraeorum. Hic pro substantia legunt Hebraei רכוש, rekusch; generaliter autem omnem rem ac supellectilem significat et pecorum et iumentorum. Germanice dici posset *Tross*. Graeci intellexerunt per ἵππον, quaecunque equis vel iumentis veherentur. Mox infra transferunt Graeci eandem dictionem ἀποσκευήν, omnem bellicum adparatum intelligentes.

---

[1]) Haec verba petunt mercenariorum militum duces.

Et unus ex his, qui evaserant, nuntiavit Abram Hebraeo. עבר significat Hebraeis transire, traiicere, transmittere: a quo nomen habet Abram עברי, transitor, quod Euphrate transmisso in terram Chanaan peregrinus venerat. Atque ab eo deinde omnes Iudaei עבריים, id est Hebraei, sunt vocitati. Ifri, der änethar [1] ist, der harüber kummen ist.

Et ipse habitabat in quercetis Mamre Amorraei fratris Escol et Aner, et ipsi viri foederis Abram. Mamre nomen viri esse, ex hoc loco liquet. Sy warend bundsmänner Abrams, quos nos confoederatos, Latini amicos adpellaverunt. Sic amici populi Romani, qui eis foederibus iuncti erant; sic amici erant Escol et Aner ipsi Abramo, quod nimirum, dum primum cum eis habitare coepisset, foedus cum eis inierit.

Et audivit Abram quod captus esset Lot frater eius. Fratris filius erat Lot, non frater; sed fratris vocabulo quemlibet cognatum; imo quemlibet proximum intelligunt Hebraei; quod literatores quidam nescientes, nescio quid, movent de fratribus Iesu.

Persecutus est eos usque Dan, et irruit super eos noctu. Verbum Latinum *irruit* vehementius est quam pro significatione verbi Hebraici. Hebraeus enim legit ויחלק. חלק autem significat lenivit, mollificavit, dolo suasit. Sensus ergo est: clam et leniter, leni et molli gressu ad eos venit Abramus cum copiis suis, eos obruturus. Ostendit autem reges fuisse securos ob partam victoriam, et sic industria Abrami oppressos.

Percussitque eos et persequutus est eos usque Hoba, quae est ad levam Damasci. Et reduxit omnem substantiam (seu supellectilem) et etiam Lot fratrem suum cum substantia sua reduxit, et etiam mulieres et populum. Recuperat et reducit Abram aversam praedam. Liberat et defendit fratrem suum, infidelitatis et insinceritatis Loti nequaquam memor.

Egressus est rex Sodomorum in occursum eius, quum a caede reverteretur. Hic mos est Hebraeorum, summam tantum subindicare, ubi ad alia properant: cetera enim tacet, quae in occursum facta sunt aut fieri solent. Quae prudens quisque satis intelligit, qua scilicet pompa huiusmodi occursationes fieri soleant.

Et Melchizedek rex Schalem protulit, extulit panem et vinum. Erat autem sacerdos Dei altissimi. Qui in pane corpus, in vino sanguinem Christi esse fingunt, atque ex missa sacrificium faciunt, hoc loco impudenter sunt abusi, urgentes dictionem *obtulit*, quum tamen Hebraice sit: protulit, extulit, depromsit. Sic enim solemus extra civitates atque frequenter in portis excipere et reficere eos, qui militiam abeunt, aut e militia revertuntur. Xenia fuerunt, quibus Melchizedek Abramum excepit. Quomodo Melchizedek typum gerat Christi, satis eleganter et copiose tractatum est a Paulo ad Hebraeos, capite VI et VII.

Et benedixit ei. Hic *benedicere* laudare significat et gratulari.

---

[1]) Ab ulteriore ripa.

Sic Paulus 1 Cor. X. *Calix benedictionis*, id est calix quo *laudamus* dei beneficentiam, quo *gratulamur* de morte Christi, quo *gratias agimus* etc.

Qui conclusit inimicos tuos in manus tuas. Sic legit Hebraeus. LXX transtulerunt παρέδωκε, tradidit.

Et dedit ei decimas ex omnibus. Decimarum nomine vocarunt veteres quaecunque honorifica dona. Hac figura auctor epistolae ad Hebraeos probat Christum summum sacerdotem, non ex tribu Levi, sed ex tribu Iuda natum fuisse, capite VII.

Da mihi animas. Iterum animas pro hominibus viventibus accipit Hebraeorum more, homines qui mihi captivi abducti sunt.

Levo manum meam ad Dominum. Manuum elevatione iuramentum Hebraei intelligunt. Ut etiamnunc apud nos fieri solet, ut qui iurent manus ad coelos levent; quasi diceret Abramus: Testem invoco Deum illum magnum, et excelsum, possessorem coeli et terrae, cui ego fido, me nihil capturum ex omnibus quae tua sunt.

Quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligae non accipiam ex omnibus quae tua sunt, ne dicas: ego ditavi Abram. Hebraei secus legunt: utuntur enim iurandi adverbio sic: *Si* a vitta ad corrigiam calcei, et *si* accipiam de omnibus quae tua. *Si* coniunctione pro *non* seu adverbio iurandi utuntur. A vitta capitis ad calcei corrigiam. Hoc schemate intelligunt quidquid est a capite ad pedes usque, totum scilicet a maximo ad minimum usque; quasi diceret: Nihil omnino capiam, sive magnum sit sive parvum. Neque enim volo, ut quispiam dicat, Abramum e spoliis et substantia regis ditatum esse: Deus enim ditavit et benedixit me. Septuaginta pro corrigia σφυρωτῆρος legunt. Pro quo notandum, quae Plinius malleolos vocat in vitibus ab Aristotele σφυρά vocari. Sic tali transsumtione malleoli dicuntur, quod utrinque tubercula promineant. Vocant ergo LXX hic σφυρωτῆρα corrigiam seu annulos, aut fibulas calcei, quod utrinque e regione tali sunt.

Haec historia ut est iucundissima, ita est plena pulcherrimis exemplis. Primum observa, quomodo Deus pessimam hanc Sodomorum gentem, impios et flagitiosos homines per unum iustum, Abramum scilicet, liberat ac servat; neque tamen citra sudorem et sanguinem. Nam multi ex his ceciderant. Suscitat Deus fidelem Abramum peregrinum et advenam, in quem nemo sperare potuisset; verumtamen quum non resipiscunt, postea funditus eos perdit. Sic sunt iudicia Dei: omnia ad nostram utilitatem facit. Quod si grati non fuerimus moresque pessimos non mutaverimus: longanimitas eius aliquando severitas fiet et gravius nos puniet.

Videmus deinde, quo nostra tandem perveniant consilia. Lotus, ut dictum est supra, amoeniorem et fertiliorem locum elegerat putabatque sibi optime consultum. Sed vide qualis exitus, quam fallit eum opinio! Iam capitur, abducitur, parumque abfuit quin occideretur, nisi ex tanto periculo Abrami auxilio eriperetur. Hic quoque discimus quid virtus, quid pietas faciat. Potuisset Abram sic cogitare aut dicere: Elegit hanc regionem Lotus; luat iam ergo! merito haec patitur etc.

Sed nihil huiusmodi. Mox ut audivit fratrem esse captum, iniuriarum nihil memor adcurrit, opem fert indigno, immerito. Sic facit vera et Christiana caritas: non quaerit sua, sed aliorum commoda; benefacit malefacientibus et indignis, a quibus nonnunquam vel infidelitatem vel maleficium sentit et experitur. Hanc fidem et caritatem Abrami si fuerimus secuti, veri Abrami filii erimus. Hic facile discimus, an et quando, atque ob quam causam bellum suscipere liceat Christianis. Neque enim sui commodi gratia (noluit enim se alienis rebus contaminare) bellum suscipit Abram, sed ut fratrem defendat ac liberet, ut iniuriam abarceat ac ulciscatur. Qui ergo sic belligerant, ut proximum, patriam, rempublicam defendant; ut ab iniuria et violentia oppressos liberent, ut salva et tranquilla sit respublica, iustitia, veritas, hi nimirum non solum non peccant, sed gratissimam Deo rem faciunt. Neque rursum hinc praetextum avaritiae suae petant, qui in bellis inferendis iustitiae publicae inservituros se pollicentur, quum rem privatam solummodo spectent. Hinc enim omnia cruore madent, ac plusquam truculenta sunt.

CAPUT XV.

Promissio, quae hic fit Abramo, temporalia et terrena respicit. Superius semen illud benedictum pollicitus est Deus: tametsi temporalia haec in recessu aliquid significant. Promissio enim terrae Chananaicae terram viventium figurat, quae fidelibus ex promissione, non ex merito debetur.

His itaque transactis. Post haec verba dicit Hebraeus. Utuntur autem Hebraei hac dictione דברים, debarim, pro re gesta. Latinus diceret *posthac*. Germanice nach denen dingen.

Factus est sermo Domini ad Abram per visionem. Factum est verbum Domini, factus est sermo Domini, idiotismus Hebraicus est, quo fere semper utuntur pro: locutus est Dominus. *Per visionem* Hebraice in visione; id est forma vel specie aliqua adparuit ipsi Deus. Nam Deum ipsum nemo vidit unquam.

Noli timere Abram, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Sensum respexit Latinus et tropum resolvit. Hebraeus enim dicit *clypeus tuus*, quod Latinus *protector tuus* vertit. Refertur autem hoc ad pugnam et caedem regum. Potuisset enim Abram reges metuere, ne se de ea ulciscerentur. Apparet ergo ei Deus consolans eum, ne reges metuat quantumvis potentes et magnos. Deinde, quandoquidem de spoliis nihil ceperat, laudat eum Dominus, polliceturque sese praemium satis magnum fore ipsi, ne eum quidquam poeniteat. Discimus hic remunerari Deum, quae propter eum conferuntur aut amittuntur. Sic Christus in Evangelio: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quum ergo videmus opprimi iustos, debemus ex timore et amore Dei eis adesse, eos defendere et liberare, nullo remunerationis habito respectu: iustus est enim Deus, qui ut mala non inulta, ita benefacta incompensata non sinit.

Domine deus quid dabis mihi? Ego vado absque liberis. Plus decem annis (tametsi promisit) differt dare semen Deus. Hoc videtur

hic conqueri Abramus; quasi diceret: Domine, promisisti mihi semen; iam vero senui statimque moriar, et adhuc sine liberis vado.

Et filius procuratoris domus meae iste Damascus Eliezer. Obscurus est hic locus, nisi binominis fuit is, de quo loquitur Abramus. Sequentia praecedentia explicant. Mihi videtur iuxta Hebraica sic posse legi: Et filius procuratoris domus meae: nam מֶשֶׁק, maesek, procuratorem, dispensatorem, oeconomum significat. Iam sequitur: Ipse Damaesek Eliaeser. Hoc videtur expositio esse prioris dicti; quasi diceret: Ipse illius procuratoris (scilicet filius) Eliaeser; ut Eliaeser sit is filius, pater Maesck, quod significat procuratorem. Utuntur enim Chaldaei ד litera pro articulo genitivi casus.

Mihi autem non dedisti semen. Energiam habet haec oratio; quasi diceret: Promisisti quidem mihi o Domine semen, at nondum dedisti. Tentatio fuit fidei Abrami, tametsi constantissima et maxima fuit. Discimus hic etiam fidem sanctissimorum hominum aliquando tentari, permittente hoc Deo, ut post tentationem clarior fiat et certior.

Non erit is haeres tuus, sed qui egredietur de utero tuo. Haec libertatem Christianam docent. Sumus liberae filii, non ancillae. Neque enim beatitudo operibus nostris tribuitur, sed gratuita Dei largitate per fidem credentibus datur. De utero tuo, id est de te, de tua cognatione et sanguine.

Eduxit eum foras. Extra castra aut tabernacula. Id adparet noctu esse factum.

Numera si potes. Pulchra est haec aposiopesis. Sequi enim mox debebat: Et numeravit Abram stellas coeli, dixitque ad Dominum: Non possum numerare. Haec omnia reticet historiae scriptor et responsum Domini subiicit.

Et dixit ei, sic erit semen tuum. Promissio haec partim corporalis est, partim ad Christum et ad salutem mundi refertur.

Credidit Abram Deo, et imputatum est ei ad iustitiam. Hebraei sic legunt: Credidit Abram Deo, et haec reputata est ei iustitia. Relativum enim Mappik in fine verbi, non ad superiora refertur, sed ad sequentem dictionem צְדָקָה, zedaka. Sensus est: Iustitia haec, scilicet fides, ei reputata est. Et hoc frequens est Iudaeis relativa ad sequentia referre. Genesis I. habetur: Producat terra animam viventem in suo genere, iumenta, reptilia, et bestias terrae. Ubi (pro bestiis terrae) Hebraeus legit חַיְתוֹ אֶרֶץ haietho ärätz, animans eius terrae, ubi ו relativum ad aeretz respicit. Loquitur enim de animantibus quae in terra degunt. De iustitia fidei satis multa in epistola ad Romanos et ad Galatas scribit Paulus. Haec enim iustitia, id est innocentia est apud Deum, certo et indubitato credere Deum esse optimum et supremum bonum, qui nec falli neque fallere, non magis velit quam possit. Qui ad hunc modum credit, is Deo certissime fidit, ab eo totus pendet, soli eius bonitati et misericordiae innitens; neque hunc fallet sua spes. Haec spes enim non pudefacit. Rom. V. Qui talis est, sibi totus displicet, quotidie habet quod coram pientissimo patre deploret; sed certus de Dei sui misericordia non desperat; is vere iustus est, idque coram deo. Sed non sunt haec propter Abramum solum scripta, sed

etiam propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum qui excitavit Iesum etc. Rom. IV.

Tam facile discernere est inter iustos et iniustos: qui enim spiritu Dei aguntur, ii filii Dei sunt. Iustitia enim haec fidei res quaedam est vivida; exerit sese in credentibus, quos ad opera bona perpetuo movet ac impellit.

Domine Deus unde scire possum. Superius, quum semen illi promitteret Deus, non petit signum Abram; sed quum terram Chanaan pollicetur, signum postulat. Videmus ergo pios a Deo pro temporalibus promissionibus quandoque signa postulasse, ut temporalibus promissionibus exteriora et visibilia signa adderentur. Fit hoc, ut caro infirma atque imbecillis aliquo modo dometur ac tranquilletur; sed fidelium caro tantum, quos Deus ad se trahit. In infidelibus obduratio est et excaecatio: irritantur enim signis, et peiores efficiuntur.

Qui tollens haec universa divisit. Deus in foedere pangendo cum Abramo humano more utitur, qui tum apud gentes, apud quas Abram habitabat, solitus erat. Qualis autem mos feriendi foederis priscis fuerit quibusque circa haec ceremoniis sint usi, si quis apud historicos legerit: facile intelliget, pecora hic ab Abramo, non in sacrificium, sed ad foedus cum Deo caesa esse. Quemadmodum enim olim Fecialis porcam silice saxo feriebat, imprecans ut sic feriretur a Iove, qui prior foedus solvisset: ita Abram animalium caede foedus cum Deo firmat. Veruntamen neque foedere neque signo Deo opus erat; sed ipsi Abramo, propter quem haec omnia fiunt. Latent insuper in rebus gestis mysteria non contemnenda. Partitus est Abram animalia in duas partes. Dualis numerus Christum verum deum et hominem figurat, per quem Iudaei et Gentes, divisi quidem tum, per unum spiritum (nam per columbam et avem spiritum recte intelligimus) uniti sunt, per mortem scilicet et oblationem Iesu Christi. Videmus ergo iam ab initio patrum fidem et nostram unam eandemque fuisse. Omnes enim hoc testamento et foedere salvantur, quod cum fideli Abramo et semine eius pepigit Deus. Quod capita singula singulis capitibus e regione opponit, significat omnes in unam eandemque fidem (quam habuit Abram) aliquando esse conventuros per caput Christum.

Quod volucres aëris ad morticina volitarunt, significat principes aëris infestos esse iis, qui corpus mortificare student; variis expositos esse tentationibus, quicunque pie in Christo Iesu vivere volunt. Sic Deus externis hisce rebus Abramo ostendit, semen eius carnale et spirituale multa esse passuros: nam calcaneo Christi daemon insidiatur. Omnes has tentationes solus Abram, id est, fides firma abigit, propellit et vincit.

Horror magnus et tenebrosus irruit super eum. Stupor quidam ac tremor admirandus, qualis solet in tenebris repente oboriri.

Scito praenoscens quod peregrinum sit futurum semen tuum in terra non sua, et subiicient eos servituti, et adfligent quadringentis annis. Hebraice sic: Et dixit (scilicet Dominus) ad Abramum: Sciendo scies, semen tuum peregrinum fore in terra non eis. Et servire facient vel servitute oppriment eos (scilicet posteros tuos) et

adfligent eos quadringentos annos. Sciendo scies, cognoscendo cognosces idiotismus est Hebraeis frequens; significant autem hac verborum geminatione aut certitudinem aut vehementiam. Hic certitudo significatur, quasi diceret: Certo scias, certissime scias id futurum, ut semen tuum peregrinum sit in terra non eis, id est in terra aliena. Fabulantur hic Iudaei (ut saepe alias) ideo non dictum esse in terra Aegypti, quod Isaacus etiam in terra alia, non solum Aegypto peregrinus fuerit. Sed vana est glossa, quia Isaacus non servivit; et textus hic dicit: Servire facient eos. Quare aliam non intelligit quam Aegypti.

Veruntamen gentem, cui servituri sunt, ego iudicabo. Iudicare pro vindicare, ulcisci Hebraei frequenter utuntur: ego vindicabo, ego rependam. Hoc factum est in populo Aegyptio, dum eos mergeret in mari Carectoso. Consolatio est piis, si quando ab impiis adfliguntur. Sciant vindicem esse Deum, qui malos perdet suosque liberabit. Qua in re hoc quoque adumbrat Deus, promissionibus terrenis adflictiones et tribulationes semper esse annexas, quibus Deus suorum fidem exerceat atque exploret, tolerantiam insuper et spem praestans in omnibus persecutionibus, ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τȣ̃ θεȣ̃, ut digni habeantur regno dei, pro quo et patiuntur. Simul tamen interim iustus est Deus, iis qui adfligunt adflictionem, et iis qui adfliguntur relaxationem praestando. Adumbrat nihilo minus Aegyptiaca servitus legis futurae servitutem, sub qua Iudaei vivebant, donec per Mosen, hoc est per Christum educerentur et liberarentur. Nam per hunc a dira legis servitute, id est a damnatione legis eripimur. Tametsi et illis, qui etiam tum sub lege Christum vere agnoscebant, Christus pax erat et conscientiae tranquillitas, legisque terrorem adimebat.

Tu ibis ad patres tuos in pace sepultus, in senectute bona. Ad patres ire aut colligi schema est frequentissimum Hebraeis, quo non solum mortem corporis significant, sed relegari ac servari in locum aliquem, in sinum scilicet Abrami, in fide patrum, in expectatione fideli Messiae. Ibis in pace, id est tu non eris servus, sed libera conditione mori te sinam. Bona senectute, id est provecta aetate. Utuntur enim hoc loco *bono* Hebraei quemadmodum Latini: bona pars pro magna pars, et Germanice: Er was yetz guts alters.

Quarta generatione revertentur huc. Generatio hic pro seculo capitur: nam post quadringentos annos liberati sunt a servitute Aegyptiaca. Seculum centum annis constat. Vide quam profunda sint iudicia Dei! Amorrhaeos post 400 tandem annos expellit, Israelitas inducit, nulli tamen facit iniuriam iustus iudex. Quod si populus ille impius et sceleratus malum suum poenitentia redemisset, non esset tam atrociter a Deo punitus. Sic quoque nobiscum aget Deus. Si mores mutaverimus, nostris sedibus ab aliis non expellemur, sed multiplicabit nos Deus, benedicet nobis, servabit, tuebitur nos. Quod si mali esse pergimus, etiamsi diu differat, non parcet tamen.

Nondum enim completa est iniquitas Amorraeorum. Amorrhaeos prae caeteris nominat, quod hi praecipui erant. Permittit Deus ut aliquando impune ad summum crescat malitia, ut caeteris exemplum deinde ponat pessimos, ut impietas eorum cunctis pateat, ut manifestum

fiat eos sua periisse culpa, ut maiore poena deinde in eos animadvertat. Quae quidem longanimitas Dei nos (si vere filii dei esse volumus) longanimitatem ac tolerantiam docet. Scimus enim cuius spiritus sumus.

Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa et apparuit clibanus fumans et lampas ignis transiens inter divisiones illas. Superiora refricat reditque ad propositum. Nam superius etiam sic coeperat: cum sol occubuisset, irruit etc. Non puto clibanum adfuisse seu adventasse, sed esse ἠθολογίαν. Alludit enim ad fornacis incensionem, ubi primum densissimus quidam fumus erumpit, mox ignis subinde clarior ac splendidior emicat. Ad hunc modum hic quoque factum est. Moses adventum ignis scribit et ignem inter frusta concisa transiisse; sed devorata esse frusta ab igne non scribit. Et hoc frequens est Hebraeis, ut posteriora per priora intelligant, ut altero verbo pro altero utantur. Ponitur ergo hic transivit pro absumsit. Nam quid alioqui ignis fecisset?

In illo die pepigit Deus foedus cum Abram, dicens, Semini tuo dabo terram etc. Firmat Deus pactum cum Abramo illo eodem die, dicens. Sic loquuntur Hebraei per gerundium: dicendo, hoc est: ad hunc modum; hic erat tenor foederis. Also lutet der bund (tantum valet לאמר, lemor, dicendo): semini tuo dabo hanc terram.

Observabit hic pius lector in figura omnia patribus contigisse (ut Paulus ait) deumque ab initio externis semper rebus arcanis et sacratissimis mysteriis praelusisse. Quid enim quod Abramus fidelis ingenti etiam cum horrore ad noctem usque expectat, donec ignis e coelo descendat? Sed tantisper suis adventum filii sui distulit optimus deus, donec nox peccatorum et conscientiarum horror tantum invalesceret, ut nulla esset amplius spes salutis. Ibi tum adveniebat lux vera Christus, et splendor ignis aeterni, pacem ferens trepidis conscientiis, timorem omnem propellens, tenebras omnes discutiens, morte sua pacem et testamentum nobis cum Deo erigens et confirmans. Constantia igitur et perseverantia opus est, ut in tentationibus et adflictionibus nusquam cedamus, sed expectemus donec e coelo consolatio et salus adfulgeat.

CAPUT XVI.

Sarai uxor Abram non peperit ei. Non pariebat Sarai. Locutio Hebraica; pro sterilis erat. Sic Germanice: Die frow gebirt nit, hoc est infecunda est.

Tentatur Abrami fides, quod soboles promissa tantisper differtur. At nihil dubitat Abram, veracem esse Deum constantissime credit, tametsi nec filium nec terram adhuc obtineret. Sed is qui eum ex omnibus elegerat, qui toties cum eo tam familiariter locutus erat, tam firmam praestat fidem, ut de voce Dei nihil ambigat. Quod si carnem audisset, dolum fuisse aut circunventionem esset arbitratus: nam sic impia caro cogitat, quum a Deo promissa non statim implentur; vocat deinde eos, qui promissiones ac iram Dei praedicant, mendaces et impostores: ut est in epistola 2. Petri capite III, et apud Ezechielem. Pii vero constantissime credunt vera esse quae Deus loquitur, neque unquam spe et expectatione excidunt. Sciunt enim, etsi non uni aut alteri, homini

tamen impleri quae pollicitus est Deus: Deus enim verax est. Quod si ipsi interim corpore pereunt, non dubitant hoc esse ad laudem et gloriam Dei. Sive enim morimur sive vivimus, Domini sumus.

Ecce conclusit me Dominus, ne pariam. Ingredere ad ancillam meam, si forte ex ea aedificer. Latinus fere sensum reddidit. Hebraei verbo aedificandi plerumque pro instaurandi et conservandi verbo utuntur: ut in Psalmo L: Ut aedificentur muri Hierosolymae, id est, ut reaedificentur, instaurentur, conserventur. Prius enim erat aedificata urbs Hierosolyma.

Consilium hoc ad factum Sarae, si ex promissione Dei fuit ac certa fiducia, qua promissioni mulier adhaesit: malum esse non potest, quantumvis malam habeat speciem. Nam sic nimirum cogitat: Ecce Deus promisit viro tuo semen; tu vero infecunda es et sterilis. Necesse autem est ut promissio dei expleatur; dabis ergo ei ancillam tuam, per quam, quod in te deficit, instauretur. Audierat enim Sara promissionem tam magnificam marito factam; audiverat foedus cum eo confirmatum; audiverat semen tantum ex eo futurum, ut stellas coeli esset aequaturum. Quam pollicitationem tam certam sciebat fore quam veracem credidit deum. Quod si ex carne hoc consilium fuit (ut quibusdam placet): nihil ex hoc facto quam carnis infirmitatem ac stultitiam addiscimus, quae consiliis dei sua consilia addere tentat, sed frustra. Irridet enim Deus consilia hominum. Quare ex Agare non nisi carnalis, non promissionis filius nascitur, qui bellis, qui ferocitati vacat. Ex carne ergo nil nisi carnale, nil nisi discordia ac tumultus. Abutitur autem hoc malo ad suam gloriam deus. Quod si ex deo est consilium hoc (quemadmodum est): videmus varie nos exerceri a domino; quum et ipsi Abramo filium dederit, qui non erat posteritatis benedictae futurus pater, attamen curas ac solicitudines ei exhibuit.

Et dedit eam viro suo uxorem, qui ingressus est ad eam. Sara uxor Abrami marito ancillam dedit, quod argumentum est evidens nihil hic ex libidine, nihil ex adfectibus gestum esse. Cavet enim scriptura iis verbis adulterium, ne quis aut Abramum adulterum fuisse suspicetur, aut adulteri peccato suo hinc praetextum petant.

Verbo ingrediendi fere ubique pro concumbendi utuntur Hebraei, honeste actum coniugalem circumloquentes. Hebraeus sic legit:

Ingressus est ad eam, et concepit; quumque vidisset se concepisse, contemsit heram suam, seu domina vilis habita fuit. Refert serva ingenium, non solum muliebre, sed et servile: ubi proprie carnis ingenium videmus. Si quando ad officium aliquod, ad dignitatem extollimur: statim cristas erigimus, ingrati sumus vel iis quorum gratia et munere nobis haec contingunt. Qua in re et hodie plerique non parum peccant, qui praetextu libertatis Evangelicae per Christum partae (cuius se assertores quoque iactare non verentur) scelera et flagitia gravissima patrare audent, obedientiam magistratibus, vectigal et tributum principibus, debitum proximo negantes. Quae est carnis nostrae pravitas, quae statim, libertatis occasione vel minima arrepta, super alios sese extollit ceterisque dominari cupit. Rebus prosperis diffluit ac insolescit: adversis impatiens est, murmurat, desperat. Non sic pietas:

secunda fortuna non elevatur, adversa non frangitur, omnia fert aequanimiter bonique consulit. Si quid donorum dei adfluit, novit hoc non suum esse, sed totius corporis: quare ad utilitatem omnium membrorum his utitur. Mos fuit eius gentis, ut uxores maritos suos dominos vocarent, ancillae mulieres dominas: quod Petrus quoque monet, ad imitationem mulieres provocans. Verum quisque hac in re agat pro more eius gentis apud quam habitat.

Dixit Sara ad Abram, inique agis contra me. Hebraica paulo aliter habent, nam חמס, hamas, et iniuriam significat et indignationem. Quum ergo dicit חמסי עליך, hamasi alecha, exponi primum potest: iniuriam meam, contemtum meum ad te, o here, subintellige, refero. Secundo potest sic exponi: indignatio mea contra (nam על, al, etiam contra significat) te scilicet est. Ich hab etwas blasts [1] gegen dir. Graeci legunt: iniuria adficior ex te: ut culpa viri sit, quod hera ab ancilla vili pendatur.

Iterum hic ingenium carnis etiam in fideli muliere cernimus: tangitur vilipensione, et vana gloria nonnihil titillatur honesta et pia matrona, atque sic laeditur ut etiam viro exprobret. Discimus ergo et in fidelibus, ex imbecillitate tamen et defectu fidei, nonnihil adfectuum carnalium quotidie suboriri.

Ego dedi ancillam meam in sinum tuum. Honeste maritalem societatem circumloquitur iis verbis. Nam sinus Hebraico more pro societate, pro fide accipitur. Sic Abrahami sinus in Evangelicis literis. Et in sinum loqui Latini quoque dicunt pro fidei alicuius credere.

Quae videns quod conceperit, despectui me habet. Sensus probe est redditus; sed energia Hebraici sermonis non est expressa. Sic enim legunt; videns autem se concepisse, vilui ego in oculis eius, levis facta sum coram ea. In oculis eius Hebraismus frequens est in sacris literis. Exprimitur ingenium eorum qui ceteros contemnunt et vilipendunt, corrugant frontem, contrahunt faciem, atque avertunt nonnunquam, nasum suspendunt, ore sibilant. In oculis ergo et fronte maxime despectus et contemtus cernitur.

Iudicet Dominus inter me et te. Argumentum est, Saram suspicionem vehementem habuisse, quod Abramus in causa sit, ut ancilla minus ipsam revereatur, nimirum quod Abramus plus ancillam quam uxorem amaret. Aemulatio est et zelotypia, opus carnis; sed nihilominus Deo rem committit.

Ancilla in manu tua est, utere ea ut libet. In manu esse est in potestate esse. Deinde Hebraei sic legunt: fac ei quod bonum est in oculis tuis. Iterum idiotismus est: fac ei quod tibi placet, quod tibi videtur. Was dich gut bedunkt. Abramus tam miti et leni responsione satis declarat se in causa haud quaquam esse; quare dicit: fac ei secundum iudicium tuum. Nam sicut oculis cernimus ac iudicamus, ita animo. Igitur oculus hic pro iudicio ponitur; quasi diceret: Tu mihi eam dedisti; favore tuo hoc factum est. Discute ergo rem exacte, et cum ea fac quod bonum est!

---

1) Blast, metaphorice animi tumor, aestus.

Et adflixit eam Sarai. Sic muliebris est impatientia: non solum se contemtam et laesam esse aegre fert, sed invidet, odit ac adfligit, a qua se spretam existimat. Dolet illi, quum videt per ancillam perfici, ob quod primum sponte marito eius copiam fecerat. Dolet illi se sterilem esse, ancillam seminis illius promissi, ut putabat, matrem. Haec est nostra infirmitas.

Et fugit Agar a facie Sarai, cumque invenisset eam angelus Domini iuxta fontem aquae in solitudine, quae est in via Sur in deserto, dixit: Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. Iubet angelus ancillam fugitivam ad heram redire atque subditam esse; quasi diceret: Fastu turgida facta es o Agar et tibi plus aequo places; immorigera fuisti herae tuae, quod te minime decuit. Redi ergo, obedi et servi! Adflictio tua venit tibi tua culpa, extulisti te, contemsisti dominam, cui subesse oportuit. Docet haec historia, si aliquando ab iis, quibus servimus, adfligimur et premimur, nostrae esse culpae, contumaciae, inobedientiae, fastus, superbiae. Patienter ergo ferre debemus, consolationique nobis esse debet, quod Dominus respicit nostram adflictionem, nihilque nobis infligitur praeter optimi et pientissimi patris nostri voluntatem. Dominus vindicabit; is curam nostri non minus gerit quam Agarae; at sic, ut obedientes simus, quibus debemus.

Vocabis nomen eius Ismael, eo quod Dominus audierit adflictionem tuam. Nota est adflictio piorum deo; audit eos, et vindicat et in se sperantes eripit.

Hic ferus erit homo, manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum. Hebraica vox פרא, paerae, significat agrestem, durum, ferum, incomtum, inconciliabilem, inhumanum, non solum eum qui in agro habitat: talis erat Ismael. Manus eius contra omnes etc. Germanice: Er wirt yederman im haar liggen, er hebt, er schlaecht allenthalb hand an. Ac primum hic graphice mores Hebraicae gentis depinguntur: populus enim durus et contumax est, rerum temporalium supra modum amans; et Ismaelitae negotiatores sunt. Deinde generaliter ingenium omnis carnis hic exprimitur: ex cupiditate enim et pecuniae studio inhumanitas et duritia nascitur, mox contentiones, lites, iurgia, homicidia. Attrahunt enim avari, quemadmodum spinae, omnia; undecunque corradunt divitias.

Et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula. Sic Latinus. Hebraeus: Et ad faciem omnium fratrum suorum habitabit. Duplicem potest habere sensum: Habitabit contra fratres suos, id est nec cum fratribus suis pacem habebit. Vel, ut frater capiatur pro vicino. Quasi diceret: Tametsi manus omnium contra ipsum erant, habitabit tamen coram ipsis, vicinis scilicet suis. Sic Germanice significantius: Er wirt dennoch vor inen ufkommen.

Agar carnalis Israelis typum gerit: serva enim est, non libera. Sic Iudaei sub legis iugo servi fuerunt, variis purificationibus, variis ceremoniis onerati. Sara vero spiritualis Israelis figuram gerit. Est enim hera et libera filiumque liberum genuit, populum scilicet fidelem;

hoc est qui non aliunde quam per fidem iustitiam quaerit. Agar fugiens populi Iudaici contumaciam adumbrat. Ad quos licet multa per prophetas suos locutus sit deus: tamen eos a contumacia et servitute legis nunquam avellere, neque ad unius verique dei cognitionem, neque ad veram iustitiam pertrahere potuit. Deinde ut Agar fecunda fuit, Sara sterilis: ita Iudaica gens primum fecunda fuit, sed deinde quae sterilis fuerat multo plures generavit filios, ecclesiam nimirum ex gentibus, quam post senescentem et sterilem synagogam sibi despondit Christus.

Tu es deus qui me vidisti. Sic eum vocat, cuius nomen absconditum est et ineffabile; sed aliter eum appellare non potuit. Appellavit ergo eum a visione illa, qua ei adparuerat et eam in adflictione viderat.

Dixerat enim. Id est intra se cogitaverat; id est hoc consilio dedit ei hoc nominis.

Vidi posteriora videntis me. Deum nemo vidit unquam. Et a deo dictum est ad Mosen: Non videbit me homo et vivet; hoc est: dum in carne vivit homo, deum, ut est, videre non potest. Hac ratione dicuntur hi, quibus aliqua forma aliquando adparuit deus, dei posteriora vidisse, non faciem. Nam Hebraica vox eleganter hoc exprimit, אחרי, ahare, das nachgender, nit das fürnäm Gottes. Ut dum nos ab archetypo aliquid depingimus, dicitur postfactum, id est ab alio factum, contrafayt. Philosophi vocant cognitionem, quia *est*, non *quid est*. Docent haec omnia nihil aliud quam fidem in deum et verbum eius, ut scilicet nos (quemadmodum Abram) omni verbo dei credamus. Deinde ut patienter et longanimiter (nam differt aliquando deus quae promittit, ut fidem nostram excitet) cum Abramo in spe et expectatione promissionis perstemus.

CAPUT XVII.

Deus, ut in superioribus auditum est, Abramo dedit semen, sed non spirituale illud et benedictum, sed carnale tantum, Ismaelem; per quem carnalis Israel intelligitur, semper ad elementa et temporalia respiciens. Est enim ex ancilla serva, non ex hera libera. Servire ergo elementis, aut his esse alligatum, in his spem collocare, plane Iudaicum est. Qui huiusmodi sunt, gaudium verum ac internum (est enim et gaudium fructus spiritus) ac conscientiae pacem et tranquillitatem nunquam habent. At hi vere gaudent, hi certi et securi sunt, qui spiritu et veritate deum colunt.

Posteaquam autem nonaginta et novem annorum esse coeperat, adparuit ei Deus. Refricat hoc caput promissionem superius factam. Hactenus enim distulerat deus. Ne ergo fides Abrami, quae miris modis iam toties tentata est, ex dilatione labascat, perstat deus promittendo: eget enim fides nostra huiusmodi fulcris divini verbi, ut subinde instauretur et vires resumat. Nam quanto plus differt deus promissionem, tanto magis fides Abrami tentatur, ita ut etiam ridere incipiat. Neque tamen diffidit promissioni, quin futurum sit quod dixit deus. At interim varias cogitationes, varios aestus excitat in eo caro, quibus vir pius et fidelis huc illucque distrahitur. Corpus senis emortuum iam fuit et effetum; Sara vetula erat sterilis, ex qua tamen

maluisset sibi nasci semen quam ex Agara. Dum sic tentatur fides, non deserit eum deus: iterum adparet atque priora refricat. Consolantur haec omnes, qui variis tentationibus probantur, docentque tolerantiam ac longanimitatem. Neque enim deserit deus, quos sic tentari sinit; sed adest, videt pugnam, et pugnantes eripit ac coronat.

Post nonagesimum nonum annum adparet Abramo deus ac renovat promissionem, ut maior sit fides miraculi discamusque deo nihil esse impossibile.

Dixitque illi Deus, ego Deus omnipotens. Verba pacti ac promissionis brevia sunt, sed plena mysteriis; debent itaque ruminari a fidelibus ac mente volvi. Ego sum Deus omnipotens. Quasi diceret: Hactenus tibi nomen meum non feci notum, ut ad plenum me agnosceres, sed iam edico tibi me esse Deum illum, qui omnia potest. Hoc initium et fundamentum est verae fidei; ut est in symbolo: Credo in Deum patrem omnipotentem. Sed virtutem huius nominis ex Hebraicis fontibus paulo altius repetamus. Hebraei ergo sic legunt, אני אל שדי, Ani El Schadai, ego Deus omnipotens, id est sum.

Quemadmodum ab initio huius libri audivimus, Adamum post praevaricationem et fugam a deo vocatum, idque certo argumento esse, nunquam ad deum ipsum fuisse rediturum, nisi eum divina misericordia antevertisset atque ad se traxisset. Ita hic quoque discimus, cognitionem dei non ab homine pendere, sed a manifestante deo. Neque enim, quid deus sit, scire, virium est humanarum; non volentis neque currentis, sed miserentis dei. Etenim quum iuxta Iesaiae vaticinium sit deus absconditus: quis nobis huius absconditi cognitionem e coelo deferet? quis exponet, nisi is qui in coelo est? Manifestat igitur se deus iis a quibus vult cognosci; ut hic liquido fieri videmus. Quandoquidem enim semel Abramum sibi selegerat, atque de Ur Chaldaeorum ex gente impia eduxerat, promissionibus ac pollicitationibus crebris ac largissimis fidem eius toties excitarat, iam demum se ipsi totum aperit ac familiarem facit, dicens: Ego El Schadai. Observandum hic, sanctos homines variis nominibus deum appellasse, ut passim videre licet per utrunque instrumentum, nunc dominum, nunc deum, vitam, consistentiam, patrem, fontem, lucem, omnipotentem, omnisufficientem vocantes. Quae tamen omnia nomina illi ex interna fide imposuerunt; nempe quod sic apud se de deo sentirent, imo quod re ipsa intra se experti essent, Deum eorum robur esse, vitam, patrem et reliqua. Iam ex fide, qua illi acceptum ferebant robur, vitam, reliqua, sic illi postmodum nomen dederunt, fortitudini, domino, vitae, robori. Quum ergo deum nominari audimus, nihil intelligamus quam fontem omnis boni; liberalem vero ac minime sordidum aut inexorabilem, sed sic largum ac sui prodigum in usum se fruentium, ut ab omnibus auferri, teneri, possideri gaudeat. Ac secundum ista sic semper ad opitulandum accinctum, ut ubique succurrat, nusquam cunctetur. Unde θεόν Graeci eum vocarunt ἀπὸ θέειν, hoc est a currendo, quod ubique, dum opus sit, adcurrat, adsit, opemque ferat. Tametsi ergo varia pro operatione et virtute varia sint nomina, res tamen una est deus. Qui est dominus, salvator, auxiliator, robur, vita, lux, pater, bonorum omnium cumulus,

expositus, largus, benignus, benevolus, gratis distrahi cupiens. Haec omnia volumus intelligi, quum Deum nominamus. Sed iam ad textum redeamus, ac Hebraicarum vocum, quibus se deus vocat, proprietatem venemur! Primum nominat se אל El, quod a robore et fortitudine apud Hebraeos deducitur; secundo שדי, Schadai, quod videtur esse compositum ex ש et די, sonatque *qui sufficientia*. Ac si diceret: Ego fortis ille, qui sum sufficientia. ש enim *qui*, *quae*, *quod*, די *sufficentiam* significat Hebraeis. Hanc vocem Septuaginta hic, et in cap. 35. θεὸς transferunt. At in capite primo libri Ruth per ἱκανὸν reddiderunt, idque proprie et significanter. Latinus ubique vertit omnipotens, quae vox Hebraicae non tam apte per omnia quadrat. שדי enim exprimit deum esse tam divitem ac opulentum, ut omnia possit, (hactenusque quadrat omnipotens) sed insuper tam benignum, tam benevolum, ut omnes divitias suas, omnem suae bonitatis thesaurum in nos largissime profundat, idque gratis atque non nisi ἀμισθωτὶ impendi velit aut possit. Hanc vim Latina vox *omnipotens* non exprimit, sed nonnihil terroris et violentiae habet adiunctum, dum profertur. Potest enim et malevolus et tyrannus omnia posse, qui tamen aliis id quod potest impartiri nolit. Unica ergo vox Latina energiam Hebraicae dictionis vix exprimit, nisi diceres omnisufficiens, copiae cornu, et ut Graeci dicunt θάσσος ἀγαθῶν, id est, acervus bonorum omnium. Nihil autem opus est, ut in explicanda voce diutius immoremur, dum fideles satis intelligant, quid sit illud quod per vocem significatur, nempe deus, robur et fortitudo nostra, fons et thesaurus omnis boni, acervus omnium bonorum cumulatissimus. Huius autem bonitatis suae largus est, omniaque sua, imo se totum, in sinus nostros effundit. Nam non soli Abramo deus esse vult et omnisufficientia, sed et semini eius, hoc est omnibus qui patrem Abramum referunt. De quo latius in sequentibus. Non est igitur satis aut scire aut credere deum talem esse, nisi scias et credas eum *tibi* talem esse, id est ut Deus *tuus* sit. Hoc tum fiet, si eum vere colis, amas, si ab eo totus pendes.

Ambula coram me et esto perfectus. Sic Latinus. Hebraica autem ut brevia, ita longe sunt elegantissima התהלך לפני והיה תמים, hithhalech lepanai veheie thamim: Ambula ante faciem meam, et esto integer! Verbum est hithpael proprie: Fac te ipsum ambulare, ut superius de Enoch declaravimus. Flyss dich zewandlen. Ambulandi autem verbo hic metaphorice pro conversandi utuntur. Deinde לפני est ante faciem meam vel coram me. Et iterum metaphora est: vult enim ut ad nutum suum, ad voluntatem suam vivat. Facies enim dei, saepe in sacris literis, maxime in Psalmis ἀνθρωποπαθῶς significat aut favorem, aut gratiam aut beneplacitum, ut: Oculi domini super iustos. Aut indignationem, iram, vindictam, displicentiam; ut: Vultus domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Item: Averte faciem tuam a peccatis meis etc. Ita hic quoque intelligere oportet. Quasi diceret deus: Conversatio tua sit ad voluntatem meam! stude ut mihi placeas! Ideo Graeci dicunt: εὐαρεστήσεις; du wirst dich wol tragen vor mir. Nam et εὐαρεστεύειν est optime agere, et ita ut oportet egregie fungi officio et recte rem gerere. Sich wol tragen,

wol halten. Videmus ergo religionem Christianam non esse sermocinationem, non disputationem, sed officium et honestam conversationem in cultu unius dei. Huc ergo nobis omnibus modis spectandum est, ut officio nostro nusquam desimus, ut ad nutum illius summi dei honeste ambulemus, ut in die: omnia enim videt, etiam penetralia cordis nostri; ubique et semper adest; omnia vel abstrusissima perspicit; omnia nuda et aperta sunt oculis eius. Ad huius ergo nutum nos componamus, ne ei ulla ex parte displiceamus! Vide quam paucis verbis, quam brevibus tam grandes res divina scriptura comprehendat ac eloquatur. Sed iam ad reliqua pergamus.

Esto integer. Latinus gaudet dictione *perfectus*. Hebraica vox est תמים, quae mentis et fidei integritatem significat; ut superius de Noacho dictum est: nam et ille erat vir thamim, styff, getrüw, fromm, gerecht, ufrecht.[1] Latine dicere possemus *integer*. Nam perfectum dicunt cui nihil deest, absolutum; de quo hic haud quaquam loquitur. Integer vero est, qui semper spectat ad recta. Etiamsi quandoque cadit, semper tamen tendit in deum. Fides enim piorum subinde tentatur; at nunquam sic cadit fidelis, ut non cito resurgat et reviviscat; sicut Stoici de adfectibus loquuntur: est enim haec secta Christianae doctrinae proxima. Norunt pii quae sit differentia inter infirmitatem naturae et scelus, inter tentationem carnis et audaciam.

Ponamque foedus inter me et te. Hebraeus legit: Et dabo pactum meum etc. Nam verbo dandi utuntur Hebraei pro verbo ponendi; et rursus verbo ponendi pro dandi: quod recte hoc loco observavit Latinus interpres, ut diceret: ponam, non dabo; tametsi quaedam exemplaria habent *dabo*. Nam dare foedus Latinis hominibus in usu non est, sed Hebraeis frequens. Observabit igitur diligens interpres, quae cuique linguae propria ac peculiaria sint, ne linguarum proprietates ac idiotismos confundat. Sunt enim quaedam locutiones Hebraeis tam propriae tamque familiares, ut in alienam linguam transferri nullo pacto possint, quin omnem gratiam, omnem venustatem amittant. Quod de Hebraeis dico, de qualibet lingua intelligi volo: habet enim quaeque sic suos idiotismos, sic sua schemata, ut alterius esse non possint.

Et multiplicabo te vehementer nimis. Refricatio est promissionis superius factae. Multiplicatio haec tam corporalia quam spiritualia respicit. Nam ex Abramo carnalis est Israel, et ecclesia credentium, ut etiamnunc hodie exemplum sit fidei omnibus. Est ergo sensus: Insignem te reddam ob fidem tuam, atque id valde valde.

Et cecidit Abram in faciem suam. Prius saepe locutum fuisse Deum cum Abramo, nunquam autem Abramum corruisse legimus. Cur ergo hic cadit? Res magna hic agebatur. Ex magnitudine ergo promissionis obstupescit Abramus atque sic ex stupore et reverentia humi cadit. Sic Petrus, quum tantam multitudinem piscium domino praesente caperent, dixit: Exi a me Domine! homo enim peccator sum. Quis enim ad huius rei magnitudinem non obstupesceret, quum audit, deum optimum maximum, coeli et terrae conditorem ac opificem, cum misero

---

1) Rectus.

homuncione pactum et foedus inire tamque magnifica miseris mortalibus polliceri? Atque hic se verae fidei pietatis ac religionis venae aperiunt, quum bonitatem, benevolentiam ac liberalitatem summi illius boni sic nostram esse videmus, ut ultro se totum fruendum nobis exponat, totum se familiariter ac largiter in sinus nostros effundat, pactum nobiscum feriat promittatque se Deum nostrum fore, hoc est patrem, auxiliatorem, protectorem. Nam qui Adamo, qui Noacho, qui Abrahamo misericordiae suae ac munificentiae sinum tam liberaliter expandit, sic perenniter liberalis est in omnes, qui innocenter coram eo ambulant, quique ei toto corde fidunt. Qui Deum sic audierunt, audito eo corruunt atque de sese desperant, non suis viribus, non suis meritis aut iustitiae, sed soli deo fidentes.

Hactenus more Hebraico summam proposuit Moses; iam singula per partes digerit. Summa est: Ego sum Deus שדי, tu ambula integre coram me: nam hoc est pactum quod tecum ferio. Mox repetit primam particulam pacti et dicit: *Ecce ego*. Qua explicata et absoluta alteram pacti partem resumit, dicens: *Et tu*, quasi dicat: Iam audivisti qualis tecum futurus sim. Tu vero quid contra servare debeas, ausculta! Haec observanda lectori, ne putet ταυτολόγιαν esse. Atque haec tam breviter et eleganter scripta sunt apud Hebraeos, quae nobis supervacaneis verbis explicata videntur. Sequitur ergo sic apud Hebraeos:

Et locutus est cum eo Deus, in hunc modum: Ego, ecce pactum meum tecum. Quasi diceret: Quod ad me attinet, ego ero Deus tuus: faciam tibi omne bonum; pactum meum perpetuum erit tecum, servabo fideliter quae promitto etc.

Et eris pater multitudinis gentium, et non vocabitur ultra nomen tuum Abram, sed (Vof pro sed) erit nomen tuum Abraham, quoniam patrem multitudinis gentium posui te. Primum commutationem ac interpretationem nominum videamus, deinde reliqua!

אברם Abram significat patrem excelsum: nam אב significat Hebraeis patrem, רם, ram, excelsum. Hoc nomen auget Deus additione literae ה, ut fiat ex Abram Abraham, quod sonat pater excelsus multitudinis; quod alii dicunt: pater multarum gentium. Est enim haec dictio אברהם, Abraham, composita ex integro et duobus corruptis sic, אב. ר, הם. אב significat patrem, ר ex dictione רם mansit, et הם ex dictione המון, quae multitudinem sonat. Duo igitur promittit Deus: primo Abramum futurum esse patrem omnium credentium; secundo patrem totius populi Iudaici. Sed dicis: Quomodo pater credentium adpellatur Abrahamus, quum solus Christus sit pater? Quandoquidem Christus ex semine Abrahami nasciturus erat, ideo vocat eum patrem ob semen videlicet promissum. Pactum ergo ad Iudaeorum quoque gentem pertinet; sed quandoquidem pactum non servavit carnalis Israel, excisus est et in eorum locum gentes sunt insertae, ut est in epistola ad Rom. 11.

Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te, in generationibus suis foedere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui post te. Qui prius dixerat se Deum esse, iam promittit se *nobis* Deum fore. Nihil enim utilitatis ad nos rediturum

erat, si talis ac tantus Deus non etiam Deus *noster* esset; sed noster est ex pacti conditione, ex gratuita misericordia, non ex merito aut opere nostro. Ipse sese nobis ultro exponit; distrahi et frui a nobis vult. Quibus ergo Deus non est Deus, hoc est, qui hunc Deum pro suo Deo non agnoscunt, in pacto non sunt. Et statuam pactum. Hebraeus dicit: Erigam, confirmabo.

Semper observa duplicem esse promissionem; duplices item filios Abrahami. Promissio una spiritualia respicit, quae nobis per Christum benedictum semen complentur. Omnes enim credentes filii Abrahami sunt; et ii in pacto sunt cum Abrahamo (pactum enim etiam cum semine confirmatur), hoc est iis deus est deus. Altera temporalia respicit et Iudaicum populum: nam et horum pater est Abrahamus iuxta carnem.

Daboque tibi et semini tuo post te terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan in possessionem, eroque Deus eorum. Sic deus suis temporalia quoque promittit et praestat, ut est etiam in Evangelio Matthaei XIX: Et omnis qui reliquerit etc. Praecipuum tamen in pacto hoc est, ut sit deus noster et ut innocenter coram eo ambulemus. Qui tales sunt, iis adiicientur et temporalia: suppeditat enim deus cultoribus suis omnia affatim, si illius ante omnia iustitiam quaerant. Qui vero temporalia et terrena tantum spectant obque ea sola deo serviunt, mercenarii sunt et non filii pacti. Terra peregrinationis tuae, id est, terra in qua tu peregrinaris. Nam Abrahamus primum peregrinus fuit in terra Chanaan, deinde incola.

Et dixit Deus ad Abraham: Et tu, pactum meum custodies. Superius dixerat (ut audivimus): *Ecce ego*, cui nunc illud: *Et tu* respondet. Sensus est: Quod ad me attinet, ego ero deus tuus; quod ad te, tu custodies pactum meum atque semen tuum post te. Hunc esse sensum, sequens *tu* indicat: nam apud Hebraeos *tu* bis ponitur, sic: Et tu, pactum meum custodies tu et semen tuum post te. Quae autem summa sit pacti et quid ab eo requirat deus, satis in superioribus docuerat deus. Ideo brevibus absolvit, dicens: Custodies pactum. Pactum dei cum homine est, ut ipse sit deus noster; nos integre ad voluntatem eius ambulemus! Qui in hoc sunt pacto, populus sunt dei. Pactum hoc primum factum est cum Iudaeis quorum pater est Abrahamus. Deinde vero omnes credentes respicit. Populo ergo Iudaeorum signum externum addit circuncisionem, quod in Abrahamo coepit; sed etiam semini, id est pueris dabatur: erant enim et pueri sub pacto. De circumcisione iam.

Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te: Circuncidetur ex vobis omne masculinum, et circuncidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos. Primo videmus hic pactum sive testamentum adpellari symbolum pacti, circuncisionem. Dicit enim: Hoc est pactum meum quod observabitis: circuncidetur etc. Quasi circuncisio esset pactum, quum tamen pactum nihil aliud sit, quam quod deus deus noster sit, et nos innocenter coram eo vivamus. Quum ergo videmus symbolum testamenti seu pacti *pactum* vocari: cur tantopere digladiamur de poculo coenae gratiarum actionis, quod sit testamentum; quum Christus non

alia ratione vocaverit testamentum, quam hic circumcisio testamentum adpellatur? metonymicῶs scilicet. Transfertur enim signati nomen ad signum. Sic panis *corpus*, vinum *sanguis* per denominationem adpellantur, quae symbola sint harum rerum. Est enim Hebraeis ante alios mos creberrimis uti tropis, quod lingua eorum, ut angusta, ita troporum densitate angusta, ut veluti cogantur linguae parsimonia ad troporum vim converti. Secundo videmus idem signum vocari signum foederis, quod iam iam pactum adpellatum erat. Tertio est signum eius foederis, quod erat inter Deum et Abrahamum. Ergo et infantes quoque erant in foedere: dabatur enim eis signum, ut esset indicio eos perinde esse in foedere atque Abrahamum. Quod vero de Abrahamo et liberis eius dicimus, hoc idem de Christianis et eorum liberis dictum esse volumus. Nam eorum, qui ex Christianis parentibus generantur, aequa est conditio cum his, qui ex Abrahamo prognati sunt. Una enim atque eadem est ecclesia, quae ex Gentibus Iudaeisque compingitur, quum Christus angularis sit lapis, qui utrumque parietem coniungat. Matth. XXI. Et ipse sese pastorem verum esse et unum ovile testatur, Io. X. Iterum eandem vineam paremque cultoribus mercedem definit, etiam si bona pars eorum serius venissent. Item Matth. XI. Venient ab oriente et occidente et recumbent cum deo Abrahami, Isaaci et Iacobi. Ergo nos istis coniuncti sumus, non ipsi nobis. Paulus ad Rom. XI. perhibet istos ideo exectos, ut nos insereremur. Gal. cap. III. Qui ex fide sunt, hi filii sunt Abrahami et benedicentur cum fideli Abrahamo. Idem docet Petrus 1. cap. 2. Una ergo fides est Abrahami et nostra: perinde enim ille fidebat Deo per semen quod ei promissum erat atque nos, quam quod nunc praestitus est, cui isti promisso tantum fidebant. Quod si una eademque amborum est ecclesia, una fides, aequa conditio: cur Catabaptistae infantibus Christianorum vel signum pacti baptismum (nam is est nobis circumcisionis loco) vel regnum dei negant? Si infantibus Hebraeorum iussu et praecepto dei circumcisio symbolum pacti datum est: cur baptismus Christianorum liberis negabitur, quum utrobique par sit ratio? Pollicitus est deus Abrahamo, se seminis quoque sui deum fore (loquimur autem de semine, quod ei secundum promissionem natum est); ergo pactum dei cum filiis quoque Abrahami firmum est: nam quorum deus est inter hos et ipsum constat amicitia. Qui in pacto sunt cum deo, illis signum pacti nequaquam negari potest. Quicquid nunc de semine secundum promissionem dicitur, idem de Christianorum liberis intelligendum est. Nos enim secundum Isaacum promissionis filii sumus, Gal. IV. Sunt igitur et nostri liberi non minus in foedere quam Iudaeorum. Symbolum ergo baptismi, quod ex circumcisione per Christum, qui suo sanguine omnem sistit sanguinem, mutatum est, ex pacto infantibus nostris debetur. Quae res vehementer Catabaptistas male habet, qui aut liberam dei electionem non spectant aut salutem cum Pontificiis putant alligatam esse symbolis.

Satis de signis superius locuti hic breviter dicimus, signa quaedam esse miracula, quae fidelium non mentes, sed carnis imbecillitatem nonnihil firmant, infideles excaecant et eis in testimonium damnationis fiunt.

Signa vero pacti aut symbola (quae alii signa sacramentalia vocant) ut est in veteri lege circumcisio, et agni paschalis manducatio, in nova baptismus et eucharistia, fidem interiorem neo adiuvant nec firmant (ut quidam absque verbo dei docent), sed admonent hominem officii et sunt testimonia damnationis iis qui non servant, quae per symbola significantur. Nam seminis promissio Abrahamo facta confirmatio est divinae erga nos misericordiae, in qua omnes salvamur tam ipsi quam nos. Salutis ergo fundamentum est divina misericordia, quae in semine promissa erat. Quod quidem semen, quum tempora completa essent, praestitit deus, ut confirmaret promissionem suam erga nos. Huic promissioni et pacto addidit symbolum externum; non ergo symbolum confirmat fidem, sed semen promissum et praestitum. Erat enim antea quam circumcideretur Abraham fidelis, ut ex capite XV. audivimus. At quicunque velut Abraham, misericordiae dei, per Christum praestitae, toto pectore fidunt, student omnibus modis, ut innocenter et integre coram deo ambulent, ut quotidie atque in horas adfectus carnis amputent. Hoc enim significat circumcisio. Nobis huius loco mitius quoddam symbolum datum est, quod et nos quotidianae ablutionis et repurgationis admoneat. Est enim vita christiana perpetua quaedam poenitentia et quotidiana carnis mortificatio. Qui symbolis utuntur, neque iis rebus student quae per symbola significantur, hypocritae sunt, et symbola gerunt in testimonium condemnationis. Sic Paulus 1. Corinth. 11. Qui indigne ederit panem, et biberit indigne calicem in coena Dominica, reus erit corporis et sanguinis Domini.

Circumcisio igitur facta in membro, libidinis symbolo, significat amputandos esse adfectus ex corde; ut docet Moses Deut. cap. X. dum ante mortem suam filiis Israelis spiritum legis refricaret. Et tu Israel, inquit, quid putas quod Dominus a te postulet? nimirum nihil aliud, quam ut timeas Dominum deum tuum, et ambules in viis eius, et diligas eum, ac servias Domino deo tuo in toto corde tuo etc. Circumcidite igitur praeputium cordis vestri etc. Hic Moses plane ostendit, ad quid prosit symbolum circumcisionis, atque ob quid a Deo sit datum. Neque carnis circumcisionem reiicit, sed cuius admoneat docet. Idem Deut. XXX. habetur. Sic et de baptismate sentiendum est, quod quidem per aquam fit, admonet autem quid intus in anima fieri debeat, continua scilicet mentis renovatio et peccatorum ablutio. Haec tam multis prosecuti sumus propter eos, qui vel symbolis plus aequo tribuunt, vel significationem eorum omnino negligunt, atque symbola non tam frustra gerunt, quam abutuntur. Qui foedus cum deo initum servant, recte symbolum gerunt. Qui pactum non servant, frustra symbolis gloriantur, atque iis symbola non solum non prosunt, sed damnationis sunt testimonium. Quo Paulus spectavit, quum dixit: Iudicium sibi manducat et bibit etc.

Omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quam emptitius circuncidetur, et quicunque non fuerit de stirpe vestra. Haec paulo obscuriora sunt; quare Hebraica videamus. Sic autem legunt: Omne masculinum, seu omnis masculus in generationibus vestris, natus domi et emtus argento de omni filio alienigena, qui non

est de semine vestro. Sensus est: Circumcidetur omnis masculus de semine vestro, deinde vernaculi atque emtitii, qui non sunt de semine vestro; sed aut domi nati aut foris ab alienigenis emti et comparati sunt, etiam circumcidantur! Ubi familiam quoque videmus adnumerari patrono sive domino. Hoc quoque hic non praetereundum est, tametsi solis masculis circumcisio data sit, nihilominus tamen foeminas a pacto Dei et signo non excludi. Sunt enim symbola huiusmodi synecdochica, quae sub principaliori et digniori parte minorem comprehendunt. Sic synecdocha est, dum Paulus 1. Corinth. X. omnes patres mare transiisse, in nube et mari baptizatos esse, dicit: nam et illic nec pueros excludit nec foeminas. Sic hic, tametsi soli mares circumcidantur, non foeminae: nihilominus tamen etiam ad foeminas tam pactum quam signum pacti pertinet. Idem de baptismo Christianorum sentiendum est: nam tametsi hic in genere iubetur dari credentibus, synecdocha tamen Christianorum liberos etiam complectitur. Nam alioqui deterior fieret conditio Christianorum, quam Iudaeorum.

Dixit quoque Deus ad Abraham, Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Sarah. Quemadmodum marito superius nomen auxerat, ita uxori nomen minuit, aut potius commutat: nam pro י literam ה adponit, quam et Abraham nomini addiderat. Est autem ה litera essentialis et praecipua nominis ineffabilis dei יהוה, quae nominibus Abrahami et Sarae addita est, quod ex eis nasciturus erat Christus filius dei, in quo omnes gentes, quorum pater Abraham, benedicendae essent. Item ה aspirationis nota est Hebraeis; spirando autem vivimus. Aspiratione ergo vita significatur, quae Christus est, qui ex Abrahamo secundum carnem erat nasciturus: vera scilicet vita, sine quo omnia mortua sunt et qui omnibus vitam praestat. *Sarai* interpretatur domina mea: sed *Sarah* domina vel hera, seu potius ipsa dominatio, ut quum hominem iustum ipsam iustitiam, aut hominem sceleratum scelus vocamus.

Et benedicam ei vel eam. Satis superius dictum est filiorum procreationem benedictionem in sacris literis vocari: Ich wil sy fruchtbar machen. Nam vetula erat, non solum sterilis, sed effoeta. Referuntur autem haec omnia ad Saram. Ich wil sy geschickt machen ze gebären. Donabo vel ditabo eam vi gignendi.

Cecidit Abram in faciem suam, et risit in corde suo. Quod cadit, reverentiae est; quod ridet, dubitationis. Nam statim sequitur unde risus:

Putas ne centenario nascetur filius, et Sarah nonagenaria pariet? Cogitatio illa Abrahami, ex qua risus procedit, non infidelitas est, sed quaedam admiratio. Ut de Maria legimus, quod cogitaverit qualis esset ista salutatio: sciebat enim se virum nunquam cognovisse. Sic Abraham perpendebat sese effoetum iam, uxorem item vetulam, neque tamen promissis dei diffidit, sed nonnihil dubitationis ei obrepit et admirationis. Vel expone *risit*, id est gavisus est. Nam צחק zahak et *risit* et *gavisus est* significat. At prior sententia magis quadrare videtur, quod ex sequentibus magis clarescet.

Utinam Ismael vivat coram te. Id est: Utinam Ismael supersit

et vita fungatur! Indicat hoc Abrahamum de partu Sarae desperavisse, Ismaelem putans semen esse promissum. Aut: Utinam Ismael vivat coram te, id est ad nutum, ad voluntatem tuam! ut *vivat* non tantum ad carnalem vitam referatur, sed ad spiritualem, ad disciplinam etc. Nam tametsi semen benedictum non erat Ismael, educaverat eum tamen pater proculdubio in fide et religione unius dei.

Et dixit Dominus ad Abraham, veruntamen Sara uxor tua, pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac. Dominus his verbis respondet Abrahamo ad cogitationem cordis sui. Attamen seu nihilominus (est enim Hebraice אבל, abal), quicquid tu cogites, quantumvis impossibile tibi videatur, Sara pariet tibi filium.

Et constituam pactum meum illi in foedus sempiternum, et semini eius post te. Cum filiis promissionis cumque eorum semine foedus sempiternum est; cum carnali vero Israele pactum, quod ad temporales promissiones attinet, non durat amplius, sed cessavit: nam ipsi pactum cum Deo non servarunt. Excisi ergo sunt et maledicti, quod in semen benedictum non modo credere noluerunt, sed ipsum interfecerunt. Constat ergo et cum Christianorum perinde atque cum Abrahami liberis foedus.

Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ad Abraham. Hebraei sic legunt: Et posteaquam complesset sermonem cum Abrahamo deus, ascendit ab Abrahamo, non quod deus Abrahamum deseruerit, sed quod visio illa et locutio tum cessabat cum Abrahamo.

Tulit autem Abraham filium suum. Hic vides tam promtam animi obedientiam in Abrahamo! non cunctatur, non stupet ad tam durum et horrendum verbum Domini, sed statim explet praeceptum, circumcidit se suosque etc.

Tam vernaculi quam emtitii et alienigenae pariter circumcisi sunt. Sic Latina; at Hebraica longe aliter habent: Et omnes viri (viri pro hominibus) domus eius, vernaculi et emti argento de alienigenis, circumcisi sunt cum eo. Erat enim circumcisio signum peculiare genti Iudaicae datum, quo a cunctis gentibus segregarentur. Quomodo ergo alienigenae potuerunt circumcidi, ut Latinus habet? Sed Hebraeus intelligit emtos ab alienigenis, in familiam tamen Hebraeorum accensos, fuisse circumcisos.

CAPUT XVIII.

Apparuerunt ei tres viri. Hebraice: Tres viri stabant ante eum. Magnificam hanc dei apparitionem in tribus figuris putant quidam Abrahamum intellexisse, tametsi angeli se palam non produnt a deo missos esse. Mysterium autem Trinitatis hic intelligitur essentiaeque divinae unitas. Quare Abraham interim quasi ad unum tantum, quum tres viderentur; interim quasi cum tribus, quum unus esset, loquitur; ut patet ex textu. Quidam putant Abrahamum non pro apparitione dei eam habuisse, sed eos tanquam homines hospites in domum excepisse; ideo parat cibum etc. Et auctor epistolae ad Hebraeos dicit, inscientes quosdam angelos hospitio excepisse ad hospitalitatis virtutem amplifican-

dam. Quidam autem existimant Abrahamum suspensum fuisse animo, idque sic agente Deo, ut partim sciret, partim dubitaret, quo divinarum rerum incrementum agnoscas. נצב, nazab, proprie significat statutum esse seu stare. Sed puto Hebraeis aliquando accipi, ut Graecis παρεστηναι, adstare seu advenire.

Adoravit in terram. Sic perpetuo vertit interpres Latinus Hebraicam vocem שחה, schahah, quae non solum adoráre, sed et inclinari significat, incurvari, procidere, genu flectere aut caput. Significat alicubi gratias agere etc. Hic quadrat, incurvabat se, vel procidebat ad terram: nam sic solemus excipere hospites.

Domine si inveni gratiam. Ecce mysterium! tres sunt et tantum unum alloquitur. Si inveni gratiam in oculis tuis, aut si bonum visum est in oculis tuis, schematismus est Hebraicus. Latinus dicit: Si mihi per gratiam tuam licet, si hanc mihi gratiam faceres, si tibi tam gratus sum, ne praetereas servum tuum!

Ponam buccellam panis. Hebraeus; Accipiam pro adferam. Utuntur autem לקח, lakah, verbo accipiendi pro adferendi, idque frequens est.

Tria sata. Puto dici debere *sata satae.* Ex verbis Christi Matth. XIII. constat satam fuisse magnam mensuram; quare hic ex סאים, seim, *sata* vertere, parum quadrat, quum in conficiendis placentis huiusmodi temporariis parum farinae capiatur. Mensuram ergo parvam hic *seim* significat; ut Germanice: Ein ymme oder becher, cyathum.

Commisce. Hoc est humecta, subige: nam לוש farinam aqua subigere ac humectare significat massamque conficere.

Ipse vero ad armentum cucurrit. Sed cur haec tam frivola et humilia, imo quotidiana tam exacte describit Moses? Ut videamus divinum spiritum etiam in sacris literis non solum interioris hominis formationem, sed et externae vitae atque humanae consuetudinis commoditatem nobis praescribere. Nam magni refert ad rem familiarem quum locupletandam, tum recte gerendam quo ordine quaeque agantur. Deinde commendatur nobis fidelis Abrahami hospitalitas, liberalitas ac beneficentia. Considera promtitudinem ac benevolentiam, quam alacriter excipiat adventantes, quam impigre primum ad uxorem currat, deinde ad gregem, ut singula ordine quodam fiant, ne prandium diu differatur. Mox parato cibo adfert, apponit, circumcurrit, ministrat; neque tamen exotica, sed parabilia, sed quae apud se praecipua erant, parat. Ubi simul cum liberalitate frugalitatem quoque discimus. Hoc ergo unum exemplar nobis proponamus! Sumus enim plerique aut ita rerum nostrarum tenaces, ut nihil fructi a nobis ad proximos redeat, solemusque nonnunquam magnifica verbis polliceri, at re ipsa parum praestamus; aut ita prodigi, ut luxu et libidine cuncta profundamus. Deinde si quid damus, eos eligimus, qui nobis rependere possunt. Abraham vero in ostio tabernaculi sui adventum peregrinorum praestolatur, adcurrit, invitat, honorifice excipit vel ignotos, ac humanissime tractat. Deinde, ut sequitur, abeuntes deducit, comitem se ac monstratorem viae illis adiungit. Qua virtute Helvetii admodum olim clarebant:

gratis excipiebantur peregrini tenues; monstrabatur via, ac omnia erant omnibus tuta et amica. [1] Nunc dissidia, quae ex privatae rei studio nunquam non oriuntur, incerta et dubia reddunt omnia.

Vitulum tenerum et bonum, deditque puero, ut festinaret et faceret eum. Sic habent Hebraica. Ubi notandum, quod *facere* hic pro parare et coquere utuntur Hebraei, quemadmodum Germani, quum dicunt Fisch machen; id est, piscem facere pro exenterare. Probe ergo reddidit Latinus: et coxit eum; nisi quod coniunctio ו, quae per *et* exposita est, per *ut* exponi debuit. Nam Abraham vitulum puero dedit parandum, ipse interim butyrum et lac adponens. Tenerum pro delicato et pingui ponit, sic etiam bonum.

Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore. Hic stare ἐμφατικῶς accipi debet. Neque enim intelligendum est Abrahamum immotum stetisse aut cessantem instar stipitis, sed sicut ministri mensae adstant ad mensam: illi enim iam currunt, iam huc illucque respiciunt quid desit, quid parandum, quid adferendum, quid exportandum sit, considerantes.

Ecce in tabernaculo. Apud Hebraeos omnia δεικτικῶς dicuntur.

Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite. Hebraice sic: Revertendo revertar (hoc est, certissime ac indubitato revertar) ad te. כעת חיה in tempore vitae. Ambigua sunt et obscura. Quidam sic exponunt: ad tempus vitae huius, dum adhuc vivetis, et secundum supputationem vestram (nam idem tempus referri non potest, sed iuxta nostram supputationem dicitur idem tempus); quasi diceret: Anno revoluto, eodem tempore revertar. Alii dicunt: hoc tempore si vixero: Eben umb dise zyt wird ich wider kummen, hab ichs läben, gönnt mir Gott des lebens; ut sit ἀνθρωποπαθῶς dictum.

Quo audito Sara, risit post ostium tabernaculi. Hebraei sic legunt: Et Sarah audiens ad ostium tabernaculi, et ipsum (scilicet ostium) post eum (scilicet Abrahamum). Nam הוא relativum non refertur ad Saram, quum sit generis masculini, sed ad פתח, paetah, quod significat ostium: nam et illud masculinum est. Neque hoc loco habetur risit in Hebraeo, sed in sequentibus. Sensus ergo est: Sara verba virorum loquentium audiverat ad ianuam stans, quae ianua erat post Abrahamum. Potest etiam הוא ad angelum loquentem referri, et ו in *aharaf* ad ostium; sic: Et ipse loquens scilicet post ostium, id est, erat vel stabat; hoc est loquens angelus vertebat terga ostio, dorsum vertens Sarae. Ponit autem hoc Moses, ut explicet miraculum, quod Deus sciret Saram risisse, quum tamen non videret eam.

Erant autem ambo senes, provectaeque aetatis. Hebraice sic: Abraham et Sara senes (scilicet erant) venientes in dies. In dies venire locutio est Hebraica; sicut Germanice dicimus: Sy warend uf ir alter kommen, wohl betaget.

Et desierant Sarae fieri muliebria. Hebraice: Et ipsi Sarae

---

[1]) Deinceps hanc virtutem ad Zuinglii et Bullingeri exemplum magnopere exercebant adversus Waldenses, Italos, Gallos, Anglos propter religionem exagitatos. Hac laude praesertim Tigurina civitas excellebat, ibique in nostra tempora usque talis liberalitas perennabat.

cessaverat esse via secundum foeminas. Quo idiotismo circumloquuntur effoetam iam fuisse Saram, ita ut in foeminarum morem ac consuetudinem menstrua desiissent. Sy hatt den gang nit mee. Quidam ad mores hoc referunt; quasi diceret: Desierat iam esse moribus ineptis aut iuvenilibus, ut solent adolescentulae mulieres. Alii de coitu intelligunt, quod eius ultra non esset adpetens.

Quae risit occulte. Hebraice sic: Et risit Sarah in sese dicens etc.

Et herus meus vetulus est. Hinc desumsit Petrus admonitionem ad mulieres 1. Pet. 3. quum omnem aetatem honestas deceat et reverentia, maxime tamen senium. Vide quam Sara caste et reverenter de actu coniugali loquatur, quae tam speciosa mulier fuit, ut etiam reges in concupiscentiam eius exarderent: putat iam sibi indecens esse, ut voluptati operam det. Discant hic senes, qui quum inguine et ventre emortui sint, lingua tamen sunt spurcissimi.

Nunquid deo quicquam est difficile? Sensus probe est redditus a Latino interprete. Describit autem omnia exacte Moses, Abramum et Saram provectae fuisse aetatis, atque ideo risisse Saram, quod difficilem, imo impossibilem esse putaverit partum, ut ostendat impossibilitatem pariendi et magnifaciat miraculum ac Dei virtutem. Quum autem dicit Deo nihil esse impossibile, occulte Abrahamo insinuat se Deum esse, qui loquitur, et qui promittit.

Vita comite. Ut supra. Hab ichs leben. Anthropopathῶs dictum.

Et dixit Dominus ad Abraham, cur risit? Hic nomen Dei tetragrammaton יהוה habent Hebraei, quod fortissimum argumentum est contra Iudaeos, qui negant Deum fuisse locutum cum Abrahamo, sed angelum: non enim solent aut angeli aut homines יהוה vocari, etiamsi אלוהים et Adonai adpellentur.

Quum ergo surrexissent viri. Viros adpellat eos Moses iuxta cognitionem Abrahami: nam ille arbitrabatur esse viros, qui cum eo loquebantur. Ἠθολογία est.

Num ab Abraham caelabo quae faciam? Quasi diceret: Cur absconderem hanc rem Abrahamo?

Cum futurus sit in gentem magnam ac fortem, et benedicendae sint in eo omnes nationes terrae. Scio enim quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini, et faciant iudicium et iustitiam, ut adducat Dominus propter Abraham omnia quae locutus est ad eum. Προσαπόδοσις est, cur Abrahamum hanc rem non sit celaturus. Prima causa est magnitudo ipsius Abrahami propter promissionem tam corporalem quam spiritualem; quasi diceret: Non celabo hanc rem tantum virum, sed notum faciam. Nam ubi Latinus habet *scio* Hebraeus dicit כי ידעתי quoniam notum faciam, manifestabo, aperiam ei hanc rem, ut verbum Kal, *iada*, hic transitive accipiatur. Nosse pro notum facere. Non tacebo hanc rem, quam facturus sum Abrahamo, sed aperiam etc. Idque rursus duabus ex causis: Prima, ut ipse hoc factum suis posteris et liberis annunciet, ut a pessimis sceleribus sibi temperent, ut iustitiam et iudicium servent. Secunda, ut Abraham et posteri eius discant Deum esse veracem, et servaturum Abrahamo et semini eius quaecun-

que promisit. Iam sensus planus est. Sin autem omnino ידע pro *novi* placet exponere, idem erit sensus sic: Aperiam omnem rem Abrahamo: novi enim eum tam integrum esse virum, ut nihil dubitem, quin, quum hanc rem, quam proposui, audierit, filiis suis sit expositurus praecepturusque eis, ut a turpibus abstineant, ut iustitiam ac iudicium colant; deinde ut agnoscant Deum esse tam veracem, ut quemadmodum impios, iuxta verbum quod ad Abrahamum locutus erat, perdiderit, sic et Abrahamo et semini eius promissa sit servaturus.

Clamor Sodomorum et Gomorrae multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Non intelligendum est Sodomitas ac Gomorrhaeos ad Dominum clamasse, sed rumorem ac famam peccati Sodomitici pervenisse ad Deum. Dicuntur haec ἀνθρωποπαθῶς, quasi fama haec ad aures ei sit delata, qui omnia novit antequam fiant. Exemplum hic iudices sibi proponant, ut in ferendis sententiis et irrogandis poenis nihil temere, nihil praecipitanter agant, causae ad eos perveniant: nam iudicibus duas aures dedit Deus, ut accusatori unam et reo alteram praebeant. Descendant ergo ut de causis liquido cognoscant! Nam et Deus hic dicit: Descendam et videbo, verus sitne rumor quem audivi. Prodidit haec literis spiritus sanctus, ut hinc disceremus quid nobis in hisce rebus sit faciendum. Germanice etiam utimur Geschrey pro fama, pro rumore.

Et Abraham adhuc stabat coram (vel) ante Dominum. Hic iterum stare ἐμφατικῶς intelligi debet: non enim simpliciter coram Domino stabat Abraham, sed rogavit Dominum supplex ac pacis reconciliandae studiosus. Intelligebat Dominum perditurum esse hanc gentem; anxius ergo adhaeret Domino, sequestrem agit ac mediatorem, ac dicit:

Num cum impio perdes iustum? Deus norat gentem hanc esse pessimam, quod ignorabat Abraham: nam solum quae externa erant consideravit. Putabat vir pius superesse adhuc bonos aliquot in his civitatibus; ideo dicit non decere, ut Deus, qui sit iustissimus iudex universae carnis, pios cum impiis simul perdat. Civiliter autem temperat sermonem suum Abraham: mutat enim ex rhetorum praeceptione personam, tametsi praesens cum Deo loquatur; non dicit: Tu qui iudicas; sed: Num iudicans terram non faciet iudicium? Sic enim Hebraei legunt: durius enim fuisset vel coram terreno iudice sic loqui: Num tu non iuste iudicabis? multo magis cum coelesti.

In medio civitatis. Id est, in hisce civitatibus. Synecdocha est. Propter pios et electos parcit etiam impiis Deus, ut est Matth. XXIV. vel propter unum tantum, ut parcitum esse audiemus uni civitati propter Lotum. Coniectura ergo est, si in qualibet civitate unus duntaxat iustus fuisset, non perditurum fuisse Dominum civitates istas.

Quia semel coepi, loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis. Hebraice sic: Ecce, eia coepi loqui ad Dominum, et ego pulvis et cinis. Quasi diceret: Parce Domine, parce! agnosco audaciam, praesumtionem, temeritatem meam. Verbum יאל, iaal, quod *coepi* vertit Latinus, significat etiam ausus est, stulte commisit. Tam audax fui, ut ego qui pulvis sum et cinis, auderem loqui cum Deo.

Non perdam propter decem. In quinque civitatibus florentissimis non sunt inventi decem iusti, ut cuique vel duo innocentiae testes adnumerari potuissent; unde et postmodum Abraham super quinque non fuit ausus postulare. Considera hic, quo tandem res humanae prolabantur, dum nemo est qui obstet flagitiis, dum omnes impune sunt pessimi. Metuenda sunt iudicia Dei, cuius longanimitatem qui spernunt, experturi sunt crudelissimum ac iustissimum iudicem. Nos saepe nobis ipsis blandimur, dicentes: Deus est misericors, divinae iustitiae interim obliviscentes; dum mores non mutamus, nec resipiscimus, sed sceleribus scelera addentes Deum ipsum, cuius misericordiam ore iactamus, corde ac opere irridemus. Expectat quidem idque longanimiter poenitentiam Deus, quod si non resipiscimus, veniet tandem et horribili poena multabit contemtores. Requiretur nihilo minus perditorum sanguis de manu eorum, qui vel verbo admonere ac corripere peccantes, vel qui gladio sontes plectere ac e medio tollere debuerant. Hi enim, qui episcopi sunt, qui custodes ac pastores Christiani gregis, qui ministri publicae iustitiae, si non circumspiciunt, si hostem advenientem non abarcent, si lupum irruere vident ac non monent, si non se sceleribus ut aheneum murum opponunt: neglecti officii dignas luent poenas.

Vide longanimitatem dei! Prius per Assyrios reges spoliati ac victi erant Sodomitae, sed per unum Abrahamum liberat eos Deus et restituit eis omnia: nam minor erat poena quam pro eorum flagitio. Quod si grati fuissent Deo moresque pessimos mutassent; non essent funditus perditi. At quum ex hac ingenti Dei beneficentia nihil moventur, nihil mutantur, tandem maiorem poenam, imo extremum exitium attulit Deus. Quare si nobis peccantibus aliquando prospera arrident, non est quod exultemus, sed metuendum potius nobis est, ne Deus graviori poena sit nos adflicturus.

Discimus deinde in Abrahamo, qui fidei exemplar nobis proponitur, ut compatiamur etiam pessimis, solliciti simus pro bonis et piis: nam hoc agit spiritus Christi in credentibus. Salvator est Iesus, salvat, non perdit. Sic et nobis, si Christi sumus discipuli, faciendum erit.

Qui ex facto Abrahami sanctorum intercessionem docent ac tuentur, non intelligunt non eosdem esse divos et sanctos. Vivens pro vivente orat ex praecepto Christi et caritatis, non sic divus pro vivente: nam si sic, cur non Abelum, Sethum, Hanochum, Noachum (nam hi iam e vivis excesserant et divi erant) pro Sodomitis orasse legimus? Quare hic locus potius contra eos pugnat quam patrocinatur.

CAPUT XIX.

Veneruntque duo angeli Sodomam vespere. Sumto prandio cum Abrahamo, recta contendentes Sodomam, vespere venerunt ad Lotum.

Sedente Lot in foribus civitatis. Vocatus est hic liber a veteribus *Liber Iustorum* sive *Sanctorum*, quod in eo admiranda et excellentissima sint virtutis et integritatis exempla, quae in Abrahamo et Loto maxime lucere cernimus. Quam enim ob causam putas Lotum in portis civitatis sedisse? Tam civilis fuit, tam hospitalis, ut etiam hospitibus

occurreret, ut anteverteret. Nimirum huius officii studiosus fuit Lotus, ut peregrinos venientes Sodomam in porta civitatis exciperet, eosque in domum suam secum abduceret. Sciebat nimirum quantum immineret eis periculum, si in publicis diversoriis mansissent. Sic omnes corrupti erant, ut nec bonis locus apud eos esset.

Qua in re integritas et constantia fidei Loti spectanda est, qui non solum monere peregrinos, sed tueri quoque audet. Exemplum: Si quis hodie civis in civitate aliqua, quae Evangelium non modo non recipit, sed insectatur, adventantes peregrinos moneret, ne quid in diversoriis de Evangelio palam dicerent: periculum enim esse ne caperentur, is quidem fidelis esset, sed infirmus. Quos si quis non solum moneret, sed et domum suam duceret, is tandem fidei firmitatem palam ostenderet. Mysterium in duobus angelis ad duplicem naturam in Christo pertinet, qui nos ab interitu, quemadmodum Lotum angeli, liberavit.

Obsecro domini, declinate in domum servi vestri, et manete ibi. Vide virtutem huius viri! quam amice alloquitur, quam humaniter et blande invitat ignotos!

Qui dixerunt, non, sed in platea manebimus. Tentat his verbis deus Lotum (nam sciebat ipse sese pernoctaturum cum Loto), ut eliciat diligentiam Loti, ut fidem eius ac caritatem illustrem omnibus faciat ac producat. Sic Christus in Evangelio Marci V. Quis me tetigit? Item Chananaeae respondens dicit: Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus. Quorsum haec? Ut omnibus ostenderet quanta esset mulierum fides, ut omnibus nota fieret. Haec autem nobis exempla proponuntur, ut si Deus aliquando differt, quae petimus precibus, fortius instemus. Quod et Lotum facientem cernimus: non enim cessat, sed

Compulit eos oppido, ut ad se divertant. Quanto magis ipsi renuunt, tanto vehementius instat Lot: nam compellendi verbum non tam durum est hic, ut quidam intelligunt, qui tyrannidem Romanam ex hoc verbo *compelle intrare* defendere conantur. Non enim compellere hic vim inferre, sed schematismo Hebraico *instare diligentius* significat, tamen intra amicitiam et humanitatem.

Discat hic Christianus benefaciendo pergere! Sunt enim qui ex verecundia aut non audent petere, aut oblata pudore quodam accipere nolunt. Hos vel antevertemus beneficiis vel nolentes etiam compellemus. Nam Christiani non solum nolentibus et immerentibus, sed inimicis etiam benefacere parati esse debent.

Lot duo cavet, primum ne populus (sciebat enim eum pessimum esse) in viros dei peccet; deinde virorum misertus, ne quid eis mali a pessimis accidat, domum ducit ac secum divertere cogit: nam hae causae videntur mihi Lotum movere, ut sedens in porta adventantes excipiat, utque peccantes a peccando, hospites ab incommodo servet. Utrumque tamen dissimulat, nec palam dicit: Divertite ad me! tam pessimi enim sunt cives, tam scelerati; offendent vos. Haec inquam tacet, tantum dicit: Divertite ad me nec manete in platea! Sic oportet Christianum virum pergere ac constantem esse: deus enim ideo tentationes mittit, ut fidem nostram tentet, ut exploret quam firma sit.

Malus et ignavus gubernator est, qui adveniente procella clavum abiicit.

Fecit convivium et coxit Azyma. Ecce liberalitatem in re tenui: plus enim voluntas quam ipsa coena perpenditur. Oculus fuit simplex et fidelis. משתה, mischthae, Hebraica vox, quam Latinus convivium transtulit, puto hic accipi, quemadmodum Germanice dicimus: Er rüst inen ein trunck zu. Pro coena adparavit: convivii enim nomen latius patet quam hic locus requirat.

Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum illius a puero usque ad senem, omnis populus simul. Hebraeus dicit: Viri civitatis, viri Sodom. Item pro dictione Latina *simul* Hebraeus habet מקצה, mikzac, quod sonat *de fine*. Ut Germanice dicimus: Von end zu end warends alle da. Hoc est ex omni parte civitatis aderant.

Qui introierunt ad te nocte. Vox Hebraica, לילה, laiela, nox, pro vesperi, vel initio noctis capitur. Considerabit hic pius lector malitiam pessimorum hominum, quae tantum increverat, ut omnes simul essent pessimi. Ezechiel peccatum Sodomorum scribit fuisse elationem, saturitatem panis, abundantiam et otium. Sed fontes duntaxat enumerat propheta: nam ubi talia sunt, nempe vini ciborumque copia, deliciae, otium, illic non sunt communi libidine contenti, sed abominabilem excogitant. Describuntur ergo hic fructus pessimi, quod scilicet inconsueto et innaturali ardore in mares exardescebant; deinde quod violatores erant iustitiae et omnis probitatis, nec iustitiam nec iudicium servantes. Quod quidem tametsi hic diserte non dicatur, potest tamen ex praecedenti capite manifestum fieri, ubi dominus dicit: Abraham docebit filios suos facere iudicium et iustitiam, dum poenas audierit Sodomorum. Constat ergo Sodomitas nec iudicium nec iustitiam fecisse. Quod si cui durum et incredibile videatur omnes Sodomitas huiusmodi flagitiis fuisse contaminatos, is consideret neminem in tanta turba in tam frequenti coetu fuisse, qui se malis opponeret, qui vim inferentes abarceret. Hoc tum fit, ubi impune fiunt omnia; nec bonus est, qui quum vim cui fieri videt non reclamat.

Habeo duas filias, quae nondum cognoverunt virum, educam eas ad vos, et abutemini eis, sicut vobis placuerit, modo viris nihil faciatis: quia hac ratione sub umbram culminis mei ingressi sunt. Verbo cognoscendi, ut saepe iam dictum est, Hebraei pro rem habendi utuntur. Dicit ergo filias nondum viros cognovisse, tametsi sponsis desponsae iam erant. Sic paulo ante dixerant viri civitatis: Educ eos ut cognoscamus eos. Ubi modesto verbo Moses libidinem inversam circumloquitur. Abutimini eis, ut vobis placet. Hebraeus dicit: Facite eis quod bonum in oculis vestris. Hic vides rem, quae nec honesta nec bona est, bonam dici Hebraico more et Germanico ut supra: Non est bonum hominem esse solum, id est, non est commodum. *Sub umbra culminis* Hebraismus est: id est, sub praesidium, sub protectionem. Et haec nota est huius, quod supra dictum est, Lotum ideo in porta sedisse, ut peregrinos in domo sua ab improbitate civium defenderet.

Hic primum discimus caritatem huius viri, quae tanta est, ut cum periculo filiarum iniuriam peregrinorum redimat, potiusque vult filias periclitari, quam eos in praecipitium dare qui ad eum confugerant. Caritas enim non quaerit quae sua sunt, sed quae aliorum. Dicis: Cur Lot vir pius tantum flagitium admittit? Responsio: Fidelis vir in necessitate positus, id quod primum occurrit et quod necessitas consilium administrat, arripit, ut solet fieri dum anxietas aliqua subito nos adobruit; at deus omnia bene vertit.

Concede huc. Petunt ut propius ad eos accedat Lot.

Ingressus es ut advena, nunquid ut iudices? Elegantia sunt hic Hebraea: loquuntur enim in tertia persona ad praesentem, quod durius est; dicitur enim ἠθικῶς quod impuri ac libidine subantes sic inter se tumultuarentur: Nonne solus venit ad peregrinandum, hoc est ad adcolendum, et iudicando iudicabit? Er ist da har kummen als ein frömbdling allein, und wil uns regieren etc. Sic in Evangelio: Salvos fecit alios; se ipsum non potest salvum facere. Non dicunt: Tu salvos fecisti: nam hoc excusationem ei praebet in quem facimus impetum. Quasi dicerent: Magistratum habemus; is nos punire debet, non advena ille. Sic loquitur impietas. Putant enim impii sibi impune esse dum peccant, eo quod magistratus corruptus dissimulat. Sic semper odio habent flagitiosi bonos qui eos arguunt, qui vitiis eorum obstant. Culpam suam semper in magistratum reiiciunt putantes, quia is non puniat, sibi impune licere omnia.

Et accesserunt, ut fores effringerent. Hic Sodomitarum audaciam considera, qui nec advenis nec peregrinis parcentes ius hospitalitatis, quod etiam apud gentes sacrosanctum est, frangunt.

Percusserunt caecitate. Ut etiam apertis oculis omni cognitione, quae vel nocte haberi potest, carerent. Simile quiddam de Elia legitur.

Habes hic quempiam tuorum generum, aut filios aut filias: Omnes qui tui sunt, educ de urbe hac. Hoc loquuntur angeli in gratiam ipsius Loti. Sciebant enim hoc eum maxime optare, tametsi sciebant non exituros esse generos. Ob amorem enim in Lotum dominus non solum ipsum servat, sed et suos. Hic etiam discimus generos Loti fuisse pessimos: nam alioqui exiissent. At tamen dominus voluit eos in gratiam Loti servare. Tantum est amicum dei, in gratia dei esse.

Delebimus enim locum istum. Hebraice: Vastatores nos loci illius, seu vastantes nos locum istum. Non dedignantur se משחתים, maschhithim, vocare, tametsi odiosum sit nomen, qui divini iudicii sunt ministri et executores.

Angelos duplici ex causa condidit deus. Primum, ut Deo summo bono fruerentur: vult enim gratis omnibus communicari. Secundo, ut nos consortes eorum simus futuri; ut habeamus qui nos consolentur, qui ministrent, Hebr. I; ut futurum contubernium hic ordiamur. Hoc ex loco videmus non esse duplex angelorum genus, unum quod a bono, alterum quod a malo deo creatum sit, ut a Marcionitis disputatum est: nam iidem angeli perdunt impios et pium Lotum servant. Nunc autem solum de angelis loquimur, non de daemonibus.

Quoniam increbuit clamor eorum coram domino, qui misit nos ad perdendum vel vastandum eum. Scilicet clamorem: nam צעקה, zaaka, clamor, foemininum est Hebraeis, ad quod ה mappik refertur. Capitur autem (ut superiori capite auditum est) clamor pro rumore, pro fama; tametsi Hebraica vox vehementior sit quam sit fama aut rumor Latinis. Idem enim est ac si diceres: ipsa scelera et peccata quodammodo clamant; sicut sanguis Abelis clamabat. Capiunt ergo Hebraei magnitudinem clamoris pro magnitudine ipsius sceleris. Dum enim scelera ac flagitia augescunt, augescit simul et rumor ac infamia. Ideo angelus dicit se missum a deo, ut deleat rumorem, id est flagitium, quod clamori causam dedit. Quod diligens lector magnopere debet observare; saepenumero per synecdocham consequens pro antecedente poni; et contra antecedens pro consequente. Quasi diceret deus: Ich wil dess gschreyſs nüt; id est perdam sceleratos istos, qui tam mali sunt, ut omnium ore praedicentur.

Et visus est eis quasi ludens loqui. Admonitio ipsius Loti generis risus fuit. Impii enim quum sint, vocem Dei per prophetam clamantem non agnoscunt; pii intus certi sunt, hoc esse verbum dei quod deus loquitur.

Cogebant eum angeli. Agnovit Lotus verbum esse dei quod audiebat; idcirco et generos suos ipse admonet. Attamen adfectibus eum remorantibus moras nectit, quae nostra est imbecillitas. Fit nonnunquam, ut parati simus fortiter pro veritate, pro iustitia mori; mox incidit aliquid quod terret, quod cunctabundos facit, imo totos aliquando nos a deo abstrahit.

Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius. Dissimulante elegantius est, quam ut huic loco conveniat, et nimia elegantia Latinus interpres luculentiam Hebraici sermonis obscurat. LXX dixerunt ἐταράχθησαν: turbati sunt, posterius pro priore ponentes. Nam ex cunctatione horror et turbatio, aut ex horrore et turbatione cunctatio; alterum ergo pro altero ponitur. Cunctantem et tardantem (nam sic legunt Hebraei) apprehendunt angeli, idque fortiter. Unde discamus et velle et perficere a deo esse. Nam quod Lot exire voluit monuerant angeli; quod cunctatur carnis est fragilitas; quod exit robur dei est.

Notandum hic, quod et in sequentibus proderit, Hebraeos hic verbo מהמה, mahmah, usos esse, quod quadriliterum aut geminatum est verbum, et significat tardare, moram nectere. מה Hebraeis significat quid; inde venit verbum מהמה tardare. Circumspiciunt enim qui tardant, nescio quid quaerentes; ac si dicerent: Quid quid? Was was? Germanice: Er waset.

Ne et tu pariter pereas in scelere civitatis. Iam vocat scelera homines sceleratos et peccatum pro peccante capit.

Eo quod Dominus voluit parcere illi. Rationem reddit, cur sit ab angelis apprehensus et coactus, ut exiret. Voluit enim dominus amico suo parcere et eum a periculo liberare.

Salva animam tuam, et ne respicias post tergum, nec stes. Plus vult angelus intelligi, quam loquatur: tametsi enim nolit eum etiam oculis retrospicere, sublimiora tamen docturus haec loquitur; quasi

diceret: Coëgi te, ut exires; apprehendi te, ut extraherem. Adhuc cunctaris, adhuc respectas? perge ocius! Omnino relinquenda sunt omnia, quantumvis cara; omnino exeundum est, quantumvis retrahant quae post te relinquis. Relinquenda inquam sunt omnia; nec solum relinquenda sed sic relinquenda, ut te nullius rei amissae ac perditae poeniteat: ita enim fieri necesse est. Tantum onus imponit dominus his qui inviti temporalia relinquunt, qui non alacres iussa domini arripiunt. Ad cogitationes igitur cordis Loti respicit dominus hoc sermone docetque non esse respectandum ei, qui dominum sequi coeperit: non ad ea redeundum esse animo, quae post tergum semel relicta sunt, ne curae sit ei pessimorum perditio. Hoc exemplo utitur Christus Luc. 17, discipulorum suorum animos contra imminentes tribulationes et futura pericula praemuniens. Salva animam! Anima pro vita ponitur. Frist, errett din leben.

Ne stes in planicie, sed in monte salvum te fac. כיכר planitiem hic significat: nam hanc Lot elegerat, ut superius auditum est. Antithesis ergo est; quasi diceret: In planitie tutus non es; in monte duntaxat effugies. In monte salvatur pius, hoc est, in Christo, qui mons est gratiae et misericordiae divinae, in quo solo salvamur. Petra Christus est et lapis excisus de monte sine manibus. Daniel. II.

Non possum in monte salvari. Semper renititur caro, semper reluctatur et contraria spiritui suggerit. Omnes ardua et aspera fugimus, voluptuosa eligimus. Angusta est via quae ducit ad vitam; et pauci sunt qui eam inveniunt. Adversitates, crucem, persecutiones omnes fugiunt; voluptates, delicias, divitias amplectuntur. Torpor est corporis abhorrentis ab asperis. Hac ratione haec tam plane describuntur, ut ingenium et naturam carnis discamus. Caro vult esse extra periculum; vult quidem audire Christum, at ob Christum pati renuit, quum tamen omnes, qui pie in Christo vivere volunt, persecutionem pati oporteat.

Est civitas hic etc. Ex stupore animi et irruenti periculo mens fidelis sic loquitur: Domine non sum tutus in monte hoc. Haec fiunt dum anxius et inconstans est animus, haec est fidei imbecillitas. Nam Lot nondum ad eam fidei mensuram venerat, quae erat in Abrahamo. Ideo propter fidem Abrahami salvatus est Lot; ut ex inferioribus liquescet.

Bale vocata fuit civitas, una ex quinque in quam Lot fugerat; quae deinde Zoar dicta est, quod parvam eam appellasset Lot: nam *Zoar* Hebraeis parvum significat.

Etiam in hoc suscepi preces tuas. Hebraei dicunt: Suscepi aut tuli faciem tuam. Est autem suscipere aut non suscipere faciem Hebraismus pro *exaudire* aut *negare.* Sicut Germanice dicimus: Er hätte mich nit angesähen, oder: Er hat mich angesähen, pro exaudire aut non exaudire. Graeci legunt: ἐθαύμασα, miratus sum, id est suscepi te, exosculor te, suspicio.

Et pluit Dominus super Sodomam et super Gomorram sulphur et ignem a Domino. Considera figuram orationis: Pluit dominus a domino. Sic veteres locuti sunt: ad consulis, scilicet domum;

Murtiae, scilicet templum; eamus ad me, id est, ad domum meam. Et contra: Venimus a consule, a me, pro a domo vel consulis vel mea. Sic a domino, hoc est, coelitus pluit dominus. Magnifice hic et cum exaggeratione ac ὑποτυπώσει omnia describuntur. Quantam enim vociferationem, quantum ululatum pereuntium putas fuisse? Sed sera est poenitentia, quum vocantem Dominum audire et sequi nolumus.

Respexitque uxor eius post se, et versa est in statuam salis. Quid sibi hic locus velit, Christus clarissime in Evangelio Lucae exponit. Quum omnis mora periculosa sit, periculosissima tamen est quam in divinis negotiis nectimus. Hoc Christus illic docet, nusquam esse respectandum, utpote in re seria, sed pergendum intrepide. Mulier haec verbo dei non credidit, non obsecuta est; per poenitentiam amissorum animo rediit, non secuta dominum. Hoc ergo exemplum (quod monet Christus) nobis proponamus, ne cunctabundos et respectantes nos puniat deus. Statua synecdochice pro ingenti lapide accipitur.

Recordatus est Abrahae, et liberavit Lot. Propter Abrahamum Lot liberatus est, ut superius indicaveramus. Et Zoar propter Lotum parcere voluit deus, ut videamus quid sit esse amicum dei, et quomodo deus ob unum hominem aliquando toti populo parcat.

Ascendit Lot de Zoar, et mansit in monte, duae quoque filiae eius cum eo: timuerat enim manere in Zoar. Iussus fuerat a domino, ut in montem iret atque ibi salvaretur; ipse vero elegit civitatem in campo. Hic vide, ut deus nostra rideat consilia. Fugit Lot ex civitate quam prius elegerat, ac montem repetit (metu scilicet territus), quem prius monente angelo ascendere noluerat. Sic saepe fit, ut nonnihil donet deus infirmitati carnis; nihilominus, velimus nolimus, tandem quod deus vult, fieri oportet. Non simus ergo curiosi, non contumaces! sequamur eam viam quam monstrat Deus! Quod si minus fecerimus, consilium Domini negligentes, et nostris consiliis meliora, ut putamus, eligentes, cogemur, Domino ita disponente, id tandem sequi, quod primum nolebamus: tantum terrorem, tantum metum incutiet nobis Deus, ut nusquam tuti, nusquam securi simus. Qui vero Domini consilium sequuntur, securi ac laeti ambulant: sciunt enim se Dominum sequi. Qui lucem sequitur, in tenebris non ambulat.

Pater noster senex est, et nullus virorum remansit in terra. Sic nimirum putabant filiae Loti, omnes scilicet viros interiisse; quare est quod factum eorum excuset. Tametsi enim facinus in speciem horrendum est et atrox, conditiones tamen et circunstantias si spectes, erit excusationi locus. Lex nondum lata erat, ut filia non esset uxor patris: de qua in Levitico XVIII. Ex lege autem peccati cognitio. Non ergo peccabant filiae Loti, quum lex nondum esset lata. Deinde excusat eas ignorantia: putabant enim totum mundum esse perditum. Patrem quoque ebrietas et temulentia excusare potest, qui imprudens vino obrutus est et quod fecit inscius fecit. Dicit enim scriptura eum hoc non animadvertisse, neque dum ad eas intraret neque dum exiret. Neque frustra Moses has excusationes adfert, sed ut videamus nihil temere a divinis hominibus factum esse, sed Dei quadam dispensatione. Ne quis ex talibus factis ansam peccandi et libidinandi arripiat! nam

causae non sunt similes nec eaedem. Scribuntur itaque haec et dicuntur, ut videamus in quaenam scelera, in quam turpia nonnunquam pios etiam cadere sinat Deus, ut semper vigilemus, ne unquam a statione recedamus. Si enim in tanta dedecora, Domino sic ordinante, cadunt pii: quid de his putas sentiendum, qui negligentes, qui securi otio et deliciis diffluunt? Si ergo Deus nostris malis aliquando bene usus est, si diligentibus Deum etiam scelera ad bonum cooperata legimus: non haec nos negligentes, non contemnentes mandatorum Dei facere debent, sed docere ut humiliemur, ut nos ipsos agnoscamus quam nihili simus, si nos Deus nobis relinquat, quid audeat caro, in quanta flagitia sese praecipitet, si manum suam abstrahat Deus. Quod si quibusdam piis gravis casus ad mortem non fuit: debemus hoc divinae benignitati, qui manum suam supposuit, ne omnino conciderent. Ne ergo bonitate Dei ad peccatum abutamur neque desperemus, sed ipsius gratia et misericordia freti laeti et alacres ad ipsum curramus!.

Deinde abstineamus a crapula et ebrietate, ex qua tam nefanda pullulant! Non enim excusat ebrietas, sed auget crimen, tametsi nos saepe unum crimen alio tegere volumus. Quod hic dicitur in textu:

Ille non sensit, neque dum cubitum iret, neque dum surgeret. Hebraei pro sensit ידע, *iada*, habent, quod significat *cognovit.* Recte ergo Latinus *sensit* interpretatus est: nam pro sentire cognoscere hic ponitur. Saepe enim ea, quae sunt sensuum, ad animum transferimus, ut videre pro intelligere: est enim videre oculorum. Sic sequenti capite ad Abimelechum: Quid vidisti vel spectavisti? id est, quid cogitasti? Sic saepe dicere pro cogitare habent Hebraei. Rursus quae sunt animi, sensibus tribuimus.

Sed, ut ad finem properemus, videamus qualis fructus ex stultitia, ignorantia, inscitia et temulentia nascatur. Ammonitae et Moabitae, qui ex duobus hisce filiis prognati sunt, populi sunt increduli et impii, qui restiterunt filiis dei populo Israel, tametsi et ipsi ex filio dei erant, nempe Loto. Sic sunt plures, qui se Christianos esse simulant, ex Christianis orti nomen Christi gerunt, inter Christianos versantur, qui tamen nil nisi carnem, temulentiam, fornicationem et huiusmodi scelera resipiunt, bonis conatibus piorum obstant, pios persequuntur etc.

CAPUT XX.

De consilio Abrahami, quo et vitae suae et uxoris pudicitiae consulit, satis superque in duodecimo capite auditum est. Proponuntur autem haec exempla his, qui ex infirmitate et magnis adfectibus victi peccaverunt; non his, qui temere et ex consilio peccare statuerunt. Docent autem humilitatem et modestiam, quum videamus sanctissimos viros sic tentatos esse et adfectibus deditos; ostendunt quam impuri sint adfectus, etiam piissimorum hominum, ut merito suspecti nobis esse debeant. Sic Paulus 1. Cor. VII, tametsi bonum dat consilium, tamen quia expressum verbum dei non habet, dicit: Hoc ego dico, non dominus. Tam pure, tam caste et sancte tractat verbum domini sanctissimus vir, ut nolit suum verbum, quantumvis verum ac aequum, verbum dei dicere.

Quod si quis hic quaerat, qui fiat ut Sara, iam vetula et senio confecta, a tanto rege tantopere concupita sit? respondemus, viros quosdam esse, qui plus honestatem, mores, pudicitiam in femina considerant, quam formam aut venustatem. Sunt autem et quaedam foeminae, quae nec senio deflorescunt. Deinde fieri potuit, ut haec historia longo ante tempore gesta sit, tametsi nunc tandem scribatur.

Abimelech vero non tetigerat eam. Hic clarum fit, quod superius duodecimo capite obscure intelligebatur, intactam fuisse Saram a Pharaone, rege Aegypti: uterque enim rex a domino admonitus peccare in mulierem non permissus est.

In simplicitate cordis mei, et munditia manuum mearum feci hoc. Haec est vera pietas, vera iustitia, ubi non solum manus a scelere cohibentur, sed et cor purum est. Sunt enim quorum cor impurum est, sed metu prohibiti in scelus non ruunt. Hebraei legunt: In integritate cordis mei (est enim תם, de qua dictione satis supra) et in innocentia manuum mearum etc.

Et ego scio quod in innocentia cordis feceris, ideo custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres eam. Hic discimus providentia et ordinatione summi illius dei cuncta geri. At haec puris et piis cordibus duntaxat dici oportuit, neque illotis manibus haec sunt tractanda: nondum enim omnes ad hanc mensuram fidei pervenerunt, ut cuncta a deo fieri credere possint. Horum infirmitati parcendum est, ne in cogitationes et disceptationes impias cadant. Qui enim sumus nos, ut cum deo disceptemus aut factorum suorum rationem et causam ab eo flagitemus? Quare cum summa veneratione et modestia haec non tam tractare quam admirari et suspicere debemus, si vere pii et fideles esse volumus.

Discimus ergo hic dei esse, si non peccamus, si puri, si integri et innocentes sumus. Hebraei legunt: Ego continui seu cohibui te, ne peccares.

Propheta est, et orabit pro te et vive. Sic legunt Hebraei. Imperativus *vive*, pro futuro vives ponitur, quod frequens est Iudaeis. Et ו pro *ut*; *et vive*, id est ut vivas (iterum vivere pro servari), id est ut serveris.

Prophetae nomen honorificum et magnificum est, quum sacerdotes reperti sint, qui impii et pessimi essent; veri autem prophetae semper piissimi. Sunt autem prophetae viri boni, pii, constantes, qui libere audent defendere iustitiam, proloqui veritatem intrepide.

Quid vidisti, ut hoc faceres? Hic locus superiori capite expositus est; id est quid cogitavisti? quo spectasti?

Vere soror mea est. Ex patre scilicet, hoc est ex sanguine paterno; verum intercessit ex alieno sanguine mater. Mos autem Hebraeorum est sanguine iunctos fratres vocare et sorores.

Filia patris mei. Sara neptis fuit Tharachi patris Abrahami; pater eius fuit Haran, filius Tharachi, frater Abrahami. Quomodo ergo filiam eam dicit patris sui?

Hic discimus, etiam nepotes et neptes filios et filiae dicas avorum, maxime dum adhuc in potestate eorum sunt. Et hic locus declarat

caput XVIII. Leviticorum, quod coniugii limites et sanguinis gradus definit.

Et dixi, forsitan non est timor Dei. Pro forsitan Hebraei legunt רק, rak, quod hoc loco puto significare *nimirum*, *profecto*, *certe*; Germanice frylich. Pro timore dei Graeci legunt θεοσέβειαν, quod significat cultum dei. Nam ubi Deus metuitur, ibi vere colitur.

Hanc misericordiam. Hebraei legunt חסד, haesaed, beneficium, favorem, gratiam. Das fründ stucke, die fründschaft. Septuaginta verterunt δικαιοσύνην, iustitiam. Favor enim et misericordia dei erga nos vocatur in scripturis sacris iustitia, hac ratione, qua Deus iustus est et praestat quae pollicetur. Pollicitatio ex misericordia est; quod praestat iustitia est.

Sarae autem dixit, Ecce mille argenteos. Deus qui Sarae pudicitiam servavit, honesto munere fecit eam ditari.

Hoc erit in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt. Nihil magis quam verecundia et pudicitia decet mulieres, quae laesionis suspecta esse potuit apud vernas et reliquos omnes. Dedit ergo rex Abrahamo tantam pecuniae summam, qua tolleret hanc suspicionem.

Velamentum oculorum. Prius pro posteriori: quae velamus, decoramus, pudica et honesta facimus ac sacrosancta. Ein deckel, das ist ein zucht, eer. Id est: munus honorarium potius quam stupri, quod passa non erat, praemium: quo his qui tecum versantur fias augustior. Nam Graeci legunt εἰς τιμήν, in honorarium munus, zu einer vereerung.

Hoc erit in velamentum. Hebraice est הוא, hu, relativum *ipse*, quod quidam ad virum, quidam ad pecuniam referunt.

Memento te deprehensam. Hebraei ו נוכחת, ve nokahath, et in argumentum. Hoc est: Haec pecunia tibi data sit in argumentum et evidentiam, in manifestationem ac certitudinem; quasi diceret: Haec pecunia certum sit argumentum me tecum nihil egisse, te intactam esse a me, non cognitam. Septuaginta sensum magis reddiderunt: Dic omnia vere! hoc est: Do tibi hanc pecuniam, ut omnia vere dicas. Vel alio sensu: Dic semper verum, ne posthac mentiaris dicendo: Soror sum, quum sis uxor. Expositititii (ut in comoediis videre licet), postliminio hereditatem quum petunt, evidenter coguntur ostendere ac arguere signis, coniecturis, testimoniis, quod iure petant. De his ergo videtur Hebraeus sic locuturus: Deprehensus est, hoc est, se hunc aut istum esse evicit, ideoque adit hereditatem. Sic et hoc loco potest *deprehensam esse*, pro *proditam esse* accipi, ut regia munificentia eam tali dono adfecerit, posteaquam deprehendit longe aliam esse quam existimata fuerit.

CAPUT XXI.

Visitavit autem Deus Sarah, sicut promiserat. פקד, pakad, verbo, quod visitare significat, bifariam utitur sacra scriptura. In bonam partem, ut hic, et in Evangelio: Visitavit et fecit redemtionem plebis suae. Visitavit dominus Saram, hoc est praestitit quae pollicitus erat, fecundam eam reddidit. In malam partem punire et vindicare

significat, ut Exodi XXXII. Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum.

Vocavit Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sarah, Isaac, et circuncidit eum octavo die, sicut praeceperat ei Deus, quum esset centum annorum. Describuntur quaedam, quae nobis aut frivola aut supervacanea esse videntur, sed in divinis literis nihil frustra ponitur, quantumvis nobis humile videatur. Nihil ergo contemnendum quamlibet tenue, quamlibet abiectum. Ruminanda sunt divina mysteria, et sedula mente pertractanda. Abraham patris, Isaac Christi filii Dei figuram gerit. Abrahamo diu dilata est promissio: sic adventus filii Dei, qui divinis oraculis promissus erat, diu dilatus est, ut desideria iustorum accenderentur vehementius: nam multi interim iustorum ac fidelium mortui sunt cum desiderio promissi seminis. Eva Sethum esse putabat, posteriores Noachum, Abraham Ismaelem. Haec nos constantiam et perseverantiam docent, ut nihil diffidamus promissis divinis, etiamsi diu differat: his enim tentationibus fides nostra provehitur.

Vocavit eum Isaac. Hebraei dicunt, יצחק, iitzhak, quod gaudium significat. Constat igitur Abrahamum magno fuisse gaudio adfectum de nato sibi puero. Quae res iterum figuram portendit. Isaac, ut auditum est, typus est Christi, qui gaudium fuit universo mundo, ut est Lucae II. Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est salvator mundi Christus. Item: Gloria in altissimis deo et in terra pax, hominibus bona voluntas, εὐδοκία. Ein rüwig versichret gmüt, salus, quies mentis; quasi dicerent angeli: Hactenus salus et quies mentis variis in rebus quaesita est. At ecce hic est (Christus scilicet) qui veram requiem et pacem, veram tranquillitatem, verum gaudium animi dabit. Nam qui semel Christum gustaverunt expertique sunt, quam suavis sit, hi amplius non esuriunt nec sitiunt, sed veram conscientiae tranquillitatem habent.

Dixit Sarah, Risum fecit mihi Dominus, quicunque audierit, corridebit mihi. Hic vertendum erat gaudium, non risum, tametsi eadem vox צחק et risum et gaudium significet. Hoc ex circunstantiis et aliis scripturae locis discimus. Primum ut figurae sit locus, quod iam satis probavimus, Christum verum animae esse gaudium, non risum. Nec verisimile est Saram tam honestam ac maturam matronam risisse, quum videat completam esse promissionem, licet prius riserit, quum novam rem et naturae impossibilem audiret. Legimus quoque in Evangelio Lucae, angelum ad Elizabetham sic loquentem de puero nascituro, multos in nativitate eius esse gavisuros. Quod et factum est. Nam quum Elizabetha Ioannem peperisset, vetula iam et effeta, atque id vicini et cognati audivissent, congratulati sunt ei et gaudio magno universi adfecti. Ad hunc modum loquitur hic Sarah: Magno gaudio adfecit me Dominus, dedit mihi vetulae et infecundae filium; quod quum audiverint vicinae congratulabuntur mihi, congaudebunt. Habet enim sermo domini idiotismos suos, quibus non uno tantum loco utuntur sancti Dei homines. Gaudium ergo est, non risus.

Quis auditurum crederet Abraham, quod Sarah lactaret filium quem peperit ei iam seni? Hebraica clara sunt. Quis dicet Abrahamo:

Lactat Sarah filios, ac me peperisse filium in senectute eius? Quasi diceret: Quis curret ad Abrahamum et dicet ei, nunciabit ei, me peperisse ex eo filium? Wer wil das bottenbrot gewünnen? Ut iterum agnoscas gaudium.

Crevit igitur puer, et ablactatus est, fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis eius. Ecce quam infantilia et puerilia scribit spiritus sanctus in divinis literis, si carnem ac putamen tantum respicimus; magna vero et admiranda, si mente ad spiritum penetramus. Non caret mysterio quod non in die circumcisionis, sed ablactationis convivium facit pater. Dura et aspera res fuit circumcisio, ubi sanguis fundebatur, ubi potius fletus fuit quam gaudium. Circumcisio ergo duritiam et asperitatem legis significat, sub qua qui vivunt, hoc est qui per opera legis iustificationem quaerunt, ad verum gaudium nunquam perveniunt, semper tristes et desperabundi. Lex enim non iustificat, hoc est, opus legis (nam opus legis vocatur lex metonymicῶs) non iustum facit. Item is qui legem contemplatur ac spectat vocatur etiam lex; ut quum dicit: Lex iram operatur, hoc est: dum perspicis legem ostendit tibi, te damnatum esse et iram Dei commeritum. Lex enim bona est et spiritualis; igitur nec iram nec damnationem operatur. At quandoquidem caro propter imbecillitatem legem implere nequaquam potest, desperet et sese damnatam esse iudicet lege perspecta, necesse est. Infirmitas igitur carnis ex legis intuitu iram se promeritam discit. Gaudere itaque nequaquam possumus, nisi a carne et quicquid carnis est ablactemur, quod fit spiritu dei adveniente et illustrante cor nostrum, ut externis et elementis huius mundi vere moriamur. Sic Christus discipulis suis: Expedit vobis ut ego vadam. Nam si non abiero, paracletus non veniet. Ablata carne spiritus introducitur. Atque hi tandem filii dei sunt qui spiritu dei aguntur; hi fortes sunt et constantes, neque lege egent tanquam calcari: sponte enim currunt, cogente et impellente spiritu; hi demum vere gaudent. Est enim gaudium et pax fructus spiritus. Lex ergo lac est infantibus et duris, adultorum autem est solidus cibus.

Quumque vidisset Sarah filium Agar Aegyptiae ludentem, dixit, eiice ancillam hanc et filium eius. Non enim erit haeres filius ancillae huius cum filio meo, cum Isaac. Exprimuntur hic vehementes adfectus, tum boni tum mali, qui deinde nobis per allegoriam pulcherrima significant.

Primum consideremus hic ingenium servile et muliebre in Agara, quae nimirum puerum suum Ismaelem sic instituerat, ut se pro libero ac paternorum bonorum haerede gereret aut iactaret, Isaaci liberae filium derideret, vilipenderet aut crebris iniuriis adficeret (nam hoc per ludere hic intelligimus). Quod quum Sarah animadvertisset, sic ad aemulationem provocata est, ut nec adfectibus suis temperare potuerit, quin quemadmodum antea matrem, iam privignum quoque domo excludat: grave enim ac perpetuum est novercarum in privignos odium. Interea miris modis fidelis Abrahami, qui inter sacrum et saxum, ut aiunt, haeret, animus torquetur, qui aut perpetuum quoddam dissidium, rixas, contentiones, aemulationes domi inter uxores ferre, aut dilectum filium

domo expellere cogitur. Haec itaque tum carnaliter facta et vere gesta nobis exemplo erunt, tum ex rebus gestis, quid nobis sit faciendum, discimus. Quum enim videmus sanctissimos etiam homines ab adfectibus carnis liberos non esse; deinde carissimos dei amicos gravibus tentationibus, curis, molestiis, anxietatibus sic expositos, ut omnino verum sit, quod Paulus dicit: Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur (orbatur senex pater carissimo sibi filio, iam adulto, in quo nonnihil spei ac gaudii sibi situm erat; cogitur hunc amandare, in exilium mittere, iubente id non solum uxore Sarah, sed deo): quum igitur haec, inquam, videamus, cur infirmitatem nostram non agnoscimus? cur variis tentationibus exerciti deo obmurmuramus ac impatientes sumus? Discamus hoc dei esse proprium, ut carissimos quosque summis obruat tentationibus. Discamus tandem etiam carissima quaeque propter deum relinquenda esse. Sic enim durat deus suos laboribus et adversitatibus, quo nihil carnale eos a deo avellat; quo ipsum per ignem et aquam alacres et expediti sequantur.

Et displicuit haec res valde in oculis Abrahae. Sic habent Hebraea. Gravis haec res visa est Abrahamo, inhumanum, crudele et durum videbatur paterno animo (nam per oculos idiotismo Hebraeus perpetuo mentem et cor intelligit), ut proprium filium ac dilectum eiiceret: primogenitus enim erat atque ob hoc carissimus.

Omnia quae dixerit tibi Sarah, audi vocem eius. Sic obviat divina providentia nostris consiliis. Quae nobis gravia et dura videntur, deus iubet et vult, ut fiant; ita abnegare se debet, qui Dei discipulus esse vult. Sarah *dominam* sonat, per quam fidem iuxta expositionem allegoricam intellige! Quicquid illa dictat, postpositis omnibus faciendum est. Non vult autem Dominus his verbis ut Abraham sub Sarah sit, aut quod Sarah caput sit Abrahami; sed refertur hoc dictum ad praesentem actionem; quasi diceret: Hac in re quicquid praeceperit pare!

Nam in Isaac tibi semen vocabitur. Hebraei verbo *vocabitur* pro *erit* creberrime utuntur; quasi diceret: Isaac erit hoc semen, de quo pollicitus sum; aut: In Isaaco erit tibi hoc semen. Item Luc. I. Filius altissimi vocabitur, id est erit. Ibidem: Quod nascetur sanctum, vocabitur filius dei, id est erit filius dei. Sensus ergo est: Quod Sarah facit, ex adfectu carnis facit; ego vero bene utar hoc consilio ad rem excellentiorem.

Potest etiam *vocabitur*, pro *veniet* exponi, prius pro posteriore: prius est enim quod vocatur quis, posterius quod venit. Quod item frequens est. Sic dicimus: Is vocatus est, id est veniet.

Sed et filium ancillae faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Subinde fulcit suos deus ac consolatur in tentationibus, ne frangantur. Ad cogitationem enim Abrahami ista respondent, cui dolebat Ismaelem contemni ac eiici. Discimus hic clarius, quod saepe antea dictum est, duplex esse semen Abrahami, spirituale et carnale, de quibus latius infra. Ambo semen, Isaac et Ismael, sed non ambo secundum promissionem, uterque magnae gentis typus. Rom. IX. et Gal. IV.

Surrexit itaque Abraham mane. Quantumvis grave ac durum

hoc ei videbatur, paret tamen ac promtissime divinae voci obedit. En vobis fidei promtitudinem!

Et accepit panem et utrem aquae, et dedit ipsi Hagar, ponens super humerum eius, et puerum, et amandavit eam. Magni sunt hic adfectus, talem ac tam dilectum filium amandare cum matre et nescio cui fortunae et casui exponere. Haec prudens lector considerabit, ut non sit opus diutius immorari.

Abiecit puerum subter unam arborem, quae ibi erat, et abiit. Verbo *proiiciendi* Hebraei in ea significatione utuntur qua Latini *exponendi*. Quare Latinus dicere potuit: Et exposuit puerum. Inde infantes expositittii aut expositi dicuntur, qui ut pereant abiiciuntur a parentibus. Desperabunda enim mater putabat puerum aestu moriturum; abscessit ergo, relicto puero sub arbusto, ne cogeretur mortem eius aspicere. Hoc ideo dicimus, ne quis Ismaelem putet infantulum fuisse, qui sic e manibus abiici possit. Natus enim iam erat annos aut quindecim aut sedecim.

Seditque e regione. Hoc apud Hebraeos eleganti schemate exprimitur; quasi diceres: Sedit se. Germani hunc idiotismum habent: Sy satzt sich, er stalt sich. Quibus verbis significatur eum non simpliciter stetisse, sed ob aliquam causam. Sic mater videre voluit, quem exitum tandem res sortiretur.

Dixit enim, non videbo mortem pueri. Causam subnectit cur sederit. *Cogitabat* enim (hoc significat *dixit*) intra se: Ecce puer morietur, quod ut videas, maternus adfectus non feret.

Et sedit e regione, levavitque vocem suam et flevit. Exaudivit autem Deus vocem pueri. Mater flet, et clamorem pueri audit Deus, hoc est: eam vocem quae pro puero edebatur.

Vocavitque angelus domini Agar de coelo, dicens: Quid agis Hagar? Noli timere, exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est. Hebraica aliter habent; tamen sensus plane idem est. Quid tibi Agara? noli metuere, quoniam audivit dominus vocem pueri in eo loco in quo est. Quis dominus sicut Deus noster, qui in altis habitat, et abiecta videt in coelo et in terra? nihil ei occultum, omnia perlustrat, omnia cognoscit. Sub arbusto, in deserto expositum videt, et desiderium ad se clamantium exaudit; nusquam suis deest Deus, ubique suos audit ac defendit. Vehemens ergo adfectuum expressio est in his verbis: Puerum iam feris et omnibus periculis expositum audit Deus. Magna deinde adflictorum et oppressorum consolatio est, Deum suis semper adesse, clamorem suorum in quocunque tandem sint loco exaudire, neminem despicere: nam serva erat Agar; attamen Deus mittit ei angelum qui eam consoletur.

In gentem magnam faciam eum. Non solum clamantem audit, sed insuper magnifica pollicetur. Quasi diceret: Tantum abest Agar ut puer pereat, ut etiam gens magna ex ipso sit nascitura. Sunt autem Ismaelitae ex Ismaele qui et Madianitae.

Et aperuit ei oculos Deus, et vidit puteum. Et vidit, id est: ut videret. Et pro ut. Prius aperti erant oculi Agarae. Sed hic aperire oculos pro aquam ostendere usurpat.

Et accepit illi mater sua uxorem de terra Aegypti. Mulierem Aegyptiam ducit Ismael, eo quod legis et carnis figuram gerit.

Totam hanc historiam longe clarissime tractat Paulus ad Galatas cap. IV. Ad illustrandum ergo totum hoc quod diximus, et ad videndum quatenus haec sint allegorica, verba Pauli exactius pervestigabimus. Paulus totus in eo est, ut fidei iustificationem ac salutem vindicet, non operum legis; deinde ut doceat hanc fidem inanem et otiosam rem non esse. Erant Galatae per pseudapostolos rursus a fide in opera adeo inducti, ut operibus iustificationem salutemque tribuerent. Hos Paulus fidus pastor, a faucibus luporum revocans, sic alloquitur: Dicite mihi, qui sub lege esse vultis, num legem ipsam non auditis? Hoc est: vos qui operibus legis iustificari et salvari vultis, qui legem in ore, in manibus tenetis, non intelligitis legem. Quandoquidem autem ita mordicus legi adhaeretis, proferam vobis ex lege exemplum quo errorem vestrum confutem. Scriptum est, Abrahamum duos filios habuisse, unum ex ancilla, unum ex libera. Verum is, qui ex ancilla natus est, secundum carnem natus est, hoc est ex consilio carnis, id est uxoris Abrahami. Nam Sara quum se videret sterilem, dedit marito ancillam, ut ex ea liberos susciperet. Hoc carnale erat consilium. Qui vero ex libera, per repromissionem, id est ex promissione Dei, nempe Isaacus. Iam in textu Pauli sic sequitur, ἅ τινά ἐςιν ἀλληγορέμενα, quod Latinus interpres vertit: Quae sunt per allegoriam dicta. Dicere potuisset: Quae et per allegoriam exponi possunt: non enim primitus per allegoriam dicta sunt, sed vere facta. Paulus autem pro nato isthic loci proposito allegoriam ex re gesta facit. ' Res gesta est, sed in figura: nam haec sunt duo testamenta; hoc est: duo isti filii (nam filios comparat) figurant duos populos, eos scilicet qui sub lege esse volunt, id est qui per opera legis iustificari volunt, quorum typus est Ismael. Quemadmodum autem Ismael patris haeres esse non potuit, ita filii legis et servitutis haeredes vitae aeternae non erunt: nam servus non manet in domo paterna perpetuo. Et eos qui sub gratia sunt, qui liberi a servitute sunt legis (quorum typum gerit Isaac), qui quidem sunt filii ecclesiae, sponsae Christi. Textus: Unum quidem a monte Sina, in servitutem generans, qui est Agar. Quasi diceret: Agar, id est, filius ex Agara natus, legem significat. Nam Agar ancilla fuit; ergo et filius. Nam si mater est libera: et proles, etiamsi pater servus est. Locus autem, ubi Ismael cum matre Agara habitavit, prope Sina est. Agar est Sina; id est Agar significat nobis montem Sina, qui confinis est Hierosolymae, hoc est Ismael frater fuit Isaaci. Servit autem cum filiis suis. Populus Agarenus, qui montem habitat in deserto, fuerunt servi. At quae sursum est Hierusalem. Ecce quam brevibus et siccis verbis Paulus utatur! Iam dicere debuit: Isaac autem habitavit Hiersolymis; haec breviter transit et dicere vult: Hierusalem aut Isaac cum matre sua Sara significat nobis ecclesiam fidelium, quae e coelo nata est (nam Hierusalem non erat e coelo nata). Ecclesia mater nostra est, et huius filii liberi sunt. Neque docet Paulus carnis libertatem, sed spiritus. Nam qui spiritum Dei habent, liberi sunt; qui

vero sic sunt liberi, legi non repugnant, in legem non peccant, neque literae neque spiritui legis repugnant.

Hierusalem ergo illa, in qua sacrificium erat et veri dei cultus, significat spiritalem Hierusalem, id est omnes fideles, veros dei cultores, significatque eos esse liberos, ita ut amplius non sint sub servitute legis, quemadmodum filii Agarae. Hoc est: ut mater Isaaci libera erat non serva, ita et ecclesiam fidelium, quae libera est, adumbrat. Haec vero ecclesia non ex Pontifice, non ex conciliis nascitur, sed e coelo, obumbrante et foecundante spiritu sancto. Qui per spiritum illustrati Christo fidunt atque eius amore ducuntur, hi vere liberi sunt; quod si liberi, et haeredes. Hoc quoque hic annotandum, quemadmodum Isaacus Abrahamo et Sarae tum tandem datus est, dum essent effeto corpore, et viribus exhaustis, ita neminem fidei fructus producere posse, qui potens vult esse operibus, sed qui peccatum suum agnoscit, atque de sese desperans ad solam Dei gratiam et misericordiam supplex accurrit.

Eodem tempore dixit Abimelech, et Phicol princeps exercitus eius, ad Abraham, Deus tecum est in universis quae agis, iura ergo per Deum. Chananaei, tametsi moribus erant corruptis et pravis, videntur tamen religione et veri dei cognitione Christianos, qui saeculis aliquot fuerunt, longe antecelluisse; imo quosdam, qui etiamnunc se pro Christianis venditant. Cuius rei argumentum evidens hic habemus: primum agnoscit divitias ac felicitatem Abrahami divini numinis munus esse; quod nos aut fato aut industriae aut divis non raro acceptum ferimus. Atque hoc in causa est, quod Abimelech tantus rex Abrahamo advenae et peregrino tam promte cedit, quod in eo numen caeleste agnoscit. Sic pietas facit: cedit deo, dat honorem deo et iis qui dei sunt. Vide autem quid plerique nostra tempestate faciant, qui optimi Christiani videri volunt, revera impii homines; qui divina voce admoniti non cedunt, sed contumaciter ac ferociter resistunt atque obstrepunt, et claram Evangelii lucem, quam plane agnoscunt et contra quam nihil possunt, extinguere nituntur atque etiam insidiis, dolis et variis technis contra veritatis ministros agentes odio habent deum, et pios omnes persequuntur.

Deinde fit hoc clarum, Abimelechum, ethnicum licet regem, Abrahamo non divos proponere, non patres, ut Noachum vel Hanochum, sed deum ipsum, ut iuramentum soli deo fiat. Ubi iterum discimus, ethnicos quosdam in fide et integritate Christianis plerisque longe praestantiores fuisse: adstringebant enim iuramentis ad verum deum, qui nec fallit nec falli potest. Nos non contenti deo sanctos quoque adponimus, quasi graviori poena nos obstringamus, dum iusiurandum non servaverimus, divis minus quam domino conniventibus. Tametsi, ut opinor, maiores nostri per sanctos non divos, sed ecclesiam fidelium intellexerunt, ut si periuri essent non solum deum se negare testarentur, sed insuper faterentur se dignos qui a fidelium coetu et sanctorum societate excluderentur. Sed de iuramento plura infra.

Deus fuit cum Abrahamo in omnibus quae agebat. Ubi procul dubio quisque facile discit, Abrahamum, quaecunque egit, cum deo ac

per deum coepisse ac perfecisse: nam non est malorum cooperator deus. Curemus ergo ut cogitationes nostrae, consilia, verba, facta, denique omnia in deum tendant; et erit dominus semper nobiscum.

Iura ergo mihi per Deum, ne noceas mihi, filiis meis et nepotibus meis. Summa iuramenti et foederis, ad quod se mutuo adstringunt, hic expressa est. Qua in re nos quoque discimus, quatenus foedera et pacta pangere liceat: Si scilicet ad pacem, ad tranquillitatem publicam, ad patriae contra vim defensionem amicitiae petantur, et societates iungantur. Quo quum non spectamus sed ad Philipporum Pyrrhorumque aes et aurum, ideo nunc vulgo ex foederibus foeda facta prodeunt.

Iuxta beneficium quod feci tibi, facies mihi. Nam Abimelech Abrahamo regni sui prius copiam fecerat peregrino.

Et terrae in qua versatus es peregrinus. Duplicem emphasim habent haec verba. Quasi diceret: Ego qui rex sum, potuissem te opprimere, fallere, expellere; at quandoquidem video tecum esse deum, facio tecum, licet peregrino, foedus. Secundo: Tu Abraham peregrinus es in terra mea; quare decet ut pacifice et humaniter vivas erga eos, quibus cum conversaris et habitas. Observa regis Ethnici integritatem et fidem! eum quem opprimere et circumvenire poterat, in amicitiam et societatem recipit.

Et increpavit Abraham Abimelech propter puteum aquae, quem vi abstulerant servi eius. Verbum increpavit aut corripuit, quod Latinus ex יכח, iaka, traduxit, durius est, quam ut peregrino erga regem conveniat. Est ergo sensus, quod hoc de puteis in medium attulerit, violentiaeque servorum Abimelechi mentionem fecerit. Germanice: Er hat inn anzogen des frävels und mutwillens halb, so sine diener mit imm brucht hattend. Longanimis fuit et patiens Abraham: diu enim dissimulavit ac tulit, quod regis servi vi sibi puteos occuparent. At statim quum captum esse Lotum audiit, accurrit, vindicat, defendit. Sic ad iniurias suas vindicandas pii debent esse tardi; ad proximorum celerrimi.

Percusseruntque ambo foedus. De foederibus paciscendis satis supra diximus. Iam de iuramento, sine quo nec foedera nec societates nec respublicae constant, visum est pauca inserere, quod iuramenta apud Christianos in tantum abusum venisse videmus, ut quum temere et in quavis vel levissima causa praestetur et exigatur, tum magis temere et leviter violetur. Dicamus ergo quid sit iuramentum, et in quem usum inventum sit! Neque enim res nova est aut a nobis conficta, sed apud omnes gentes sacrosancta et inviolata. Exorti sunt hisce temporibus periculosissimis contentiosi [1] quidam, qui praeter ceteros, quos serunt errores, Christianos iuramenta nec praestare nec exigere posse, fortiter asseverant, innixi nimirum verbis Christi Matthaei V. ubi dicit: At ego dico vobis, ne iuretis omnino! quum tamen Christus illic nihil de iureiurando, sed de frivolis et vanis blasphemiis, deprecationibus, devotionibus et iurationibus, quibus, proh dolor! ora Chri-

[1]) Anabaptistae.

stianorum adsueta sunt, agit. Atque hic obiter videmus quanti referat Christum ex litera resipere, quanti ex spiritu. Sed Christi verba penitus ac exactius examinemus! Quum explicaturus esset Christus legem: in eo sermone, quem in monte ad discipulos fecit, exempla quaedam ex lege docendi gratia protulit. Inter cetera autem sic ait: Audistis dictum esse antiquis: non peierabis, sed domino persolves ea quae iuraveris? At ego dico vobis, ne iuretis omnino! Ac si diceret: Tam abest, ut iuramenta vetem praestare, ut doceam persolvenda esse iuramenta domino deo facta. At periurium summopere veto ac detestor; quapropter moneo, ut quae iurastis praestetis, ne periurium incidatis. Verum a quotidianis illis blasphemiis et frivolis iuramentis omnino abstinete! Non iurabitis itaque neque per coelum, neque per terram, neque per ullam rem. Nemo iurare debet nisi per nomen dei; hoc autem nullo pacto debet leviter et absque magna necessitate, ac nodo vindice digno. Non enim impunis erit, qui nomen dei temere et vane assumserit. Quod si omnino iurandum est, nimirum gloria dei aut caritate proximi postulante: iuretis per nomen dei; idque quod iurastis inconcussum et inviolatum servetis! Beati enim omnes qui iurant in eo. Extra hunc casum sermo vester quotidianus, quo alter alterum alloquitur, alter cum altero agit, simplex sit et verus; ut nae sit nae, et non sit non. Qui itaque iuramentum e medio tollere conantur, omnem nimirum obedientiam, qua vel magistratibus publicis vel privatim proximo devincti sumus, tollunt, ut deinde fronte posita licenter in omne facinus erumpant.

Porro iusiurandum robur et firmitatem habet in duobus praecipuis mandatis, dilectione scilicet dei et proximi, hoc est, in fide et caritate. Nam (ut est carnis sive malitia sive infirmitas) omnes mortales fallunt, mentiuntur atque labuntur. Deinde nemo tam circumspectus est, nemo tam prudens, quin circumveniri et falli aliquando possit. Atque hoc tam certum, verum et indubitatum est, quam solus deus verax est. Quandoquidem ergo hominum tanta est malitia, tanta inconstantia, tanta vanitas, nobisque abstrusa cordis humani incognita sunt, ac minus perspecta: fit plane, ut mortalium nulli fides sit habenda. Unde ergo nostram proximique mentem dubiam ac vacillantem tranquillabimus ac fulciemus, quum in rebus humanis nihil certum, nihil firmum esse comperimus? Profecto solus deus erit, qui pacatam et securam mentem nostram reddat, si nos huic vera fide adstrinxerimus. Qui ergo in rebus seriis, arduis et sacrosanctis aut proximo praestat aut a proximo exigit sacramentum, perinde facit ac si diceret: Vide frater, ambo mortales sumus, mendaces ambo et fallaces. Tu dicis te metuere et colere deum, et ego hunc eundem deum metuo et colo. Adstringemus ergo nos sacrosancto iuramento illi summo, aeterno, vero et incommutabili deo, qui nec fallit nec falli potest; ut qui fallat, fidem in deum fregerit gravissimaeque se poenae subiecerit. Vide quanta res sit iuramentum! vide rursus quanta sit poena dignus, qui peierat, qui non solum in proximum, sed in deum quoque perfidus est! Est ergo iuramentum omnis controversiae inter homines finis (ut Paulus dicit ad Hebraeos

sexto), nempe quod per eum iuratur, qui mentiri non potest; atque homo, qui homini non credit, deo qui a iurante in testem vocatur credere cogitur. Non ergo temere iuramenta sunt praestanda aut exigenda, sed solum in arduis et maximis causis; dum dei gloria vel proximi usus hoc postulat. Qui autem sic iurat, hoc est, qui se sic deo summa religione et fide adstringit, Deumque qui veritas est in testem devocat, potius vitam amittere, quam iuramentum non praestare debet. Qui autem iureiurando adactus iuramentum praestiterit atque deinde peierat, extremo supplicio dignus est. Extremum enim scelus est periurium. Nam peierare aliud nihil est, quam deo, qui est veritas et iustitia, ad mendacium, ad fraudem, ad iniustitiam abuti. Quo scelere quid gravius aut atrocius excogitari potest? Qui enim peierat, dominum prodit: non quod domino mali quid isthinc accidat; sed in caput peierantis recidit proditio. Sic et istud intelligendum: Reus erit corporis et sanguinis domini: prodit enim se ipsum, qui non ea fide, qua debet, accedit. Reus ergo fit proditi corporis, dum non minus delinquit quam si ipsum corpus prodidisset: est enim ethologiae species. Hoc quoque hic non praetereundum est, ubi Latinus legit; Percusserunt ambo foedus, Hebraeum legere: Et exciderunt ambo foedus: apud veteres enim columnis erectis incidebant foedera. Hinc nimirum כרת, carath, unde et Graeci suum χαράττειν mutuarunt, id est excidit, pro pepigit aut percussit, Hebraei usi sunt: Sy hand einen pundt mit einander yngeschnitten; quemadmodum apud nos schedas excindimus. Debent ergo foedera et pacta publica esse et omnibus nota: neque enim ignorante populo pangenda sunt, utpote quorum maxime interest haec scire. Debent saepe legi, relegi ac inculcari; nocturna versari manu ac diurna. Nostra tempestate conduntur, ut nemo quid de eis noverit, quam hi qui ingentem hinc pecuniam venantur ac emungunt; qui foederibus pro verriculis utuntur quibus innoxios irretiant ac piscentur. [1]

Septem agnas. Hoc plane ceremoniale est; sed notandum eadem dictio שבע, schaba, quae septem apud Hebraeos, etiam iuramentum significat. Iuramentum ergo a *septem* nomen habet, quod is numerus sacer, absolutus et celeberrimus Hebraeis habetur; deinde in sacris literis maxima continet mysteria. Ideo Abraham septem agnas statuit. Abraham fidelium, Philistaei aut Chananaei impiorum personam gerunt; pii ac fideles ab improbis et impiis semper persecutionem patiuntur. Id nequaquam est omittendum, quod et apud Romanos caede porci (ut est apud Livium post initium primae decadis) foedera consecrabantur. Lege!

CAPUT XXII.

Grande et excellens factum hoc capite describitur, in quo nobis figuratur et vere exprimitur ardentissima dei erga nos caritas, qui

---

1) Pacta de locandis copiis armatorum, quae cum principibus exteris facere solebant Helvetiorum curiae singulae et comitia Confoederatorum universa.

proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum. Nobis ergo haec facta sunt in exemplum, ut incredibile nobis haudquaquam esset, quod deus daret filium suum pro nobis, quum videremus hoc deum ab Abrahamo exegisse. Isaac enim typus Christi est.

Tentavit Deus Abraham. Ἀνθρωποπαθῶς omnia intelligenda sunt: nihil enim deum latet, nihil eum fugit qui novit omnia. Non ergo sic tentat, ut exploret ea quae prius nescierit; sed fidem nostram tentat deus, ut nos erudiat, ut Abrahami fidem illustrem ac manifestam faciat nobisque huiusmodi exempla ad imitandum proponat. Sic factum est in Chananaea Matth. XV. et in muliere profluvio sanguinis laborante. Quibus exemplis docemur et confirmamur, ut nullis tentationibus, nullis aerumnis, nullis castigationibus, quamlibet magnis, a deo divellamur: nam amantibus dei omnia ad bonum conferunt. Deinde nihil est quod nos a caritate dei, qui filium suum pro nobis tradidit, separare possit. Sed quanto plus tentat, castigat, repellit deus: tanto nos magis ad eum clamemus, donec exaudiat, scientes eum esse fidelem, veracem et misericordem. Tales discipulos quaerit deus, qui nullae rei adhaereant aut fidant quam ipsi, qui carissima quaeque parati sint sui gratia relinquere, imo se ipsos. Hoc est quod Christus dicit: Qui vult me sequi, abneget semetipsum et cetera.

Deus ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum. Sensus a Latino interprete probe est redditus. At emphasis verborum Hebraicorum nescio an in aliena lingua reddi possit: tam miris coloribus, tam vehementibus verbis adfectus exprimit Moses sua lingua; sed tentabimus, quantum fieri potest, Hebraica explanare. „Tolle quaeso filium illum tuum, unicum illum, quem vehementer amas, illum scilicet Isaac, et vade!“ Hebraei singulis ferme dictionibus articulos praeponunt quam vehementiam nos per pronomen *illud* expressimus. Nam haec vox Latinis quoque emphasim quandam et altiorem significationem habet, si quando per eminentiam et dignitatem ponitur. Dicit ergo: Tolle quaeso! Et haec particula נא Hebraeis magnam vim aut adhortandi aut obsecrandi habet, quam Latini per *obsecro* vel *quaeso* saepe reddunt, nonnunquam per *age*, *agedum*, *eia*. Unigenitum dicit Latinus, Hebraeus unicum; quae dictio Latinis non modo solum unum, sed et pretiosum significat, dilectum, super omnia carum. Sic etiam vox Hebraea ambo habet significata: יחיד, iehid, enim et unigenitum et summe dilectum significat. Necesse autem est, ut hic posteriorem significationem intelligamus: nam alioqui Isaac unigenitus non fuit, cum et Ismael filius esset Abrahami. Idcirco LXX transtulerunt ἀγαπητὸν: quasi dicas *unice adamatum*. Erat autem Isaac unicus filius, scilicet promissionis, atque ob id patri multo carissimus; quod vel in senecta sibi ex coniuge natus, vel in eo spes posteritatis et benedictionis promissa esset. Illum ipsum Isaacum accipe, qui a laetitia nomen habet, erga quem magno amore et gaudio adficeris. Adpellatio eorum, quos magnopere diligimus, vehementer grata et dulcis est magisque nos adficit. Vide quam singula verba adfectus movent patri doloremque summum incutiunt. Docet autem nos his exemplis

deus, omnia contemnenda esse propter deum; nullum esse tam vehementem adfectum, cui non sit renuntiandum si deus iubeat, si dei gloria hoc requirat. Nam adfectus parentum in liberos maximus est et vehementissimus. Mons Moria hic vocatur per anticipationem: nam hoc nominis ei postea ab Abrahamo datum est a visione.

Et surgens mane Abraham, stravit asinum suum, ducens secum duos pueros, et Isaac filium suum. Summo diluculo, sub lucem, ad matutam surgit Abraham, alacriter et promte divinae vocationi parens. Dicis: Quomodo tam inhumanae et crudelissimae iussioni credere aut obtemperare pius vir potuit? nonne mentem eius subire debuit haec cogitatio: Ecce vox haec dei esse non potest, quae te filium proprium occidere iubet, in quo tibi tanta posteritas a deo promissa est? Ad hunc modum etiam hodie quidam inter Christianos dicunt: Quis me certum reddet an haec vox, hoc verbum, dei sit an impostoris? His ergo, ut simul utrisque satisfaciamus, sic respondemus: fidem et dei verbum tam certa, tam firma atque indubitata esse in corde piorum, ut esse alterius ne cogitare quidem possint. Sed huius rei quum inexpertes sunt infideles: haud quaquam capere possunt, quae dicimus. Res enim est ac experimentum fides, non sermo aut ars. Ut enim Abrahamo vox ista dei, quae proprium filium occidere iubebat, illum inquam per quem sancta illa posteritas erat promissa, nota erat, quod esset vox eiusdem qui promiserat — etiamsi humana ratio aliud non immerito dictare potuisset, nempe: Haec vox seductoris diaboli est. Qui enim fieri posset, ut te illum iubeat mactare, quem paulo ante dedit ad propagandam posteritatem? Sed nihil est infirmatus fide, accingitur, ignem lignaque componit, amata teneraque membra inexpertus, sive lictor sive sacerdos, colligat, gladium educit, paulo minore haud dubie dolore quam si per suum ipsius cor traheret; imminet (papae quanta cum perturbatione animi) innocenti cerviculae ac toties deosculatae. Quae omnia solius dei, quo mirabilis esset in oculis nostris, fuerunt opera. Nisi enim se intellectui ipsius Abrahami sic ingessisset, ut is non ambigeret hanc vocem dei esse, frustra fuisset imperatum. Ut, inquam, vox ista dei soli Abrahamo notissima erat, ceteris vero omnibus impostoris esse visa fuisset: sic quae de fide in Christum, de verbo dei deque innocentia Christiana a piis dicuntur, non capient, qui fidem potius docti sunt quam experti. Ingerit ergo sese summus ille pastor sic suarum ovium mentibus, ut de voce eius intus loquentis nihil dubitent, imo alienorum voces ne admittunt quidem. Iam vide quam stupidi, quam amentes, nedum stulti, sunt principes tyranni, qui contra deum coniurarunt ac pugnant; qui simplicem plebeculam a voce dei prohibent, atque ut papisticis commentis credant cogunt. Stultius enim faciunt, quam qui adfectus naturae conarentur evellere aut qui hominem vi cogere tentarent, ne se, vitam liberosque tueretur. Plus enim valet gratia, vox et tractus dei patris in corde fidelium quam natura.

Hebraeus dicit: Vincivit asinum, quod ephippia loris ac ligaminibus quibusdam vinciuntur. Graeci ἐπέσαξε dixerunt, adduxit asinum, quod nimirum ea tempestate adducere idem erat, quod Latinis praeparare

aut sternere. Vehementer enim est interpretibus spectandum, quis linguarum quaque tempestate fuerit usus.

Die autem tertio elevatis oculis, vidit locum procul, dixitque ad puerum suum, expectate hic cum asino, ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. Nihil opus est hic curiosis quaestionibus involvi, peccaverit ne Abraham mentiendo. Nam filium, quum immolaturus esset, quomodo ambo reverti potuerunt? Tametsi synecdocha defendi Abraham potest (nam ipse rediturus erat, etiamsi filium occidisset): tamen mentitus non est. Neque enim mentitur, qui secretum aliquod celat, ne quid periculi inde nascatur. Quare in divinis rebus et dispensationibus non debemus temere iudicare. Sic Moses, quum vellet populum ex Aegypto educere, non dixit Pharaoni: Exibimus aut emigrabimus e regione nunquam reversuri, sed iter trium dierum ibimus etc. Quandoquidem verba textus plana sunt ut ampliore expositione non egeant, et historia ipsa partim doceat, partim sacrosancta adumbret mysteria: ad exempla et typos iam convertamur. Nam talia legendo aut audiendo ciere adfectus non solum utilissimum est, sed et summe necessarium. Sic enim legendae sunt sacrarum scripturarum historiae, ut etiam sentiamus adfectus eorum, quibus cum operatus deus, sed ita ut in nobis quoque fidem excitent. Prodest quidem nosse tentationes et adfectus quid possint, quantaque sit eorum vis; sed non solum ut scias, sed ut afficiaris ceterorumque miserearis. Atque haec est causa, cur filium suum Deus carne vestiret, omnibus tentationibus et cruciatibus eum pro nobis exponeret faceretque eum fratribus per omnia similem, ut esset fidelis et misericors pontifex in his, quae apud deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc, quod ipsi contigit, tentatum esse, potest et iis qui tentantur succurrere. Tentatus est Christus per omnia, ut haberemus pontificem qui nobis compati et sensu infirmitatum nostrarum affici posset. Quae diximus, exemplis clariora fient. Dum pueri famelici clamant: Da panem pater, statim oboritur tibi haec cogitatio: Ah quantus dolor, si iam nullos omnino haberes panes, quibus famem tuorum depelleres? Sed hoc satis non est, nisi pergas sic cogitare: Ecce quanto dolore torquentur ii, qui nihil habent, et quibus desunt quae tibi abunde suppetunt, qui aerumnam et famem liberorum suorum aspicere coguntur, nec habent quo depellant? Hoc tandem docebit te aliorum misereri eorumque inopiae ac egestati succurrere, atque ad omnem buccellam, quam ori admoves, suspirare, gemere et exhorrescere, ut Iob aiebat. Videtis fratres carissimi, quam ob causam Deus tam graves tentationes suis immittat, et quod non solum periculosae non sunt, sed salutares? nempe quae fidem promovent ac illustrant. Aguntur ergo haec et scribuntur, non solum propter Abrahamum, sed ob eos omnes qui filii sunt Abrahami, ut semper ob oculos habeamus hunc virum fide et pietate insignem, quantisque eum Deus tentationibus exercuerit. Sed non obiter aut in superficie haec transcurrenda exempla, sed oculis fidei diligentius singula perlustranda sunt. Considera primum quales quantasque cogitationes haec vox (tolle filium tuum illum carissimum) in viro excitarit, et quomodo in fidem eius simul universae

carnis copiae impetum fecerint. Imperat Deus ut mactet filium suum illum unicum Isaacum, gaudium scilicet animi sui. Quibus putas aculeis cor eius in amorem filii, non solum posteritatis gratia, sed et promissionum spe iam accensum, haec vox transfigit? Ut horret, ut tremit cor pientissimi patris, dum tam durum audit imperium: Iugula filium illum tuum unice dilectum Isaacum, quem ex uxore, ex promissione dei, in senectute tua suscepisti? Suscitantur autem subinde paterni adfectus crebris et repetitis appellationibus, iisque dulcissimis. Durum et nimis horrendum fuisset patri, si per alienam manum filium iugulari vidisset; quanto magis quum ipse hoc propriis manibus efficere iubetur? Minus erat si mandatum hoc ei tum primum datum fuisset, quum cum filio montem iam ascenderat; sed cum filio trium dierum itinere cogitur pergere pater, ut ex quotidiana et crebra allocutione, ex aspectu frequenti, dolor animi subinde augescat, ac viscera paterna collidentibus cogitationibus crudelius discerpantur. Quis autem cogitatione adsequi, ne dicam exprimere satis posset, quantum haec vox, quam edit filius, vulnus animo paterno inflixerit: Pater mi? et rursus pater: Ecce me fili mi? Iterum quum iam conscenso monte deamata ac tenera pueruli membra colligat, arae imponit, ferrum stringit et percutit? In his omnibus fides Abrahami superat et victor abit; quam Paulus non infirmatam fuisse, sed robustiorem factam dicit. Insigne ergo et nobile exemplum omnibus in Abrahamo praefixum est, quo admoniti a proposita spe nusquam recedamus; quantumvis nos tentet Deus. Tu iam ex historia disce fortiter et infracto animo ferre, quicquid adversorum acciderit! laetus et alacer omnibus renuntia! Nihil sit in mundo tam pretiosum tamque carum, quod amore Dei sponte et cum gaudio non sis abiecturus! Si filii Abrahami sumus, fidem et opera Abrahami imitari debemus. Si uxorem, si liberos plus amas quam Christum: Christo commodus non es.

Iam brevibus huius historiae mysteria excutiemus. Abraham senex dei patris personam gerit, qui mundum adeo dilexit, ut proprio filio suo non parceret, sed eum pro nobis in mortem daret. Praelusit enim Deus hoc facto ut, olim Christo veniente et pro nobis moriente, agnosceremus talia praefigurata fuisse, faciliusque crederemus. Isaac typus est Christi, qui verum animi gaudium est, vera pax, vera tranquillitas. Triduum non caret mysterio: nam tertia die resurgit Christus, qui in fidelium cordibus mortuus esse iudicabatur. Abraham stravit asinam; Christus asina, dum tempus passionis instat, Hierosolyma venit. Duos pueros seorsum praestolari iubet Abraham, dum redeat; Christus nimirum hoc perfectio. tres secum ducit in mortis angustia, ut videamus veritatem umbram superare. Imponit ligna super Isaacum pater; Christus sibi crucem baiulat, sacerdos et hostia.

Ignis et gladius in utramque partem accipi possunt: est enim ignis, quem Christus secum e coelo in hunc mundum detulit, ut in fidelium mentibus vehementer accenderetur; est ignis in quem deiicientur impii. Est gladius divini verbi qui omnes carnis adfectus amputat, et est gladius quo secantur hypocritae. Qui ergo primo igne accensi aut gladio divini verbi accincti non fuerint, experientur aliquando ignem

illum nunquam extinguendum, ferientur gladio divinae ultionis. Est enim Christus petra scandali et lapis offensionis, positus in resurrectionem et ruinam multorum in Israel. In Christo duplex est natura. Aries humanitatem signat in Christo, quae in ara crucis sacrificata est: nam divinitas pati non potuit. Quod autem post Abrahamum pependit in vepribus, significat Christum, tametsi Abrahamo fuit promissus, tamen longo post eum tempore venisse et exhibitum esse. Dicis: Si Isaac typus est Christi: cur ergo non moritur, quemadmodum Christus? Respondeo: Isaac non fuit illa hostia, quae perlitatura erat; sed voluit Deus dare filium suum, qui pro totius mundi delictis occideretur. Ideo in veteri Testamento pecuina erant sacrificia, quousque veniret vera hostia Christus. Quod si Isaac per omnia similis esset Christo, non iam figura, sed veritas esset. Plura si quis cupiat: ex Origene ceterisque petat! nos hisce brevibus contenti vela colligimus, tametsi plusquam annotationibus et rapsodiis conveniat evagati sumus; sed hoc ideo factum est, ut liceat nobis in posterioribus quaedam breviter transire: putamus enim diligentem et pium lectorem sequentia ex praedictis facile collecturum esse.

Extenditque manum, et arripuit gladium ad mactandum filium suum. Exprimit adfectus Moses. Quasi diceret: Tanta erat vis fidei, ut adfectibus imperaret et manum cogeret, contra adfectus facere quod nollent. Vide quam sit res fortissima fides! Nonne debebant concidere brachia? nonne cadere exanimis Abraham? Si cecidisset puer Isaac, profecto pater manum citissime supposuisset; sed iam manum mittit ad gladium, ut filium trucidet.

Et ecce angelus domini de coelo clamavit, Abraham Abraham, qui respondit: Adsum. Dixitque ei: Ne extendas manum tuam super puerum. Adparet in tentatione Dominus, et consolatur auxiliumque mittit. Atque id indubitatum et certissimum est Deum in tentationibus facere exitum; quibus vero viis aut mediis, id demum incertum est nobis. Unde non temere est, aut leviter dictum veteribus: ὁ ϑεὸς ἀπὸ μηχανῆς, hoc est de machina, quod improviso Deus scilicet auxilio est, adcurrit et servat.

Nunc cognovi quod timeas dominum, et non pepercisti filio tuo unico propter me. Hebraica magis sunt elegantia: Ne extendas manum tuam super puerum nec feceris ei quicquam, quoniam nunc cognovi quod times tu deum, quod non pepercisti filio tuo unico a me. Hic nota, ubicunque in Hebraico contextu duo כי, ki, sibi mutuo respondent, primum per quoniam vel quandoquidem, vel quia; secundum per quod vel ideo vel sed exponi debere: ut hic, et statim infra: Quoniam vel quandoquidem fecisti hanc rem, ideo benedicam te etc. Hoc in Psalmis observandum: nam frequenter occurrit. Item exemplum huius rei 1. Reg. VIII. Quia non te abiecerunt, sed me. Deinde ו non copulativa est, sed rationalis, quum Latinus dicit: Et non pepercisti, ולא חשכת, velo hasachtha, id est, eo quod non pepercisti. Hoc ipso cognovi te metuere deum, quod non pepercisti filio tuo. חשך, hasach, omnes pro parcere hic exponunt, quum tamen aliae significationes huius verbi magis hic quadrarent: significat enim abscon-

dere, removere. Sic infra cap. 39. dicit Ioseph uxori domini sui: Et non removit a me quidquam dominus meus. Quasi diceret: Nihil tam carum habuit, quod me celaret, quod a me absconderet. Nam ea quae nobis maxime sunt cara, non facile communicamus aliis, sed abscondimus et ab eorum aspectu removemus, ne aliquo modo laedantur; et sic etiam dicimur eis parcere. Sensus ergo est: Tametsi filius tuus ille unicus Isaac sit tibi longe carissimus: plus tamen me diligis. Quod hinc liquet, quod tam carum filium a me non removeris, mihi non subduxeris: noluisti ei parcere, sed interficere ad iussum meum. Quod autem angelus personam tam repente mutat (novi quod metuas dominum, eo quod non pepercisti filio tuo propter me) ostendit angelum in persona eius loqui, cuius rem agit, nempe Dei. Induit enim personam dei et loquitur verba dei, quod multis in locis observandum est. Postremo hoc quoque observandum, omnia haec ἀνθρωποπαθῶς esse dicta. Nam et antea noverat Dominus fidem et pietatem Abrahami. Sed scribuntur haec propter nos, ut sape iam dictum est. Nam quis nos certos reddidisset de obedientia et fide Abrahami, si haec literis non essent prodita? Non latebat deum, qui novit omnia. Potuisset multis Abrahami factum videri impium, et parricidium magis quam pietas iudicari; ideo tam magnis laudibus a deo evehitur, et metus dei ab angelo pronuntiatur. Hinc discimus pietatem ac fidem tum demum veram esse, si hos fructus proferat; nempe, si nihil tam carum est in mundo, quod non statim deo iubente relinquere parati simus. Hoc est Deum metuere nihil Deo praeponere, nihil tam carum, nihil tam pretiosum existimare ac Deum. His ergo verbis nihil aliud dicit quam: Fides tua, o Abraham, mihi satis iam perspecta ac explorata est: non solum patriam tuam me vocante relinquere, sed et filium tuum unicum ad imperium meum iugulare paratus fuisti. Tales cultores ego agnosco ac probo, qui me nihil ducunt antiquius, qui propter me omnibus renuntiant, omnia negligunt.

Appellavit nomen loci illius, Dominus videbit. Non puto hunc montem ab Abrahamo (Dominus videbit) adpellatum esse, eo quod Dominus eum illic vidisset: nam alias quoque eum viderat; sed quod in tam ardua et desperata re tam repente adfuisset et e periculo liberasset. Quod etiam ex responsione Abrahami ad filium clarum fit, quum dicit: Dominus videbit de victima, fili mi! Hinc nimirum factum est, ut deinde in quacunque ardua et dubia re fideles dicerent: Dominus videbit, hoc est, exitum ostendet, liberabit, aderit, opem feret. Nam tentatio dicenda non est, ubi tute exitum et opem noveris. At quum sic undique te premunt mala, ubi sic circumvallatus es, ut exitus nullus ne sperandus quidem sit, nullum auxilium; ubi homines, etiamsi vellent, praesidium ferre non possent: haec demum est tentatio, ubi solius dei auxilium et imploras et expectas. Tum repente aderit dominus et e mediis procellis educet in se sperantes. Quod ergo apud fideles est: Dominus videbit, hoc Graeci adagii vice dicunt: ὁ θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, ut paulo ante dictum est.

Vocavit autem angelus domini Abraham secundo de coelo, dicens: Per memetipsum iuravi, dicit dominus, quandoquidem

fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unico, Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, sicut stellas coeli, et velut arenam in littore maris. Quid hoc? Annon Abraham vir tantus deo fidit, ut opus sit iurare deum? Iurat Deus non propter se, ut ei non sit fidendum, aut ut fallat, neque diffidit Abrahám, sed vere et constanter credit. Sed ut ostendat Deus, quanta humanum genus caritate complectatur, eo more atque amore se Abrahamo conglutinat atque familiarem se facit, quo solent homines erga eos, quos certos volunt reddere. Nam quandoquidem inter homines omnis controversiae finis est iuramentum, voluit Deus cum Abrahamo humano more agere. Qua in re hoc quoque notandum, Dei et proximi, deinde publicae tranquillitatis et pacis gratia posse iuramenta praestari et exigi, quandoquidem videmus deum ipsum Abrahamo iurasse. Nemo iam dicat: Non ausim accedere deum, quem videat patribus tam familiarem fuisse, ut etiam se humano more iuramento eis adstringeret. Ad ipsum ergo solum curramus, huic uni adhaereamus: zelotypus est; nôn feret si apud alium opem implores, si alium amatorem admittis.

Quia fecisti hanc rem. Et tamen filium non occiderat, nec secutum erat opus. Hic videmus voluntatem et adfectum pro opere a deo reputari; sive bonus sit sive malus: ut Christus explicat Matth. V. Si quis viderit mulierem. Sic Ezechielis XVIII. Si converterit se impius. Animus Abrahami iam propenderat ad filii occidionem; occisus plane erat filius a patre, nisi angelus domini praecepto intervenisset. Ex hoc loco clarum fit dictum Iacobi cap. II. ubi dicit, Abrahamum iustificatum fuisse, non ex fide, sed ex factis. Atque illud videtur multis pugnare cum doctrina Pauli ad Rom. IV. Nam is docet Abrahamum non ex factis, sed ex fide iustificatum fuisse. Ambo ergo fidem ex operibus metiuntur, hoc est, uterque hanc dicit esse veram fidem, quae fructibus se prodat operibusque exprimatur. Qui autem fidem se habere dicunt neque eam fidem operibus et factis probant, hypocritae sunt, non fideles. Obedientia ergo et facto isto ostendit se Abraham deo fidere, ac fidem, quam in Deo ponebat, occisione filii expressit. Idcirco angelus quoque dicit: Quia fecisti hanc rem. Atque huc respexit Iacobus. Sic et hodie fideles sunt, non qui verbis hoc iactant, qui ore multa egregie de deo tonant, sed qui metu dei quae deo placent sequuntur; quae vetat deus, quae displicent deo fugiunt, propter deum omnia et facere et ferre parati.

Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae. Duplicem esse promissionem, carnalem scilicet et spiritualem, satis ex superioribus puto esse auditum. Quandoque autem spiritualem praeponit, ut cap. XVII, quandoque temporalem, ut hic. Per *portas* civitates et omnem munitionem intelligit συνεκδοχικῶς et more Hebraico. Sic Matth. XVI. Portae inferorum, hoc est potestas, vis, fortitudo, tropo hinc allato, quod circum portas urbes plerumque sunt munitissimae. *Semen.* Servat divina providentia verborum proprietatem. Adamo ex femina semen promiserat, quod veri serpentis diaboli caput esset contriturum. Hac ergo dictione perpetuo utitur et eandem promissionem

refricat ipsi Abrahamo. *In semine tuo*, Christo scilicet. Nam semen est Christus, Gal. III. Per hunc unum contingit nobis benedictio et promissio spiritualis. Quid significet benedictio, satis supra dictum est.

Obedisti voci meae. Recte Latinus transtulit. Hebraei legunt: Audisti vocem meam. Utuntur autem, ut Latini, *audire* pro obaudire, morem gerere. Sed cur angelus dicit: Voci meae, quum tamen sua non fuerat, sed dei? Item, tametsi dei erat vox, tamen angelus eam ediderat. Hic videmus, si aliquando nobis tribuitur aut sanctis dei, quod solius est dei, totum id adscribendum esse soli deo, non nobis aut sanctis. Non audiendus est Paulus quod Pauli sit verbum; sed quandoquidem Paulus verbum solius dei loquitur et audit: ideo a nobis audiri debet. Hoc est, quod Augustinus alicubi in libro de civitate Dei dicit, omnem veritatem a solo deo esse, non ab homine, etiamsi per impium proferatur.

Reversus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabeam. Epilogus est. Deinde Christi resurrectio hic significatur. Rediit Isaac vivus, ariete occiso; revertitur Christus ad discipulos post corporis mortem, sed iam redivivi.

In fine capitis Rebeccae mentionem inducit, ut ad futuram historiam viam paret.

CAPUT XXIII.

Mortua est Sara in civitate Arbeae, quae est Hebron in terra Chanaan. Pro civitate Arbeae Hebraeus legit קרית ארבע, Kiriath Arba, quae videtur eis esse talis civitas, qualem nos metropolim dicimus: nam a quatuor nomen habet, utpote sub se habens quatuor civitates. קיר civitas, sed קרית civitas magna et regia.

Venit Abraham ut plangeret eam. Luctum pro mortuis apud veteres fuisse, sacrae historiae ubique testantur; at nostro mori fatuo nequaquam similis fuit. Nam morituris adesse, mortuos sepelire, curam funebrem peragere ac flere etiam, si fiat cum Christiana modestia, nemo prudens vituperat. Plus tamen haec nos consolantur, quam prosunt mortuis. Neque aliquis unquam fuit apud veteres, qui aut campanarum sonitum aut sacerdotum murmura post mortem iis, qui obiissent, prodesse crediderit, ut nos aliquamdiu falso et stulte persuasi sumus.

Advena sum et peregrinus apud vos, date mihi. Formula haec est communis iuris, ut peregrini et advenae ius emendi, quae volunt, non habeant, nisi id a praefectis reipublicae et magistratibus impetrent. Atque hoc facit hic Abrahamus.

Abraham antequam emeret hunc agrum ab Hethaeis, nullam in terra Chanaan habuit possessionem. Atque huc respexit divus Stephanus in Actis VII, quum dicit, Abrahamum ne latum quidem pedem possedisse, praeter scilicet hunc agrum quem emerit. Nam quod rex Abimelech ei ex gratia et liberalitate donaverat, suum non erat, neque possessio fuit, sed donum. Non enim dixerat rex: Accipe haec in haereditatem tu et filii tui; sed: Ambula in terra mea, ubicunque volueris. Docent autem haec nos. Quemadmodum Abraham antea nihil possedit, post mortem uxoris tum demum possessionem emit: ita iusti in hoc quidem

seculo non curant possessiones: nam non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, nempe in hoc mundo advenae et peregrini. Curant autem, ut post mortem sibi parent mansiones in terra viventium.

Advena sum. Quod Latinus in tertia diceret persona, Hebraeus in prima facit.

Responderunt filii Heth, dicentes: Audi nos domine, princeps Dei es. Filii Heth. Periphrasis est, pro Hethaeis, sicut filii Achivorum pro Achivis, et filii Israelis pro Israelitis, tam Hebraeis quam Graecis usitata. *Princeps dei es.* Id est tam sincere et innocenter inter nos versatus es; ut dubitare non possimus te esse praecipuum quendam amicum Dei.

In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit etc. Electa sepulchra hic dici puto aut praecipua, aut quae ipse voluisset et elegisset. Prior sensus magis arridet. *Mortuum* pro funere ponunt. Idiotismum elegantem habent hic Hebraei, qui et Germanis frequens est. Vir ex nobis sepulchrum eius non prohibebit tibi vel de te. Appone iam dictionem *non* ad *vir!* erit *nullus*. Germanice Nie man, quasi Nit man. Nullus hominum ex nostris prohibebit, quo minus funus tuum in sepulchro eius sepelias. Sic frequentes sunt locutiones Germanis: Man wirt dir das nit verbieten.

Vide hic civilitatem et liberalitatem Gentium erga virum Dei, qua nos qui Christiani hodie esse volumus plane vincimur.

Surrexit Abraham et adoravit populum terrae. Adoravit, ex שחה, schahah, Hebraica voce translatum, hic locum non habet. Quomodo enim Abraham vir fidelis gentes impias adorasset? שחה ergo hic *gratias agere* significat, sed cum geniculatione aut gestu decoro corporis: ut in Samuele crebro invenitur pro gratiarum actione aut deprecatione. Noluit Abraham uxorem suam in sepulchris Gentium sepelire. Quod si palam dixisset: Nolo funus meum in vestris sepulchris sepelire, sermo hic arrogantiae non nihil prae se tulisset, existimassentque se contemtos Hethaei. Ideo cum decoro agit eis gratias, dissimulat ac declinat.

Si placet animae vestrae. Hebraeus dicit: Si est in animabus vestris. Anima pro voluntate capitur vel animo. Valet ac si diceret: Si placet vobis, si vobis est in animo, si vobis cordi est.

Ut sepeliam funus meum apud me. Nam Hebraei hic habent מלפני mecum, vel coram me, apud me, by mir. Quasi diceret: Vellem, si mihi per vos liceret, funus uxoris libenter habere penes me. Hoc omisit Latinus.

Audite me, et intercedite apud Ephron filium Seor. Sensus est redditus a Latino, quod ad verba attinet. Sic legunt Hebraei: Audite me et obviate, vel occurrite mihi in Ephrone filio Zoari. Utuntur autem obviare sive occurrere in bonam partem hic pro *convenire*. Ut quum Germanice dicimus: Bekummend mir, begägnend mir in einem glychen! Bekummend mir den Ephron! Hoc est: Impetretis mihi hoc ab Ephrone. Audire pro obsequi, morem gerere ponunt, ut Latini.

Ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui. Hebraei sic: Et dabit mihi speluncam duplicis, quae ei, qui est in finibus agri sui. *Et* pro *ut* frequens Hebraeis. Deinde utuntur futuro indicativi pro subiunctivis, quibus carent. Adiectivum המכפלה, hamachpela, *duplex*, non ad speluncam refert Hebraeus, sed ad agrum, in quo erat spelunca. Is dicebatur ager duplex, qui ager in extremis finibus agrorum Ephronis erat.

Pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri. Quod superius ius sepulchri verterat Latinus, iam dicit possessionem. Hebraeus dicit אחזת קבר sepulchrum hereditarium. Plenum argentum dicunt Hebraei pro digno argento; pro pretii pondere ac mensura: das er wärd ist, oder das wärschaft ist. *Coram vobis* reddidit Latinus, quod Hebraei dicunt: in medio vestri.

Habitabat autem Ephron. Descriptio est personae.

Et respondit Ephron ipsi Abrahae in auribus Hethaeorum omnium, qui ingrediuntur portam civitatis eius. In aurem loqui Latinis est *clam* dicere, Hebraeis *palam*, quare probe vertit Latinus *coram Hetthaeis.* Omnes qui ingrediuntur portas civitatis Hebraismus est; id est omnes qui in civitate habitant, omnes cives.

Nequaquam mi domine. Non sepulchrum, quod petit Abraham, sed pecuniam quam offert, Ephron recusat. Ideo dicit: Non ita domine, tu potius mihi obtempera, me audi!

Agrum trado tibi, et speluncam quae est in eo, trado tibi, praesentibus filiis populi mei, do tibi eam, sepeli mortuum tuum. In oculis populi mei probe transtulit: praesentibus populis. In oculis, id est coram eis, videntibus et audientibus ipsis. Testis sit populus, eius quod inter nos agitur.

Dixit Abraham ad Ephron: Quaeso ut audias me. Hebraice: Veruntamen si tu forsitan, vel utinam audires me! Quasi diceret: Utinam me quoque audires et meam sententiam super hac re perciperes, quandoquidem mecum agis.

Sed quantum est hoc. Hebraice: Quid hoc inter me et te? Vide utrinque liberalitatem et modestiam, et quo loco Ephron Abrahamum habuerit.

Appendit pecuniam. Sic olim veteres loquebantur; iam numeramus pecuniam, illi adpendebant.

Probatae monetae publicae. Hebraeus idiotismum hic habet, כסף עבר לסחר pecuniae aut monetae transeuntis ad mercatores. Germanice dicitur gäng und gäb, müntz die under den kouflüten gäng und gäb und wärschaft ist. Hoc est: pecuniae civitatis aut populi.

Confirmatus est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mamre, tam ipse quam spelunca, et omnes arbores eius, in cunctis terminis eius per circuitum Abrahae in possessionem. Hebraica non nihil variant: Et surrexit ager Ephronis, qui in duplici, qui e regione est Mamre, tam ager quam spelunca quae in eo, et omnia ligna quae in agro, quae in omnibus finibus aut terminis eius erant per circuitum, ipsi Abrahamo in possessionem. Ἐλλείπουσιν enim perpetuo Hebraei in verbis. *Surgere* pro confirmari

aut augere. Germanice dicimus: Er ist imm zugstanden, bstätiget, gewaert, ufgericht, gefertiget. Ager surrexit ipsi Abrahamo cum spelunca, et omnibus quae ad agrum pertinebant, mit holz und feld.

Abraham typus est fidelium, qui quum peregrini sunt in mundo, non solliciti sunt pro terrenis, sed pro coelestibus: quaerunt quae sursum sunt, non quae super terram. Terrena nostra non sunt, sed aliena. Quod si in his infideles sumus, quis nostra credet nobis? Unde et Abraham non legitur telluris plus coemisse, quam ad uxoris funus sufficeret; quo nos quoque iis, quibus vesceremur et amiciremur, contenti essemus, scientes nos nihil in mundum attulisse, nihil ergo elaturos esse.

CAPUT XXIV.

In hoc capite multa sunt, quae imprudenti lectori vel frivola vel puerilia videri possent. At in divinis literis nihil est tam humile, nihil tam abiectum, quod non doceat, admoneat, exhortetur, consoletur etc. Scribitur ergo hic lepidissima historia, in qua primum cernere licet divinam providentiam, quae omnia sapienter et ordine quodam pulcherrimo disponit, quae nobis aliquando vel temere vel humano consilio gesta esse videntur. Deinde latere hic videbimus abstrusissima quaedam mysteria. Nam ut Isaac typus est Christi, ita et gesta eius nonnihil futurorum adumbrant. Postremo nobilia sunt hic exempla, unde et mores et vitam nostram formemus et meliorem reddamus.

Dixit Abraham ad servum seniorem domus suae, qui praeerat omnibus quae habebat: Pone manum tuam subter femur meum, ut adiurem te per dominum Deum coeli et terrae, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananaeorum, inter quos habito, sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac. Si quis diligenter observat generationum descriptiones, videbit lineam illam, ex qua Christus secundum carnem nasciturus erat, exacte et proprie describi. Quandoquidem ergo in fine 22. capitis de Melcha, Batuele et Rebecca dicere coeperat, praesenti capite eandem historiam prosequitur; interim mortem Sarae et eius sepulturam interiecit. Revertitur ergo ad ea quae coeperat, et ex qua familia Isaac uxorem duxerit, copiose et pulcherrime describit. Quid autem causae est, quod Abraham non vult iungi filio suo Isaaco coniugem ex Chananaeis, qui eum tam humaniter tractaverant? Magni refert qualem quis uxorem ducat. In uxore ergo ducenda nihil praecipitanter agendum, nihil temere et inconsulto. Consideranda sunt multa; spectandi sunt mores, educatio, pudicitia, castimonia. Pii ergo haec quaerunt, impii formam, pecuniam, libidinem. Videbat nimirum vir fidelis in hisce gentibus, inter quas habitat, quaedam, quae moribus suis minime convenirent. Deinde omnia in figura contingebant illis. Quandoquidem ergo de sanguine eius nasciturus erat Christus, nolebat nisi de suo sanguine uxorem ducere filium suum. Hinc ergo nos discimus, quantum fidelibus cavendum sit a malorum et impiorum consuetudine, moribus, factis. Late enim serpit contagio et facile incautos inficit. Quamobrem Iacobus dicit: Haec est vera religio custodire se

immunem ab hoc seculo. Mundus enim totus in maligno positus est. Ab iis ergo nobis metuendum et cavendum est summopere, quorum consuetudine inquinari ullo modo possemus. Nam et haec Christus docet, dum manus et pedes abscindere iubet, si offendant. Quaedam deinde ceremonialia sunt in hoc facto; neque tamen frustra et absque significatione fiunt. Femur principium est et fons nativitatis humanae; quandoquidem ergo ad propagationem posteritatis respicit Abraham, et ipse fons est ex quo nasciturus erat Christus, semen illud benedictum: iubet servum manum subtus femur ponere.

Mos autem erat apud Iudaeos, in praestandis iuramentis levare manus, ut levare manus absolute pro iurare accipiatur. Hic vero non levat manum, sed ad lumbos ponit, ubi symbolum est generationis: adfectus enim is in lumbis situs est, ut Hiobus ait. Exteriora ergo, quae adhibentur foris, intus nullam operationem habent; innuunt autem et praefigurant aliquid atque cum re, quae geritur, non nihil commune habent. Exempli causa qui salutat amicum manum ei porrigit. Quid manus facit ad salutationem? Confirmat amicitiam, aut signum est pacifici accessus, integrae amicitiae. Atque si is qui foris talia agit fallit, proditor esse convincitur. Adgravat ergo proditionis scelus, et omnem excusationem adimit. Potest enim is quem fefellit dicere: Ecce nil tale cogitare quidem potui: amice me convenit, salutavit, manum insuper symbolum amicitiae porrexit; iam hostilia in me cogitat. Ecce quomodo is reus est proditae amicitiae. Et tamen manus non est amicitia. Sic est in Eucharistia, dum simul edimus panem et vinum bibimus, symbolum scilicet corporis et sanguinis Domini. Si id indigne, hoc est, si non ut oportuit, fecerimus, rei erimus corporis et sanguinis Dominici; neque tamen hinc quis colligere potest, panem esse corpus et vinum sanguinem. In circumcisione amputabatur pellicula praeputii. Hoc signum erat. Res quae signabatur, aliquando venturum esse, qui carnales observationes et omnem carnem esset recisurus. Sic quod in baptismo aqua abluimur, signum externum est, et symbolum eius quod geri debet. Res ipsa quae intus in anima requiritur ablutio peccati, in ecclesiam receptio et illustratio spiritus sancti, est in corde humano. Quid autem potuit convenientius et commodius signare gratiam, refrigerationem et lotionem spiritus sancti et claritatem interiorem quam aqua? Sic levamus manus, dum iuramenta praestamus, non quod levatio manus aliquid faciat; sed quod tali elevatione manuum testem deum e coelo devocamus. Quum autem hic istud geritur, quod ad seminis benedicti propagationem attinet, iam tacto femore iuratur.

Cave ne reducas filium meum illuc. Qui semel Christo initiatus est et manum aratro adposuit, ne respiciat; ne redeat canis ad vomitum nec sus ad volutabrum luti.

Dominus Deus coeli, qui tulit me de domo patris mei, et de terra nativitatis meae, et qui locutus est mihi, et qui iuravit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, is mittet angelum suum ante te, ut adferas filio meo uxorem illinc. Considera hic fiduciam sanctissimi illius viri, quam certus sit se a deo, in quem sperat, nunquam destitui. Epitheta autem, quibus hic deum laudat (ut deus

coeli, deus qui me eduxit, qui mecum locutus est etc.) suasoriae sunt, quibus servum persuadet, ut nihil dubitet. Quasi diceret: Vide mi serve! is deus qui me eduxit non eduxit ut desereret; sed ut protegeret, ut ditaret et fortunaret me. Aliquando locutus est mecum, magnificas fecit mihi pollicitationes; deinde iuramento se mihi adstrinxit, ipsum daturum mihi hanc terram atque perpetuo mihi adfuturum. Hinc certo discere potes, eundem et in hac re consilium meum non frustraturum esse. Is tam benignus et misericors deus non te deseret in hac profectione, sed angelum suum ante te mittet, viae et monstratorem et ducem.

Et omne bonum Domini sui in manu eius. Bonum pro pulchro, pro magnifico et pretioso ponit: quidquid erat pretiosum et magnificum in domo domini, servus partem eius accepit in manum suam, id est in potestatem suam.

Cumque Camelos fecisset accumbere. Proprie hoc dictum est: nam cameli suffragines habent in anteriora incurvos, ut homo genua; accumbunt ergo, dum inscenduntur. Accumbere ergo eos fecit, non ut illic manerent, sed ut requiescerent. Apud nos dicimus: Er macht sy lüwen, oder er lüwet sy.

Domine Deus Domini mei Abraham occurre etc. Occurrere hic in bonam partem accipitur. Verba sacrae scripturae, tametsi humilia videntur et quasi infantilia: tamen in iis nihil est humile, nihil vanum. Sed dum sic simpliciter et humiliter videmus cuncta esse scripta, cognoscimus plane divinam clementiam, quae sic nobiscum agit familiariter, ut facile intelligamus: tametsi ipse summus sit et altissimus, humilia tamen et abiecta non dedignatur, non despicit. Semper ob oculos versari nobis debet divina providentia, etiam in hisce rebus, quae nobis fortuitae et casu quodam factae videntur. Atque hic vide quam variant divina consilia, et quam omnino non sunt in potestate viri gressus eius. Abraham inierat consilium cum uxore sua, quo et pudicitiam coniugis et vitam suam servaret illaesam. At alio consilio usus est deus atque diversa via consuluit utrisque, ac destinarat Abraham. Hic quidquid petit servus statim impetrat, et iuxta consilium ac votum eius omnia fiunt. Docet hoc nullum desperare debere, quantumvis humilis aut obscurae sit conditionis: si fidit deo, gratus est Deo. Non enim respicit personas hominum. Qua ex re hoc quoque discimus, petitionem servi spiritus dei suggestionem fuisse. Nam alioqui in civitatem venisset quaesivissetque: Ubi est Bathuel? Sed voluit Deus ut res hoc ordine perageretur; ideo hanc suggessit servo petitionem. Nam quomodo alioqui potuisset servus tam exacte ea petere, quae Deus vellet et tam cito faceret? Sed cur signum petit? Solent qui in magnis et arduis rebus sunt, anxii esse et multa meditari. Quidam ita angusti sunt animi, ut statim quum magna incidunt pericula desperent, ac animo frangantur. Quidam contra forti sunt animo, consultant et bene sperant. Ita videmus hunc servum magni fuisse animi remque tam arduam mente volutasse; idcirco signum petit, ac si diceret: O Deus fac me certum, ut sciam rem successuram esse, ne infecta re aut non recte facta ad dominum meum redeam. Hoc fides facit erga deum et erga dominum suum. Neque parva aut vulgaria in virgine petit quam quaerebat, sed heroicas

plane virtutes, ac spiritum ἡγεμονικὸν, seu ut Hebraei dicunt נדיבה, nediba, principem requirebat, nempe liberalitatem, ut non solum ei det potum sed et camelis suis hauriat: benevolentiam, comitatem et mores puella dignos. Possunt enim hunc spiritum principem habere etiam humillimi; rursus micrologiam reges et summi quique.

Ille autem contemplabatur eam, tacitus scire volens, utrum prosperum iter suum fecisset Deus annon. Hebraei legunt: Obstupuit vir seu fecit se ipsum attonitum: nam habent participium Hithpael משתאה. Ita enim solemus, quum aliquid subito in nos irruit, obstupescere et ita admirari, ut quasi attoniti et obstupefacti taciti rem meditemur. Graeci dicunt: *Didicit*, id est consideravit; animo volvebat ingenium, mores et formam puellae. Nam magni refert, ut diximus, quibus moribus praeditam uxorem tibi concilies, Oeconomus Abrahami id signi animadvertit, ut esset benigna, hilaris, benefica. Quae scilicet tam promte, tam alacriter et celeriter potum haurit et ei tribuit; deinde tam impigre etiam camelis, hanc videlicet commodam putat esse domino suo. Quaedam enim ita sunt morosae et difficiles, ut vix alloqui homines dignentur. Considerat ergo puellae mores, non quod dubitet an illa sit (nam certus iam erat illam eandem esse, quum omnia iuxta votum eius acciderant), sed considerare voluit atque perspicere an in puella omnia essent dextera, recta, integra; an esset apta et commoda moribus optimi adolescentis Isaaci.

Inclinavit se homo, et adoravit Dominum. Postquam autem omnia in puella invenisset, quae honestam decent coniugem, inclinavit se et gratias egit. Nam hic שחה, schahah, gratias agere significat.

Habebat autem Rebecca fratrem, nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons. Cumque vidisset inaures, et armillas in manibus sororis suae, et audisset cuncta verba referentis, haec locutus est mihi homo, venit ad virum. Hebraica hic vehementer elegantia sunt. Primum proponit, deinde singula digerit. Dicit ergo: Et Rebeccae erat frater, nomine Laban, qui venit ad virum iuxta fontem. Iam causam ponit, cur egressus sit Laban frater Rebeccae ad fontem. Viderat enim inaures et armillas in manibus sororis suae, et audierat quae de viro esset locuta domi. Egressus ergo reperit eum apud fontem. Sic solent summam praemittere, et deinde ad initia redire Hebraei, ut saepe iam dictum est.

Aperuit camelos. Sic dicit Hebraeus; hoc est *solvit*, abgesattlet, ufgethon, das ist ufgebunden, destravit.

Quid si mecum ire noluerit? Aposiopesis Hebraica vehementer elegans.

Dominus in cuius conspectu ambulo. Ἐυηρέστησα dicit Graecus; id est compono me, decenter vivo, honeste ago.

Innocens eris ab execratione, vel maledictione. Cur hic execrationem vocat, quod superius iuramentum vocaverat? Ponitur sequens pro priore. Qui iurat, ideo nimirum iurat ut fidem servet. Qui vero hanc frangit, is iam maledictioni et execrationi obnoxius est. Quasi diceret; Si te noluerit sequi, eris ab execratione, hoc est a multa, quam merito incidunt peierantes, liber.

Pronus gratias egi Domino, qui perduxit me recto itinere. Hic est benedicere pro collaudare. Recto itinere Hebraei dicunt אמת דרך, aemeth daerech, vera via, den rechten wäg. Sic Io. 6. Caro mea vere est cibus, id est verus est cibus, die rechte spyss.

Si facitis miscricordiam et veritatem. Hebraice: Si beneficium et fidem in dominum meum facere volueritis; Wellend ir imm früntschaft und trüw bewysen.

Ut vadam ad dexteram sive ad sinistram. Sic loquuntur Hebraei, quasi diceret: Ut sciam quid mihi porro sit faciendum: Das ich wüsse wess ich mich sölle halten, oder wo ich uss sölle.

A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum. Hebraeus sic legit: Haec res a domino exiit; non possumus contra te loqui, nec malum nec bonum. Quasi diceret: Negotium hoc, ut videmus, dei est; neque nos quidquam (est enim locus a sufficienti divisione et idiotismus Hebraicus: neque bonum, neque malum) divinae ordinationi addemus. Non ergo intelligendum, simpliciter nihil boni ad hanc rem eos voluisse loqui. Vide autem pietatem! dum vim et ordinationem dei sentiunt, nihil obstrepunt.

Ecce, Rebecca coram te est, accipe eam. לפניך, id est, in potestate tua. Sic saepe in sequentibus hanc dictionem invenies *coram esse* pro in potestate esse. Germanice item dicimus: Es ligt vor imm, hoc est: integrum est ei hac re frui.

Et sit uxor Domini tui, sicut Dominus locutus est. Id est *ut sit uxor heri tui*, quemadmodum dominus ordinavit. Hoc significat hic דבר, dibber, wie er den handel gfürt hat.

Procidens, adoravit in terram Dominum. Hoc est pronus gratias egit Deo, nimirum intelligens hanc benevolentiam et promtitudinem parentum a deo esse. Hic discimus in omnibus gratias agere deo.

Nolite me retinere. Ecce servi diligentiam et fidem: scit enim in omni negotio moram esse periculosam, maxime in hoc.

Vocemus puellam, et quaeramus ipsius voluntatem. Argumentum est, puellas cogi non debere, nec invitas maritis tradi; sed earum consensus est requirendus, antequam despondeantur.

Et imprecantes prospera sorori suae. Semel ausus est interpres ברך, barach, Hebraicam vocem non per benedixit, sed per aliam interpretari: nam Hebraice est: Benedixerunt eam, quod ipse dicit: imprecantes ei prospera. Benedixerunt eam, si hand sy gsägnet; ut solemus abeuntibus. Sy hand ir gnaadet, valedixerunt beneque precati sunt abeunti.

Et Isaac venit, ubi itur ad puteum viventis videntis me, et ipse habitans vel manens in terra Australi. Hoc relativum, הוא, *ipse*, potest referri ad puteum et ad Isaacum; quod videlicet fons fuerit ad meridiem, vel quod Isaac habitaverit ad meridiem. Si de Isaaco intelligis: habitavit quidem ad meridiem, si venientes de Mesopotamia servum et Rebeccam spectes.

Egressus fuerat ad meditandum in agro sub vesperam. Quod quidam *deambulare* dicunt, veteres Latini meditatum ire dixerunt.

Nam qui ardua meditantur, secedunt et deambulant, ut liberi sint a turba et negotiis; er ging sich zu ertrachten, zu ersinnen, ut exerceretur, ut animum levaret.

Decidit e camelo. Hoc reverentiae est et verecundiae. Saepe iam admonuimus, nihil, quantumvis sit humile, in divinis literis contemni debere: uam ex divina scriptura etiam quotidianae vitae exempla petenda sunt, quandoquidem hic quoque, quae in vita nostra quotidie occurrunt, tam exacte describuntur, ut emittere servos, uxorem ducere filio etc. Considera primum, quanta sollicitudine teneatur pater, ut filio suo non de Hetthaea (ubi nimirum summi alicuius ac ditissimi filiam facile impetrasset), sed de pia et sancta gente uxor ducatur. Deinde vide, quam strenue, quam gnaviter negotium commissum minister, quam omnia circumspecte, prudenter et cum summa fide peragat. Optima res est bonus et fidelis nuntius. Discamus ergo fideles esse, strenui, constantes! quae quidem virtus hac nostra tempestate procul abest. Omnes negligentes sumus et pigri; neque hoc solum, sed agimus insuper quaedam quae commissa non sunt. Porro puellae hinc discant alacritatem, liberalitatem, benevolentiam, comitatem, modestiam, verecundiam etc.

DE ALLEGORIA FONTIUM.

Ubicunque in sacris literis fontium et aquarum fit mentio, magna latent mysteria. Ad istum fontem probantur mores puellae, quae quaerebatur Isaaco, quae magna liberalitate haurit et potat tam servum quam iumenta. Sic ad fontem se aperit Christus Samaritanae, qui est fons aquarum viventium quique liberaliter et gratis ad se vocat sitientes, ut bibant et reficiantur.

MYSTERIA.

Abraham personam gerit patris qui servos emisit, ut ecclesiam ex gentibus filio suo Christo sponsam adducant, apostolos scilicet: dilexit enim eam Christus et semet ipsum dedit pro ea, ut eam sanctificaret etc. Talis autem Rebecca, id est, anima rore coelesti et pinguedine spiritus saginata, coelesti sponso Isaaco, Christo scilicet, vero cum gaudio iungi non potest, nisi deus ordinet et disponat. Ideo tam anxie petit servus, ut deus ei obviet, Io. 3. Nisi quis renatus ex spiritu et aqua fuerit etc. Deponit hydriam et benefica est in peregrinum. Ita oportet nos omnia abnegare, ut soli sponso Christo inhaereamus, qui propter nos exul et egenus factus est. Sic Paulus: Despondi vos uni viro virginem castam Christo exhibere. Quasi diceret: Dominus misit me non ut negotium meum agerem, sed ut ei adducerem uxorem et sponsam: ipse sponsus est, Io. III. Hanc sibi adductam sponsam variis virtutibus ornat, et sic ornatam inducit in cubiculum suum, ubi perpetuo sit eius fruitura osculis et amplexibus.

CAPUT XXV.

Abraham vero aliam duxit uxorem, nomine Cethuram. Hebraei dicunt: Addidit ducere uxorem. Nam carent coniunctione

insuper, praeterea. Quidam hanc Cethuram volunt esse Agaram; alii dicunt, hanc uxorem ductam esse ab Abrahamo, antequam Isaac connubio iungeretur; idque verisimile videtur. Nam quomodo iam emortuus et effoetus senex uxorem duxisset, ex qua tot haberet liberos? Scribuntur autem non pauca saepe in historiis non eo ordine, quo gesta sunt. Neque enim potest historiae scriptor omnia, quae simul facta sunt, simul scribere ac persequi; sed hic quisque suo sensu abundet.

Deditque Abraham cuncta quae possederat Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera: Et separavit eos a filio suo Isaac, dum adhuc ipse viveret ad plagam Orientalem. Prudens pater ac circumspectus ante mortem hereditatem eis dividit, sciens nimirum quam multa et periculosa dissidia ex facultatibus distrahendis nonnunquam post mortem parentum inter liberos oriantur.

Filius Agarae ad meridiem habitavit, sed ceteri filii, quos ex concubinis Abraham susceperat, ad solis ortum.

Deficiens, mortuus est in senectute bona, provectaeque aetatis, et plenus dierum. Iudaei quum volunt significare mortem hominis non fuisse violentam, sed naturalem ut dicimus, dicunt גוע, gafa, defecit, hat abgenommen; satur dierum, er ist des lebens satt und müd worden, pertaesum est eum vitae, mortem optavit. Hoc enim omnes pii faciunt: cupiunt dissolvi, et esse cum Christo.

Appositus est ad populum suum. Hoc schemate frequenter utuntur Hebraei, non pro morte corporis aut sepultura: nam hoc per mori significant; sed adponi ad patres ipsis significat in fide parentum mori, in ea fiducia quam patres habuerunt, ipsos colligi in sinum Abrahami.

Coram cunctis fratribus suis obiit. Id est apud fratres suos, cum fratribus suis: nam totam gentem *fratres* Hebraei adpellant.

Duae gentes in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur. Tropica locutio: nam quomodo duo populi potuissent esse in ventre Rebeccae? Synecdocha ergo est; quasi diceret patres, capita, fontes ac initia duorum populorum.

Maior serviet minori. Maior non ad corpus nec vires refertur, sed ad multitudinem. Nam Hebraica vox רב, raf, naturaliter *multum* significat: transsumitur tamen ad magnitudinem nonnunquam. Paulus, in epistola ad Romanos dignissime hunc locum tractat: nam praeter hoc, quod Dei electionem et propositum hinc probat, carnis et spiritus pugnam hic adumbratam esse clarissime ostendit. Caro enim spiritui et rursus spiritus carni adversatur ac repugnat. Impii dum veram religionem et pietatem persequuntur, volunt non minus pii videri sua falsa religione, quam vere pii. Qua in re nolentes etiam testimonium ferunt, bonum esse pietatem, et bonorum omnium inter mortales pietatem primum, quum et ipsi videri volunt pii. Dum hic vivimus, quasi in utero matris sumus ac quotidie nascimur. Mors sola ad vitam postliminio reducit, Col. III. Quid sit caro, quid spiritus, satis supra auditum est. Duo populi Iudaei esse non possunt: nam Iudaei Iudaeis non dominantur. Item Malachias propheta cap. I. dicit: Iacobum dilexi, Esavum odio habui, ad oraculum nimirum dei alludens: Maior serviet minori. Est autem

epitasis: Esavum odio habui. Odisse pro negligere: nam nihil odit Deus eorum quae fecit. Sic in Evangelio: Qui odit animam suam, id est qui negligit, qui contemnit se ipsum propter deum etc.

Alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, et idcirco adpellavit eum Iacob. Ab apprehensione et tactu calcis vocatus est Iacob: nam עקב, akaf, significat calcem aut calcaneum. Quod autem supplantatorem eum frater adpellat, alia fit ratione. Alluditur ad locum Genesis, ubi dominus ad serpentem ait: Semen conteret caput tuum; tu vero conteres eius calcaneum. Semen Christus est, cuius Iacob typum gerit; quemadmodum autem Esau Iacobum persequitur ac odit, ita Iudaei Christum.

Iacob autem simplex, habitabat in tabernaculis. De hac dictione תם, thom, iam saepe diximus; significat autem integrum, innocentem, fromm, unschuldig, einfaltig, ufrecht, redlich, ganz, unzerbrochen, ungefelscht. LXX dicunt ἄπλαςος, in quo nihil est fictum, undichtet. Sic vocantur fideles et pii תמים, thamim, qui abstinent a magnis flagitiis. In ceteris communibus vitiis et quotidianis delictis quotidie poenitentiam agunt et dolent coram Deo. Hi sunt viri iusti et perfecti; quidquid imminet, impavidi sunt et alacres. Sunt enim sibi bene conscii; quare nihil est quod sibi metuant. Nam quod a quotidianis istis immunes non simus, ille ostendit, qui docet nos orare, ut nobis remittantur peccata nostra. Quod Iacob in tabernaculis habitaverit, bifariam intelligi potest, aut quod fuerit pastor ovium aut quod domum curaverit; non quod iners domi atque oscitans sederit.

Dicit quispiam: Si tam integer et bonus vir fuit Iacob, cur fratri suo fesso et esurienti pulmentum negat? Videtur enim hoc non solum inhumanitatem quandam, sed et astutiam et perfidiam resipere. Cur pulmentum negat, cui et vitam debet? Hic cogitur Iudaeus fateri, aut Iacobum perfidum fuisse (et tunc iustus non fuit), aut subesse mysterium. Esau prior exivit totus hispidus, qui legem adumbrat: lex enim aspera est, gravis ac dura; Iacob mitis, simplex, mansuetus, qui Christi et gratiae typus est. Esau in agro venatur et laborat: lex operibus intenta est; Iacob domesticus. Nam qui Christo fidunt, res externas nihil curant, sed domino in simplicitate cordis serviunt; non evagantur, sed intus habitant. Quod Iacob plantam Esavi tenet, significabat legem aliquando abolendam esse secuturumque Evangelium.

Deinde repudiationem Iudaeorum Gentiumque adoptionem hic esse figuratam, Paulus satis eleganter docet in epistola ad Romanos.

Vado mori, ad quid ergo mihi primogenita? Qui metu Dei non tenentur, ob rem quamlibet levem negligunt Deum ac salutem, ventri dediti sunt. En vado mori. Quasi diceret aut cogitaret intra se Esau: Homo es venator ac ferus; cras aut postridie devorabit te fera aliqua aut aliquis te interficiet.

Locus hic vehemens est ad probandam providentiam et praedestinationem dei: omnia scilicet fieri a deo, quantumvis nobis videatur absurdum. Multa sunt hic gesta, quae nobis vel temere vel fortuito vel consilio etiam humano facta videri possent. Diceret enim quispiam: Si Esau non vendidisset primogenita, si mater patrem non fefellisset,

et his similia. Quasi vero non omnia a deo prius provisa essent, antequam fierent. Deinde variis et quasi diversis viis efficit deus, quae statuit: Esau odio habitus est a deo, et tamen pater plus diligit eum quam Iacobum; at licet pater reluctetur, fit tamen quod Deus ordinarat.

Porro mysterium est, quod lex erat moritura, sed in iis qui domi manent, quorum conscientia bene respondet: nam illi sunt Iacob. Et ii non suis meritis primogeniti facti sunt et filii Dei, sed per occasionem: sic enim evenit eis a Deo, a quo sunt cooptati.

CAPUT XXVI.

Orta autem fame super terram. Fames, pestis, gladius poenae sunt, quas minatur dominus iis, qui non servant mandata eius; sed quantumvis haec praedicantur et inculcantur, non tamen videmus nec intelligimus, donec venerint. Atque dum veniunt: soli pii credunt, impii contemnunt, negligunt ac irrident, aut casui aut hominis consilio adscribentes. Porro fames de his poenis est, quae non semper noxium tangunt: habent divites quibus sufficiant. Quare quis existimare posset, Deum esse iniquum iudicem, qui pauperes fame opprimat et puniat, quum dudum satis sint oppressi. Sed absit, ut haec cogitemus! Iustus enim est dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Mittit aliquando famem, ut habeant, quibus divitias largitus est, occasionem benefaciendi iis qui egent; ut simul istorum fidem et caritatem, illorum autem patientiam exploret. Nam si cogitat dives: Ecce, Deus tibi tot et tanta commisit; dispensator es rerum, non dominus. Distribue, impartire, benefac! ne committas ut egeni careant etc. iam fides per caritatem operatur. Quod si dicit: Ecce multa habes bona. Epulare ergo! reposuisti tibi in annos plurimos (sicut dicebat locuples, Luc. XII.) vae ei! iudicium enim durum habebit huiusmodi homo, Matth. XXV. Deinde divites plus fame cruciantur, quam pauperes: habent enim famem avaritiam, et quod poeta quoque clamat, auri sacram famem. Vident sua decrescere et minui, atque videndo contabescunt. Sic ergo mittit Deus famem, ut per divites pauperibus benefaciat, ut illi officium suum expleant, hi beneficium sentiant. Audimus nonnunquam dicentes divites: Vellem huic dare, si laboraret; sed nebulo est, otio indulget. Sic cupiditatibus suis praetexunt impii divites. Tunc mittit Deus famem, ut iis exercendae misericordiae praebeat occasionem. Quasi diceret Deus: Ecce, iam tempus est, ut succurras, ut benefacias; nihil est quod excuses: nam tametsi strenue laborent, tellus tamen non respondet, fame torquentur. Quod si nec tum dant, videmus praetextum fuisse, quae prius pro excusatione obiecerant. Admonet ergo deus fame divites officii sui; aut si minus audiunt, iudicium, cuius obnoxii sunt futuri, eis ob oculos ponit. Nam qui pauperem fame perire videt, ac sinit quum servare posset: quomodo is suo ipsius iudicio non condemnatus est? aut quomodo caritas in eo?

Abiit Isaac ad Abimelech regem Palaestinorum, regem in Gerara. Non puto hunc esse, sub quo Abraham peregrinatus fuit. Videntur enim reges Palaestini dicti esse Abimelechi, quemadmodum Aegyptii Pharaones et Ptolemaei.

Ne descendas in Aegyptum. Aegyptus fertilissima est; caritate ergo annonae et fame coactae vicinae civitates ac populi huc confluebant. Consilium ergo eundi in Aegyptum coepit Isaac, sed a domino prohibitus est.

Ero tecum, et benedicam tibi: tibi et semini tuo dabo universas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo. Foedus cum Abrahamo ictum renovat Deus, ac promissiones refricat. Capit autem hic iuramentum pro ipso foedere, quod iuramento confirmatum est. Hebraeus dicit: Firmabo seu erigam iuramentum, quod iuravi Abrahamo patri tuo.

Eo quod obaudierit Abraham voci meae, et custodierit custodias meas, praecepta mea, ritus meos, et leges meas. Haec prosapodosis videtur aliquid tribuere meritis et operibus Abrahami. Sed hoc cogitandum est, id quod Abraham fecit, opus fuisse dei, non hominis. Nam quod credit in deum, quod omnia propter deum relinquit, quod mandata et leges Dei servat, non ex sese facit, sed ex gratia et misericordia Dei. Fides ergo Abrahami, innocentia Abrahami, non fuit opus Abrahami, sed dei. Remuneratur ergo Deus in nobis non nostra, sed sua ipsius opera. Nihil ergo nobis adscribamus ex his quae dei solius sunt! Ipse enim dat velle et perficere; in ipso vivimus, movemur et sumus; ipse operatur omnia in omnibus; nec quicquam boni ex nobis ne cogitare quidem possumus.

Neque hoc praetereundum est, testamentum aut foedus non solum cum adultis, sed et cum semine confirmatum esse. Pueri ergo Christianorum etiam sunt in Testamento: de qua re satis supra.

Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua. Videmus gentes honestatis studiosiores fuisse, quam hodie sint quidam inter Christianos magistratus. Quaerebant, anne uxor eius esset; nos omnes sinimus sine discrimine habitare apud nos. Hinc fit, ut turpia quaeque irrepant in rempublicam, denique regnent etiam. Quod si boni et innocentes homines ad nos commigrant, quacunque tandem causa coacti: iam non debemus esse idololatra rege bonitate inferiores.

Vidit eum iocantem cum Rebecca. Ludebat cum ea, hoc est, Isaac gerebat se erga Rebeccam, non ut frater, sed ut maritus.

Praecepit omni populo, dicens: Qui tetigerit hominis istius uxorem, morte moriatur. Discimus hic, quam grave scelus adulterium etiam apud gentes iudicatum fuerit. Deinde magnam iustitiam ac aequitatem in hoc rege videmus, qui gravi poena vetat ne quis vel tangat hominis uxorem. Nos ut de peregrinorum aut advenarum vita nihil disquirimus, ita eos parum curamus; insuper eos contemnimus, laedimus ac iniuria adficimus contra omnem aequitatem et pietatem.

Seminavit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum. Hebraeus dicit: Invenit centum hordei, supprimens mensurae genus, et hoc frequens est. Quasi diceret centum modios hordei vel huiusmodi aliquid. At si punctum in Schin recte positum est: significat שערים, schearim, modios, non hordeum. Deinde *invenire* pro adquirere, metere, redaccipere utitur. Quasi diceret: Seminaverat de omnigenis seminibus, et centupla recepit seu demessuit. Quaedam

autem terra trigesimum, quaedam sexagesimum, quaedam centesimum reddit; unde parabolam sumsit Christus Luc. 8. Apud nos solet ferre decuplum. Nihil aliud autem ostendit Moses, nisi quam fertilis fuerit terra et quanta usura labori responderit, simulque ostendens, quanta benedictione locupletaverit Deus Isaacum.

Hic non pigritiam, torporem, otium discimus, sed strenue operari: nam illis Deus benedicit. Tametsi enim Deus promiserat se Isaaco benedicturum: non tamen hac promissione negligens factus fuit neque otio torpet, sed laborat, seminat et tum Deus sementem eius multiplicat.

Benedixitque ei Dominus, et crevit vir. Latinus dicit: et locupletatus est homo.

Et ibat eundo. Hoc est promovebat, er gieng uf, προβαίνων.

Donec valde magnus esset effectus. Quid sit benedicere superius saepe dictum est, et hic satis claret. Ditavit eum Dominus, locupletavit.

Habuitque armenta et greges, et famulitium multum. Multas operas multosque famulos et servos habuit Isaacus. Qui servitutem ex sacris literis defendunt, videre debent, ut ea lege servos tractent suos, qua veteres filii dei: nam omnia vitia nostra patrum exemplis praeteximus. Sunt qui patrocinium hoc ex loco cupiditatibus suis petant; sed hi caveant, ne divites fieri absque labore, sed foenore et ex aliorum sanguine velint, ne plus divitiis quam deo fidant! laborent quemadmodum Isaac, proscindant terram! Quod si ex terra, ex iumentis et gregibus usuram dat deus, et crescant res, dispensemus pro fratrum et proximorum utilitate! tum et nobis licebit esse divitibus, quemadmodum et illis.

Ob hoc invidentes ei Palaestini, omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham illo tempore, obstrinxerunt, implentes humo in tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac, Recede a nobis, quoniam potentior factus es nobis valde, et ille discessit. Magnam fortunam ac gloriam magna sequitur invidia. Nam Palaestini ob nullam aliam causam ei invident, quam quod vident eum esse locupletatum ac benedictum a deo; atque ob id eiecerunt eum. Simile quiddam habuerunt Athenienses, quum ostracismo relegabant. Isaac ergo (quoniam propter temporalia tantum relegabatur) invidiam et odium prudens declinat. Exemplo hoc discimus posse nos aliquando, imo debere cedere, et odium declinare, sed ob temporalia tantum. Nam dum veritas et iustitia pietasque vera periclitatur, nihil nobis metuendum est, et neutiquam cedendum. Beati enim qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Quod Latinus dicit *illo tempore* Hebraeus legit: in diebus patris sui Abrahami. *Et invidebant ei Palaestini.* Sic habet Hebraeus *et* pro *ideo* quod dives erat, ideo obtrectabant ei Palaestini. Sic Christianus vivat, ut odio dignum nihil committat; ut vita sit innocens, mores non asperi, consuetudo comis et iucunda. Neque tamen qui talis est odium hominum impiorum effugiet: hoc enim nec prophetis nec Christo nec apostolis contigit. Et eritis, inquit Christus ad discipulos suos, odio omnibus hominibus propter nomen meum. Item alibi: Si

me persecuti sunt, et vos persequentur. Si mundus vos odit, scitis me prius odio habitum esse. Ne ergo offendamini! exules a synagoga facient vos; imo tempus veniet, quum quisquis interficiat vos videatur cultum praestare deo. Non ergo debet pius solum tueri innocentiam, sed et constantiam, fortitudinem ac magnanimitatem servare, ut nusquam cesset, nusquam cedat propter impiorum odium, sed perseveret ac pergat in promovenda ac adserenda veritate ac iustitia; forti animo omnes iniurias, insultus ac molestias ferat amore illius summi dei, cui se totum dedicavit, ac immortalitatis spe ac perennis praemii. Fuerunt et inter ethnicos, qui ob virtutem et innocentiam invidia gravarentur; sed contemto odio, contemta invidia, imo morte ipsa veritatem, iustitiam et rempublicam defenderunt. Si tantum apud gentes valuit gloria: quid non impetrabit a Christianis Dei metus? Pergendum igitur nobis est ac per invidiam ac odium fortiter perrumpendum, nec cedendum, nisi omnia conclamata ac desperata esse viderimus: nam tum fugiendum esse, docet dominus neque sanctum canibus dandum.

Rursum fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham. Solent historici inventores novarum rerum ac mirandarum maximeque necessariarum accuratissime describere; ob hanc causam tam exacte fontium effossionem describit Moses. Nam hoc et necessarium et utile fuit illis regionibus, ut non immerito laudentur auctores. Sic Ioannis quarto legimus, fontem ab auctore Iacobo esse nominatum.

Omnia in figura contingebant illis; scripta propter nos ut eis erudiamur. Sed harum rerum spiritum nemo melius ac clarius nobis exponit, quam prophetae, Christus, apostoli. Sub prophetis autem hic Salomonem et Davidem quoque intelligo. Sic per aquam sapientiam coelestem intelligimus, refrigerium illud, quo anima vivificatur, reficitur et satiatur. Sic Io. III, IV, VII. Ies. XL.

Sed effodienda est haec aqua, magno studio et labore sudandum in sacris literis, donec viventis aquae venas aperiat dominus. Qui in cordibus hominum viventis aquae puteos quaerit, penitius ac profundius rimetur necesse est. Est enim altum et occultum malum hypocrisis, quo fere omnes laboramus. Protrahendus ergo est Proteus noster, id est scelera et flagitia, quae corde celamus, ita producenda sunt per prophetas, ut pudefiamus, ut occulta cordis manifesta fiant. Nec cessandum, donec Deus et aqua vitae in carne, id est terreno homine inveniatur, donec renovetur imago eius qui creavit, id est donec peccatorem pudeat ac taedeat vitae pristinae, et agnoscat culpam suam ac resipiscat. Apostoli primum puteos hos effoderunt, sed venerunt Philistaei et obturarunt eos luto et stercore humano; quos refoderunt pii quidam, idque non absque negotio. Sed nec iam desunt Philistaei, qui refossos obturent, nempe ii qui ad terrenos adfectus, ad quaestum, ad ambitionem, ad libidinem detorquent evangelicam doctrinam, qui obstrepunt ac reclamant ac fossores pios persequuntur. Quare non pigri, non somnolenti debent esse servi veri Isaaci, quia omnibus locis refodiant fontes obturatos, ut aqua salutaris quam latissime promanet, ut gloria Christi quam amplissime propagetur.

Appellavit eisdem nominibus, quibus antea pater vocaverat.

Non novos fontes fodiunt servi Isaaci, sed veteres refodiunt; nec alia nomina, sed vetera eis imponunt. Ita nos doctrinam Christi non foedare debemus nostris nominibus, non patrum; nec puteos novos fodere debemus, hoc est nihil novi fingere aut comminisci, sed vetera instaurare.

Et vocavit nomen eius רחבות, id est *latitudines, dicens*, id est sic cogitans *nunc dilatavit nos Dominus, et crescere nos fecit super terram.* Fontibus ex eventu et occasione nomen dedit Isaac. Primum adpellavit עשק, esek, id est, iniuriam aut violentiam, eo quod iniuria aut violentia pastores Gerare servos Isaaci adfecerant. Secundum vocat שטנה, sitna, id est odium. Tertium vero רחבות, id est latitudines. Quasi diceret: Ecce post tot labores, angustias et iurgia deus nobis laetitiam et pacem dedit: nam laetitia cor dilatat, tristitia constringit ac contrahit.

Quid venistis ad me hominem, quem vos odistis et expulistis a vobis. Singula verba emphasin habent. Hebraeus dicit: misistis me a vobis, usus verbo mitiore pro vehementiore, quare probe transtulit Latinus *expulistis.*

Sit iuramentum inter nos, et ineamus foedus. Summa pacti hic describitur. Prima autem orationis pars de pacto loquitur; secunda habet excusationem, quare eum eiecerint: declinant enim et excusant, quae eis obiecerat. Sed Deus prohibuit, ne pactum cum huius terrae hominibus facerent. Cur ergo foedus iniit Isaac cum Palaestinis? Nondum lata lege nihil in legem peccatur; sed posteaquam lex lata fuerit, non licet contra legem facere. Gliscente enim malitia hominum vetuit Deus, ne pactum inirent cum gentibus, nimirum praevidens quantum damni, quantum periculorum populus Dei ex consuetudine impiorum esset accepturus, ut est Deut. VII.

Ecce, venerunt ipso die servi Isaac. Superius auditum est, missos fuisse servos Isaaci, ut foderent puteum in Beer Schaba. Iam ut ad factum eorum alludat, scribit servorum reversionem. Quasi diceret: Quumque sic se foedere adstringerent et alter alteri iurarent: ecce in ipso tempore redeunt servi, annuntiantes, quomodo eum puteum refodissent quem olim Abraham pater eius ab Abimelecho sibi adseruerat, cuique nomen dederat Beer Schaba, quod puteus iuramenti, ut est in cap. 21. Innovat ergo nomen vetus Isaac, quod et ipse cum Abimelecho inito foedere iuraverat.

Esau quadraginta fuit annorum, quando duxit duas uxores, quae ambae offenderant animam Isaac et Rebeccae. Παρασκευὴ est ad sequentem historiam: nam sequenti capite describit quomodo Rebecca miserit filium suum Iacobum in Mesopotamiam, occasione arrepta ab uxoribus Esavi: nam illae molestae et invisae erant matri. Vult ergo ut Iacob alibi uxorem ducat. Qua in re hoc quoque discimus, Deum variis tribulationibus et molestiis suos tentare ac exercere.

CAPUT XXVII.

Senuit autem Isaac, et caligaverunt oculi eius. Oculi Isaaci senio caecutiunt; delectatur autem carnibus ferinis, cui adfectui plus servit Esau quam Iacob.

Vocat ergo Esau filium maiorem. Septuaginta πρεσβύτερον, Hebraei magnum legunt. Magnum autem et parvum seu minorem Hebraei vocant, non a conditione, sed a nativitate. *Maior* vocatur eis primogenitus seu natu maior; *minor* iuniorem, seu natu minorem significat. Et hoc facit ad intellectum loci Evangelici, ubi Christus dicit: Qui maior est inter vos, fiat sicut minor sive iunior! Utrum enim dixeris parum refert; si modo utrumque recte intelligas.

Et benedicat tibi anima mea. Hebraismus est: id est ut tibi ex animo benedicam; quemadmodum tibi ex animo bene volo ac cupio, ita tibi benefaciam. *Benedicere* hic bene precari significat, ut solebant primogenitis; de qua re postea.

Historia praesens mysteriis profundissimis referta est, de quibus breviter dicemus: nam textus planus est.

Isaac typum gerit fidelium, quos Deus ita fide ducit, ut nihilominus in multis fallantur adfectibusque nonnunquam serviant. Neque enim dubium est, Isaacum intellexisse ab uxore sua super hac re Dei oraculum; adhuc tamen renititur statuitque, Esavum natu maiorem benedicere. Qua in re communem servat morem, nec recedit a consuetudine, quae primogenitis tribuit benedictionem. At vide quam civiliter adfectus suos moderetur! Nam quum audit vocem Iacobi iunioris filii, non pertinaciter resistit nec renititur; sed natu minorem benedicit ac se ipsum superat, sic nimirum intra se cogitans: Consilium Dei est, de quo oraculo uxor tua edocta fuit: Maior natu serviet iuniori (non enim est verisimile hoc ei ab uxore aut non expositum esse aut expositum excidisse). Dispensationi ergo Dei cedas nec mutaveris consilium et ordinem Dei. Exemplum est quo docemur, adfectus nostros (quibus etiam pii obnoxii sunt) moderari atque divinae voluntati nos subiicere. Neque peccat fidelis, dum iuxta communem dei legem vivit. Quod si deus per electionem aut extra ordinem aliud voluerit: submittat se mens pia Deo et pareat divino consilio.

Porro Rebeccae et Iacobi factum prima facie suspicione perfidiae non caret: videtur enim dolo et ex insidiis factum esse. Sed si penitius introspiciamus, videbimus Dei providentia, qui antea oraculo mulierem sui certiorem fecerat, rem omnem gestam esse. Meminerat fidelis mulier divinae vocis: Maior serviet minori; huic verbo indubitata fide adhaesit. Sic ergo a teneris Iacobum educat, huc omnia consilia dirigit, huc tota tendit, ut minor natu maiorem superet; neque peccat quum omnia secundum verbum dei facit. Pietas ergo est, fides, timor dei, imo spiritus, quod facit Rebecca; non odium, non dolus. Rebecca igitur pietatis et spiritus, Isaacus adfectuum et carnis personam gerit. Discamus ergo hinc non fallere neque ex insidiis quidquam agere; sed Christianam constantiam, quae semper ad verbum ad electionemque Dei respicit, non movetur adfectibus carnis, non cedit, non frangitur.

Neque Iudaei effugere ullo pacto possunt, quin concedere cogantur hic subesse mysterium. Nam quomodo talis ac tantus vir alioqui decipi potuit? ac sic decipi, ut deceptor etiam sibi ius primogenitorum adquireret? Aut quomodo Deus cooperaretur dolo et fraudi? Neque enim durat quod dolis confit; sed auspicata sunt et feliciter cadunt, quae

facit Iacob. Semper enim bene cadunt Iovis tali, hoc est illud, quod in consiliis Dei est. Agnoscant ergo mysterium; agnoscant providentiam ac operationem Dei! Caecitas ergo in Isaaco significabat aliquando fore, ut oculi Iudaeorum caligarent, et Gentes ad lucem Evangelii venturas: ut Paulus docet Rom. IX, X, XI; item quod lex abolenda esset et evangelii claritas per orbem diffundenda.

Da mihi osculum fili mi. Signum pacis et amicitiae genti illi in more fuit, nobis non item. Qui huiusmodi signa aut symbola aut falso adhibent aut abutuntur, graviter peccant ac proditores sunt: nam iis quae pacis sunt nemo fallere debet; ut paulo ante de baptismo et eucharistia satis explanatum est. Dedit enim signa deus nostrae infirmitati, ut symbola sint piis amicitiae; impiis frenum quo a malis saltem publice cohibeantur, etiam si intus sint pessimi.

Benedicens illi, dixit: Tu es filius meus Esau. Significatio huius dictionis ברך, barach, in hoc capite variat; hic significat *commendare* ac *laudare*. Statim infra

Benedicens, ait, Ecce odor filii mei. Significat *bona precari.* Vestium odor vitae et famae bonae fragrantiam significat apud Christianos; ut pulchre exponit Paulus in posteriore epistola ad Corinth. cap. 2. Quod autem in aliena veste tam bonum odorem spargit Iacob, significat bona opera ex aliena, scilicet divina virtute esse, non nostra. Primum autem precatur filio suo temporalia, per rorem intelligens, quaecunque superne in terram operantur; ut solem et lunam, pluviam, temperiem coeli; per pinguedinem terrae, quaecunque subtus e terra proveniunt.

Qui maledixerit, sit ille maledictus et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Haec ad semen referenda sunt benedictum: nam tametsi in linea Christi fuerunt etiam peccatores, tamen tota propago in radice benedicta est. Itaque non ad solum Iacobum, sed ad Christum et ad omnes credentes pertinet. Quisquis enim in Christum credit, quisquis eum fuerit confessus, vitam habet aeternam, et benedictus est. Qui vero hunc reiecerit, huic salus esse non potest, sed aeternae maledictioni est adiudicatus.

Et dixit Esau: Surgat pater meus, et comedat de venatione filii sui, ut benedicat mihi anima tua. Elegans est haec personarum subita mutatio, quae si in oratione soluta fit, quis mirabitur hanc frequentem esse in carmine? ut Psalmis et libro Iobi.

Benedicat me anima tua Hebraismus est, de quo paulo ante diximus: ut ex animo, quemadmodum concepisti, bona mihi impreceris.

Benedixi ei, et erit benedictus. Iam plane cognoscit Isaac, Iacobum hunc fuisse, cui benedixerat, et hoc totum a Domino factum esse; ideo cedit ordinationi Dei nec benedictionem revocat. Sic et nos iusso et verbo Dei cedere et parere debemus, quicquid tandem cupiditas adfectuum imperet.

Irrugiit clamore magno. Esau clarissimam imaginem gerit humanae mutabilitatis et inconstantiae. Nuper ius primogenitorum contemserat; quae vox, si ex amore fratris erupisset, magni animi fuisset indicium. Sed hoc non fuisse praesens vox testatur, quum dicit:

Primogenita mea praeripuit mihi etc. Plorat, eiulat, vociferatur, animique effeminati et impotentis signa edit. Totum ergo quod prius fecerat ex adfectibus, non iudicio factum est. Ita plerumque et nos ex adfectu facimus, quae tamen ex iustitiae amore fecisse videri volumus.

Venit frater tuus fraudulenter. Declinat invidiam pater, atque in Iacobum eam derivat.

Iuste vocatum est nomen eius Iacob, supplantavit enim me en altera vice. Merito vocatum est nomen eius Iacob, eo quod (hoc enim valet *Vof* vel nam) bis me supplantavit iste. Sic Hebraeus. Habet autem emphasin *iste:* per contemtum enim hoc dicit. Quasi diceret: iste nebulo. Ubi notandum, quod prius in nativitate hoc nomen acceperat, eo quod plantam pedis Esavi tenuerit. Sed Esau hic nomen hoc vertit ac calumniatur. Sic saepe fit, ut in malam partem trahantur, quae in origine minime mala sunt. Haud secus in eucharistia fit. Haec est gratiarum actio ineffabilis beneficii Dei. Quum ergo ei Deus nomen dederit corporis sui et sanguinis, iam ex gratiarum actione facimus oblationem aut fidei confirmationem, non sine contumelia Christi atque divini numinis. Nam si nos *offerimus* et offerendo peccata expiamus, parum valuit mors Christi. Si manducatio corporis et sanguinis fidem firmat ac mentem: cur spiritus sanctus mittitur discipulis?

Primogenita mea praeripuit mihi, et nunc secundo surripuit benedictionem meam. Hic adparet non eandem rem esse primogenituram et benedictionem: nam benedictionem intelligimus de semine benedicto, de promisso *Meschiah.* Videmus autem Esavum vehementer anxium fuisse propter benedictionem. Qua in re apparet pluris eos fecisse benedictionem patrum quam primogenitalia.

Frumento, vino et oleo stabilivi eum. Loquitur Isaac perinde ac si iam ei dedisset vinum et annonam. Sed Hebraismus est. Quasi diceret: Optavi ei, postulavi a Deo, imprecatus sum ei talia. Est ἐπίτασις, vehemens extensio.

Et tibi quid faciam fili mi? Tametsi adfectus paterni maximi sunt, tamen ex benedictione nihil mutat, nihil ex ordinatione Dei. Quod si Isaac scivisset ex dolo, aut Iacobi aut Rebeccae, non divino consilio factum esse: facile immutare potuerat. Sic in pugna carnis et spiritus in piis praevalet spiritus.

In pinguedine terrae, et in rore coeli desuper erit benedictio tua. Quasi diceret: Nihil est quod tibi faciam, mi fili. Dominus autem Deus desuper tibi det rorem et fecundet terram benedicatque te terrae fertilitate. Hebraei aliter legunt: De pinguedine terrae erit habitatio tua, et de rore coeli desuper. Sensus ferme in idem redit: Deus te benedicat ubicunque habites. Quandoquidem superius diximus, haec non absque figura esse, notandum, quod error Isaaci in benedictione eius fidei nihil obest. Sic saepe errant pii, sed fides non laeditur. Nam quod Iacob benedictionem praeripit, non fit caecitate parentis, non dolo aut arte mulieris, sed Dei providentia; quae nihilominus et caecitate Isaaci, et astutia mulieris abutitur. Sic simplici ac pio satis est, si Deum norit, si eo constanter fidit, si proximum diligit, etiam si pleraque ignoret.

Super gladio tuo vives. Non est optantis nec imperantis, sed admonentis potius haec vox, qua deterreat Esavum. Quasi diceret pater: Ferus es homo; idcirco hoc tibi contigit, ut servus sis effectus fratris tui.

Tempusque veniet, cum excutias et solvas iugum eius de cervicibus tuis. Sic Latinus. Hebraeus vero sic legit: Et erit quum vel posteaquam praedominaberis, tunc (et pro tunc) excuties iugum eius a collo tuo. Observandum hic quod כַּאֲשֶׁר, kaascher, Hebraeis etiam significat *quum* aut *posteaquam*. Sic Graecis *ἡνίκα ἐάν*. Non legimus Esavum Iacobo unquam servisse, aut Iacobum iugum super cervicem Esavi imposuisse. Ideo figura orationis ad mysterium respicit, quod Iudaei scilicet gentibus servituri essent, donec plenitudo gentium introierit et salvus fiat omnis Israel. Rom. XI.

Oderat ergo semper Esau Iacob. Ingenium carnis in Esavo satis expressum est. Sic enim in odium eius, qui sibi renititur ac suis obstat conatibus, exardescit, ut plus quam hostilia meditetur. Vult sibi bene esse caro vel cum alterius iactura. Prius contemserat primogenitorum ius fratrique vendiderat; et tamen iam vult potiri. Merito ergo indignatur. Sic caro ex alienis laboribus sibi voluptatem et salutem quaerit. Vult innocens esse *φιλαυτία*, quum sit nocentissima; excusat se ac indignatur bonis. Murmurat ergo primum caro, deinde vias quaerit quibus se vindicet; mortem eius meditatur, a quo se laesam existimat. Omnia vero illa celat hypocrisis donec occasio offeratur. Dicit ergo in corde suo Esau:

Appropinquabunt dies luctus patris mei, tunc occidam Iacob fratrem meum. Per dies luctus mortem patris intelligit. Est autem metonymia (quamvis Plutarchus inter synecdochas numeret; tametsi nihil digladiandum sit, ubi posterius aut sequens pro priore ponitur), ac si diceret: Dum vivit pater, nihil facies fratri tuo; sed quum pater obierit interficies eum. De luctu Iudaeorum pro mortuis satis in superioribus diximus.

Ecce frater tuus Esau, minatur, ut occidat te. Mater ut certior reddita erat, quod Esau de occidendo Iacobo apud se statuerat, vocat ad se Iacobum iuniorem et dicit ei: Ecce, Esau minatur. Hebraeus hic participium Hithpael habet. מִתְנַחֵם, mithnahem, quod iuxta Hebraicam vim est: consolatus est sese, in corde suo scilicet: Er hat sich in im selbs getröstet. Hoc uno sese solatur, ut te interficiat.

Cur utroque orbabor filio uno die? Te scilicet interfecto: nam Esau iam invisus erat matri propter uxores Hetthaeas quas duxerat.

Dixit Rebecca ad Isaac: Taedet me vitae meae propter filias Heth. Si acceperit Iacob uxorem de filiabus Heth, quemadmodum sunt illae, de filiabus huius terrae, ad quid mihi vita? כָּאֵלֶּה, kaelle, *quemadmodum illae*, duplicem habet sensum: primum, ut referatur ad filias huius regionis; secundo, ut intelligas: quemadmodum illae nurus, scilicet sunt, quae etiam erant filiae huius regionis.

Adfectus est muliebris in Rebecca femina, alioqui piissima, quod odit nurus suas. Ubi videmus, quod Deus etiam suos adfectibus carnis laborare sinit, ut exerceat illorum fidem. Dicis: Quum Rebecca oraculo

divino admonita esset, Iacobum ipsi Esavo praevaliturum esse, cur amandat Iacobum? cur ei metuit? videtur fides eius aut infirma fuisse aut nulla. Respondemus, fidem Rebeccae immotam fuisse; nec tamen tentat Deum, sed sollicita pro filio eum amandat. Nam hac via voluit eum salvare Deus. Et qui fidem dederat Rebeccae, hanc quoque pro filio sollicitudinem dedit. Quid autem sollicitudo piorum parentum pro filiis, sollicitudo Pauli pro omnibus ecclesiis, aliud est quam fides?

CAPUT XXVIII.

Vocavit itaque Isaac Iacob, et benedixit eum. Benedicere hic significat mandare, quod solemus abeuntibus, et eis quos amandamus: einen abscheid machen; aut valedicere, extremum dicere vale. Germanice: gnaaden, oder gsägnen, optare aut precari bona abeuntibus, quod sequentia satis ostendunt.

Deus omnipotens benedicat tibi. Quis sit Deus Schadai, ex decimo septimo huius libri capite ostensum est. Hic benedicere pro locupletare, ditare ponitur: beraaten, glückhaft machen.

Amandare pueros, ut peregre proficiscantur, multas habet commoditates, ut scilicet calor iuventutis et vehementia dometur; ut multorum hominum mores exploret et urbes, atque multis modis exerceatur. Sed viae nostrae et peregrinationes tantum auspicatae et fortunatae sunt, quantum Deus voluerit et faverit. Primum ergo orandus est Deus, quod et hic facit Isaac pater.

Terram peregrinationis tuae. Intelligit eam terram, in qua habitabat Isaac; non Syriam, in quam proficiscebatur Iacob.

Videns autem Esau, quod benedixisset pater suus Iacob. Id est quod amandasset, ad iter parasset, quod pater confirmasset benedictionem, quam prius dederat.

Historia praeterquam, quod est facilis et iucunda, docet etiam. Rebecca honesta et pia erat mulier; Isaac iustus, sic etiam Iacob. Vide autem, ut iustis istis hominibus et piae familiae id evenit, ut carissimum filium amandare cogantur. Alter contra voluntatem parentum uxores duxerat; deinde mortem Iacobi animo volutat. Huic tam difficili et ancipiti malo vide quam commodo consilio parentes medeantur. Neque enim usque adeo praefractus est Isaac, ut statim abdicet et domo pellat Esavum, quod quidem potuisset; sed aliter huic rei consulit. Amandat carissimum ac unice dilectum filium, ne omnino animum despondeat Esau. Sic Christianus homo (cuius typum gerit Isaac) non debet esse tam durus tamque severus, ut Stoice omnia et rigide (ut quidam solent) ad vivum resecet, sed aliquando divino spiritu, quem hausit, consulat malis; is autem spiritus benignus est, commodus, mansuetus: cedit irae nonnunquam, ac modestia quam austeritate vincere magis studet; mansuetudine malos, non vindicta superat. Potius pia et bona quam atrocia et crudelia capit vir pius consilia, nisi malum ipsum aliud postulet. Hac mansuetudine et commoditate victus Esau (nam totum hoc hyperbaton modestiam et verecundiam Esavi declarat) mitis fit, ac si sic cogitaret: Si pater tam dilectum filium Iacobum, quem mihi praeposuit cuique benedixit, amandat (quum te potius amandare debuerat), dun-

taxat ut tibi consulat: cur tam benignum patrem offenderes? cur quod ei displiceret, posthac faceres? Hinc motus ivit ad Ismaelem, qui patris sui frater erat, et uxorem de stirpe sua duxit. Ex hoc textu quoque claret, Hetthaeos fuisse Chananaeos. Malum esse in oculis Hebraismus est; significat autem animo displicere. Vidit et Esau, hoc (quod uxores Chananaeas duxerat) malum esse in oculis Isaaci, id est displicere patri. Quae vero hic de Esavo scribuntur, postea facta sunt. Cur ergo ante abitionem Iacobi scribuntur? Hoc ideo fit, ut historiae scriptor commodius de Iacobo dicere pergat. Seponit ergo Esavum, quasi de eo nihil amplius dicturus, donec e Mesopotamia redeat Iacob; ac statim ad historiam Iacobi revertitur. Docet exemplum Esavi, ne parentes facile et temere liberorum matrimonia contracta et firmata dissolvant; deinde, ne liberi contra parentum voluntatem nubant. Quod si in hisce rebus fervor aliquis incidat (ut est mens humana imprudens ac audax), aut temere ac inconsulto quidpiam coeptum est, sic se utrinque gerant, ne facti postea poeniteat. Sed sola pietas res optime moderabitur.

Cumque amandasset eum Isaac, profectus pervenit in Mesopotamiam Syriae. Proponit summam Moses: neque enim adhuc in Mesopotamiam venerat, sed primum ad Bethel, deinde in Haran etc. Nam statim subiicit: Et profectus Iacob de Berschab perrexit Haranem. Er zoch Haran zu. Est autem Haran locus, in quem Abraham venit, dum iret ex Mesopotamia. Venit ergo primum ad Lusam. Quomodo hoc sit factum, iam describit.

Tulit de lapidibus, supponensque capiti, dormivit in eodem loco. Laetus et alacris proficiscitur Iacob, statimque sibi in campo reperit diversorium, pro cervicali et pluma lapidem; pro strato humum supponens. Discat exemplo Iacobi iuventus adsuescere ad laborem, ad opus, ad tolerantiam, ut corpus duretur, ne molles et evirati evadant; id autem magis peregre fit quam domi.

Vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens coelum, angelos quoque Dei ascendentes, et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae. Hebraica sunt longe elegantissima, ut intelligas coelum fuisse apertum et scalam demissam coelo, statutamque מצב, müzaf, super terram, summitate nihilominus coelum attingente. Quid hic figuratum esse putamus, quam commercium dei cum hominibus? quod quidem per scalam, id est per Christum, factum est: nam per hunc deus ad nos descendit et nos ad deum ascendimus. Nemo enim ascendit in coelum nisi filius hominis, qui est in coelo. Io. III. Et nemo venit ad patrem nisi per Christum. Io. XIV. Is ascendit ad patrem suum et ad patrem nostrum, in quo et nos, si fideles fuerimus, ascendemus. Atque hoc laetum nuntium per angelos primum nuntiatum est miseris mortalibus, quod scilicet in gratiam cum deo rediissent per eum, qui est pax nostra, et qui utraque fecit unum; quem pater e coelo nobis commendavit, dicens: Hic est filius meus dilectus, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

De angelis nonnihil superius attigimus, quibus deus vos visitat, erudit ac consolatur; qui tametsi omnia virtutis suae verbo operatur, utitur tamen ministerio angelorum propter nos. Qua ex re facile

intelligimus, quanta caritate nos Deus prosequatur, quanto honore dignetur, qui spiritus suos nobis ministros facit; ad quorum contubernium et nos vocati sumus. Quod Deus scalae innititur, significat divina providentia cuncta geri, cuncta sustentari ac regi.

Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui. Promissionem Abrahamo factam refricat: primum quidem temporalem; deinde spiritualem, quae ad semen pertinet.

Dilataberis ad Orientem. Erumpes dicit Hebraeus. פרצת, paratztha, quae dictio pulchre mysterio servit. Erat enim Iacob iuvenis tanquam fons, ex quo aliquando erupturum erat magnum filiorum, pronepotum flumen. Significat autem Christi gratiam diffundendam per totum orbem.

Et benedicentur in te omnes tribus terrae. Semen Christus est (ut saepe iam audivimus), qui iuxta humanam naturam ex semine fuit Iacobi. Nam fuit ex tribu Iuda, iuxta hominem tamen, non iuxta conceptionem. Semen pro eo capitur, qui post nasciturus erat συνεκδοχικῶς. Omnes tribus terrae. Cupit enim Deus omnes homines salvos fieri: allerley lüten. Ut non solum Iudaeorum sit Deus, sed et Gentium omnium.

Ero custos tuus quocunque perrexeris, et reducam te in terram hanc: nec derelinquam te, donec complevero universa quae dixi. Haec verba non solum ad Iacobum, sed ad quemlibet fidelem loquitur Deus. Magna autem consolatio est, deum semper habere praesentem, habere custodem et protectorem. Hic etiam vides *donec* pro perpetuo poni, quemadmodum Matth. I. Non cognovit eam, donec peperit, id est, nunquam cognovit eam.

Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Quasi diceret: Putabam me solum esse in campo, et ecce Dominus est in loco; Dominus inhabitat hunc locum.

Pavensque inquit: Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli. Non intellige horrorem aut desperationem, sed reverentiam et admirationem. Domum dei vocat, quod nimirum familiam dei illic viderat. Neque hoc in loco templum aedificatum est, sed postea, dum ex Mesopotamia rediret Iacob, iussu Domini ascendit in Bethel, ibique aram Deo construxit, ut est infra cap. XXXV. a principio.

Lapidem erexit in titulum, fundens oleum desuper. Statuam erigit ac monumentum, adhibitis quibusdam ceremoniis. In quo pius iuvenis videtur humani aliquid passus esse, utpote qui locum illum prae aliis eligit, putans hunc prae ceteris esse honoratiorem. Qui vero spiritu adoleverunt, sciunt Deum nullo claudi loco, sed ubique esse praesentem. Fervor ergo iuvenilis est, quod facit Iacob: solet enim haec aetas externis rebus nonnihil adhaerere, atque ea quae foris sunt suspicere et admirari. Deinde omnia in figura illis contingebant. Nemo ergo ex facto Iacobi ceremonias defendat! illi umbram habebant, nos corpus. Lapis Christum significat, qui unctus fuit oleo laetitia prae consortibus suis. Est enim Meschiah.

Si fuerit Dominus mecum. Quibusdam videri posset votum hoc

ex fidei imbecillitate factum esse, quum Deum pro Deo habere non velit, nisi benefaciat. Sed considerandum, אם coniunctionem Hebraicam non semper dubitationem, aut conditionem significare, sed nonnunquam certitudinem: ut in Psalmo: Si introibunt in requiem meam, id est *non*. Si fuerit Dominus mecum, hoc est quandoquidem certus sum Deum mihi adfore. Et quasi deprecativum est: nam prius Dominum cognoverat. Quod si omnino quis contendat *si* dubitantis esse, dicimus hoc iuventuti Iacobi dandum esse, quae praemia et retributionem spectat.

Est et illa scalae allegoria: superne nititur Deus scalae, inferne iuxta eam dormit Iacob. Agnoscit fides, Deum unum ac solum esse moderatorem rerum omnium, et ad eum nobis esse proficiscendum; sed nihilominus dormitat caro, gradusque, qui nihil aliud quam fidei innocentiaeque incrementum portendunt, non gnaviter transcendit; etiamsi coelo niti scalam videat et Dominum praestolari. Sibi enim perpetuo similis est; etiamsi virtute, fructu fidei intelligat nos Deo commendabiles reddi et hanc esse ad superos viam: somno tamen torpet.

CAPUT XXIX.

Qui huius mundi pompam spectant, futuram historiam tanquam vilem et humilem contemnunt, sed quae mundo contemta Deo sunt excelsa. Hac ratione igitur summi illius patriarchae Iacobi historia tam simpliciter scripta est, ut discamus verae religionis et pietatis caput esse humilitatem. Ita voluit et Christus filius dei humili matre nasci, humilitatem et tenuitatem verbo docere et vita exprimere, ut illius exemplo disceremus, omnem huius mundi pompam et quidquid admiratur mundus, contemnere.

Profectus ergo Iacob, venit in terram Orientalem, et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium. Sensus a Latino interprete probe redditus est. Sed Hebraica schemata videamus! Sic ergo legitur: Et levavit pedes suos Iacob, et ivit in terram filiorum Orientis etc. Levare pedem Hebraismus est. Sic Germanice quoque dicimus: Er macht sich uf dfüſs und gieng. Filii Kedem pro his qui ad Orientem habitant, periphrasis est. Ternarius numerus nonnihil mysterii habet, quandoquidem ex Iacobo Christus venturus erat.

Nam ex illo adaquabantur pecora. Ethologia est, quae praecedentia exponit.

Fratres unde estis? Quemlibet proximum fratrem vocant Hebraei.

Nostis Laban filium Nachor? Vocat Labanum filium Nachoris, quum esset filius non Nachoris, sed Bathuelis. Et Nachor avus erat Labani, non pater. Sed hic mos Hebraeorum exprimitur, qui etiam avum patrem vocant propter rectam lineam sanguinis; ut supra quoque audivimus.

Sanus est ne inquit? Quaerit num integra et salva sint omnia, quod Hebraeus per dictionem שלם, schalom, intelligit. Latine dicere possemus: Est ne salvus Laban? Salva sunt omnia? Graecus probe explicat vocem Hebraicam per ὑγιαίνει, quod significat undique salvum

esse, bene habere. Germanice: Staadt es wol umb inn? Wolhab, wolfart, hoc est Schalom.

Non possumus. Vel ad *robur* corporis refertur. Quasi diceret: Non possumus soli, sed posteaquam omnes convenerimus alter alteri est auxilio. Vel ad *morem*: non possumus, id est non audemus. Nam sic mos est, ut alter sine altero gregem non potet.

Amovit, seu revolvit lapidem, qui erat super puteum. De allegoria fontium satis supra. Quod vero pastores simul conveniunt, antequam potent gregem, potest per allegoriam significare, quod pastores ovium Christianorum et verbi divini ministri se invicem expectare debent per caritatem; conferre verbum sapientiae coelestis, ut omnia fiant tempestive per caritatem et cum decoro. Porro quod Iacob hanc communem legem frangit, privilegium est hospitis et adolescentis. Sic quod Paulus alicubi, ut videtur, quasi imperat et plus aliis laborat; et quod evangelium praedicat, quod cum apostolis non contulerat, privilegium Domini extra ordinem dantis est: id quod communi legi nihil derogare debet. Neque huius exemplo quilibet pro sua libidine, non auditis aliis, praedicare debet quae sibi videntur (ut Catabaptistae nunc faciunt), ni plana ista et vulgaria. Ad laborem adsuescere docent exempla huius historiae. Ut impigre Iacob lapidem solus volvit, gregem potat! Item Rahel, tametsi speciosa erat, pascit tamen gregem patris, ad laborem nimirum a teneris adsueta.

Osculatus est eam. Osculo scilicet sancto, ut Paulus ait. Ne quis turpe aliquid cogitet! Nam osculum signum amicitiae in more fuit huic genti.

Elevata voce flevit, indicans ei quod frater esset patris sui, et filius Rebeccae. Non erat frater Laban, sed filius sororis suae Rebeccae. Frater ergo Hebraeis cognatum, nepotem, consobrinum etiam significat. Fletus ex gaudio est.

Os meum et caro mea es. Hebraeus dicit: Ah os meum et caro mea tu, scilicet es. Utuntur autem dictione ista אך hoc loco, quemadmodum nos Germanice Ach.

Et postquam impleti sunt dies mensis unius. Hebraei sic legunt: Et mansit seu habitavit cum eo mensem dierum.

Tunc dixit Laban ad Iacob: Num quia frater meus tu scilicet es: *servies mihi gratis? Indica mihi quaenam merces tua.* Iacob integrum mensem socero suo gratis servierat; socer ergo gratitudinem rependit. Vide autem quam simul certent humanitas et gratia.

Habebat autem Laban duas filias. Ἐπιβολή est, hoc est immissio sive introductio necessariae partis ad historiam.

Lia erat lippis oculis. Hebraice: oculi Leae erant teneri. Tenerum vero Latini etiam pro infirmo, imbecilli utuntur. Germanice quoque: Zart für blöd: sy hat blöde ougen.

Lea typus est Synagogae et legis, cui teneritudo oculorum pulcherrime congruit. Noluerunt enim Iudaei verum lumen aspicere, sed foris in ceremoniis veram pietatem sitam esse existimabant. Tametsi plurimi inter eos fuerunt, qui ad spiritum legis penetrarent, ut prophetae et iusti omnes: plebs vero absolutam pietatem et verum dei cultum

semper in rebus externis situm esse credidit. Qua opinione vulgi sacerdotes per avaritiam ad suum quaestum abusi sunt. Adinvenerunt ergo plura, in quibus simplicem plebeculam ducerent ac tenerent. Nunquam voluerunt videre Iudaei beneficia et mirabilia Dei; tametsi pulcherrime de deo loquuntur. Etiam hodie velum suprapositum est oculis eorum, ut veram lucem non agnoscant: haerent in litera, ad spiritum nunquam penetrantes. Haec Lea primum fecunda fuit; sed ut primum Rahel filios generat, parere desiit. Rahel speciosa et forma eleganti, sed sterilis, ecclesiam signat ex Gentibus, quae a Christo, cuius typum gerit Iacob, concupita est, et sanguine suo lota. Haec primum infecunda filiorum numero primam tandem superavit.

Servivit Iacob pro Rahel septem annis. Discat hic iuventus adfectibus modum ponere! Iacob in flore aetatis et fervore iuvenili adfectibus carnis imperat, et sui potens est.

Quod Iacob servit pro Rahela, significat, quod Christus servivit pro peccatis nostris.

Da mihi uxorem meam, ut ingrediar ad eam. Ingredi ad mulierem utuntur. Hebraei pro rem habere. Sic Germanico schemate dicimus: Der gadt zu deren; hoc est rem cum ea habet aut consuetudinem.

Facto mane vidit Leam. Elegantiora sunt Hebraea: *Et mane facto et ecce Lea.* Emphasis est, qua pulcherrime et breviter indignationem et poenitentiam Iacobi exprimit, qui nihil tale cogitaverat.

Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. Hebraeus sic legit: Non fit sic apud nos, ut detur minor ante primogenitam. Hic dare significat nuptui dare. Sic Germanice: geben pro nuptui dare; et nemmen pro nubere aut ducere uxorem.

Minorem scilicet natu, non corpore. *Ante primogenitam.* בכרה, bechora, significat proprie primogenitam; sed puto hic et forte alias saepe *maiorem natu* significare.

Imple hebdomadam hanc, et dabo tibi etiam istam pro servitio, quo serviturus es mecum adhuc septem annos posteriores vel sequentes. Sic habet Hebraica veritas. Hebdomadem dierum intellige, non annorum, id est septem dies. Quam ob causam Latinus apposuit *dierum*, etiamsi translatitium sit Hebraeis, dies pro annis quoque accipere. Post septem dies dabatur ei et Rahel, ac deinde septem annos sequentes pro ea servivit, ea interim fruens coniuge. Sic divus Hieronymus hunc locum etiam intelligit. Hic videmus quam rideat Deus humana consilia. Pro Rahela sola servit Iacob quam supra modum dilexit; quumque omnia propriis ac disertis conditionibus agit, fallitur tamen. Sic omnia reguntur ac gubernantur providentia dei.

Tandem potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori praetulit. Rhetoricatus est hoc loco interpres, verba ac sensum obscurans. Nam Hebraica veritas sic habet: Et ingressus etiam ad Rahelam dilexit etiam Rahelam plusquam Leam. Quae verba indicant, quod et Leam dilexit Iacob, sed plus Rahelam. Nemo miretur, neo ansam hinc libidinandi arripiat, quod Iacob duas sorores simul uxores

habet. Propter semen enim promissum solebant patres uxores ducere de Chananaeis; oportuit ergo tum ducere uxores ex familiis. Non ergo nobis hinc licebit duas simul habere uxores, aut sororem uxoris habere coniugem. Paucorum enim privilegia legem communem nequaquam infringunt. Et omnia in figura illis contingebant. Aliud iam tempus alios mores postulat.

Videns autem Dominus quod Iacob despiceret Leam, aperuit vulvam eius, sorore sterili permanente. Verbum despiciendi hic nimis vehemens est: nam non odit nec despexit Leam Iacob, ut iam auditum est, sed dilexit eam, sed neglexit eam. Er hat iro nit so vil acht als der anderen. Epitasis ergo est, quum verbum vehementius pro minus vehementi positum est. Videns Dominus quod neglecta esset Lea.

Aperire vulvam Hebraismus est, id est fecit eam fecundam, fecit eam parere, dedit ei liberos. Rursus sterilis erat Rahela, cuius vulva conclusa erat.

Neglecta erat Lea coram Iacobo, sed non coram Deo, qui dedit ei liberos ut redderet eam gratam et caram marito. At nihilominus caro semper reluctatur, et plus Rahel a Iacobo amaretur. Curae sunt Deo, quos nos abiicimus ac contemnimus; oppressorum et tribulatorum est Deus.

Vocavit nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam. ראובן, reuben, quadrisyllabum est vocabulum, compositum ex quatuor corruptis: sunt enim quatuor in unam dictionem conflatae, ex ראה quod significat *vidit*, ex ו quae litera est divi nominis, ex ב quae *in* vel *ad* significat, et ex ענה, quod adflictionem significat. Sonat autem ראובן ac si dicas: Deus vidit in adflictionem meam, vidit humilitatem meam. Hic est ταπείνωσις, non ταπεινοφροσύνη. Illud humilitatem, obscuritatem et abiectionem, hoc virtutem mentis significat. Sic Luc. I. canebat Maria: Respexit dominus humilitatem meam.

Quoniam vidit me Dominus haberi contemptui, dedit et istum mihi. Hebraeus dicit ויתן לי גם את זה, et dedit mihi etiam illum ipsum. Emphasin habet illud *etiam* et articulus את. Observa hic adfectus humanos in Iacobo, qui semper plus diligit Rahelam, quam Leam, et tamen ex Lea generatur Iudas ex quo Christus. Tametsi Lea peperit, contemta tamen erat. Anxii ergo sunt adfectus Leae ad Deum, ut maritus eam diligeret et erga eam adficeretur amore. Quandoquidem ergo audivit Dominus hunc clamorem, vocavit secundum filium Schymeon. Nam שמע, schama, *audivit* sonat. Per Hyposiopesin ergo multa insinuantur in sacris literis.

Concepitque tertio, et genuit alium filium, dixitque: Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios; et idcirco vocavit nomen eius Levi. Hebraica sic habent: Rursus concepit peperitque filium et dixit, id est intra se cogitavit: Iam iam, vel iam rursus sociabitur mihi vir meus, quoniam peperi ei tres filios. Hac ratione vocatum est nomen Levi. Est autem לוה, [illegible]. sociavit [illegible]t.

Concepit rursus, et peperit filium, et dixit: Nunc confitebor Domino, idcirco vocatum est nomen eius Iehuda. Iudas nomen habet a collaudatione et gratiarum actione, quae Hebraeis nonnunquam *confessio* vocatur.

CAPUT XXX.

Cernens Rahel quod infecunda esset, invidit sorori, et dixit marito: Habeo ancillam Balum, ingredere ad eam, ut pariat super genua mea, et ut aedificer etiam ego ex ea. Rahela hera erat, Bala concubina aut pellex. Erat autem hoc discriminis inter heras et pellices, quod tametsi ancillae ac pellices generarent liberos, ipsae tamen sub dominio essent herae; ideo dicit: ut pariat super genua mea. *Aedificandi* verbo pro *instaurandi* utuntur, metaphora sumtà ab extructione domorum. Domus est familia, quae non nisi liberis aedificatur et instauratur. Sic David: Ut aedificentur muri Hierusalem pro: serventur ac sustineantur. In historiis veteris Testamenti, si quando carnalia, et quae in speciem mala sunt, scribuntur, non solum litera historiae, sed spiritus et significatio spectanda sunt. Tametsi quaedam sunt, quae praeter simplicem sensum nihil habent reconditi, sed simplici litera docent: ut *non furtum facies.* Haec ergo historia, quantumvis in speciem foeda sit, docèt tamen; et interim profunda latent mysteria. Iacob impense diligit Rahelam, sed fecundam reddit Deus Leam. Hinc discimus nostra studia a Deo longe aliter disponi, quam existimaveramus nos. Quae magno negotio cavemus, nobis invitis eveniunt; rursus, quae magno studio effecta cupimus, minime fiunt. Cur hoc? ut intelligamus vitam et actus nostros non ex consiliis, sed ex Dei providentia et ordinatione pendere. Neque Rahel votum suum impetrat, neque efficax est consilium eius: nam non cessavit odium et aemulatio inter sorores, sed magis crevit.

Iudicavit me dominus. שפט verbum Hebraicum hic pro vindicare ponitur. Vindicavit me Dominus, er hat mich gerochen an miner schwester; seu liberavit, adseruit me ab obprobrio sterilitatis, quod nimirum ei obiiciebatur. Loquitur perinde ac si ipsa a Lea esset contemta, quum tamen Lea a Rahela contemneretur. Sed sic loquuntur adfectus.

Comparavit me Dominus cum sorore mea. Sic habet Latinus interpres, sed aliter Hebraeus, nempe sic: Conversionibus dei conversa sum cum sorore mea et valida sum. פתל, pathal, enim significat convertere. Gott hats mit mir und miner schwester umgewendt. Possunt etiam נפתולי, naphthule, significare vicissitudines: ubicunque enim versio fit, isthic est vicissitudo. Sic vicissitudinibus Dei conversa sum cum sorore mea, hoc est quemadmodum primum ipsa fecunda fuit ego sterilis: ita nunc ego fecunda sum et ipsa sterilis. Hunc sensum viderunt LXX et verterunt: Auxiliatus est mihi Deus. Ubicunque enim labor est et adflictio et quispiam onus tollit, vicissitudo est. Nam quum tollo onus tuum ac levo, iam vicem tuam suppleo adeoque tibi auxilior et subsidium fero. Quasi diceret Rahel: Ecce Dominus vices meas doluit, et adiuvit me; levavit onus contumeliarum et

obprobrii, quod a viro et a sorore patior. Sicut prius sororem iuvit, ita nunc vice versa me adiuvat, et valida sum. Domino adiuvante validi sunt pii in ferendis iniuriis et persecutionibus: nam omnia possunt in eo, qui eos confortat. Hoc admonendus est lector, in nominibus patriarcharum propriis quemlibet ludere posse et allegorias texere; modo id fiat ad fidei normam et ipsius rei analogiam. Nihil vetat, quo minus omnia ad nos trahamus. Quandoquidem Deus nostram afflictionem respicit, *Ruben* dicimur; quum nostrum clamorem audit, *Simeon;* dum nobis iungitur nosque ei adhaeremus, *Levi:* quum confitemur, laudamus, agnoscimus dominum, gratias agimus, *Iudas;* dum nos vindicat et liberat Deus, *Dan.* Sic in ceteris perge! Dum enim pius in prosperis et adversis operationem Dei agnoscit ac gratias agit, secundum diversas operationes diversa sortitur nomina.

Et dixit Lea feliciter. Hebraica vox בגד, bagad, puto esse *prospere, auspicato*; sicut Germanice dicimus in subito aliquo eventu prospero: Das ist glück. Rahel infecunda erat et habuit ancillam fecundam. Contra Lea fecunda erat, metuit autem ne ancilla esset sterilis. At quum videt et ancillam fecundam esse, subita exultatione exclamat בגד: Das ist glück, mit glück; bene, beate, feliciter.

Hoc pro beatitudine mea. אשר, ascher, quod Latinus per beatum et beatitudinem vertit, Hebraeis perinde est ac Germanis wol. Beatus vir qui non incedit in via peccatorum, wol dem mann etc. Sic hic באשרי, das wil mir wol. Fere idem est cum superiori.

Beatam me dicent omnes mulieres. Hebraice sic: Beatam me dicent vel beatificabunt me filiae, laudibus extollent me. Sic diva virgo Maria in Cantico suo Luc. I, ut ubique sermonem Domini agnoscas.

Parum ne tibi videtur, quod acceperis mihi maritum meum, nisi et mandragoras filii mei acceperis? Etiam pii homines adfectibus carnis ducuntur. Scribitur autem hic aemulatio, quae fuit inter uxores Iacobi; molestia viri supprimitur: nam ipse interim odio earum et aemulatione exercetur. Sed diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Dominus exaudivit preces eius. Intelligimus hic anxiam fuisse Leam, ut sibi amorem mariti conciliaret: erat enim neglecta ab eo. Sed haec per hyposiopesin tacentur.

Dedit Deus mercedem meam. Duplex potest esse sensus: unus, ut loquatur haec, quasi poenitentia ducta fuisset, quod ancillam marito dedisset; iamque dicat: Ecce Dominus rependit mihi pretium, er hat mich mins leyds ergetzt. Alter, ut ad mandragoras respiciat. Quasi diceret: Quemadmodum emi concubitum mariti mei, ita dominus mihi rependit: Hat mirs bezalt.

Dotavit me Dominus dote bona, iam cohabitabit mihi maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios: ideo vocavit nomen Sebulon. Iucunda est παρονομασία Hebraicarum vocum זבד, sebad, et זבל, sebul; sic mox sequentium, אסף, asaph, et יסף, iasaph, quam ceterae linguae adsequi non possunt.

Ademit Deus opprobrium meum, et vocavit nomen eius Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum. אסף Hebraeis

significat *addidit*, *collegit*. Collegit opprobrium meum Deus. Hic prius pro posteriori ponitur colligere pro adimere, tollere. Ita cum abitum alicuius significare volumus, dicimus Germanice: Er hat sin ding zesamen gelásen. Is sarcinas collegit. Duabus igitur ex causis Ioseph vocatur: primo ab auferendo, a colligendo, ut iam dictum; secundo ab addendo: Deus addet et alios liberos. Rahel ecclesiae gentium typum gerit. De hoc mysterio satis supra, et Esaiae LIV. Gal. IV. Huius opprobrium ademit Christus. Deinde potest historia per allegoriam nostris aptari temporibus: multi sunt qui cum primis Evangelium receperunt, qui iam toti frigent et infecundi sunt facti. Nam quae cito maturescunt, cito pereunt, et praecoces fructus raro ad maturam aetatem perveniunt. Sunt deinde qui sero et tarde veniunt, sed post longam sterilitatem multum fructus adferunt prioresque antevertunt.

Ait illi Laban: Inveniam gratiam in conspectu tuo (*auspicatus fui*, *et locupletavit me Dominus e commercio tui*) *et dixit*: *Indica mihi mercedem tuam*, *et dabo*. Sic fere habent Hebraica, qui solent interiecta parenthesi verbum denuo repetere; sed iam verba expendamus! Invenire gratiam in conspectu seu in oculis quid sit, satis superque antea auditum est. Verbum נחש, nahasch, quod Hebraeis est augurari aut auspiciis experiri, Septuaginta verterunt *οἰωνισάμην*. Est autem *οἰωνὸς* augurium. Quasi diceret: Auspicatus et fortunatus fui. Auspicata fuerunt mihi omnia; bonum omen, bonum auspicium habui. Benedixit me Deus, id est locupletavit, ditavit.

בגללך, ob tuum commercium. גלל significat permiscere, commercium habere. Quasi diceret: Eo quod tu commercium mecum habuisti, conversatus es mihi: benedixit me Deus. Indica mihi! Hebraice נקבה, nekafa. Dupff[1] mir, bstymm mir. Metaphora sumta ab iis, qui rationem ponunt pecunia vel calculis. Graeci dicunt: distingue! id est diserte et clare exprime!

Modicum fuit antequam venirem ad te*, *et erupit in magnum*, *et locupletavit te Dominus ad pedes meos*. *Et nunc quando faciam etiam ego domum meam?* *Ad pedem meum Hebraismus est: id est, ad introitum meum, ad adventum meum. *Facere domum*. Sicut Latini dicunt rem facere pro locupletare, augere, curare, ampliare rem domesticam. Quum Iacob iam a Deo esset locupletatus: ita ut res domestica aucta esset nimium, operae pretium videtur ei, ut suae familiae curam non negligat. Exemplum hic habemus licere Christiano etiam ditissimo, prolem suam, familiam, rem curare ac providere; imo nec bonus vir est, ne dicam infidelis, qui suis non providet, qui sua non curat, 1. Timoth. V. Non enim debet pius homo ab aliis emendicare, sed laborare, ut etiam habeat, unde impartiri possit ei qui eget, Eph. IV. Qui ergo hoc Christiano licere negant, nequam sunt et perditi homines, hominum genus nocentissimum, qui plus obsunt reipublicae Christianae, quam qui bella et seditiones excitant. Nam multo nocentius est in verbo Dei pugnare ac dissentire, quam rebus et corpore. Hi vero inter pacatissimos Christianos gravissima dissidia movent, ac omnia miscent.

[1]) *Tupfen*, mit der Fingerspitze zeigen.

Si feceris hanc rem, manebo, pascam gregem tuum, custodiam. Sic habent Hebraica ad verbum; elegans asyndeton, quod Hebraeis non est infrequens.

Pertransibo per omnem gregem tuum hodie, separa illinc omnem pecudem punctatam et maculis aspersam, quicquid ergo ovium fulvum est, et maculosum et punctatum in capris, sit merces mea. Primum pertransire gregem hic pro recensere accipitur, ut sit Prothysteron; neque solus Iacob pertransit gregem, tametsi dicat pertransibo, per synecdochen. *Hodie* emphasim habet. Nam prudens metuit, ne (uti solent divites) procrastinatione longa res differatur, et tandem eum fallat socer. Nam saepe pauperibus ad hunc modum illudunt divites: Differunt rem, deinde dicunt pactum non esse pactum; et rursus, non pactum esse pactum, ut est apud Plautum. Vult ergo Iacob, ut *hodie* fiat. Conditio, quam proponit Iacob ipsi Labano, talis est: Recenseantur omnes oves et caprae, separeturque a grege Labani, quicquid aliquo modo maculosum aut varicolor est, deturque Iacobo pro mercede sua; quicquid vero aut penitus album aut omnino nigrum est, sit ipsius Labani.

Et respondebit mihi iustitia mea cras, quoniam veniet ad mercedem meam coram te. Iustitia hic pro beneficentia, pro integritate et fide capitur, qua usus est Iacob erga socerum suum. Sic iustitia dei saepe pro beneficentia et misericordia dei erga nos in scripturis accepta reperitur. *Respondebit* pro rependet usus est; ut frequenter et eleganter solent Latini: Tellus non respondet labori.

Verbum *veniet* apud Hebraeos foemininum, refertur ad iustitiam. *Cras* hic pro brevi accipitur.

Quicquid vero non aut punctatum et maculosum in capris, aut pullum in agnis, mecum repereris, furti me insimulabis, seu furtum hoc sit. Hoc caput vehementer obscurum est in Latinis codicibus, quare et verba et sensum ex Hebraica veritate (quantum quidem pro nostra tenuitate adsequi potuimus) transferre conati sumus. Post separationem, inquit Iacob, si quid in meo grege repertum fuerit, quod vel omnino album vel omnino sit nigrum, hoc pro furto mihi imputa.

Segregavit ergo eodem die hoedos maculosos, et omnes capras punctatas et maculosas: breviter quodcunque nigrum, in quo macula aliqua alba: seu quodcunque album, in quo aliqua nigra macula fuit in ovibus, dedit in manus filiorum suorum. Auditum est conventum esse inter eos, ut omne maculosum, stigmatisatum, punctatum, fuscum, pullum, subcinericium, aut quoquo modo variegatum ipsius Iacobi esset; ceterum quicquid album omnino, aut omnino nigrum, esset ipsius Labani. Separata ergo sunt omnia maculosa, punctata, aut pulla, aut etiam circulis ac anulis revincta (nam haec intelligimus per עקודים, akudim) ab iis quae alba ac nigra erant, traditaque sunt in manum filiorum Iacobi. Nam hoc (filiorum suorum) ad filios Labani referri non potest, quum Iacob custos fuerit gregis Labani, non filii. Tradidit ergo Iacob gregem suum maculosum a grege Labani separatum filiis suis custodiendum. Ipse vero pascebat gregem soceri sui.

Hic etiam nota, quod pullum colorem aut fuscum (quem Hebraei חום dicunt) eum esse putamus, qui atro vicinus est, nec tamen de integro ater; unde veteribus pullas vestes dictas arbitramur, quae ex huiusmodi nativa lana, non tincta essent. Luxu tamen succedente, neglecta pulla veste, coepit quaevis atra pulla, maxime in funeribus ac luctu, adpellari.

Et posuit viam trium dierum inter eum et Iacob. Hoc est, inter gregem Labani et gregem Iacobi: tantum ponit interstitium. Bifariam exponi hic locus potest, vel quod Iacob tantum interstitium et spatium inter utrunque gregem fecerit; et tunc intelligitur, ut dictum est, inter Iacobum, id est, inter gregem Iacobi. Ubi miram aequitatem et iustitiam ipsius Iacobi videmus, qua cum socero suo agit. Nam si oves maculosae inter oves Labani mansissent, potuisset Iacob astu et dolo cum socero suo egisse videri. Iam gregem suum Iacob tanto intervallo a grege soceri sui semovet, ut suspicioni locus esse nequaquam possit. Vel quod Laban hoc fecerit, ubi perfidia et astus soceri notatur, qui generum mercede sua hac arte fraudare conatur.

Et accepit sibi Iacob virgas virides, populeas, avellanas, et de platano, et decorticavit in eis decorticationes albas, denudando albedinem quae in virgis. Populeas virgas genus pro numero. Eleganti schemate hic usus est: decorticavit decorticationes albas, quum tamen cortices albae non sunt, sed id quod sub cortice latet. Quum ergo corticem detrahebat, fecit adparere album. *Accepit sibi* schema est Hebraicum; ut Germanis: Do nam er imm stäb.

Et posuit virgas, quas decorticaverat, in canalibus potatoriis aquarum, ad quas veniebant greges ad bibendum, e regione ovium, vel ante oves, et incaluerunt, seu conceperunt dum veniebant ad bibendum. Id est ut conciperent (et pro ut). Ponit autem calorem hic pro ipsius coitus et conceptus fervore. Germanice dicimus **Brunst**. Ponebat igitur virgas varii coloris in lintres potatorios, ut in ipso calore conceptus idea varii coloris insereretur. Simul autem illius regionis morem exprimit, quod oves ad lintres potatorios incalescant et concipiant. Neque frustratus est spe sua Iacob: nam sic factum est, ut oves ad aspectum baculorum conciperent, et parerent varii coloris foetum. Quo viso

Separavit Iacob agnos, et posuit agnellos, et quicquid fuscum aut pullum fuit in grege Laban, ad gregem varicolorem: fecitque sibi ipsi gregem seorsim, et non posuit eum ad gregem Laban. Scribuntur haec tam exacte, ut aequitatem et fidem Iacobi erga socerum suum intelligamus, qui tanta diligentia e grege Labani separat quicquid est varicolor, ne fraudis aut doli insimuletur. Quae integritas Iacobi ex sequenti facto quoque intelligi potest: neque enim omni tempore virgas decorticatas in canales ponit, sed duntaxat ad conceptum vernum, non autumnalem. Quae enim in vere concipiunt oves, ad autumnum pariunt; et hae aegrius et difficilius propter hiemis asperitatem educantur minusque sunt validae. Quae vero autumno coëunt, partum gerunt usque ad Martium, qui partus certe melior est: nam praestat ante solstitium quam ante brumam firmum esse. Praeferuntur ergo agni

verni hibernis, hoc est agni qui vere nascuntur, iis qui autumno. Debent ergo serotina (sic enim Latinus habet) quae Labani erant, ad conceptum, non ad partum referri. Hoc est, quae sero ad autumnum scilicet concipiebantur, ipsius erant Labani; et illae meliores erant et validiores. Quae vero primo, id est, verno tempore concipiebantur, partum edebant ante brumam, et hae infirmiores erant. Vides ergo factum Iacobi nihil fraudis aut doli habere: non enim suo, sed communi commodo studet. Hoc vero quod perfide Laban agebat, industria naturali mutat Iacob, ita disponente ac providente Deo. Adeo enim perfidus erat Laban erga generum suum, ut oves maculosas tanto spatio a suo grege, ut auditum est, semoveret, impossibile ratus, ut maculosas posthac grex pareret. Quo facto quid magis perfidum? Qui enim suis non benefacit, imo malefacit et fallit, cui proderit? Non ergo in historia litera tantum spectanda est, sed divina providentia. Nam quae nobis humano consilio facta videntur, fiunt Dei providentia. Promiserat deus Iacobo, quum in Mesopotamiam iret, ipsum esse eum locupletaturum. Hoc iam ei praestat, interim ingenio et industria eius abutens ad bonum. Deinde facta sunt illis omnia in figura (ne quis avaritiae et cupiditati suae hinc patrocinium petat; ne quis fallendi aut fraudandi quenquam occasionem ex facto Iacobi arripiat) scripta ad nostram doctrinam. Varii coloris grex typum gerit Ecclesiae Christi, quae quum corpus unum sit varia tamen membra habet, varia item dona; iis uti convenit ad corporis totius utilitatem. Quod ut fiat commodius, Protei esse debemus et hac versutia uti, qua usus est Iacobus; non ut simus inconstantes, ut quovis vento circumferamur, ut fluctuemus; non ut proximum vafritie aut calliditate circunveniamus; non ut nostra quaeramus sed ut fiamus omnia omnibus et occasioni nos adcommodemus: ut Paulus se fecisse testatur. Si qui a nobis dissident, si qui adhuc imbecilles sunt, oportet magna longanimitate et patientia illorum resipiscentiam et robur expectare. Si qui sunt corripiendi, hos interim blande, interim severiter aggredi convenit. Sed haec omnia in eum usum fiant a nobis, ut Iacob (qui Christum figurat) ditescat, non nos; ut gloria Christi illustretur; ut eius ditio propagetur; ut multos Christo lucrifaciamus; ut peculium eius augescat. Ad id utemur miro et fideli artificio, et his exterioribus sapienter et prudenter (nam et prudentia quoque in fideli ministro et dispensatore requiritur) abutemur, singula suo tempore et in loco dispensantes. Exemplum damus: Vis pugnare contra Romanum pontificem, illumque debellare tanquam publicum et nocentissimum evangelii hostem? Posteaquam hoc animo concepisti, firmiter sta in Domino! At interim diversis viis, diversis artibus hostem ac impostorem pete, iam rogando, iam exhortando, iam minitando et arguendo; iam blandis, iam duris et minacibus verbis alloquendo; iam cessando, quum tamen interim minime cesses. Solent enim et milites in pugna aliquando terga vertere et fugam simulare, ut hostem fallant et acrius urgeant ac instent. Sic homini Christiano faciendum est. Sed hic videndum ut animus semper sit sincerus absque fuco, absque hypocrisi, absque vana gloria; sed ut omnia fiant in gloriam Dei.

CAPUT XXXI.

Quandoquidem in fine superioris capitis dictum est erupisse Iacobum vehementer nimis crevisseque substantiam eius valde: describitur iam invidia et odium filiorum Labani in Iacob. Crescente enim fortuna et re crescit simul et invidia: gloriae enim ac fortunae comes est invidia. Significat autem hic כבד, cabod, amplitudinem, gloriam, splendorem, opulentiam.

Animadvertit Iacob faciem Laban, quod non esset erga se sicut antea. Heri et nudius tertius utuntur Hebraei pro antea, hactenus, vorhar, vormals. Ex facie et fronte animus proditur: nam sic natura comparatum est, ut talis sit frons et vultus quale est pectus. Voluit enim opifex Deus, quandoquidem cor hominis inspici ab homine non potest, sic condere hominem, ut cor ex fronte intelligeretur, ut nihil fucatum esset in facie. At homo, audax animal, hypocrisi aliud corde gerere, aliud fronte simulare et prae se ferre didicit. Malitia ergo non sumus quales nos finxit Deus. Hac ratione fit, ut homo facile agnosci, qualis intus sit, non possit: nam tametsi vultus illico ad pectoris mutationem formatur, tamen quia intus est, ut primum homo haec sentit, conatur vultum mutare et vertere. Hoc ergo, tametsi perfidus erat, Laban melior est et sincerior, quod invidiam et odium erga generum suum minime dissimulat.

Et dixit Dominus ad Iacob: Revertere ad terram patrum tuorum, et generationem tuam, et ero tecum. Discimus hic Deum nusquam suis defore. Magnum ergo et consolatione plenum est hoc verbum, quum Deus dicit: Ego ero tecum. Non est Deus de longinquo, sed prope est, imo in medio nostri; his, qui sunt in tribulationibus et pressuris, adcurrit, adest, eripit. Quod enim Iacob fecit, omnibus facit; siquidem Israel fuerimus. Est enim semper et ubique sui similis nec mutatur.

Deus patris mei fuit mecum. Bifariam intelligi potest: *Fuit mecum*, id est locutus est mecum, adparuit mihi; vel *fuit mecum*, id est custodivit me, adfuit mihi, ditavit me. Posterior sensus magis convenit sequentibus.

Pater vester circumvenit me, et mutavit mercedem meam decem vicibus. Decem agnis dicunt LXX. Error hinc nasci potuit, quod LXX nonnunquam dictiones Hebraicas posuerunt; habent autem Hebraei hic מנים, monim; iam facile aliquis ex מנים potuit facere ἀμνῶν.

Si quando dixit: punctati erunt merces tua etc. Textus hic valde est obscurus. Nam quomodo fefellerit Laban Iacobum decem vicibus, ab historico prius non est scriptum, nempe in posterioribus dicendum. Iam ergo non in loco, sed quasi per occasionem dicit uxoribus quomodo id sit factum. Neque tamen decem vices exacte explanat, sed tantum in genere proponit duoque genera colorum recenset, ex quibus reliqua colligi facile possunt. Prima conditio haec erat, ut ex grege Laban omne varicolor segregaretur essetque merces ipsius Iacobi; ceterum aut omnino alba aut nigra omnino, in quibus nulla macula, essent ipsius Labani. Iam intelligimus ex verbis Iacobi post

hoc factum esse, ut Laban socer aliquando ad generum diceret: Ecce conditio mihi talis tecum est, ut tantum hae oves tuae sint, quae punctis et stigmatibus sunt notatae (hoc enim significat נקד, nekad). Obiter hic nota perfidiam Labani, qui (ut solent divites cum pauperibus agentes, conditionibus non stare) prima conditione non stetit, sed mutavit mercedem Iacobi et eum fraudavit. Sed quid factum est? Quum sic inique ageret Laban cum Iacobo, fecit Deus ut omnes oves essent נקודים, nekudim, et sic divina providentia ac benignitas cassum reddidit consilium Labani. Porro si dixisset aliquando pater vester (ita enim dolum exponit Iacob uxoribus suis): נקודים non sunt tuae, sed עקודים, id est, circulis et anulis vinctae, faciebat Deus ut omnis partus esset עקודים, akudim. Sic deinceps est factum, ut quamcunque conditionem eligeret pater vester contraria eveniret. Atque hoc decies factum est.

Levavi oculos meos, et vidi in somnis. Sed quomodo id fieri potuit, ut in somno levaret oculos et videret? *Oculos levare* apud Hebraeos adeo frequens est idiotismus, ut etiam in iis utantur, ubi minime fit. Declarat autem impetum quendam et quasi inceptionem, ut Germani frequenter solent dicere: Do nam er und hub an, id est: Tunc coepit et ait. Do fur er dahar und sprach, id est: Tunc erupit ac questus est; quasi diceret: Dum pater vester perfide mecum ageret, consolatus est me Dominus angelo suo per visionem nocturnam. Hoc exemplo discimus semper bene fidere et patientes esse in adflictionibus et pressuris, ita cogitantes: Si Deus tam praesens fuit ipsi Iacobo in temporalibus, et eius curam gessit, ne fraudaretur, ne opprimeretur, ne iacturam aliquam pateretur: quanto magis nostri curam geret? quanto magis nobis aderit in rebus fidei etc.

Ego sum Deus Bethel. Angelus loquitur et dicit: Ego sum deus Bethelae, sed in persona dei hoc dicit et agit negotium Dei, ac si diceret: Ego sum nuncius illius Dei qui tibi adparuit in Bethel. Est metonymia.

Responderunt Rahel et Lea, dixerunt: Num ultra nobis pars et haereditas in domo patris nostri? Quasi dicerent: Quandoquidem intelligimus toties tergiversantem patrem nostrum, et mutantem mercedem mariti nostri: manifestum plane fit nobis patrem invidum non cessaturum, donec omnia ad filios transferat; nihil ergo nobis ultra a patre nostro expectandum.

Nonne alienae reputatae sumus ei, quod vendidit nos? Ad conditionem servorum alludunt, ac si dicerent: Sumus in domo patris nostri tanquam advenae; nec solum ut advenae, sed tanquam ancillae; imo non ancillae, sed velut emtitiae. Sunt enim mancipia vernae et emtitii servi: de bello captis enim statim sequitur. Quatuor servorum genera.

Comedit argentum nostrum. Id est opus nostrum in suum vertit commodum, fruitus est nostris. Capitur enim large comedere pro frui. Er hat das unser genossen. Laban typus est adversariorum evangelii, qui cursum eius impedire conantur, idque tentant variis modis, iam fraude, iam dolo, iam vi, iam blanditiis, iam minis et terriculamentis,

iam insidiis; sed nihil efficient: quanto enim ipsi magis obstant, tanto magis Deus promovet verbum suum, invitis etiam hostibus. Nunquam Deus per prophetas suos verbum suum manifestavit, quin semper multi fuerint qui contradicerent; sed semper praevaluit verbum Domini.

Omnia quae praecepit tibi Dominus, fac. Statim obsequuntur marito uxores, audiuntque quod locutus est ad eum Deus. Nec potuit eas simultas, quibus inter sese dissidebant, a marito avellere. Ubi discimus, saepe inter fideles oriri dissidia in externis quibusdam rebus; at in iis quae fidei sunt non contendunt nec discordant, sed vocem sponsi sui relictis patre et matre audiunt et sequuntur.

Tulit Iacob omnem substantiam suam, greges et quidquid in Mesopotamia adquisierat, pergens ad Isaac patrem suum. Reditus Iacobi ad patrem ascensum Christi ad patrem praefigurat; Mesopotamia inter duo flumina duplicem in Christo naturam. Duae uxores duae sunt ecclesiae: synagoga altera, altera ecclesia ex Gentibus. Sic Paulus ex Psal. 68. Quum ascenderat Christus in altum, captivam duxit captivitatem.

Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves, et Rahel furata est idola patris sui. Aureas quasdam imagines abstulit Rahela forte pro mercede, quam pater promiserat. Habuit nimirum Deos patrios Laban et penates, neque tamen pro Diis coluit. Nam apud Gentes quidam fuerunt, qui tametsi idola haberent et colerent sciebant tamen unum duntaxat esse Deum. Coluit ergo non idola Laban, sed Deum; at non ea pietate, ea sinceritate et innocentia qua Iacob: alioqui et ab idolis abstinuisset.

Et furatus est Iacob cor Laban. Schema est Hebraicum *cor furari*, hoc est celare et abscondere consilium, clam, inscio socero hoc agere, profectionem clam socero instituere. Hoc transtulit Latinus per noluit confiteri socero suo fugam. Fugere vehementius est, abire levius quam ut huic loco conveniat. Quomodo enim aufugere poterat, qui tot annis tam fideliter servivit? Maturavit isthinc, illinc facessivit.

Amne transmisso, pergebat contra montem Galaad. Hebraeus sic legit: Et transmisit fluvium, Euphraten scilicet. Et posuit faciem suam ad montem Gilead, id est versus eum montem proficiscebatur. Ubi nota formam Hebraicam, qua in aliena lingua utitur Lucas evangelista IX. Firmavit Iesus, inquit, faciem suam, ut iret Hierosolymam; et statim subiicit: Erat enim facies eius euntis Hierosolymam. Et iam hoc emphasim habet, quum dicit: Transmisit flumen, quasi diceret: Feliciter transmeavit Euphratem: solent enim pericula esse in transvadandis fluminibus magnis. At Iacob feliciter transmeaverat ac mature, priusquam eum socer adsequeretur.

Qui assumtis fratribus suis, persequutus est eum. Hebraei vicinos et cognatos, ac quemlibet proximum fratres vocant, ut ex superioribus saepe iam claruit; quemadmodum mos est militibus stipendiariis, quos doryphoros adpellamus.

Cave ne quicquam aspere loquaris contra Iacob. Sensum expressit Latinus. Hebraeum schema est: Cave ne loquaris cum Iacob de bono ad malum; quo Hebraei bifariam utuntur: Primo pro neque

bonum neque malum: hoc est omnino nihil; ut alibi saepe. Secundo, ut tantum valeat ac si dicas: Nihil mali loquaris cum eo, sed tantum bonum, seu praeter bonum nihil loquaris cum eo. Hic etiam nota synecdochem! utramque partem exprimit, sed alteram tantum comprehendit. Vult enim a verbis ei et verberibus interdicere. Nam si non vult eum laedi malis verbis; multo minus verberibus aut factis; quasi diceret: Nihil omnino mali facies ei. Exemplum quoque hic habemus, deum suos non deserere, sed curam eorum agere, atque adversarios terrere, nec sinere, ut fidelibus quicquam mali inferant.

Quasi gladio captas abduxisti mihi filias. Genus est servorum qui bello capti sunt. Immerito autem hoc obiicit ei Laban, sed ira temere, quidquid in buccam venerit, loquitur. Facile oriuntur dissidia propter rem vel inter coniunctissimos.

Ut prosequerer te cum gaudio et canticis etc. Hoc simulat Laban, ut mos est omnium hypocritarum, magnifica et ingentia post factum polliceri.

Esset quidem manus mea valida ad faciendum vobis malum, sed Deus etc. Hoc est satis fortis essem ut nocere possem; at Deus prohibuit.

Cur furatus es Deos meos? Hoc dicit, non quod idola pro Diis habuerit, sed quod idola Deorum, quibus facta sunt, nomina sortiuntur, ut apud Christianos idolum divi Petri Petrus vocatur.

Hic iterum exemplum est piorum et persecutorum: Christus praedicavit iustitiam veram, Laban (id est sacerdotes Iudaeorum) ibat ad tondendas oves, hoc est statuta sua et traditiones, ex quibus eis plurimum lucri accrescebat, intrepide praedicabant; interim verus Iacob Christus furatus est eis cor, hoc est, non attendebant, cupiditate scilicet obcaecati, quo spectaret Iesus, nempe ut post se abduceret populum. Abducta est ergo eis ecclesia, quam tametsi persequi pergebant, defendit Deus.

Respondit Iacob, quod te inscio profectus sum etc. Obiectiones soceri diluit Iacob. Quod fugi, inquit, non tam patriae desiderio factum est, quam tua perfidia: metuendum enim mihi erat, ne, qui me toties fefelleris, vi uxores filias tuas mihi auferres. Ceterum quod ad furtum Deorum tuorum attinet, cuius tu me insimulas, tantum abest, ut huius rei sim conscius ut liberum tibi faciam perquirere res meas; et apud quem fuerit inventum morti sit obnoxius.

Et venit Laban in tentorium Iacob, et in tentorium Leae, et in tentoria duarum ancillarum, et non invenit: et egressus de tentorio Leae, venit in tentorium Rahelis. Scribit Laban primum ingressum fuisse in tentorium Iacobi et Leae, deinde in ancillarum tentoria. Quomodo ergo hic dicit, eum e tentorio Leae tentorium Rahelae esse ingressum? Debuit potius dicere: Egressus e tentorio ancillarum ingressus est tentorium Rahelae. Est igitur duplex ordo, actionis et dignitatis. Si actionis ordinem spectes, non de Leae tentorio, sed de ancillarum ingreditur ad Rahelam. Hoc propter eos dicimus, qui contendunt, baptismum sequi oportere doctrinam ex cap. XXVIII. Matthaei. Potest etiam dici, quod saepe antea diximus,

Hebraeorum more propositionem generalem primo poni, et quasi per anticipationem praemitti; deinde singulas partes digeri, ubi, saepe quae postremo facta sunt primum, et contra quae priore facta sunt loco posteriore recensentur. Sed quid de furto et mendacio Rahelae, honestae et piae mulieris? Adfectibus carnis etiam pii nonnunquam vincuntur; de qua re in superioribus multa. Nobis ad exemplum et praescriptum Christi vivendum est, neque ullius factum quantumvis sancti tantum apud nos valere debet, ut a verbo Dei unguem latum recedamus. Furata est Rahela patri imagines, commisit David adulterium, praetulit Abraham vitam suam pudicitiae uxoris. Haec non scribuntur, ut sequamur, ut et nos talia faciamus; sed partim ideo, ut videamus quid sit homo, si suis adfectibus relinquatur, partim figurae et mysteria in hisce rebus gestis adumbrantur. Medici curant iuxta canones, nisi necessitas aut casus aliud requirat. Nobis vetat Deus, ne furemur, ne mentiamur. Quod si a quibusdam Dei dispensatione contra hanc regulam factum videmus: nos non immunes erimus, si eius exemplum sequamur. Non enim debent rara quaedam et paucorum exempla contra communem legem quidquam valere. Figura est, quod Christus omnem idololatriam sua morte abstulit.

Et iratus Iacob, rixatus est cum Laban, et respondit ipsi Laban, et dixit: Quod est peccatum meum? Iacob respondit ipsi Labano, quum tamen Laban nihil dicit, sed tantum quaerit idola; sed factum ipsius Labani respondet. Sic in evangelio saepe legimus Dominum respondisse, quum tamen nemo esset locutus. Sic mos est Hebraeorum respondentem aliquem facere, quum responsione opus est etiam si nemo sciscitetur; ut ad cogitationes Christus Pharisaeis saepe respondit. Item Matth. XI. respondens Iesus: Gratias tibi ago pater. Factum ergo ipsius Labani expostulat, ut Iacob cum indignatione respondeat. Quis enim innocens aequo animo ferat, si quis in supellectile aut domo sua furtum requirat, omnia perlustret, et tandem nihil inveniat? Respondemus ergo ad ea quae per syllogismum colligimus responsione digna. Excusat autem et diluit Iacob, quae Laban tacitus obiicit.

Arietes gregis tui non comedi. Fidem suam erga socerum ostendit Iacob. Dicit ergo inter caetera: Nihil ex grege comedi, id est nihil mihi in usum meum vindicavi.

Discerptum a feris non attuli tibi, ego peccabam: de manu mea exquirebas, sive noctu furatum esset, sive interdiu. Non solum fidem, sed et diligentiam suam obiicit socero Iacob, simul occulte indicans quanam perfidia erga eum usus sit Laban. Discerptum a feris, hoc Hebraei unica dictione טרפה, terepha, exprimunt, similiter Graeci θηριάλωτον, Germanice: thierässig oder thierschlechtig. *Ego peccabam.* Haec dictio חטא, hata, Hebraeis non solum peccare, sed peccatum expiare quoque significat. Quod quidem frequens est in libris Moseos. Habent enim dictiones quasdam, quae contrarias habent significationes; sicut ברך, barach, benedixit et maledixit significat, quemadmodum Latinis sacer: auri sacra fames. Sensus ergo est: Si quid a feris laniatum aut discerptum erat, tibi non ferebam domum,

sed ego dependi, ego expiavi: meum erat damnum, non tuum. Deinde, si quid esset furto ablatum, sive hoc fuerit factum interdiu sive etiam noctu, e manu mea exquirebas; ac si diceret: Tam iustus in te fui, ut, tametsi lege non cogebar (nam pastores non tenentur solvere quae nocte ablata sunt), dependerem quae nocturno tempore essent ablata; imo tu tam iniquus in me eras, ut ista de manu mea exquireres.

Fui in die, comedit me aestus, et gelu nocte, et fugit somnus ab oculis meis. Omnibus his nihil aliud agit Iacob, quam fidem suam, diligentiam, laborem declarare; rursus ingratitudinem et iniquitatem soceri. Somnus fugit ab oculis, Germanice: Ich bin vom schlaf kommen, insomnis factus sum. Taceo iam eam fraudem qua mecum usus es ab initio: nam quum septem annis pro Rahela servivissem, fraudasti expectationem meam et Leam dedisti; compulsus itaque füi alios septem annos pro ea servire quam diligebam. Deinde quid dicam de mercede mea, quam mihi vicibus decem mutasti, nec pactis nec conventionibus servatis? Et nunc tandem (o miram iniquitatem) ac si hostis essem, me persequeris, omnem supellectilem meam ac si fur essem perscrutaris, et nisi Deus me servaret totum perderes.

Et nisi Deus patris mei, Deus Abraham et metus Isaac fuisset mihi, vacuum me amandasses. Metus Isaaci, id est θεοσέβεια religio patris mei. Sic enim Latini quoque religione pro metu utuntur. Religio est haec facere, ich fürchte Gott wo ich das thäte. Sensus ergo est: Metus et amor ille, quo coluit Isaac pater meus Deum, effecit, ut Deus qui respexit adflictionem et laborem meum non sineret te mihi illudere; sed arguit te heri, id est hucusque prohibuit, ne mihi noceres. Si non coluissem hunc Deum, quem pater meus Isaac coluit etc.

Respondit Laban: Nonne filiae, meae filiae: et filii, mei filii etc. Haec non per indignationem dicuntur, sed ex paterno adfectu, quae miro artificio Moses sua lingua describit et exprimit. Incipit enim Laban mitis fieri, incipiunt paterna viscera colliquescere; quasi diceret: Quid facerem? quidquid hic est, meum est et mei possident. Tales autem adfectus movet Deus et mitigat iram; mansuefacit feroces exercetque sic suos, ne quis haec contingentia putet. Operatur enim omnia Deus.

Et attulerunt lapides, et fecerunt acervum vel cumulum, et comederunt ibi super cumulum. Et vocavit eum Laban, יגר שהדותא, iegar schahadutha, *Iacob vero dedit ei nomen Gilead.* יגר שהדותא lingua Syra hoc significat, quod Hebraea גלעד, Gilead, nempe acervum testimonii.

Et visio, de qua dixit, speculetur Dominus inter me et te, quum abscondetur alter ab altero. מצפה, mitzpa, speculum aut visionem significat. Sensus est: Vocamus hic Deum testem, qui adstat speculator et testis: ille speculetur, videat et etiam animadvertat in nos, si pactum, postquam alter ab altero recesserit, fregerimus. Dum alter ab altero avellitur, fit ut alter alteri abscondatur. Quare hoc schemate utuntur Hebraei, sicut Latini et Graeci, *auferri insulam aut regionem* pro recedi ab ea.

Nemo est nobiscum, vide Deus testis inter me et te. Pro-

nemo Hebraei dicunt *non homo*, nieman; ut supra cap. 23. Quod autem dicit neminem adesse, quum plures adsint: ideo forte fit, quod familia testimonium hero suo ferre non potest; vel quod ipsi duo soli inter sese pactum et conditiones constituerint absentibus arbitris.

Et dixit Laban ad Iacob: Ecce acervus iste, et ecce speculam quam erexi inter me et te. Dicit se erexisse statuam, quam tamen Iacob erexerat, quod nimirum utriusque voluntas erat, ut erigeretur lapis.

CAPUT XXXII.

Iacob vir pius, quum gravia et magna passus esset in Mesopotamia, quum esset multis laboribus adflictus persecutionemque Labani effugisset, in aliud maius periculum incidit. Supra modum enim fratrem suum Esavum metuit. Adparet ergo Deus angelorum visione, consolatur corroboratque eum.

Et profectus Iacob itinere suo, occurreruntque ei angeli Dei, et dixit Iacob, posteaquam vidisset eos: Castra Dei haec? מחנים, mahanaim, castra significat, quod nominis hic locus occasionem habet, quod illic castra et exercitum Dei vidisset Iacobus. Tentatur fides piorum, et uno superato in aliud irruit periculum; sed non deserit suos Dominus, adparet, consolatur, eripit.

Sic loquimini Domino meo Esau. Esavum dominum vocat Iacob, qui nimirum solum Deum pro domino habebat, illius linguae proprietate ac consuetudine. Vide autem quanta verecundia et reverentia, quanta modestia se gerat erga eum, cuius dominus ipse erat, ut sese servum vocet qui dominus esset, dominum qui servus: non effertur, non extollitur, quod Dominus ei toties adparuerat, quod tam dives erat, sed mittit legatos ad fratrem, qui sibi gratiam impetrent.

Haec dicit frater tuus Iacob, apud Laban peregrinatus sum, et fui usque in praesentem diem: habeo boves et asinos et oves etc. Quae hic agit Iacob, videntur per sapientiam et prudentiam humanam esse facta. Sed considerandum est, omnem prudentiam, omnem sapientiam etiam Gentilium esse a Domino Deo: ut Salomon et Iacobus testantur. Utitur autem industria et arte quadam, qua capi posse putabat Esavum. Sunt qui contemtis divitiis solam vitae probitatem spectant; sunt contra, qui divitias etiam honestati praeponunt de quorum numero est Esau. Legatos ergo mittit, qui divitem nuntiarent esse Iacobum: nam si integrum, si vitae innocentia spectabilem dixissent, nihil sic sermo apud Esau valuisset. Demulcet ergo eum muneribus, quae apud cupidos rerum plurimum possunt. Quandoquidem ergo eis inhiabat, dicit: Placabo muneribus, quum videbo eum: forsitan propitiabitur mihi. Hoc ergo ex facto non fallere discamus, aut esse hypocritas, sed christianos Proteos, et fieri omnia omnibus, pessimos quandoque suis artibus et insidiis adoriri et capere; modo haec omnia in gloriam Dei fiant, in salutem proximorum, ad publicam tranquillitatem et pacem; ut aedificemus, ut plantemus! Eadem est varietas apostolica in Paulo. Oportet enim eum, qui negotium Christi promovere velit, singulorum

ingenia et naturam observare et caute ambulare, sed tamen fortiter ac constanter; nec prosperis diffluere nec adversitatibus frangi. Neque enim, tametsi vehementer metuit, concidit Iacob: nam alioqui non ordinasset castra, non praemisisset munera. Hic videmus fidem Iacobi tentari. Nonne sic cogitare debuit: Toties tibi adparuit et locutus est Deus, toties eripuit, toties opem tulit, eripiet te etiam e manu fratris; nihil metuendum? Sed hic discimus fidem etiam in electis tentari, ita ut plane metuant, ut anxii sint. Petendum ergo semper est: Domine adauge nobis fidem! Sic Petro factum est, sic Christo in mortis angustia. At dum tentantur pii, mox ad Deum adcurrunt, non alio; huius opem implorant. Hoc docet nos simplex litera, ut scilicet mox in necessitatibus et angustiis ad Deum curramus, auxilium eius implorantes; et hic est spiritualis intellectus, seu sensus literae et historiae. Nam figurae seu mysteria aliud sunt et ad allegoriam pertinent.

Timens ergo Iacob valde, dixit: Deus patris mei Abraham etc. Oratio haec elegans est et brevis, in qua primum proponit; tum vero demum per catastrophen vertit orationem ad Deum: Erue me etc. Figura Christi Iacob, qui anxius animi in monte erat ad patrem, ut disceremus eum esse verum hominem. Matth. XXVI.

Minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate tua quam explesti servo tuo. Pro חסד, haesed, *miserationem* Latinus, Graecus δικαιοσύνην transtulit. Ubi videmus iustitiam in scripturis saepe pro misericordia accipi, quod Deus tum iustus est, quum quod ex misericordia pollicitus est praestat. Capitur et misericordia frequenter pro eo, quod Deus ex sua misericordia nobis praestat, pro beneficentia scilicet et beneficio dei, ut hic. Et hoc significat חסד.

Item אמת, aemeth, non solum veritatem, ut hic vertit, significat, sed et fidem, Trüw. Sensus ergo est: Quod toties ad te curro o Deus, non facio meis meritis fretus, non mea iustitia fisus: minor enim sum, quam ut apud te quidquam valeat mea probitas, sed fisus tua bonitate, tua misericordia et beneficentia; deinde fide tua: quod tam fideliter praestas quae pollicitus es, quod omnibus benefacis, ut in me saepe sum expertus, ad te venio auxilium imploraturus.

In baculo meo transivi Iordanem. In baculo ire, schema est Hebraicum, quo intelligunt nudum et tenuem eum transivisse. Metaphora sumta ab iis, qui bello capti, nudi et inermes, post se relictis omnibus machinis et armis, amandantur. Germanice vocant an stab aufgeben. Tenuis et pauper in Mesopotamiam venerat; dives et locuples in patriam revertitur. Et is locus facit ad intelligentiam eius, quod in Marco dicit Christus, ne videlicet Apostoli quid praeter virgam tantum in via gestarent, quum tamen in Matthaeo eis baculo interdixisset. Vult enim Christus utrobique, ut nudi, inermes et expediti legationem hanc obeant. Symbolum ergo paupertatis est baculus, etiamsi quis non gestet baculum. Sic Germanice etiam dicimus: Der ist an bettelstab kommen. Hoc est *pauper est.* Non ergo discordant Evangelistarum verba, sed amborum idem sensus est. Nemo ergo verbis contendat, relicto spiritu! Neque enim urgenda est illic litera, ut nihil habeant quam baculum. Nam hic sermo Christi non terribilis, sed mire conso-

latorius est; quasi diceret Christus: Laeti ac alacres estote! nam tametsi pauperes et absque commeatu eritis: ego tamen non deseram vos, sed abunde suppetam, quae necessaria sunt; vos modo officio vestro non desitis.

Separavit de his quae habebat munera ipsi Esau. Separat greges, et arte quadam singulis praeficit, iubetque ut inter singulos greges nonnihil interstitii facerent, nimirum hoc consilio ut munus videatur amplius et magnificentius, et magis conspectui Esavi pateat. At hoc consilium celat servos.

Placabo eum muneribus. Qui dediti sunt adfectibus, tametsi nonnunquam saeviant, muneribus tamen flectuntur et propitii redduntur. Quare huiusmodi hominibus non sunt committendi magistratus.

Transivit vadum Iaboc. Nocte transivit ac flumen transmisit, usus strategemate, noctis scilicet praesidio.

Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane: qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum foemoris eius, et statim emarcuit, dixitque ad eum: Mitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod est tibi nomen? Respondit: Iacob. At ille nequaquam inquit appellabitur ultra nomen tuum Iacob, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis? Interrogavit autem eum Iacob: Indica mihi quaeso nomen tuum Respondit: Cur quaeris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. Nervum femoris Hebraeus כף, caph, vocat, volam aut coxendicem quae est in femore, et hanc angelus luctando cum Iacobo luxavit. Sic fit ut saepe victores etiam laedantur; tamen nihilominus victos non dimittunt, donec herba eis praebeatur aut aliquid tale, quod hic fit. Nam interim quod Moses scribit mysterium, simul communem luctantium morem ita depingit, ut quasi oculis subiiciat.

Nisi benedixeris mihi. Qui putant angelum a Iacobo fuisse cognitum, benedicere pro bene precari interpretantur; quasi diceret: Non dimitto te, nisi bona mihi preceris. Discimus autem, quod pii in pugna et tentatione dicere debent: Ferendum est hoc aequo animo: benedictio Dei est, donum Dei: es ist von Gott da. At videtur Iacob non cognovisse angelum. Dixerit ergo: Benedic mihi; id est fatere te victum esse, cede victoriam! Ut Hebraeum ברך, barach, sicut Germanis ergeben, den pryss geben significat. Non dimittam te, nisi herbam aut culmum praebeas. Mutatio nominis apta est. Prius enim vocabatur יעקב, Iacob, supplantator, der Fersener, quod plantam fratris in partu apprehenderat. Hoc nomen vertit ei Esau vitio, quasi cum eo insidiis et astu egerit. Sed angelus *Iacob* in *Israel* vertit; ac si diceret: Nequaquam post haec Iacob supplantator vocaberis: non enim mecum insidiis, non malis artibus, non supplantatione mecum luctatus es, du hast mich nit geschrenkt,[1] und mit vorteil angangen, ut solent luctantes; sed vero, aequo Marte et solidis viribus. Est autem

---

[1]) Schränken, supplantare.

occulta confortatio ipsius Iacobi, ne fratrem metuat, quum sit tam fortis pugil. Ideo subiungit: Quandoquidem manum conseruisti cum Deo et praevaluisti, id est victor abisti: etiam hominum eris facile victor ac dominus. Iterum ad luctantium morem alludit: nam quum pueri luctantur et alter alterum sibi subiicit, victor ad victum dicit: Sprichst du mir herr? Hoc est cedis victoriam? agnoscis me esse victorem? Hic autem dominus non principem aut dominum, sed victorem significat. Quandoquidem ergo Iacob fratrem Esavum valde metuit, voluit eum Deus hac monomachia et quasi velitari pugna exercere victoremque abire, ne fratris metu posthac teneretur, sed forti et laeto animo ei obviam iret.

Cur quaeris nomen meum? *Quod est mirabile* hoc apud Hebraeos non habetur; est autem ex capite 13. Iudicum huc ab aliquo exponendi gratia adpositum. Cur nomen meum quaeris? Sic Deus saepenumero temerarias et frivolas interrogationes nostras eludit; sicut quum Petrus interrogaret: Hic autem quid? dixit Iesus: Si eum volo manere, quid ad te? tu me sequere. Item quum discipuli interrogarent: Num in tempore hoc restitues regnum Israëlis? respondit: Non est vestrum nosse etc. Sic filiis Zebedaei: Nescitis quid petatis. Quum ergo Iacob quaerit nomen Dei, respondit ille: Cur tu quaeris nomen meum? quasi diceret: ineffabile, mirabile est. Ad hoc respexerunt LXX sensum transferentes, non verba; quasi diceret: Nulla creatura comprehendere aut intelligere potest nomen illud Dei, quod essentiam et naturam Dei explicat. Hoc enim debet nomen: naturam rei, veluti quaedam brevis definitio, exponere: nomen enim brevis est rei definitio. Hic locus fortiter contra Iudaeos pugnat. Nam quum Iacob cum Deo luctatur: cur ipsi non concedunt Christum Deum esse, coacti concedere angelum fuisse deum? Nam angelus dicit: Contra Deum fuisti fortis. Num Deus corpus adsumserat? In hoc mysterio pugna carnis et spiritus pulcherrime adumbratur. Quaecunque tentationes et adflictiones piis accidunt, a Deo sunt. Cum Deo ergo pugnamus, quum tentamur. Qua in lucta, si fortes fuerimus, si constantes Deum vincimus: hoc est per patientiam earum tribulationum et tentationum, quas misit Deus, victores evadimus. Libenter enim nobis victoriam cedit, si nos non cedimus, si in finem usque perseveramus. Exercet ergo nos Deus hac pugna et ad tolerantiam instruit, ut fortes et constantes fiamus, sed animo duntaxat. Virtus enim carnis et adfectuum, per nervum designata, tangitur et emarcet: virtus namque Dei in infirmitate nostra perficitur. Quo enim magis in nobis caro imminuitur, hoc magis augescit in nobis virtus spiritus. Constanter ergo urgeamus nocturnum luctamen, donec aurora divinae opis illucescat. Superata enim tentatione robur quoddam et divinae gratiae auctarium adiicitur pugnantibus, quo sit ad futurum hostis adsultum multo, quam fuerat, alacrior et munitior. Porro non utroque pede claudicat Iacob, sed altero tantum: maledicti enim, qui utroque pede claudicant, hoc est: qui et carni et Deo simul placere volunt. Duo pedes adfectum duplicem significant, carnis et spiritus. Felix in quo alter pes, caro scilicet, sic claudicat, ut spiritui tantum innitatur

et fidat. Qui sic Deo tangente claudi redduntur, veri sunt Israelitae: hi Dominum facie ad faciem videbunt, de quo sequitur.

Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Vidit Deum in ea forma, qua se illi ostenderat: nam Deum nemo vidit unquam. *Et salva facta est anima mea.* Anima pro animo Hebraeus legit. Et liberata est anima mea, evasit. Hoc est: iam quieto et pacato sum animo, iam omnibus curis, omni metu liberatus est animus meus; jetz ist min hertz alles unmuts entlediget, jetz bin ich aller forcht fry. Haec est consolatio piorum, quae eis post tentationes largiente Domino conceditur; et tunc oritur sol, serenitas conscientiae et tranquillitas mentis.

Quam ob causam non comedunt nervum. Sic et nobis a nervo, id est, carnalibus desideriis abstinendum est.

CAPUT XXXIII.

Et posuit ancillas cum pueris earum in principio. Tres instruxit ordines Iacob: in primo ordine (nam hoc significat ראשנה, rischona, in principio, post principium, voranhin) ancillas posuit cum earum liberis, Leam deinde cum filiis suis, postremo Rahelam cum Iosepho.

Et ipse ibat ante illas, et inclinavit se pronus in terram septies, donec appropinquaret fratri. Urbanitas haec quaedam est, ut septies cadat; quod et hodie principibus ter fit. His externis quilibet pro amore et caritate utatur absque hypocrisi et adulatione.

Osculans flevit. Exprimuntur adfectus et adfectuum mutatio. Esau olim durus et ferox, mitis et mansuetus redditus, osculatur fratrem, quem prius occidere statuerat. Sic in ipso occursu novit deus corda eorum mutare. In quo discimus, quos exitus tandem tentationes habeant, si in fide firma steterimus: non dubitabat Iacob Deum sibi auxilio fore, quemadmodum promiserat, et tamen dividit omnia quae habebat in tres turmas, intra se cogitans: Si occiderit Esau unam turmam, reliquae erunt salvae. Et ecce, quanta fide Deus praestat quod pollicitus est.

Qui illi tui? Quasi diceret: Suntne liberi aut vernae aut servi?

Ut invenirem gratiam coram Domino meo. Elegans ὑποσιώπησις. Non dicit: Haec tibi dono, ut inveniam gratiam: nam hoc incivile nimis esset et durum.

Sic enim vidi faciem tuam. על כן, al ken, id est: Nam vidi faciem tuam, ac si faciem Dei viderem.

Esto mihi propitius, et suscipe benedictionem quam attuli tibi, et quam donavit mihi Deus. תרצני, placatus sis mihi, reconciliatus. Εὐδοκήσεις με dicunt LXX, id est, placatus et conciliatus sis mihi. Benedictionem pro dono ponit, pro munere. Sic Paulus in epistola ad Corinthios εὐλογίαν pro dono alicubi usurpat. Sic in Psalmis: Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis.

Et coëgit eum et accepit. Coëgit, non vim inferre, sed vehementer instare hic significat: Er lag ihm heftig an, intra amicitiam cogere.

Nosti Domine, quod pueri mei teneri sunt, et greges et

armenta quae mecum ascenderunt, quod si uno die violentius egero, morietur totus grex, transeat Dominus meus ante servum suum: ego vero paulatim agam iuxta vires profectionis, quae mecum est, atque liberorum, donec venero ad Dominum meum in Seir. Praetexit fatigationem pecoris, quum se Esavus comitem itineris vult adiungere. Capit autem profectionem vel מלאכה, melacha, pro illis qui proficiscuntur. Secundum pedes vel ad pedes לרגל, leraegel, id est, iuxta mensuram, pro viribus. Sensus est: Praei o germane! nam accelerationem itinere fessa profectio ferre nequit; sequar autem pro mensura et virili omnium.

Et dixit Iacob: Quare hoc? inveniam gratiam in oculis Domini mei. Voluit Esau, ut de populo suo aliquot remanerent cum fratre. Hoc pulchra hyposiopesi declinat Iacob, dicens: Inveniam gratiam; quasi diceret: Tu mihi frater cum tuis praecede nos! nolo enim ut quisquam de tuis apud me maneat.

Iacob profectus est in Suchot, et aedificavit sibi domum, et pecori fecit tabernacula. Discimus vitam humanam aliud nihil esse quam adflictionem, pugnam, militiam. Ita Deus nos variis tentationibus exercet, probat, exacuit, sed nequaquam ultra vires; ostendit etiam exitum, siquidem fide firma ei adhaeserimus et in finem usque perstiterimus. Quoties Iacob tentatus? quot incommoda passus? quot dolos soceri expertus? Iam persequitur Laban, iam obvius fit frater quem metuit. Sed ex his omnibus liberat eum Dominus. Iam incipit aedificare domos, figere tabernacula et tentoria sibi, pueris et iumentis; aere proprio agrum comparat ne cui gravis sit: quae res cuique iucundissima est. Neque tamen inter haec peregrinum se esse obliviscitur civitatisque supernae civem. Quumque iam tot evasisset pericula, tot labores exantlasset: mox in dilectissima filia gravissimum casum, non absque maximo dolore, videre cogitur. Sic volvitur vita nostra multis et infinitis incommodis. Sic autem patre nostro coelesti disponente fit, ut semper amaror aliquis his rebus sit permixtus quas maxime diligimus; ne plus aequo ea amemus; ne nimis inhaereamus; ut nobis terrena vilescant, arrideant coelestia.

Et venit Iacob in Salem civitatem Sichimorum, quae in terra Chanaan. Videtur *Schalem* binominis fuisse, ut Schalem eadem sit quae et Sichem. Neque vero absurdum erit, si שלם, schalem, pro incolumi exponatur. Venit igitur Iacob incolumis et salvus in civitatem Sichem.

CAPUT XXXIV.

Quemadmodum Deus suos in tribulationibus consolatur, imo ex tribulationibus et angustiis eripit: ita eis aliam post aliam tribulationem mittit. Vix fratris metum Iacob evaserat et ecce stuprum filiae nunciatur. Discimus autem his exemplis, dum adflictiones ingruunt, constantes esse, non concidere, aequi bonique consulere et ferre aequanimiter, si quid humani patitur nostra infirmitas. Perseverare enim oportet et durari laboribus.

Et egressa Dina filia Leae, quam peperit Iacob, ad videndum

filias terrae. Hebraei imperfectis praeteritis et plusquam perfectis carent; utuntur ergo perfectis, quod hic maxime observari oportuit. Nam quum dico: Egressa est, semel hoc factum intelligo; dum vero dico: Egrediebatur vel exibat Dina, non actionem tantum, sed morem quoque intelligo; hoc est, habebat consuetudinem filias huius regionis visendi. Notandum autem, stuprum Dinae non statim, dum Iacob in terram Chanaan venerat, factum esse, sed aliquanto post; quum iam multo tempore illic habitasset Iacob, et filia Dina urbem Sichimorum saepe intrasset consuetudinemque cum illius regionis filiabus habuisset, visam eam a principe raptamque esse.

Et vidit eam Sichem filius Hamor, Hevei principis regionis, et accepit eam, et dormivit cum ea, et humiliavit eam. *Accepit* mitius est; ponitur autem pro rapuit. Nam proprie raptus est virginis. Humiliavit, id est compressit, stupravit, devirginavit, vim intulit. Nobile est hoc nobilium exemplum, quo discant parcius uxoribus ac liberis, spectatum ut eant, permittendum esse. Servate uxores! inquit poëta, calvus adulter adest. Prodeunt in publicum quaedam, ut spectentur earum forma, vestis, mundus. Cur id faciunt, si maritus est eis omnia? sin minus, cur tantis impensis adpendit maritus annulos, muraenas, syrmata? quibus ad casum et compressionem commode tentantur. Prodeunt aliae ut spectent, sicut Dina. Quid autem? venales ornatus? imo quo loco commode prostituant venalem pudicitiam. Lucretia mulier insigni castimonia domi inveniebatur, lanae ac telae operam dans. Qui sapit, hoc petulans animal sine sessore stabulo nunquam emittat.

Et conglutinata est anima illius cum Dina filia Iacob, tristemque delinivit blanditiis. Hebraeus sic legit: Et adhaesit animus illius Dinae filiae Iacobi, et dilexit puellam locutusque est in cor puellae. Subitaneum est quidquid libido suggerit: nam mox perpetrata libidine cessat amor. *Loquebatur ad cor* schema est, er redt jr ins herz. Hoc est verbis eam demulcebat. Et hoc videtur fuisse causa stupri; quasi diceret: Posteaquam Dina venisset in regionem illam et versaretur cum filiabus illius regionis: loquebatur Sichem ei in cor. Quo factum est, ut demum ab eo persuasa ab eo raperetur.

Et filii Iacob venerunt de agro posteaquam audiissent, iratique sunt valde, quod stultitiam fecisset in Israel, quod scilicet dormivisset cum filia Iacob. Vehementi ira sunt perciti filii Iacobi ut primum audierunt foeditatem esse perpetratam et scelus tantum in familia Israëlis, et dixerunt: כֵּן לֹא יֵעָשֶׂה, ken lo iasche, sic non fiet. Quae verba plane minantia sunt, et nimis concitati animi; ac si Germanice diceremus: Das sol nit erlitten werden, also sol es nit zugon.

Date quaeso eam filio meo in uxorem. Dare hic et accipere, connubia iungere et matrimonia contrahere significat, ut Germanice dicimus: Der hat dem sin tochter geben, der hat desf tochter genommen.

Et responderunt filii Iacob Sichem, et patri eius Hamor in dolo, et dixerunt ei. Vehementem habet hoc verbum (dixerunt) emphasim: Sy hand es jm gseit. Dure scilicet ac aspere. Quid? quod sororem suam devirginasset, et tantam turpitudinem patrasset? Sic est quasi causae redditio, cur insidiose sint locuti.

Et dixerunt: Non possumus facere hanc rem. Ubique relucent exempla divinae providentiae. Promiserat deus Abrahamo, se daturum ei hanc terram. Iam post tot annorum curricula, posteaquam Iacob nepos eius venisset in terram, nihil proprii possedit quam quod aere suo emerat. Et tamen maxima fuisset ei oblata occasio, si filiam dedisset Sichemo principi terram possidenti. At Deus aliam viam ordinarat. Quis autem existimasset, quod post tot saecula terra eorum fieret? Sed Deus verax est et fidelis, non mentitur, non fallit. Interim permittit ut Dina vitietur, ut discamus mores iuventutis et puellaris aetatis lasciviam.

Et venit Hamor et Sichem filius eius ad portam civitatis eorum, et locuti sunt ad cives. Tametsi tyranni erant Hamor et Sichem, non tamen praecipiunt circumcisionem populo, sed primum promulgant, ut communi multitudinis consensu tandem quod petunt obtineant. Videmus ergo nostrae tempestatis tyrannos crudelitate ethnicos longe antecellere: praecipiunt quae antea sub Papae imperio nunquam praecepta fuerunt; idque inconsulto, imo invito atque reclamante populo. Deinde transgressores atrocius et crudelius puniunt, quam olim sint puniti. Qui carnes in quadragesima edissent olim, hos sub Papa paucula pecunia absolvisset; iam tanta culpa sub tyrannis aureis decem vix expiari potest. Ah quanta crudelitas! — Olim in portis publica fora et comitia habita sunt; in porta ergo multitudinem convocant.

Viri illi pacifici nobiscum etc. Oratio principis ad populum brevis est, sed efficax: omnes enim nervos intendit, ut plebi persuadeat circumcisionem; quae quia dura erat in auribus populi, suasoriis vehementibus utitur. Primum ergo viros Israëlis laudat, et a persona eorum benevolentiam captat; deinde terram satis amplam esse dicit, ut nihil eorum cohabitatione terreantur. Ubi nota quod Hebraice est, ארץ רחבת ידים, aeretz rahaba iadaim, terra lata et ampla est utrinque, ad utramque manum, ex utraque parte, pro ex omni parte quoquo versum; allenthalb, zu beiden syten. Postremo commoditatem et utilitatem quoque commemorat. Accipiemus, inquit, nobis in uxores filias eorum et filias nostras dabimus eis, ut inter nos contractis connubiis societates iungamus; et res eorum nostrae quoque fient.

Die tertio cum essent dolentes, acceperunt duo filii Iacob Schimeon et Levi fratres Dinae uterque gladium suum, et ingressi civitatem confidenter occiderunt omnem marem. Hamor quoque et Sichem filium eius occiderunt in ore gladii. Tametsi parva res sit circumcisio; tertio tamen die gravissimum adfert cruciatum, eo quod vulnera tum tument, et saniem exudant. In ore gladii, Hebraismus est perpetuus. Os gladii vocant partem scindentem, acutam scilicet, Germanice: ein byssen oder schnyden, a mordendo nimirum. Sic Graeci δίςομον gladium vocant, quod duo ora habeat, id est, utrinque secet. Factum in speciem crudele est et vehementer atrox; sed ita permittit Deus, ne tam audax facinus inultum maneat. Sic fit, ut quae nobis mala sunt Deo minime sint mala. Ostendunt filii Iacobi se nihil commodi aut rerum, sed solam honestatem quaerere et sceleris

vindictam. Quod si Deus unius virginis stuprum tanta poena expiat: quanta putatis poena dignos, qui omnium thalamos commaculant, qui totam civitatem et integras respublicas perdunt? Neque unquam aut stuprum aut raptus facta sunt absque ingenti aut parricidio aut bello. Testantur hoc Troianorum et Graecorum diutina et periculosa bella, testantur sacrae literae de Amnone et Thamara. Sed dicis: Licuitne illis iniuriam iniuria rependere? Si iniuria privata est, debes eam ferre, ut Christus docet Matth. V; si publica (etiamsi privato alicui illata sit): vindicanda est, sed magistratui. Nam saepe inferuntur iniuriae personis privatis, quae tamen in perniciem et iacturam totius reipublicae vergunt, si eis obviam non itur; maxime quum iis cui infertur publica est persona. Sed in his omnibus certissimus erit doctor fides et caritas.

Quod autem ob principis peccatum totus punitur populus, manifestissimum hic habemus exemplum. Est synecdocha. Sunt enim semper in populo qui ad principum et magistratuum scelera aut connivent, aut illis non reclamant. Merito dixissent: Num nos omnes ob unius insani adolescentis stultum ac perditum amorem ac furorem tam gravi et duro iugo colla subdemus? Quandoquidem autem nemo est in tota concione, qui malis conatibus resistat: merito omnes puniuntur. Discimus deinde exteriora signa nihil esse, neque hominem cum Deo neque cum homine reconciliare posse. Voluerunt similes esse populo Dei, sed externe tantum, intus pleni vitiis; quapropter Deus offensus eorum malitia exscindit eos. Quod si se intus mutassent, non frustra signum circumcisionis gestassent. Figura autem erat, circumcisionem aliquando abolendam esse. Victoriam non esse multitudinis, sed defendentis et punientis Dei, historia haec clarissime docet.

Iacob dixit ad Simeon et Levi: Turbastis me, et foetere me fecistis coram habitatoribus. Tropica est locutio. Avertimur, abhorremus ab his quae foetent. Quasi diceret: vilem et abominabilem me fecistis coram Chananaeis: Unwärt hand jr mich gemacht.

Nunquid ut scorto abuti debuit sorore nostra? Mos est Hebraeis statum orationis et summam rei paucis comprehendere et eloqui. Nam quis dubitat plura verba inter patrem et filios hac de re ultro citroque dicta esse? ut pater scilicet facinus filiorum multis aggravaret, filii contra se pluribus defenderent. Atque ad hanc rem gravissimis nimirum sermonibus sunt usi, tametsi horum non fiat hic mentio. Sic saepe in Evangeliis, in Paulinis epistolis brevibus verbis gravissimae sententiae explicantur. Exemplum huius rei elegans est in cap. III. Matthaei, ubi Evangelista Ioannis praedicationem (quod ad statum orationis attinet) brevissimis verbis describit: Progenies viperarum etc. Quod si Ioannes Baptista sic coepisset: Progenies viperarum: incivilis admodum fuisset. Coepit nimirum Ioannes evangelium praedicare, nempe quod Christus iam advenisset, qui umbras veteris legis et ceremonias esset ablaturus, qui nullo operum respectu salutem esset largiturus credentibus. Id quum plerique audiissent: simulabant se eius verbis credere, quum tamen interim nihilo fierent meliores; sed operibus, ceremoniis, et cultu externo adhuc fidebant. Tales igitur hypocritas dure increpat Ioannes, dicens: Germina viperararum etc. Sic in aliis locis quoque intellige!

CAPUT XXXV.

Locutus est Deus ad Iacob. Alloquitur deus Iacobum anxium nimirum et in periculo constitutum. Nusquam enim suis deest.

Abiicite Deos alienos. Simulacra abiicere iubet Iacob, periculo nimirum quod imminebat urgente. Quum enim videret sibi adesse Deum periculoque liberantem, diligenter curat ut is solus et unicus ab omnibus suis colatur. Tollere igitur praecipit, quidquid illius oculos offendere posset. Videmus hic fortius non esse munimentum conscientia pura et innocenti, quae soli deo nixa est. Nemo autem familiam Iacobi viri fidelis sic institutam putet, ut idola colerent; sed secum forte adduxerant, ut superius de Rahela auditum est, quae simulacra patri abstulerat. Dicit ergo Iacob: Habetis vobiscum adhuc simulacra Deorum patris vestri, quae vel amore vel cupiditate ductae abstulistis; sed iam abiicite omnia! a solo deo posthac pendeatis!

Mundamini et vestes mutate. Ceremoniae sunt: habebant enim varia baptismata. Nobis vero mentis, morum et vitae renovationem ac mutationem haec significant, ut abiectis veteribus indumentis Christum induamur.

Faciamus altare domino, qui exaudivit me in die tribulationis meae, et socius fuit itineris mei. Hic audivimus Iacobum deum in periculo et metu invocasse, cui statim adparuit consolans et auxilium ferens. Deinde non solum Iacobum in se sperantem liberat, sed et Chananaeos terret quos metuebat Iacob, metumque eis incutit ne abeuntes insequantur. Qua ex re plane discimus, factum Levis et Schimeonis absque consilio et providentia dei haud quaquam esse factum. Sic Deus modo nobis occulto, imo inscrutabili cuncta agit, peccatum puniens et suos servans. Hunc ergo Deum diligamus, in eum speremus, hunc unum invocemus, qui nos eripere, hostes nostros terrere novit. At dum sic nobis adesse deum videmus: tollamus ea quibus summa illa maiestas offendi potest, idola cordis nostri, avaritiam, libidinem, vanam gloriam etc.

Observabit diligens Lector, אל et אלהים, Elohim, hoc capite et 28. pro vero deo accipi. Quod si Iudaei negare volunt: concedent Iacobum angelum aut creaturam aliquam invocasse. Si vero vicerimus אל et אלהים verum etiam deum significare: fortissimus erit hic et superior locus contra Iudaeos, ad probandum quod Christus sit deus. Sed quibus argumentis, diligens Lector colliget. Nam videntur sibi multa contradicere. Item in fine capitis 33. dicit: Et invocavit fortissimum deum Israel, ubi ponitur אל אלהים. Videntur indiscriminatim uti יהוה, אלהים, אל. Ad hoc facit 18. cap. de tribus viris.

Terror Dei invasit omnes per circuitum. Sic promittit deus suis, territurum se hostes eorum, ut Exodi 23. et Deuter. 2.

Venit igitur Iacob Lusam, quae est in terra Chanaan, cognomento Bethel, ipse et omnis populus cum eo, aedificavitque ibi altare, et appellavit nomen loci illius Domus Dei, ibi enim adparuerat ei Deus, cum fugeret fratrem suum. Quae prius *Lus* vocabatur, *Bethel* dicta est a Iacobo (ut est in cap. 28), eo quod

vidisset dominum. Ad hunc locum iussu dei iterum venit Iacob, aedificans altare, ubi prius lapidem erexerat. ו, vof, pro *nam* vel *enim* poni Hebraeis, non semel diximus, cuius exemplum et hic habes. Ibi enim *adparuit*, ubi *adparuerat* dicendum erat. Carent enim Hebraei praeteritis imperfectis et plusquamperfectis, quorum loco praeteritis perfectis utuntur. Adparuerat autem ei Deus, quum iret in Mesopotamiam.

Adparuit Iacob iterum Deus, postquan venisset ex Mesopotamia Syriae, et benedixit ei. Refricatio est superioris facti: mutaverat enim angelus nomen ipsi Iacobo, ut non Iacob, sed Israel posthac vocaretur; a quo tam magnifico nomine nimirum vir humilis abhorruerat. Ideo iterum admonet Deus, dicens:

Nomen tuum Iacob, non vocabitur nomen tuum ultra Iacób, sed Israel erit nomen tuum: et vocavit nomen eius Israel. Mutatio nominis nonnihil mysterii habet. Erat Deus aliquando religionem Iacobi, quae multas adhuc ceremonias et externa quaedam habebat, mutaturus, et per Israelem, id est, potentem spiritum dei fide nos salvaturus.

Ego sum אל שדי, el schadai *Deus omnisufficiens.* De significatione et virtute huius nominis multa diximus in cap. 17. Ideo hic nihil addemus, praeterquam quod hoc ubique observandum est, deum ubique suis adesse; modo eum invocent, et in eum confidant. Hinc quidam eum a θέειν dictum volunt, quod undique nostris necessitatibus adcurrat.

Et hanc terram, quam dedi Abraham et Isaac, tibi dabo et semini tuo post te. Renovat foedus et promissionem patribus factam. Sed quomodo dicit se dedisse terram hanc Abrahamo et Isaaco, quum neuter quidpiam in hac terra possederat? Tam firma, tam certa sunt promissa Dei, ut scriptura per praeterita eloquatur quae futura sunt, quod Deus nec fallere nec mentiri potest. Posterius ergo pro priore ponitur. Dedi terram, hoc est promisi hanc terram patribus tuis daturum; idque praestabo, statuam et confirmabo quod pollicitus sum.

Reges de lumbis tuis egredientur. Quum lumbos aut femora dicunt Hebraei, ad promissi seminis generationem et testamentum alludunt. Generatio ergo et humanitas Christi hic adumbratur.

Iacob erexit statuam lapideam in loco, quo fuerat ei locutus Deus, libans super eam libamina, et fundens super eam oleum. Veteribus mos fuit in festis celebritatibus simul convivari et principio diis suis aliquid ex vino fundere super aras aut idola; quemadmodum nos profectionem aliquam aut equitationem ingressuri solemus vinum equis in iubas fundere. Vocabant autem talia convivia oblationes aut libamina. Hinc natum videtur, quod veteres theologi, ut Tertullianus, Cyprianus, reliqui, qui inter gentes educati fuerant, assueti eorum sermone eucharistiam et coenam Dominicam *oblationem* vocarunt; sed non eo modo quo nos sacrificium.

Exemplum Iacob proponitur his qui praesunt: nam quum filii peccassent, dure increpat eos futuroque periculo prudens occurrit. Vigilantia ergo et multa sollicitudine opus est magistratibus, ut pec-

cantes arguant ac corrigant, ut bonis consiliis pessimis rebus consulant; quibus aderit Deus, quemadmodum Iacobo, et auspicata reddet omnia.

Et profecti de Bethel, factum est dum adhuc iugere abesset ab Ephrata, quod pareret Rahel. Propositio est more Hebraico: nam postea describitur quomodo pepererit. Fugerat Iacob, ne aliquando a Sichemitis cum filiis suis obrueretur; et ecce, vix periculum evaserat et aliud incurrit: amittit enim dilectissimam coniugem suam Rahelam, pro qua tot annos servierat, quam tot laboribus et sudoribus emerat. Hanc, inquam, magnis doloribus expirantem videt Iacob. Sic variis casibus exponit suos Deus. Hi ergo Israel sunt, qui fortissimo et constanti animo, infracto pectore, protegente Deo, cuncta pericula vincunt.

Egrediente autem anima eius, et moriente Rahel, vocavit nomen pueri בנוני *Ben Oni, pater vero appellavit eum* בניאמין *Beniamin.* בן filium Hebraeis, און dolorem partus significat; inde *Benoni* filius doloris mei interpretatur. Pater vero triste hoc et inauspicatum nomen commutavit in בנימין, filium scilicet dexterae. Ad consolationem hoc facit Iacob. Quasi diceret: Tametsi mortua est mater, nihilo vilior erit apud me filius; sed pretiosus erit, et in summis habebitur. Hoc enim est a dextris esse. Sic filius Dei dicitur sedere ad dexteram patris, hoc est patri aequalis esse per omnia. Item Matth. 20. duo filii Zebedaei postulabant, ut unus ad dexteram, alius ad sinistram sederet. Felici ergo auspicio vocat eum filium dexterae. *Exire animam* schema est Hebraicum pro mori; quo etiam Germani utuntur, sed cum ioco coniunctum est apud nos.

Erexit Iacob titulum super sepulchrum. Nemo Christianos vetat sepulcra habere lapidea, etiam editiora. Quod autem superstitionem apud sepulcra piorum alimus, quod ossa effodimus et adoramus, tantum non Deos facimus, Christianum non est. Quod si ossa ossa et cinerem cinerem esse sineremus, nemo obstabit, quin in publico coemeterio, quo minus in agro suo sepulcrum excitet. Ossa Iosephi ex Aegypto abduxerunt Israelitae; non autem coluerunt, sed quum venirent in terram Chanaan, terrae demandarunt. Anguis aeneus, quem erexit Moses, multo tempore memoriale fuit Iudaeis. At posteaquam coli coepit, Ezechias eum comminuit. Sic et nobis faciendum est. Sunt quidem multa, quae nimirum apud Christianos ferri possent; sed dum videmus res tales in abusum et idololatriam malorum vitio verti, multorumque offendiculorum esse causam ac fomenta, abolendae sunt et demoliendae. Sepulchra, statuae, tituli, vivorum non mortuorum sunt monimenta, unde et mortuos nihil iuvant.

Abiit Ruben et dormivit cum Bala concubina patris sui. Abiit et dormivit, Hebraeis frequens Schema, Latinis in usu non est, sed Germanis: Er gieng und lag by jr.

Non haec dicuntur, ut imitemur, sed ut ab eiusmodi turpibus factis abstineamus: nam huiusmodi antidoto praemunire oportet animum in hisce historiis, quae in speciem turpes sunt. Mundis quidem omnia munda, at impuris omnia impura sunt. Quam foedum, quam abominabile et horrendum sit factum Rubenis, dicere nemo satis potest. At in

hoc profuit ipsi Rubeni, quod quum videret offensum patrem adeo, ut primogenitorum ius ad fratrem iuniorem devolveret, humilior et sollicitior fieret, ut magis obsequi patri studeret, quem tantopere offenderat. A filiis et domesticis pati et adfligi gravius est et molestius, quam ab exteris et ignotis. Iam Dina unica filia stuprata erat, coniux dilectissima in partu obierat, mox Ruben primogenitus, inter fratres senior, qui sapientia, integritate, gravitate ceteros antecellere debebat, tam foedum facinus in patrem admittit. Hic tu mihi considera, quae sit piorum vita, quantis malis et tentationibus exposita. Nam si hoc sanctissimis patribus contigit, ut unam post aliam tentationem experirentur: cur nos tam impatientes sumus malorum? cur non discimus vitam nostram aliud nihil esse, quam militiam et pugnam, ubi uno superato praelio mox aliud occurrit?

Porro magnopere cavendum, ne quod in Rubene merito culpamus, nos imitemur: eandem enim carnem iisdem obnoxiam adfectibus circumferimus; et quod cuiquam contingit, cuivis potest contingere. Magnum est, si quis constanti et infracto animo contra vitia clamitet, nec ipse illis ipsis serviat.

Erant autem filii Iacob duodecim. Quasi per Epilogum generationem totam Isaaci et Iacobi recenset. Quum superius Leam synagogae, Rahel ecclesiae typum faceremus: hoc unum exciderat, quod quosdam movet, quomodo typus veritati respondeat, quum Lea plures habuerit filios quam Rahela et ancillae, prophetae vero vaticinati sunt plures fore filios Ecclesiae quam synagogae. Quandoquidem igitur de Rahela et liberis utriusque uxoris in hoc capite mentionem facit Moses, hunc nodum explicabimus. Typi et figurae non usque adeo omnibus numeris quadrant veritati, et in omnem, ut aiunt, angulum, ut nihil desit, nihil supersit. Semper vero in typo quiddam est, quod veritati respondeat, licet non per omnia. In hoc ergo veritati typus similis est, quod Lea mox, ut viro iungeretur, fecunda fuit, et parere coepit; Rahela vero multo tempore infecunda fuit. Hactenus omnia quadrant, quod ad sterilitatem et fecunditatem attinet. Deinde nonnihil similitudinis in hoc est, quod Lea, quum aliquot filios generasset, stetit, et Rahela parere coepit, deinde rursus peperit Lea. Hoc Paulus sic exponit: Quum plenitudo gentium introierit, omnis Israel salvus fiet. De oculorum teneritudine superius est dictum. Haec autem non sunt, in quibus fidei cardo versatur; quare in hisce rebus nequaquam contendere debemus: spirituales sunt deliciae, quae mentem piam oblectant et recreant, quas impia mens reiicit et contemnit.

Hi sunt filii Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriae. Beniamin non in Mesopotamia, sed in terra Chanaan natus fuit. Est ergo synecdocha.

Appositus populo suo. Apponi aut colligi ad patres, seu ad populum, Hebraismus est perpetuus. At vero sanctorum corpora in unum locum non semper comportari potuerunt. De fide ergo patrum loquuntur hoc schemate, in qua animae piorum requiescunt et gaudent. Hunc locum Christus sinum vocat Abrahami, de quo superius diximus.

CAPUT XXXVI.

Hae sunt generationes Esau. Enumerat pluribus generationem Esavi hoc capite, nihil de eo amplius dicturus. In fine ad generationem Iacobi revertitur, quum dicit: Habitavit autem Iacob in terra Chanaan; et hae sunt generationes eius. Hic generationem pro historia et fabula generationis et stirpis capit: nam non generationem describit, sed historiam texit. Quae mihi videntur ad sequentia pertinere: illic enim Moses novam historiam, Hebraeus caput 37. incipit. Resumit autem lineam Iacobi, ex qua benedictum semen erat nasciturum.

CAPUT XXXVII.

Praedixerat olim deus Abrahamo, fore, ut anteaquam semen eius terram Chanaan possideret, peregrinum in ea esset serviturumque in terra aliena. Quam historiam hic texere incipit Moses, qua videlicet occasione factum sit, ut filii Israelis in Aegypto servierint. In qua historia divinam providentiam clarissime expressam cernemus: neque enim temere aut fortuito factum est, ut Ioseph dominus esset Aegypti, quem et parentes et fratres eius proni agnoscerent ac venerarentur. Praelusit hisce gestis deus visionibus et insomniis, ut videamus sua providentia non nostro consilio cuncta geri.

Detulit fratrum suorum famam apud patrem suum Ioseph. Lubrica est iuventus et vitiis multis obnoxia; de quibus accusationem factam intelligo, ne quis putet quiddam esse atrocius. Neque enim celasset Moses, qui crimen Rubenis non tacuit. Procaces erant et petulci, dissolutis et immodestis moribus, ut solent equisones. Ioseph contra mansuetus, mitis, moribus inculpatis, apud patrem versatus saepius, nihil nisi pium, sanctum et honestum audiebat.

Et Israel dilexit Ioseph super omnes filios suos, quod in senectute esset ei genitus. Tenerius diligimus, quos in senecta pueros suscepimus; propterea quod iucundissimi nobis sunt, in quibus iam morientes quasi renascimur et reviviscimus. Non autem haec tam puerilia temere a Mose scribuntur, sed ut videamus fraterni odii causas: nam hae maxime ad hanc historiam pertinent; de qua re statim.

Fecit ei tunicam polymitam. Gaudet pueritia varietate: nam inconstans est et mutabilis. Si typum petis, varietas virtutum in Christiano homine figuratur.

Videntes autem fratres eius, quod a patre plus fratribus omnibus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui. Causas odii exacte describit Moses, quod odium eum Aegypti dominum (quod ad ipsos attinet) fecerit. Causa vero odii prima fuit, quod eorum pessimos mores patri defert; ubi indolem quoque ipsius Iosephi haud obscure deprehendere possumus, cui in ipso aetatis flore vita scelerata et impudens displicet. Accesserunt deinde et aliae causae, quibus odium magis magisque accendebatur: quod scilicet pater prae caeteris omnibus eum diligebat; quod somnia eis exponebat Ioseph, quibus dominium super eos praesagire videbatur. Discimus hic quid odium, quid invidia possit, ut etiam fratres separet. Deinde carnis nostrae infirmitas quasi in tabula depicta est. Oderunt,

cui gratulari oportuit: non enim fratrem, quod pater eum amaret, odisse, sed vicem eius gaudere conveniebat. Porro quod mores eorum pessimos correctos voluit frater, amorem Iosepho fratrum, non odium conciliare debuerat. Quod vero dominium ei invident, quis non videt ex φιλαυτίᾳ nasci? quae nec aequalem fert, nec superiorem. At in his omnibus divina providentia eorum adfectibus in bonum eorum abutitur, interim variis tribulationibus Iosephum innocentissimum adolescentem (qui et typus Christi) exponens, ut discamus vitam piorum tentationem et adflictionem esse. Non ergo a bono, non a malorum correctione et castigatione unquam nobis cessandum est, quantumvis in nos saeviant impii, quantumvis nos odio et convitiis insectentur.

Et increpavit eum pater. Durius increpat vir prudens dilectum filium, ne fratrum odium plus augescat. Declinat ergo fratrum invidiam pater increpatione sua, quod ex sequentibus claret.

Nam fratres invidebant ei, pater vero rem servavit. Non quod tacitus rem secum expenderet, quidnam somnium significaret; nam increpatione sua somnium interpretatus erat; sed apud se servabat, et quasi observabat, id est, non contemnebat somnium. At quum Ioseph e pascuis non rediret, sed videret tunicam sanguinolentam, putabat eum a fera dilaniatum. Sic fallitur nostra caro, sic imbecilles sumus et caeci ad ea quae dei sunt: putamus omnia fieri casu; sed deus providentia sua non fallitur, quae statuit et decrevit ad finem perducit, vel renitentibus omnibus. Fratres voluerunt Iosephum occidere, sperabant eum extinctum; sed fit quod Deus ordinarat, ut ipse scilicet esset dominus Aegypti, et quod metuebant fratres irruit super eos. Sic Iudaeis quoque factum est in morte Christi, cuius typum gerit Ioseph: putabant memoriam eius de terra perditam esse, dum ad mortem turpissimam condemnaverant; at revixit Christus, ipsi vero misere perditi sunt.

Et dixit Israel ad Ioseph: Nonne fratres tui pascentes in Sichem? Recte Latinus absque interrogatione interpretatus est, dicens: Fratres tui pascunt gregem in Sichimis. Nam solent Hebraei, quae affirmant, nonnunquam sub interrogatione proferre.

Et misit eum de valle Hebron, ivitque versus Sichem, et invenit eum vir errantem in agro. Nomades erant fratres Iosephi; subinde ergo mutant pascua. Non ergo errat Ioseph, quod viam in Sichem et Dothan ignoret (neque itinera ei incognita esse potuerunt); sed sic errabat, quod in Sichem iret, quum fratres essent in Dothan.

Qui quum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere. Haec vox *cogitaverunt* nimis est infirma, ut vim Hebraicae dictionis נכל, naechal, exprimat. Significat enim נכל insidiose cogitare aut consilium capere, maligne aliquid cogitare: quod et Graecis est πονηρεύεσθαι.

Ecce magister ille somniorum venit. Sarcasmus est: dicitur enim cum acerbitate. Et *ille* emphasim habet, ille perversus scilicet.

Venite occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem. Mortuum scilicet, non vivum: nam quod postea vivum eum in puteum deiecerunt, intercessione Rubenis factum est.

Tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. Hebraei vero sic legunt: Et videbimus quid erunt somnia eius, hoc est: Sine, videamus eveniantne somnia eius necne.

Et audiens Ruben liberavit eum de manibus eorum. Titulus est: nam non liberavit eum, sed hoc consilio usus est, ut liberaret. Quare Latinus dixit: Nitebatur eum liberare, persuasit fratribus ne occiderent eum.

Non interficiemus animam. Animam pro homine ponere frequens est Hebraeis. Sic in Evangelio: Qui odit animam suam, id est, qui se ipsum odit. Sic 1. Reg. 18. Ionathan dilexit Davidem, ut animam suam, id est, ut se ipsum.

Ne fundatis sanguinem. Non dicit sanguinem eius, sed generali sententia: Ne fundatis sanguinem, ne interficiatis hominem. Cur autem non dicit sanguinem eius, vel sanguinem fratris? Sub forma legis verba profert, ut plus moveret animos, ut a tanto facinore abhorrerent. Quasi diceret: Scitis quanta diligentia olim caverit Deus, ne quis sanguinem fundat; scitis quantum nefas sit, quam atrox, sanguinem fundere. Videtur itaque hanc legem de non fundendo sanguine Iudaeis augustam et sacrosanctam fuisse, a patribusque quasi per manus traditam. Mirabilis ordo divinae providentiae, mirabilis mutatio dextrae excelsi hic cernitur. Qui amare debuerant, de occidendo fratre consultant; qui lectum paternum commaculaverat, fit patronus; iustus et innocens patitur. Nemo haec humano consilio, nemo temere aut casu fieri existimet, sed nutu et providentia summi illius Dei cuncta disponentis: is abutitur pessimo scelere ad bonum, non solum ipsius Iosephi, sed etiam Rubenis. Qui enim tam impudenter peccaverat, patrem tantopere offenderat, maiore metu, maiore reverentia patrem prosequitur; omnem operam impendit, ut e manibus fratrum Iosephum eripiat et liberet et eum patri restituat, quo liceat ei cum patre in gratiam redire. Hac occasione deo sic disponente, fit ut Ioseph vivus servetur atque in Aegyptum vendatur. Voluit enim eum dominus magnum facere, et non solum Aegypti, sed et gentis Israeliticae servatorem. Interim tamen Ioseph tot tantisque malis vexatur, tot periculis obiicitur, ut nihil minus sperari possit quam eum dominum futurum. Sed ita placet, sic visum est deo, qui in omnibus sic agit, ut consilium suum absconditum sit a sapientibus huius mundi; qui quantumvis rideant, quantumvis repugnent, fit quod statuit ipse, atque iis interim mediis, quae impii non deo, sed aut naturae, aut humanae industriae aut aliis causis accepta ferunt. Omnia haec in Christo, cuius typum gerit Ioseph, clarissime expressa sunt.

Nudaverunt eum tunica. Neque hoc absque causa scribit Moses, ut videamus crudelitatem et impudentiam, qui non verentur carnem suam nudare. Tanta erat crudelitas, tanta inhumanitas, tam atrox odium, ut immoti nudatum fratrem aspicerent. Sicut olim Brutus nudatos et caesos filios ore, vultu animoque immoto reipublicae amore spectabat: isti fratris odio idem faciunt. Videmus ergo et quid sit magnanimitas aut fortitudo, et quid audacia ac impotentia. Potuisset dicere Moses: Proiecto eo in puteum tinxerunt tunicam; sed minus

fuisset. Exaggerat factum denudatio: abhorrere debuerant a teneris membris et moveri misericordia. Sed nihil movetur proditorius et perfidus animus; nihil tam atrox, nihil tam crudele quod non audeat contra eos qui suis conatibus obstant; non parcit fratribus, imo non liberis propriis; quicquid est humanum, quicquid divinum, negligit: nam feris et leonibus sunt ferociores et crudeliores, qui omnem humanum sensum exuerunt. Exemplo ergo isto discimus, quid possint adfectus, quo hominem impellat vitium avaritiae cum invidia coniunctum: dolebat illis Iosephum patri cariorem esse quam essent ipsi; invident ergo ei. Iam quo aliquid facinori suo praetexant, a fera eum esse devoratum excogitant; qua excusatione reperta omnia deinde audent, quodque animo et opere iam expleverunt videri volunt non fecisse, egregieque scelus coram patre celant hypocritae.

Et acceperunt eum, proieceruntque eum in puteum: puteus autem erat siccus, in quo non erant aquae, et sederunt ederuntque. Et haec ad exaggerationem sceleris scripta sunt: adeo nihil miserationis aut viscerum in eis fuit, ut mox, fratre in puteo relicto, cibum caperent.

Dicit ergo Iudas fratribus suis: Quae utilitas si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus sanguinem eius? Quasi diceret: Non facile celabimus sanguinem eius. Sed esto! celari possit: deus non sinet inultum. Scitis deum magnopere vetuisse, ne quis sanguinem fundat; nihil ergo nos coram illo liberabit, etiam si coram patre celaverimus. Argumentum autem evidens est, Iosephum iustum fuisse ipsosque nocentes qui innocentem iniuste damnarent et exagitarent. Nam si morte dignus fuit, cur eum non iure occidunt? Quid opus est mortem eius celare? Servat autem Deus Iudam, ne manus innoxio sanguine polluat, sed ut fratrem liberet: nam ei primogenitorum ius destinatum erat. Iudas filius Israelis, et Iudas Ischariotes, in hoc comparantur, quod uterque lucrum spectat. Sed in hoc sunt dissimiles, quod hic Iudas bono animo liberat fratrem, non sperans alia ratione quam utili persuasum iri fratribus; alter odio Christum prodit et avaritia.

Melius est ut vendatur Ismaelitis, et manus nostrae non polluantur. Quasi diceret: Ex duobus hisce malis hoc magis eligendum est; quandoquidem occidere eum statuistis, melius est, ut ab aliis quam a nobis interficiatur. Vendite ergo eum Ismaelitis! Ecce ut ab utili producat epicheremata.

Vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis. Sic legunt Hebraei. Nam figurae non in omnibus quadrant, et Christus utpote excellentior pluris venditus est.

Ruben reversus ad puteum, non invenit puerum. Verisimile est Rubenem non fuisse cum eis, quando vendiderunt Iosephum, sed clam a fratribus abiisse viaque obliqua et ambage quadam ad puteum contendisse, ut eum liberaret et patri restitueret; sed antequam ipse ad puteum venit, ipsi eum extraxerant atque vendiderant.

Scissis vestibus. Vestimentorum scissio signum erat aut tristitiae aut impatientis animi. Sic Annas scidit vestimenta sua, quum Christus se filium dei dixisset.

Hoc invenimus. Non dixerunt hanc tunicam, sed hoc: per emphasim, quasi non agnoscant tunica sit, an aliquid aliud.

Et dixit Iacob: Tunica est filii mei, fera pessima devoravit eum, discerpendo discerpsit Ioseph. Miro artificio exprimit Moses adfectus paternos, et dolores cordis Iacobi. Geminatio enim verborum vehementiam habet.

Luxit filium suum multo tempore. Non videtur intelligi debere de celebri isto luctu, quem pro mortuis ex more habebant Iudaei, sed de dolore cordis interno (est enim Hithpael): er bekümmeret sich selbs, hat nit gnug können klagen, er ghub sich übel. Doluit ei amissio filii multo tempore.

Et surrexerunt omnes filii eius et filiae, ut consolarentur eum. Moses hic filias quoque recenset, quum tamen prius non dictum sit de filiabus, nisi de sola Dina. Hinc manifestum fit, multas esse huiusmodi locutiones synecdochicas in sacris scripturis, ubi potior et praecipua pars alicuius recensetur, tacitis ceteris quae in summa intelliguntur. Sic superius, ubi catalogus filiorum Iacobi recensebatur, non meminit nisi solius Dinae, quae nimirum censa non esset, si non Moses singulare quiddam de ea postea fuisset dicturus. Nam in numerum non recensent mulieres et filias Hebraei, quum tamen inter eos et mulieres et filiae sint. Sic est Synecdoche, quum Paulus 1. Cor. 10. patres mare transiisse dicit. Nonne et mulieres et pueri quoque transierant? Ergo mulieres non recenset, sed in potiore parte intelligit. Sic Matth. 3. Omnes venerunt ad Ioannem, ut baptizarentur. Synecdocha est et harum locutionum plena est scriptura, ut nihil efficiant catabaptistae suis contentionibus, dum pueros a baptismo excludunt. Sic deus solos mares circumcidere iubet, feminas a testamento et populo dei nequaquam excludens.

Descendam ad filium meum lugens ad foveam. שאל, scheol, et infernum et foveam aut sepulcrum significat. Potest autem haec oratio esse optativa; quasi diceret: O si morerer et vel mortuus descenderem ad filium meum. Aut simpliciter in futuro; quasi diceret: Scio, is casus me foveae, id est morti, tradet. Es bringt mich in dgruben, ins grab, es wirt min tod sin.

CAPUT XXXVIII.

Interea temporis descendit Iudas de fratribus suis. Interim dum Ioseph est in Aegypto, abiit Iudas a fratribus suis. Quid vero ei acciderit, Moses recenset, ut in linea seminis benedicti maneat: Christus enim ex tribu Iuda est.

Historia haec, tametsi in speciem impura et turpis esse videtur, plena tamen est exemplis et mysteriis; sed non in cortice haerere oportet eos, qui sacra legunt biblia: ad spiritum et nucleum penetrandum est. Puris omnia pura. Qui vero impuro animo non solum sacras, sed profanas et Gentilium literas legunt, sibi in perniciem legunt. Scripta ergo sunt ad nostram doctrinam, ut piorum et impiorum vitam ante oculos ponamus; illorum autem imitemur, ab horum vita caveamus.

Et vidit ibidem Iudas filiam viri Chananaei, cuius nomen

erat Schua. Duxit Iudas filiam huius Chananaei, qui vocabatur Schua: nam hoc erat nomen patris, non filiae.

Tertium quoque peperit, quem appellavit Schela, quo nato parere ultra cessavit. Hebraei sic legunt: Et rursus peperit filium et vocavit nomen eius Schela: nam fuit in fallendo, dum ipsa pareret eum; id est parum abfuisset, ut partus fefellisset, aut periclitata esset mater in eius partu. Es hette schier gfält an der gburt. Mentiebatur enim puer aut fallebat; id est, non consueto more venit, sed oblique, schälb, quod valde periculosum est. Verborum Hebraicorum significationes alludunt. כזב, casab, enim et שלא, schela, mentiri, fallere significat Fälen. 4. Reg. 4. et Habac. 3.

Fuit Er, primogenitus Iudae, nequam in oculis domini. Malum esse in oculis Domini Hebraismus est, de quo superius in Nimrodo satis dictum est. Ostendit autem causam cur Dominus eum interfecerit, quod tametsi primogenitus esset, et benedicti seminis, non tamen veritus est malum facere, idque in conspectu Dei. Vidente et arbitro Deo audebat peccare.

Dixit Iudas ad Onan: Ingredere ad uxorem fratris tui et fac eam tuam uxorem. Hic videmus eas leges, quae ad reipublicae gentis Israeliticae salutem et tranquillitatem faciebant, etiam ante latam legem inter Iudaeos fuisse servatas: nam lex de ducenda fratris demortui uxore longe post data est. Aequitas ergo et honestas omnia docet ac moderatur. Sunt qui clamitant: cur mihi non liceret plures ducere uxores? Quia Deus dixit: Et erunt duo (non plures) caro una. Sed Abraham habuit plures; sic Iacob. Hoc fecit angustia generis: non enim licebat eis connubio Chananaeorum contaminari. Nemo ergo ex sacris historiis praetextum et excusationem cupiditatibus suis quaerat! Paulus dixit: Unus quisque suam uxorem habeat, non dicit, uxores.

Percussit Onan dominus, eo quod rem detestabilem fecisset. Et Onan nequam fuit coram domino. Nonne enim magna nequitia et invidia est invidere fratri nomen?

Esto vidua in domo patris tui, donec crescat filius meus. Pollicetur Iudas quae se scit non praestiturum. Putat autem Thamar in culpa esse, quod filii sui moriuntur, quum tamen filiorum sit culpa. Non vult ergo Deus ut innocens despiciatur. Reiicit ergo tres liberos Iudae et primogenitum ex Thamara excitat.

Mortua est filia Schua uxor Iudae. Sic enim legunt Hebraei. Ἐπιβολή est, qua uxoris mors describitur, ne quis eum, dum audit concubitum cum Thamara, adulterum existimet.

Ascendit Iudas ad tonsores ovium suarum, ipse et Hira socius suus. Pro pastore ovium Hebraeus legit socius vel amicus. Atque hoc multis argumentis videtur vero similius, tum quod Hebraica puncta id indicant in רעה, rea, tum quod non sit mos, ut pastores domi sint et dominos comitentur, sed apud gregem. Deinde non videtur Hira pastor fuisse Iudae, sed amicus, ad quem tanquam virum aliquem bonum diverterat.

Nesciebat quod nurus sua esset. Imprudens fit novus pater

Iudas. Docemur autem hac historia id fieri, quod Deus ordinavit, nolentibus nobis, imo ne cogitantibus quidem.

Deposito habitu quem sumserat, induta est viduitatis vestibus. Videmus tum viduas honestiore amictu vestitas fuisse: quod et hodie eas (si verae vellent esse viduae) deceret. Nam coniugatis feminis aliquando laxior vestitus admittitur.

Viros huius loci. Id est homines illic habitantes: est enim synecdoche.

Ubi est sancta, quae in propatulo viae scilicet sedit? קדשה, kadescha, sanctam vel sacram significat; hic vero meretricem per antiphrasin; sicut Latini sacrum pro execrabili dicunt. *Sancire* firmare est, publicare; et Latini etiam *sancto* pro publico utuntur. Paralysin Germanice dicimus τὸ bonum, das gut, quum tamen minime bona sit.

Ducite eam ut comburatur vel ducatur. Duci enim Latinis est ad supplicium duci seu plecti. Et ante legem poenam adulterii seu fornicationis, quae postmodum lege lata est, habuerunt. Non erant meretrices et scorta in populo Israelis, sed comburebantur et lapidabantur adulterae. Ideo in Matthaeo legimus: Iosephum quum iustus esset, non traduxisse Mariam, ne lapidaretur scilicet. Sed hic considera, quomodo adfectus, dum occasio arripitur, erumpant. Tantus enim vir adfectibus indulget et vincitur. Nam sibi in votis erat, ut nurus sua morti traderetur, ne cogeretur ei dare filium iuniorem; oblata ergo occasione statim erumpit, dicens: Comburatur indicta causa! Tales sumus, qualescunque tandem sumus, nisi Dominus alio nos spiritu donet. Nonne dicere debuit: Cognoscamus an fecerit hoc etc.

Quae cum ad supplicium duceretur, misit ad socerum suum. Quum iam ad supplicium raperetur innoxia, datus est ei a deo animus infractus. Nihil enim metuit, non concidit, non frangitur pia mulier. Ostendit enim deus in media adflictione exitum: nam honesta mulier silentio foedum facinus filiorum Iudae maritorum suorum praeterierat. Sic videmus Deum ubique suis praesidio esse.

Agnitis muneribus Iudas, dixit: Iustior me est. Si Deo hominem conferas, nemo iustus est; si hominem cum homine committis, alius alio est iustior. Nam Iudas fratribus suis, qui innocentem Iosephum volebant occidere, et Thamara Iuda iustior fuit, tametsi stuprum commiserat; quasi diceret: Ego tam iniquus fui ut noluerim ei dare filium meum, tam iniquus ut inaudita causa occidere voluerim; ipsa iustior me, quod debebam, arte quadam a me extorsit. Est igitur etiam humanae iniustitiae modus quidam. Nam quod Iudas non dederat filium suum Thamarae, fit humana quadam cogitatione qua omnes labi possunt. Deinde quum dicitur eam esse meretricem, iubet occidi; at hoc iuste iuxta legem aut ritum. Verum concurrit quaedam infirmitas et adfectus: non enim iubet prius inquiri aut discuti causam. Iterum quum arrhabonem suum videret et innocentiam Thamarae, cognovit peccatum suum. Et tametsi dissimulare et premere potuisset: noluit tamen adfectibus suis tanta cum iniuria innocentis feminae consulere; fassus est publice se esse in culpa.

Attamen ultra non cognovit eam. Etiam ante latam legem

solemne erat apud ipsos non dormire cum nuru. Factum enim Iudae peculiare fuit et ex ignorantia.

Unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens: Iste egredietur prior. In signum hoc fit, quod is esset primogenitus qui manum tantum protulerat; etiam si alter eum antevertisset in partu, idque συνεκδοχικῶς. Magnum enim erat privilegium et ius primogenitorum.

Quare rupisti super te rupturam, ideo vocatum est nomen eius Paeretz. Quasi diceret gratulando: Tu rupisti claustra, tu aperuisti portam prior. Puto enim hic *paeretz* accipi pro secundina. Utuntur autem Hebraei hoc schemate rumpere rupturam, aperire vulvam, pro primogenitum esse.

Ambo autem ab eventu nomina sortiuntur, atque id non citra consilium dei. Alter enim *Paeretz* a rumpendo, alter *Serah* ab ortu dictus est, quod prior adparuisset.

Serah populum Iudaicum significat, qui primum manum protulit, primum floruit. Haesit enim populus Iudaicus semper in iustitia operum. Manus autem symbolum est operis. Deinde coccinum legem cruentam significat et pecuina sacrificia. Mox enim ut Iudaei peccassent et legem essent praevaricati; peccatum sanguine abluebant et expiabant. Paeretz typus est gentium, qui natus est retrahente *Sarah* manum, hoc est: reiectis Iudaeis manumque retrahentibus irrupit alius populus, qui violenter raperet regnum coelorum, id est avide caperet doctrinam Christi. Mysterium de maceria, sepe aut interstitio, quod diruit Christus, Paulus ad Ephesios satis dicit. Fecit autem ex utrisque unum: una enim est ecclesia fidelium, non duae, nisi quaedam externa, ceremonias scilicet, respicias quae Iudaico populo ad tempus datae erant. Quod Serah retrahit manum, significat, iustitiam operum esse cessaturam, iustitiam fidei erupturam. Quod post Paeretz Serah nascitur, significat, postquam plenitudo Gentium introierit, totum Israelem salvum fore.

CAPUT XXXIX.

Igitur Ioseph ductus est in Aegyptum. Initium huius capitis cum fine capitis 37. fere convenit. Interim autem historiam Iudae recensuit Moses. Hoc vero capite ad propositum redit, ac historiam de Iosepho continuat. *Potiphar* nomen generale videtur esse omnium, quibus regia essent officia; et si coniecturam admittitis, a *πορὶ*, *iuxta* vel *apud*, et *Pharao* compositum est nomen, peregrina, hoc est, Graeca et Hebraica sive Aegyptiaca voce. Pharao enim vindicem significat, quales esse reges debent, malorum scilicet et bonorum vindices; sed hac lege, ut istos puniant, hos autem servent ne vim patiantur. Potiphar ergo officium regis erat. Eunuchus autem vocatur, qui non est. Habuit enim uxorem, et cum ea consuetudinem, ut hic ex circumstantiis, et inferius ex filia ei prognata, si modo idem est qui generum sibi ascivit Iosephum (ego alium esse arbitror Potipharem): facile notari potest. Per metalepsin autem vocatur eunuchus. Eo quod reges eunuchis maxime uterentur ministris, factum est ut eunuchi vocarentur qui

non essent. Cocorum princeps penuarius est oeconomus, qui commeatui culinaeque regiae praeerat. Quod autem postea illius curae traduntur vincti, non est alienum ab officiis istis: fieri enim potest, ut huic quoque officio cura in nervum coniectorum demandaretur. Abundet in his levibus quisque suo sensu.

Fuit Dominus cum Ioseph. Non derelinquit Deus suos, etiam abiectissimos: nam miserrima est conditio servitutis. Ponit autem hoc Moses a principio, ut intelligamus omnia sequentia a Deo ordinata et facta fuisse, quae nobis contingentia videri potuissent, ut quod captus in custodiam mittitur, quod iterum liberatur, quod Dominus factus est Aegypti. Sic pii omnia a Deo esse agnoscunt, tam prospera quam adversa.

Et erat vir fortunatus. Nullam fortunam, nullam esse prosperitatem nisi a Deo, hic locus declarat, pugnatque vehementer contra liberum arbitrium; docet autem misericordiam et potentiam Dei.

Invenit gratiam in oculis Domini. Quid sit invenire gratiam, puto satis iam dictum esse in superioribus; hoc est: dominus eum favore et gratia prosecutus est. Videbat virum esse fortunatum, et omnia eius facta et gesta auspicata esse; ideo dilexit eum.

Et fecit eum ministrum, praefecitque eum domui suae, et dedit omnia quae habebat in manum suam. שרת, scharath, puto Hebraeis non quemlibet servum proprie vocari, sed amanuensem, et cui domus cura committitur. Exul erat Ioseph, et tamen Deus est cum eo, facitque ut diligat eum Dominus eius, ut magnus sit in domo eius. Exilium multis profuit: forti enim omne solum patria est. At nos nostraque tam tenere amamus ut gravatim ab eis avellamur; quum tamen extra haereditatem Dei nusquam simus.

Et fuit Ioseph dignus forma et pulchra facie. Ἐπιβολή est, ut via paretur ad futuram historiam. Est autem dignitas pulchritudo, cum honestate coniuncta.

Iniecit Domina oculos in Ioseph. Impensius spectat mulier, unde et postea cogitationes et adfectus pessimi. Primus gradus praevaricationis in visu est. Sic Eva pomi pulchritudine fuit decepta. Nemo ergo sibi in hoc indulgeat! nemo parvum hoc putet, ex quo ceu fonte tot mala nascuntur!

Dormi mecum. Vide mulieris audaciam! Posteaquam frontem perfricuerint mulieres, viris longe audaciores sunt.

Et renuit Ioseph. Ioseph exemplum est verecundiae et fidei, qui etiam iuveniles adfectus atque se ipsum superat. Obiecta enim haec aetas est adfectibus. Et ipsi non forma defuit, non carnis adfectus, non occasio; sed metus Dei et pietas cohibet. Ad hanc rem plurimum valet educatio: si enim a teneris imbuimur bonis praeceptis, quae ab iniuria et violentia abducant, iam ad omnem occasionem non aliter quam custodes ac monitores adstant, et de-vel ad-hortantur pro usu obiectorum. Si vero vera pietas ac Dei metus nos custodiat, nihil audax aut venia indignum designabimus. In sinu Iacobi educatus erat Ioseph; huius ergo et sanctimoniam et verecundiam aemulatur. Cum optimis ergo commercium ineamus, ut inter bonos quoque numeremur.

Dixitque ad eam: Non novit quid sit in domo, quicquid habet tradidit in manum meam. Exaggeratio est, quasi diceret: Omnia quae habet dominus meus, tradidit in potestatem ac fidem meam; iam quomodo ego tam perfidus essem in dominum meum, qui nihil non meae committit fidei?

Quomodo facerem hoc magnum malum, et peccarem in Deum? Duo maxima praecepta complectitur, quasi diceret: Etiamsi non offenderetur dominus meus, qui me tam vehementer amat: tamen Deus offenderetur. Has duas regulas sibi proponat, quicunque recte agere velit, Dei videlicet dilectionem et proximi! Nam omnes nos ita adfectibus sumus dediti, ut a nullo homine forma vivendi tuto peti possit.

Et factum est dum quotidie ipsa sic loqueretur ad Ioseph, non obtemperavit ei Ioseph, ut dormiret cum ea, tametsi esset cum ea. Ecce constantiam Iosephi, qui omnes blanditias virili et infracto animo superavit.

Apprehensa veste, dixit: Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio, fugit, et egressus est foras. Cumque mulier vidisset vestem in manibus suis, et se esse contemptam, vocavit ad se homines domus suae, et dixit ad eos: En introduxit virum Hebraeum, ut illuderet nobis, ingressus est ad me, ut coiret mecum. O impudentiam! o audaciam! femina per se animal est infirmum et fragile; cui si audax libido accesserit: quid truculentius? quid crudelius? Non enim duntaxat adulterae fiunt, sed et homicidae: oderunt enim impense eos qui suis conatibus obstrepunt, mortemque si possunt machinantur.

Cumque audisset me clamare, reliquit pallium penes me, et fugit. Ἀντίστροφον in eum retorquet versutissima mulier: nam quae pro defensione sua adducere potuit Ioseph, vertit ipsa ei in accusationem. Considera crudelitatem et iniquitatem huius mulieris! potuisset innocentem excusare, et liberare dum caperetur; sed nihil miserta ad carcerem ductum non liberat.

Tradidit Dominus Ioseph in domum carceris, ubi vincti regis custodiebantur, et erat in domo carceris. Et fuit Dominus cum Ioseph, et declinavit ad eum beneficentiam, et dedit gratiam ei in oculis principis carceris. In illis regionibus magnae domus sunt et custodiae publicae et regiae, quibus praesunt magni viri. Fecit ergo Deus, ut dominus carceris Iosephum favore et benevolentia prosequeretur.

Qui tradidit in manu illius universos vinctos, qui custodia tenebantur. Hoc bifariam intelligi potest, aut quod id officii ex favore ei demandarit, aut quod Dominus rerum suarum negligens onus curae et laboris a se in Iosephum reiecerit. Solemus enim plerumque lucrum ex officiis accipere, labore in alios reiecto. Multi sunt, qui principio quidem, dum officiis publicis inaugurantur, solent esse strenui et fervidi, ut etiam ceteris admirationi sint, gnaviter ac diligenter omnia tractantes; sed deinde paulatim remittunt, putantque dignitatem esse, non officium. Sic episcopi primum praedicabant verbum Dei, magna cum diligentia, magna cura et sollicitudine, magnis laboribus, magnis etiam persecu-

tionibus. Deinde factum est ut nihil talium amplius curarent; sed segnitiei et otio dediti, domini esse coeperunt, curam gregis et verbi praedicationem in mercenarios et monachos reiicientes. Qui innocentes patiuntur, exemplum sibi Iosephum proponant, fortiterque omnia ferant! Dabit Dominus gratiam et liberationem omnibus, qui sincera cum fide eum invocaverint.

CAPUT XL.

Viderunt ambo somnium nocte una. Qui fit, ut somniis agat deus cum Iosepho, quibus credere per legem et prophetas vetitum est? Narrant quidam sua somnia; hi audiri non debent. Indicat nonnullis Deus quid in consiliis suis sit, etiam in somno; hi audiri debent. Ad hoc enim in somnis adparet dominus, ut omnia esse ab eo agnoscamus, nihil fortuito aut temere fieri. Quam frivola enim res est somnium? at Deus magna per ipsum agit. Docebit autem spiritus fidei quid cuique visioni credere debeamus.

Quilibet iuxta interpretationem congruam sibi. Hoc est iuxta comparationem officii sui, aut ut interpretationem capiat pro exitu rei.

Quare vultus vestri hodie mali? Id est tristes, severi? Sic enim Hebraei utuntur voce hac *malus*: Sufficit diei malitia sua, hoc est tristitia, adflictio.

An ne Dei interpretatio? Si nosceretis ac metueretis Deum, non essetis solliciti de interpretatione: interpretem enim mitteret Deus. Ecce quid sit esse pium! Ioseph etiam in carcere est, et tamen alios concaptivos consolatur: nam habet deum in corde.

Haec est interpretatio somnii. Sic Latinus. Hebraeus vero sic: Haec interpretatio eius, scilicet *est*. Septuaginta: τοῦτο ἡ σύγκρισις αὐτοῦ, hoc est comparatio eius. Quae Latini neutro genere, Hebraei foeminino efferunt: Hoc scilicet, quod sequitur et totum quod agitur. Sic in verbis coenae dicitur: *Hoc* est corpus meum; *hoc* est sanguis meus, non *hic;* ut demonstratio non feratur ad panem et vinum (ab hoc enim quidam vehementer abhorrent), sed ad totum hoc quod agitur: alioqui dixisset, *hic*, si panem referret; et h. l. dixisset: Haec est interpretatio, seu comparatio. Nam συγκρίνειν dicuntur comparatores et coniectores, adeoque interpretes qui linguam linguae comparant.

Tres propagines, sunt tres dies. Verbum *est* pro significat hic ponitur. Sic in verbis Christi: Hoc est corpus meum; hic panis significat corpus meum pro vobis traditum; aut: haec panegyris est corpus meum; hoc est figura vel significatio, quod corpus meum est pro vobis traditum.

Post tres dies levabit, vel accipiet Pharao caput tuum, et restituet te in officium tuum. Duplex est hic tropus in dictione *caput* et in *levare*. Caput pro homine ponitur, ut est apud Terentium: O lepidum caput, id est lepidum hominem; pro persona, sicut Graecis κεφαλή. Deinde Septuaginta *caput levare* pro reminisci et mentionem facere intellexerunt.

Est et iurisperitis triplex capitis diminutio: infima qua aliquis defungitur magistratu; media qua repellitur ac deiicitur, citra tamen

civitatis amissionem; summa, cum et statum et civitatem amittit. Potest ergo et hic Hebraicus sermo: Levabit caput tuum, pro restituet in integrum inque priorem statum, intelligi. Habent enim et Hebraei forensia sua; quemadmodum multis ostendimus locis.

Et dabis craterem Pharaoni in manum suam, secundum iudicium prius. Secundum iudicium, id est secundum morem, secundum officium pristinum. Hic videmus iudicium non semper significare officium iudicis, sed quodlibet officium aut ritum ac morem. Sic Matth. 3, dum excusabat se Ioannes, dixit ad eum Christus: Sine! oportet implere omnem iustitiam, id est oportet omnia agere iuxta decorum et officium, aut iuxta constitutum: wie es gehört.

Furto sublatus sum de terra Hebraeorum: etiam hic nihil feci, ut me in hunc lacum ponerent. Exemplum tolerantiae et mansuetudinis est Ioseph, qui tametsi innocens patitur fratres suos tamen non adcusat, nec foeminam impudicam; nihil questus apud concaptivos suos tantum se innocentem dicit. Poterat exaggerare facinus fratrum, iniuriam foeminae, imo sese iactare, quemadmodum Deo ordinante huc esset missus, ut videretur ipse aliquid esse; sed totum hoc tacet, contentus dixisse: Furtim sublatus et innocens huc missus sum. Magnum est, dum innocens patitur, magnaque eget constantia, quam Deus quem pectore gerunt piis suggerit.

Deinde clarissime exprimit nobis haec historia providentiam divinam, qua discimus, nihil fortuitu, nihil contingenter fieri, sed omnia disponente et ordinante Deo. Quod Ioseph in Aegyptum venditur, quod in carcerem mittitur, quod per alios qui cum eo capti erant liberatur, quod non statim educitur ante alios, quum tamen innocens sit: haec omnia inquam temere non contingunt, sed praevidente et ordinante Deo. Item quod is qui beneficium expertus liberatur, et ipsius Iosephi obliviscitur, tametsi promiserat sese gratum fore, ideo factum est, ut postea ingratitudinem suam agnosceret; quam haud quaquam agnovisset, si statim pro eo intercessisset. Obliviscimur enim plerumque pauperum et adflictorum, dum nobis prospera arrident. Utitur ergo hoc male ingratitudinis Deus ad bonum, tam ipsius pocillatoris, quam ipsius Iosephi. Neque somniorum narrationes et interpretationes ipsius Iosephi naturalis sapientiae et cognitionis sunt. Nam si natura sapientes essemus aut eloquentes, aut nostro Marte: essemus nimirum omnes sapientissimi, prudentissimi, eloquentissimi. Donum vero Dei est sapientia, prudentia, eloquentia. Hinc non raro videmus eloquentissimos apud vulgus nihil posse, nihil persuadere; contra simplicem aliquem trahentem plebem quocunque velit. Donum igitur Dei est, quod ipse pro libito suo dispertit. Deinde ut hoc donum fructificet et operetur, rursum Dei est, non nostrum. Ab ipso enim est et velle et perficere. Agnoscamus ergo et cum gratitudine acceptum feramus Deo, si quid bonorum percepimus! ne superbiamus, ne efferamur! donum est Dei, fructus Dei et praemium. — *Canistra farinae.* Farinam habent Hebraei, Graeci χονδριτάς, hoc est, similas. Sive ab usu, quod panes qui Graecis nunquam non farinae vocabulo appellantur in eis ferrentur, sive a candore farinae, canistra farinae, hoc est alba et decorticata, sic vocentur, nihil moror.

Recordatus est inter epulas magistri pincernarum et pistorum principis. Sed Hebraeus sic legit: Fecit Pharao convivium servis suis, et levavit caput pocillatoris et caput principis pistorum in medio servorum suorum. Hic videmus manifestum fieri, quod superius dicebamus, levare caput pro recordari aut recensere positum esse; recordari autem pro mentionem facere, redhalten. Sic Germanice dicimus: Denck der sach niena! Hoc est nihil de hac re loquaris! Recordatus ergo rex captivorum, hoc est, considerationem, censum et mentionem de ipsis cum servis suis habuit. Instabat enim convivium, opusque erat ut officiis singulis singulos praeficeret.

Et non est recordatus princeps pocillatorum ipsius Iosephi, sed oblitus est sui. Exemplum hic ingratitudinis est. Nam ingratissimus omnium est, ut Seneca ait, qui beneficii obliviscitur, quod apud hunc non solum beneficii gratia, sed memoria quoque intercidit. Est homo animal sui amans, invidum, avarum; hinc ingratitudo et beneficiorum oblivio nascitur. Deinde quod in nobis pietas, fides, iustitia omnino refrixit; hoc vitium non solum apud ethnicos scriptores, sed sacris quoque literis maxime reprehenditur, et summa poena dignum iudicatur. Iudic. X. dure increpat Deus filios Israëlis, quod se derelicto summa cum ingratitudine praeteritorum beneficiorum obliti diis Gentium adhaesissent; iubetque non absque sanna, ut ad suos Deos, quos sibi elegerant, currant pro auxilio. Quoties Christus in evangelio Iudaeis ingratitudinem exprobrat, et gravissimo supplicio adiudicat, qui se non recepissent? Apparent etiam nobis hic divina iudicia inscrutabilia esse. Ioseph innocens in carcere manet; ingratus et malus eripitur, liberatur et in officium suum restituitur, interim innocentis et benefici Iosephi oblitus. Sic sapienter omnia disponit divina providentia, hunc aerumnis et malis explorans, illum ingratitudinis suae admonens, ut tandem ore proprio sese ingratum iudicaret, qui non ab aliis admonitus vitium hoc vel negasset vel dissimulasset. Propria ergo felicitate et Iosephi adversitate tandem in sese experitur, quod sit omnium ingratissimus; ut etiam suo se ore iudicare compellatur et exclamare, ut est in sequenti capite: Coram Pharaone agnosco peccatum meum.

CAPUT XLI.

Spicae tenues et uredine percussae. Spicas subventaneas vocant, quod vento sint perditae. Est autem ventus frigidus, non calidus; fitque nocte, non interdiu, tametsi postea a sole nonnihil infirmentur.

Evigilans Pharao post quietem, et facto mane pavore perterritus. Hebraeus sic legit: Evigilans Pharao, et ecce somnium! Et mane facto iterabat, seu per vices redibat spiritus eius, hoc est per vices redibat sibi somnium in mentem; mente volvebat somnium, vellicabat ei aurem. Hebraei enim hic habent פעם, paam, quod significat per vices subinde redire. Hic facile discimus quaenam observanda sint somnia, quae minus: nam quibus Deus aliquid praedicit subinde redeunt; excitat ea nobis Deus et animum saepe pulsat, ut consideremus quid sibi velint.

Protinus ad regis imperium eductum de carcere totonderunt.

Hoc est reformabant eum, a situ et squalore mundarunt, vestes sordidas et squalidas mutant.

Vide quae sit rerum vicissitudo! adest iam tempus, quo Deus innocentem Iosephum non solum liberare, sed exaltare vult ac toti Aegypto praeficere. Ubi plane divinam providentiam cernimus. Quis enim vel sperare potuisset, hominem tam adflictum, tot angustiis et tentationibus oppressum, dominum et salvatorem fore Aegypti? Sed haec opera sunt admirabilia sapientissimi illius Dei, qui humiles exaltat et sublimes deprimit.

Nunc igitur provideat rex virum sapientem et industrium, et praeficiat eum terrae Aegypti. Non solum honestum est, sed utile quoque, praeficere reipublicae viros bonos, sapientes, fidos, qui sapientia sua futuris periculis occurrere norint. Nemo enim sibi soli sapere debet, sed aliis. Commune bonum est sapientia. Quo qui abutitur, sua ipsius conscientia condemnatus magno supplicio dignus est. Omnia hodie rei et gloriae cupiditate vitiantur: omniaque ex adfectibus magis quam iudicio ab iis aguntur, qui maxime adfectibus carere debebant. Et ab iis magnopere metuendum est civibus, qui pericula reipublicae sua sapientia suoque ipsorum periculo avertere debebant. Quod si Iosephus tanta cura futurae caritati et fami praecavere monet: quid nobis pro coelesti alimonia faciendum non est? Eligantur ergo viri sapientes, boni et gnari qui, rebus adhuc integris, venientibus malis occurrant; qui provideant, ut cibus verbi Dei animabus famelicis suppetat.

Quintam partem fructuum per septem annos fertiles colligat. Quintam partem frumentorum accepit rex, sed pro pecunia, dispartiens deinde iterum populo quae pro publico usu coemerat: nam alioqui exactio aut tributum fuisset. Neque hoc Iosephi consilio unquam factum fuisset, ut populus tam gravi onere premeretur. Et septem annis posterioribus non omnino nihil crevit, sed parum admodum: nam si omnino steriles fuissent anni, coactus fuisset rex dimidiam partem frumentorum coemere.

Placuit Pharaoni consilium et cunctis ministris suis. Quid nobis placet? nihil quod honestum, nihil quod bonum et rectum est. Erant isti reipublicae studiosi, non privatae. Gentes ut primum audiunt consilium Dei: persuadetur, ac voci Iosephi obtemperatur; nobis quotidianis clamoribus non solum non persuadetur, et excitamur, sed obsurdescimus etiam. Deus revelavit Iosepho, quae ventura erant Aegypto. Deinde dedit ei prudentiam et consilium, quibus tanto periculo occurreret. Postremo dedit ei tantam gratiam, ut Pharao et omnis populus ei crederet, et bonis eius consiliis adquiesceret. Sic enim fere comparatum esse videmus, ut bene consulentibus raro adquiescamus, quae iniquitas est maxima. Quid enim periculosius, quid magis horrendum, quam quum a Deo excoecamur, ut ad salutem nostram oculos claudamus et periculum nostrum sponte advocemus? Non desunt hodie prophetae, non desunt optimi consultores, sed omnem exhortationem, omnem admonitionem spernimus; Gentibus etiam stultiores et duriores. Nihil ergo nobis quam extremum supplicium expectandum est.

Tu eris super domum meam, et ad os tuum osculabitur

omnis populus. Osculari pro admirari, suspicere ponitur. *Os tuum*, seu sermonem tuum, imperium tuum, omnis populus exosculabitur.

Tulitque annulum de manu sua, et dedit in manum eius, vestivitque eum stola byssina, et collo torquem aureum circumposuit. Inauguravit eum annulo et veste: nam haec sunt signa inaugurationis. Neque enim haec essentialia sunt, sed exteriora quaedam, quae adhibentur. Nam et meretrices et proditores annulos aureos gestant et torques. Praecipuum vero erat potestas quae tradebatur Iosepho. Sic in sacramento eucharistiae principale est memoria passionis et mortis Christi; quae deinde exterius adhibentur, panis sunt et vinum.

Et vexit eum curru secundo. Secundo curru vehi est alterum aut secundum a rege esse.

Et exclamarunt ante eum: Tener pater. אברך *Abrach* interpretatur tener pater; sicut Romani olim patrem patriae vocabant. Sic in Austria dicunt: Mein schöner zarter herr. Idiotismi sunt.

Et dixit Pharao. Hoc subinde repetitum fidem facit, Pharaonem non statim Iosephum praeposuisse omnibus, sed paulatim procedente tempore eum exaltasse, quum eum tam strenuum et gnavum esset expertus.

Ego sum Pharao. פרעה, paraah, ultionem Hebraeis significat. Regum nomina apud veteres talia fuere, ut ipso nomine, quid officium eorum esset, indicaretur. Sic Consul Romanus erat, qui consuleret toti reipublicae et civibus universis. Sic Pharao vindex malorum, aut iudex dictus, cuius intererat punire sontes: nam hoc regum est officium. Vide autem ut in Iosephum totum onus reiiciat (quemadmodum solent principes), ipse praeter inanem titulum nihil servans.

Absque tuo imperio nullus neque manum neque pedem levabit in tota terra Aegypti. Locutio est Hebraica; id est nemo quidquam audebit te inconsulto.

Et vocavit Pharao nomen Ioseph Zaphnath Paaneah. Quod est, si interpreteris, occultorum interpres aut revelator, idque iuxta Chaldaicam translationem.

Et dedit ei Asnath filiam Potiphera sacerdotis On uxorem. Potiphar esse nomen non proprium, sed officii, ex capite XXXIX. claruit. *On* Heliopolim Graeca voce nominat Latinus Solis civitatem: Sunnenstatt.

Et egressus Ioseph a rege Pharaone transibat totam Aegyptum. Exire hic emphasin habet; er für aufs. Sua pompa procedebat cum magnificentia quadam et maiestate.

Triginta annorum erat Ioseph, quando stetit coram Pharaone. Stare coram rege schema est, hoc est in aula esse principis aut regis.

Fecit terra septem annos fertilitatem ad manipulos. Idiotismum hic habent Hebraei, quem nulla lingua reddere potest. Habet enim peculiare quid quaelibet lingua, quod si in alienam vertere velis, omnem venustatem omnemque leporem amittit. Ad verbum Germanice esset: Das land gab frucht zgarben; quod etiam fit dum proventus anni parvus est, vel; zehauffen, zearmvollen. Vult dicere annos maxime fertiles fuisse, et maximam annonae copiam.

Et congregavit Ioseph annonam, sicut arenam maris. Hyperbola est, qua in re tam ardua cum decoro usus est.

Vocavit nomen primogeniti Menasche: nam oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum et omnis domus patriae. Quam diu liberis caremus, desiderio paternarum aedium tenemur; quum vero liberos procreamus, desiderium hoc in liberos derivatur, idque instinctu nimirum Dei fit; estque nobis hoc cum animantibus commune. Capitur autem oblivisci hic pro consolari, aut dolorem adimere, ergetzen. Nam quomodo in totum aut calamitatis suae aut patriae domus cepisset eum oblivio, qui statim tam anxie pro patre est sollicitus? Est ergo lepida antithesis; quasi diceret: Orbatus fui patre meo, calamitosus fui in hac terra; et ecce Deus iam pro calamitate dat quietem, pro patre dat liberos; er ergetzt mich alles meines leyds, omnia sarsit.

Nomen secundi vocavit Ephraim, quoniam crescere me fecit Deus in terra adflictionis meae. Ut ad gratiarum actionem id nominis coram Deo ferat, qui eum fructu multo locupletavit. Et iterum est antithesis; quasi diceret: Non solum ademit adflictionem meam, sed insuper me adflictum et quasi mortuum reviviscere fecit, et auxit. Quid gratius? quid laetius adflictis nunciari poterit, quam dum audiunt Deum ubique suis adesse consolantem et secundantem, liberantem et salvantem?

Et fuit fames in universa terra, in terra vero Aegypti erat cibus seu annona. Sic enim legunt Hebraei; quasi diceret: Tametsi in aliis regionibus ubique erat fames, in Aegypto tamen cibus fuit, ut etiam ceteris regionibus suppeteret.

Et fuit fames in tota terra Aegypti. Vel: Et facta est fames in terra Aegypti. ו hic ordinis est; quasi diceret: Postmodum etiam increvit fames in Aegypto, quum omnes regiones annonae penuria et fame laborarent. Sola Aegyptus cibum habuit, non solum pro se, sed etiam pro aliis regionibus. At deinde coepit etiam in Aegypto esse penuria et fames, tametsi copia frumentorum erat in cellis regiis. Tum ergo coepit populus clamare pro cibo ad regem. Ex hac historia adparet, quam benignus et liberalis sit Deus; qui non solum suis non deest, sed et his benefacit, qui suos persequuntur, ingratis et iniustis, ut Christus Matth. quinto docet. Aegyptii pessimi erant, idolorum cultores, et tamen fidelis pater eis salvatorem mittit Ioseph; quanto magis nos pascet qui filii sumus? Quod si corpora pascit Deus, quomodo mentem negligere potest? Huic tam diviti et fideli patrifamilias serviamus, hunc colamus, ab hoc tam corporis quam animorum cibum petamus! Deinde videmus quam prudens et fidelis fuerit Ioseph in officio suo, in colligendis frumentis sollicitus et diligens, in dispensando aequus. Non solum sibi prodest, sed ceteris. Sic nobis in evangelica doctrina faciendum est: Sumus enim dispensatores mysteriorum Dei, ut Paulus docet. Nihil autem tam requiritur in dispensatore quam ut fidelis sit. Quantus enim, ait Christus, est fidelis ac prudens dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore demensum cibum? Porro typum Christi gerit Ioseph: iste in carcere adflictus est, ille in corporis ergastulo, ut nostras calamitates et miserias in carne

experiretur, quo discat compati infirmitatibus nostris. Quod Ioseph a femina, Christus a Pharisaeis et Scribis patitur, personae sunt diversae, causa eadem: nam utrique persecutionem patiuntur propter iustitiam, et quod adfectibus carnis obstant. Liberatur Ioseph et dominus ac salvator fit Aegypti; post adflictiones et mortem crucis turpissimam in summam evectus est sublimitatem Christus, et datum illi nomen, quod omnia nomina excellit; data ei omnis potestas in coelo et in terra. Ioseph salvat et cibat Aegyptum ceterasque nationes. Christus salvator est, non solum Iudaeorum, sed et Gentium omnium; is corpora non solum hominum, sed corvorum et volucrium quoque cibat, animos duntaxat fidelium. Ipse enim panis est, qui de coelo descendit, et qui vitam dat mundo; quem qui ederit, non esuriet, neque fame unquam perire poterit.

Constanter ergo et fortiter omnia adversa, omnes persecutiones feramus! non solum eripiet nos Deus, sed regnare quoque secum faciet: nam hac via suos ad se ducit.

CAPUT XLII.

Catastrophe est. Iam enim clarum fit, quid olim somnia portenderint. Voluit Deus Iosephum facere dominum non modo fratrum suorum, sed totius Aegypti. Hoc consilium sic moderatur Deus, ut humanae sapientiae nihil minus, imo impossibile videretur, ut dominus futurus esset Ioseph. Sic sapientum oculos excoecat et perstringit Deus; temeritatem ac praesumtionem carnis nostrae percellit. Dominabantur fratres ipsi Iosepho, vendiderant eum in Aegyptum, ut saltem ipsis non dominaretur; sed ostendit Deus, quid nostra prosint consilia.

Quare negligitis? Hebraice est: Quid circumspicitis, vel quid spectatis? id est quid differtis? Ita Germanice negligentes, cessantes ac circumspectantes alloquimur: Was gaffend jr? pigritiam et oscitantiam increpantes.

Audivit quod triticum venundetur in Aegypto. Satis probe redditus est sensus a Latino interprete, sed Hebraeus elegantius sic legit: Audivi esse venditionem in Aegypto. שבר, schaeber, proprie fractionem significat, seu contritionem. Quandoquidem ergo in contractu venditionis fit distractio, ponitur hic שבר pro venditione; et deinde venditio pro re vendenda. Nam in commutatione frangitur: quod tuum est meum, et quod meum est tuum fit, pars scilicet. שבר ergo pro vendere, emere, commutare hoc capite utitur Moses, שבר pro re distracta et vendita.

Ut vivamus et non moriamur. Macrologia est; capitur autem vivere Hebraeis pro vitam servare et tueri; item pro refici et bonae valetudini restitui.

Beniamin vero fratrem Ioseph non misit Iacob cum fratribus suis, quoniam dixit: Ne forte ei quid mali accidat. Metuebat pater filio natu minimo, ne quid adversitatis aut periculi ei contingat. Amat enim eum prae ceteris, quoniam in senecta susceperat eum. Ioseph a feris, ut putabat discerptus erat; cavet ergo, ne et istum perdat. At consilio Dei longe aliter fit, ac pater decreverat. Nam

postea cogitur pater etiam unice amatum filium in terram Aegypti mittere. Sic Deus fidem suorum miris modis tentat, et quos maxime diligit maxime adfligit. Orbatur Iacob etiam Beniamine, ut discamus in nulla re quantumvis cara, sed in solo Deo nobis esse haerendum.

Et venerunt filii Israel ad emendum in medio venientium. Hebraismus est. Hoc est: Simul cum aliis qui venerant ad emenda alimenta et ipsi venerunt. Sic saepe capitur *in medio* pro simul cum aliis, vel, inter alios.

Et Ioseph erat שליט, schalit, *super terram, et ipse annonans seu frumentans omnem populum terrae.* שליט principem vertit Latinus. Est ergo Schalit praefectus, apud quem est rerum summa. Apud Turcos vocatur *Scholdan*, Germanice quoque Schultheifs.

Ingressi fratres Iosephi prociderunt ante eum in terram. Ob ventrem faciunt, quod divino oraculo admoniti renuebant; ad terram usque se inclinant ei, quem prius interficere statuerunt. Significat ergo שחה hic genuflectere, procidere, non adorare. Quomodo enim homines pii Aegyptium adorarent?

Videns Ioseph fratres suos, cognovit eos, sed dissimulavit, et quasi alienum se gessit erga eos, dure cum eis locutus. Mirabiles hic adfectus exprimit Moses: simulat enim severum se et durum Ioseph, quum intus nihilo minus animo mitissimus sit; et quod foris agitur, dispensatio est, non crudelitas, non odium. Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

Recordatus Ioseph somniorum, quae aliquando somniasset de eis. Hic est status historiae, ut agnosceremus coelestem ac divinam operationem ac providentiam, quae in omnibus creatis agit et operatur. Nam et ipse Ioseph nesciebat, quid somnia portenderent aut praesagirent quae olim viderat; nescius quare in Aegyptum esset venditus, donec fratres ante eum procidereat, tum in memoriam revocat somnia sua.

Exploratores estis, et venistis ad perscrutandum infirmiora terrae. ערות, eruath, nuditatem significat Hebraeis, et secreta. Quasi diceret: Venistis, ut interiora et secreta terrae exploretis; et qua parte terra scilicet nostra sit inermis et imbecillis; ubi nudi, et minus muniti simus, perscrutari vultis.

Omnes nos filii unius viri, integri sumus, non fuerunt servi tui exploratores. Hac responsione suspicionem explorationis amovere moliuntur: nam fieri non posse, ut decem filios simul ad explorandum emittat pater et tanto periculo exponat. Sumus, inquiunt, integri, innocentes et honesta familia nati; nec unquam exploratores fuimus.

Et unus non est, vel nusquam est. Hoc ad celandam iniquitatem suam loquuntur; non dicunt: Et unum ex eis vendidimus etc. Sic sceleribus suis semper praetexit impietas et hypocrisis.

Hoc est quod dixi exploratores vos esse. Simili Antistrephonte eos ferit Ioseph. Quasi diceret: Hoc idem, quo vos suspicionem repellitis, mihi maxime suspicionem auget, vos esse exploratores: nam hoc dolo usi estis, quod simul tot fratres veniebatis, ne quis suspicaretur vos esse exploratores.

In hoc probabimini. Quasi diceret: Si fratres estis, ut dicitis, resciam ego: volo videre etiam minimum fratrem vestrum.

Vivit Pharao. Simulat se hoc sermone Aegyptium esse: iurat enim per regem Aegypti.

Tradidit eos custodiae tribus diebus, et tertio die dixit ad eos Ioseph: Hoc facite ut vivatis, deum ego timeo, si integri estis, unus ex vobis maneat in custodia. Pulchre servat decorum Moses. Solent enim irati principes primum effervescere, deinde paulatim mites ac mansueti fieri. Et haec virtus maxime reges decet, ne irati aut adfectibus obruti poenas sumant; sed differant donec ira et furor deferveat, ne quid agant quod indignum ipsis sit, aut de quo postea sit poenitendum.

Et vos ite et adducite fractionem famis domum. Ferte famem domum! Per metonymiam fames vocatur frumentum quo fami succurritur. Abducite vobiscum in patriam vestram annonam quam emistis.

Et dixit alter ad alterum: Proh dolor peccavimus nos contra fratrem nostrum: vidimus enim angustiam et adflictionem animi sui, dum supplicaret nobis, et non audiebamus: idcirco venit super nos tribulatio haec. Ut primum videmus manum dei super nos, primum occurrit illud, de quo sibi mens est maxime conscia, quod torquet conscientiam. Sic occurrit fratribus Iosephi capitale illud facinus, quod in fratre patrarant. Cavendum ergo nobis est, ne unquam tale flagitium committamus, unde perpetuo conscientiae morsum ferre cogamur.

אבל luctum significat, quam nos *pro*, interiectione dolentis, hic vertimus.

Respondit Ruben: Nonne dixi vobis, ne peccetis in puerum? sed non audistis me, ecce sanguis eius exquiritur. Quasi diceret: Videtis iam quam bonum fuisset, si mihi obtemperassetis? admonebam ne sanguinem funderetis, sed nequicquam.

Et ipsi non sciebant quod frater audiret. Hic audire pro *intelligere*, paulo ante pro *obsequi* ponitur.

Aversus ab eis, flevit. Adfectus fletum extorquent Iosepho; interim magno dolore fratres adficit, sed finem ipsi nescierunt. Sic Christus, cuius figura erat Ioseph, dixit discipulis et fratribus suis: Doletis modo et tristes estis, sed iterum gaudebitis. Nesciebant enim discipuli quid ageretur. Tolerantes igitur simus in vexationibus et aerumnis: scit pater coelestis qua ratione quaeque faciat, interim nos exercens et fidem nostram illustrans.

Accepit ex eis Schimeon, et vincivit eum in oculis eorum. Emphasin habet hoc, ut et ipsi hanc fratris angustiam viderent et ipsis maior metus incuteretur.

In ore sacci. Hoc est in summitate sacci.

Et exiit cor eorum, et stupuerunt, quisque ad proximum dicens: Quid hoc fecit deus nobis? Egredi aut *exire cor* schema est Hebraicum pro concidere, exanimari. Sic Germanice: Inen empfiel das hertz, der mut. Vehementi stupore et metu percelluntur, quum magis gaudere et exultare deberent. Sed pavida conscientia tandem

arguit eos. Nam tametsi impii primum dicunt: Non est deus, quum deus eis ob oculos ponit peccatum, agnoscunt, quod prius agnoscere, dum arridebant prospera, nolebant. Vident deum singulare quiddam operantem; ideo dicunt: Quid sibi vult hac re deus? Sic fit ordinante deo, ut impii, qui omnem admonitionem, exhortationem ac comminationem eius spreverunt, tandem in tantum metum ac horrorem cadant, ut etiam in laetis ac prosperis rebus concidant, ac plane desperent. Amicum hostem esse et manum dei ubique sibi imminere putant; imo a sono folii volantis exhorrescunt.

Et venerunt ad patrem suum in terram Chanaan, et nunciaverunt ei omnes contingentes ei. Sic habent Hebraica ad verbum. Ubi notandum quod Hebraei per foemininum genus efferunt, quae Latinus per neutrum. קרות, karoth, foemininum plurale est, contingentes; Latinus diceret contingentia. Ubi nos dicimus *hoc* et *haec*, ipsi dicunt *haec* et *has*. Sic paulo superius: Quid deus hanc fecit nobis? Sic infra: Duras locutus est nobis, קשות, kaschoth. Tale est: Unam petii a Domino, hanc requiram; pro: Unum petii quod requiram etc. Recensent autem patri quae in profectione ac itinere sibi occurrissent.

Et dedit nos sicut exploratores terrae. Verbo *dandi* pro existimandi aut putandi utitur. Sic Germanice: Ich gib das für gut; hoc est existimo hoc esse bonum, iudico, puto. Iudicavit nos exploratores esse.

Et adducite fratrem vestrum iuniorem. Omnia exacte patri recensent, ne fraudem putet quod velint abducere Beniamin.

Orbastis me, Ioseph non est, et Schimeon non est, et Beniamin abducetis. Super me haec omnia. Vehementes sunt hic adfectus, et tamen prudenter premit pater quae cogitat. Super omnes autem liberos Beniamin unice amat, quod eum de Rahela senex susceperat. Cum ergo audit quod et illum vellent abducere, magnopere renititur: nam vehementer suspecti sunt ipsi filii. Idcirco dicit Beniaminum solum superesse, quum tamen plures haberet filios; sed de Rahela non habebat nisi Beniaminum; Ioseph enim interierat. Adducit autem excusationem, quam ab initio huius capitis adduxerat, dicens: Si contingeret filio meo quidpiam periculi, deduceretis canos meos cum dolore ad sepulchrum. Observa hic esse duo Vof, quorum primum per *si*, alterum per *tunc* vel *tum* exponendum est: Et contingeret ei quidpiam in via, et deducetis etc.

Iosephum typum esse Christi satis iam dictum est: is dat nobis animorum cibum; argentum insuper et pretium reponit. Hoc est quod Ioannes dicit gratiam pro gratia, id est, gratiam gratis.

Iucunda et amoena est historia, quod in hac humani adfectus tam probe et graphice describuntur; neque rari adfectus, sed quotidiani, communes, et quae in omnes homines ferme cadunt. Primum videtis pessimos illos nebulones, qui fratrem vendiderant, in Aegyptum profectos; et quomodo Ioseph, quum se coram eo inclinassent, eis non rependit iniuriam, quum tamen posset: erat enim Aegypti dominus;

potuisset negare cibos et frumenta, sed dissimulat. Deinde quomodo eos tentaverit, exploratores eos vocans. Quam rem sic exaggerat, ut metum eis incutiat, primum dure eos increpans, conditione proposita, ut unum ad ferendum iuniorem fratrem mitterent, ceteris in custodia reservatis; mox tertia die mitius cum eis agens, quasi ira iam deferbuisset. Inter haec omnia condolens eis non temperat a lacrimis, quas ut commodius funderet, avertit se ab eis. Rursus eos alloquens in conspectu omnium vinxit Schimeonem et in carcerem coniicit. Interim peccati conscientia eos torquet, ut dicant: Merito haec nobis accidunt: peccavimus enim in fratrem nostrum, neque eius sumus miserti dum esset in angustia. Iubet Ioseph pecuniam in saccos eorum reponi, quam quum inveniunt redduntur anxii et magis terrentur, cogitantes intra se: Ecce quomodo Deus nos in periculum coniicit! reverti cogemur ad virum astutum et callidum, qui nos furti nimirum arguet et gravissima mulcta puniet. Quum vero ad patrem rediissent, recensuissentque quae contigerant: quantum putas moerorem patris animo incusserunt, quum dicerent Schimeonem captum, Beniaminum vero unicum filium se abducturos? Videmus ergo quibus et quantis aerumnis et angustiis Deus suos exerceat, ut ostendat vitam hanc praeter laborem et adflictionem nihil esse; in quibus si tolerantes et constantes perseveraverimus, ostendet Deus tandem exitum, et omnem adflictionem ac moerorem in requiem et gaudium vertet.

CAPUT XLIII.

Revertimini, et emite nobis parum cibi. Hoc est rursus, iterum emite nobis annonam.

Vehementer contestatus est nos vir ille. Hoc dicitur per antonomasian.

Mihi in adflictionem hoc fecistis. Hebraei sub interrogatione proferunt: Quare me adflixistis, ut annuntiaretis viro vobis adhuc esse fratrem? Quasi diceret: Quid opus erat indicare viro vos adhuc fratrem habere? Suspicione carere non potest, quod homini ignoto de fratre minimo mentionem feceritis; sed ideo nimirum fecistis, ut hac ratione a me avelleretis carissimum filium meum. Metuebat enim pater, ne maiores natu, aemulatione materna imbuti, insidias struerent iuniori, perinde atque Iosepho factas suspicatur. Vides ut omnibus modis reluctetur pater, ne filium cum eis mittat; sed alia sunt consilia Dei. Si apud se servasset pater Beniaminum, iactare aliquando potuisset: Ecce si misisses eum cum fratribus, periisset; quod salvus est et incolumis, tu tua industria tibi peperisti. Iam ut nihil glorietur pater, vult Deus filium amandatum, ne cura et sollicitudine patris, sed Dei, videatur ex omnibus periculis esse liberatus. Sic vult Deus, ut ipsum in omnibus agnoscamus, ipsi omnia accepta referamus.

Quaerendo quaesivit nos. Suspicionem hanc eximunt patri; quasi dicerent: Non temere factum est, neque ex insidiis, ut mentionem de fratre nostro iuniore faceremus: vix extorsit vir hoc a nobis; neque scire potuimus quod illum esset postulaturus. Sed et Iudas magis ex

animo patris suspicionem sua oratione evellit, nempe quod ipsi plus ceteris pater fidebat, et quod se vadem pro eo constituit.

Sumite argentum duplex. שני, schne, vel משנה, mischne, significat duplex et secundum vel alterum. Forte Hebraei intelligunt praecellens aliquod aut praecipuum. Sicut Germanice dicimus: dick pfenning, dupel ducaten. Vel satis pecuniarum sumite vobiscum, duplo maiorem summam quam prius: nam profectio longa est et fames indies invalescit; forte frumenta carius venduntur quam antea. Duplicem pecuniam, id est, satis pecuniarum. Vel accipite aliam pecuniam praeter eam quam in saccis invenistis.

Deus omnipotens. Hebraice est Deus Schadai; de quo superius in capite XVII satis dictum est.

Ego autem quasi orbatus absque liberis ero. Hebraica sunt elegantia, et clarius ac vehementius adfectus paternos exprimunt. Ego vero sicut orbatus sum, ita et orbabor seu orbus ero. Quibus verbis eos urget, ut Beniaminum eo citius reducant. Quid miserius, quid calamitosius vita hominis? Quid iuvat diu vivere et senem fieri, quum quotidie mala et incommoda huius vitae augeantur? Pater ille senex, quum iam frui liberis deberet, orbatur carissimis, et in magnas angustias coniicitur. Falluntur ergo, qui sibi gaudium aut voluptatem ex liberis, dum adoleverint, pollicentur: cum aetate enim ipsa vitia adeoque curae ac sollicitudines crescunt; saepe etiam dolores morte acerbiores. Haec pii non ignorant, sed in omnibus gratias agunt Deo.

Surrexerunt et descenderunt in Aegyptum, statueruntque se coram Ioseph. Statuere hic verbum est castrense, aut forense. Qui enim bello capti sunt, hac conditione domum remittuntur, ut se ad certum aliquem diem ac locum cum pretio redemtionis (quod Graeci λύτρον aut ἄποινον vocant) statuant. Dafs sy sich stellind.

Et dispensator domus Ioseph duxit eos ad domum Ioseph, et ipsi expavescebant. Tales sunt impiorum conscientiae, ut etiam in prosperis expavescant: malorum enim quum sibi consciae sint, bona etiam mala suspicantur; et quae aliis securitatem et gaudium facerent, illis metum incutiunt. Quis enim se non beatum putaret, si potens aliquis eum vocaret in domum suam, et amicitiam cum eo iungeret?

Ut in nos devolvat calumniam. Hebraice sic: ad involvendum nos et ut faciat cadere. Calumnia iurisperitis dicitur, quum aliquis per fraudem et frustrationem aut illusionem in litibus vexatur. Man wil uns eynwicklen und fellig machen.

Et factum est quum venissemus in diversorium, aperuimus saccos nostros. Haec est ἑτέρωσις. Nam tantum unus aperuerat saccum suum in diversorio, dum ex Aegypto redirent in profectione prima. Sic Matth. 26. dicitur: Indignati sunt discipuli mulieri, quae unguentum effuderat super caput Iesu, quum tamen solus Iudas fuerit indignatus; ut patet Ioannis duodecimo.

Et incaluerunt viscera eius super fratre suo. Laetitia et gaudium calefaciunt interiora, timor frigefacit sanguinem. Ubi est calor, ibi est motus; ubi frigus, constricta sunt omnia.

Et quaesivit flere vel ad flendum. Idiotismus est: Quaesivit

locum ubi fleret. Sic Germanice dicimus: Er sucht zeweinen. Quaerit locum ad flendum.

Quoniam non poterant Aegyptii edere panem cum Hebraeis. Non poterant, id est non solebant.

Et inebriati sunt. Humanitatem et opulentiam Iosephi commendat, non luxuriam aut temulentiam. Quod autem inebriari iam in malam partem sonat: vitio nostro factum est, quod etiam honestissima et maxime necessaria inhonesta et turpia facit, ut iam quaedam voces honestae amplius non absque risu et turpitudine efferantur.

CAPUT XLIV.

Pone argentum in ore saccorum etc. Tametsi fratres suos dure tractat Ioseph et varie tentat, in usum tamen eorum omnia facit. Nec enim suis adfectibus servit nec studet sibi prodesse, sed fratribus. Tyranni duntaxat puniunt ex adfectibus, et sua quaerunt; leges quas ponunt retia sunt, per quae a pauperibus pecuniam expiscentur.

Craterem autem meum argenteum pone in ore sacci iunioris. Hoc nimirum hac ratione facit, ut experiatur quo animo fratres sint erga germanum suum Beniaminum.

Surge persequere eos (viros dicit Hebraeus) *et apprehendes eos, et dices ad eos.* Et apprehendes, id est, posteaquam apprehenderis, id est, adsecutus eris. *Vof* est ordinis.

Pecuniam quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus de terra Chanaan, et quomodo furari possemus de domo Domini tuum aurum vel argentum? Pulchra et vehemens demolitio per antithesin; quasi diceret: Tantum abest, ut quidquam hinc auferamus, ut etiam quae prius per ignorantiam ablata erant reportaverimus.

Apud quemcunque fuerit inventum, quod quaeris, ipse moriatur! Conscientia bona freti hoc dicunt, sed imprudenter et nimis audacter. Sic fervemus in initiis. Sed statim mitius loquuntur. Circumspectius dixissent: Quisquis hoc facinus designavit, quicunque huius furti reus est, moriatur. Potuit enim apud aliquem inveniri, quod et factum est, qui tamen non abstulerat.

Qui dixit eis: Fiat iuxta vestram sententiam, apud quemcunque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii. Remittit servus, et minus postulat quam ipsi temere polliciti erant; aut quod mors et servitus aeque gravia haberentur. Habebant enim domini olim in servos vitae necisque potestatem.

An ignoratis quod augurando augurabitur, qui sicut ego? Duplex sensus: An nescitis quod quisquis est ut ego, augurando auguratur, id est certissime augurandi est peritus? vel: Nescitis quod in augurandi scientia mei nullus est similis? Est autem *ἠθολογία*. Non erat augur, sed Aegyptii eum pro augure habebant, et apud eos augurium in usu erat. Loquitur ergo ad morem vulgi, qui eum pro summo augure habebant. Vide hic Iosephum omnia dolo agere, sed bono, non malo! (dolus enim antiquis *μέσον* est vocabulum) celat, dissimulat, tentat, ut fratrum fidem experiatur. At Deus longe aliud agit.

Cui Iudas: Quid inquit respondebimus Domino meo? vel

quid loquemur, et quo nos iustificabimus? In re desperatissima ad commiserationem confugere docent rhetores. *Iustificare* hic pro excusare, se expurgare, aut iustum et innocentem ostendere ponitur. Oratio ipsius Iudae supra modum elegans est et artificiosa. Exordium habet aptissimum, narrationem brevissimam, deinde contentionem; argumenta quoque, ac epicheremata validissima et brevissima. Cogitarat autem Iudas intra se: Ecce tibi cum principe res est, cum quibus oratione longa non est agendum. Accurrit autem iuxta rhetorum praecepta ad misericordiam, ac culpam in Deum ac fatum reiicit, dicens:

Deus invenit iniquitatem servorum tuorum. Quum vero Ioseph exordium suum, quo captat benevolentiam et attentum Iosephum facit, interrupisset iis verbis:

Absit a me ut sic agam: Qui furatus est ciphum, ipse sit servus meus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum, pergit Iudas captare benevolentiam, et propius ad Iosephum accedit, liberiusque loquitur.

Oro domine mi, audi me, ut loquatur servus tuus in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo, quoniam tu sicut Pharao. Occulta est captatio. Quid quod Pharaonem adiremus? Tu enim alter es Pharao. Deinde hoc quoque considera, quandocunque Iudas Iosephum adpellat, dominum eum vocare, se, patrem, fratresque servos, servatis scilicet decoro et verecundia. Sunt qui se summos Christianos esse putant, si audacissime et rusticissime cum magistratibus et principibus loquantur, si nemini honorem exhibeant; quum tamen Paulus cum decoro et ordine omnia fieri, honorem cui honorem tribuere iubeat. Sunt contra qui principibus nimis blandiuntur et assentantur, et eos tantum non adorant. At vere pius novit quid cuique et quantum debeat, pro loci, religionis, status, personae, temporis opportunitate. Christianismus non est incivilitas et rusticitas.

Dominus meus interrogavit servos suos, dicendo: Est ne vobis pater aut frater? Narratio brevis est, apta tamen; omittuntur autem quaedam quae domi gesta erant, quod ad rem minime pertinebant. Deinde quae pater cum eis erat locutus, non omnia narrant: facerent enim suspicionem ipsi Iosepho, quod pater eis male fideret. Consulto ergo omittunt ac tacent, quae causam eorum suspectam reddere possunt.

Ponam oculos meos super illum. Hoc est, videbo eum, vel benevolus ei ero, curam eius agam, ut LXX intellexerunt.

Et dixistis, fera pessima devoravit eum. Hebraice: Et dixi: nam pater haec verba dixerat, dum sibi tunicam cruore aspersam ex agro adferrent. Contentio vehemens est et plena fortissimis argumentis, quae sic incipit:

Et nunc igitur, si redirem ad servum tuum patrem meum, neque puer mecum esset (quandoquidem anima patris pendet, vel colligata est in anima illius) videritque eum non esse nobiscum, morietur. Quoniam anima illius etc. Parenthesis est et mire exaggerat; quasi diceret: Diligit enim Beniaminum pater ut cor suum; vita eius cum vita pueri ita est colligata, ut isto mortuo ille vivere non possit.

Deducentque famuli tui canos eius cum dolore ad inferos.

Omnia pondus habent. Hoc agit Iudas, ut argumentis suis, clam tamen et latenter, totam causam et mortem patris in Iosephum derivet.

Et servus tuus sponsorem et vadem se pro puero fecit erga patrem meum, et dixi: Si non reduxero eum tibi, peccator sum in patrem meum omnibus diebus. Nunc igitur maneat servus tuus quaeso pro puero servus domino meo, et frater ascendat cum fratribus suis. In se derivat mulctam Iudas; quasi diceret: Ego sponsor et praes pro eo sum. Serva ergo me loco pueri! Servanda enim est aequitas. Neque sperare potuit Iudas ut omnes impune evaderent; se ergo in periculum dat, ut Beniaminum liberet.

Non enim possum redire ad patrem, absente puero. Hebraei sic legunt: Nam quomodo ascenderem ad patrem meum, si puer non esset mecum, et viderem malum, quod invenerit patrem meum? Vehemens est exclamatio magno cum adfectu, atque maxime in loco.

CAPUT XLV.

Elevavit vocem cum fletu. Hebraeus sic: Et dedit vocem suam in fletum, hoc est flevit et cum fletu vocem immutavit, ita ut vox faucibus haereret. Seu: locutus est, idque non sine lacrimis.

Quam audierunt Aegyptii, et tota domus Pharaonis. Intellexit Latinus fletum tam magnum fuisse et vocem tantam, ut foris a servis Pharaonis audiretur. Sed Hebraei dicunt: Et audierunt Aegyptii, et tota domus Pharaonis. Non quod in fletu Iosephus tantam vocem tamque incivilem emitteret, ut tota domus audierit; sed quod fama quomodo flevisset eo pervenisset.

Ego sum Ioseph, vivitne pater meus adhuc? Nihil aliud prae adfectu loqui potuit. Magnanimitas est in Iosepho, et nihilominus impetus et imbecillitas carnis ac adfectuum, hoc in fletu. Illud in reliquis verbis claret; primum autem de patre quaerit, quem pro se sollicitum non dubitavit.

Et non potuerunt respondere ei fratres eius, territi eius facie. Subito metu et stupore attoniti et fere exanimati, elingues facti sunt.

Et ait Ioseph ad fratres suos: Accedite ad me. Consolatur meticulosos et erigit deiectos, iubetque ut propius accedant, utque animum recipiant.

Ego sum Ioseph, quem vendidistis in Aegyptum. Attamen ne sitis tristes, neque molestia sit in oculis vestris, quod me vendidistis huc. O ineffabilem caritatem et animum vere pium! Peccatum et scelus patratum nudis et apertis verbis obiicit eis; sed ne omnino concidant, ne desperent, ne metuant, statim subiicit consolationem, peccatum ex animo remittens. Puto autem יחר hic pro molestum esse et oculos pro mente poni. Ne molestet haec res animum vestrum! Hic nobis discendum exemplo Iosephi, ut sic adfectibus carnis moriamur, ne vindicare nos de inimicis velimus; sed facile parcere his qui nos laedunt, qui iniuria adficiunt.

Ad vitam misit me Deus ante vos. Ad salutem, ad servationem, zu fristung, zu erhaltung. Nam חיה Hebraeis non solum *vivere* signi-

ficat, sed etiam in vita servare, vitam instaurare. Quasi diceret: Praemisit me Deus in hanc terram ante vos, ut per me multi in vita servarentur. Iterum dei providentiam cernimus, qui omnia haec agit quae nobis videri contingentia possint, ut Iacobum tam dilectum amicum in terra aliena servet. Quem interim filio carissimo orbavit ac in maximas angustias coniecit. Nec fratres sinit esse innoxios, qui innocentem fratrem vendunt et fratris parricidae (quod in ipsis erat) fiunt. Sic divina providentia et bonis laus et praemium, et malis indignatio, vituperium et poena manet.

Quoniam duo anni isti famis in terra Aegypti, et adhuc quinque annos neque agricolatio neque messis. Totum abnegat, quum tantum partem abnegatam velit. Nam non omnino non fuit agricolatio, sed parva, et quasi nulla. Sic Germanice dicimus: Es ist kein herbst gewesen, kein ernd, cum tamen aliquid vel frumenti vel vini collectum sit, sed parum.

Et praemisit me Deus ante vos, ad ponendum vobis residuum vel reliquias in terra, et ad servandum vobis ad evasionem magnam. Sensus simplex videtur is esse: Praemisit me Deus ante vos ut fieretis reliqui, et ut servarem vos in hac magna fame, seu ut servaremini in hac magna fame per me. Et eleganter utitur verbo *evadendi*, alludens nimirum ad id, dum in magna aliqua strage multi pereunt, multi deinde evadunt salvi; quasi diceret: Ut et vos inter eos essetis, qui evadunt, et salvaremini in magna illa fame, quae multos opprimit. Videtur tamen aliter sensus hic valere, ut Ioseph ad Testamentum et ad Meschiah alludat. Est enim occultum *Prothysteron*, unde Metalepsis trahitur. Ubi enim sunt reliquiae, ibi est et paucitas; quasi Ioseph dicat: ut vos qui pauci estis reservemini: nam magnus aliquando populus ex vobis et ingens proditurus est. *Ad evasionem magnam*, id est: dum vos servemini, serventur magnae reliquiae, magnus aliquando populus futurus.

Posuit me patrem Pharaoni, et dominum universae familiae eius. Non sunt haec verba gloriantis, sed consolantis fratres suos: sciebat enim, quam intus torquerentur ob venditionem. Dicit ergo: Non vos me huc misistis, sed deus. Quod vel hinc patet, quod ad hanc rerum summam evectus sum. Significat autem hic *pater* curatorem servatoremque.

Descende ad me, ne stes, faciamque te habitare in terra Goschen. Loqui iubentur fratres in persona Iosephi patri, ac si coram praesens ei esset. *Ne stes!* Stare pro tardare, differre, moram nectere capitur. Ne cuncteris!

Et ecce oculi vestri, et oculi fratris mei vident quod ore loquor vobiscum. Removet omnem suspicionem, hortaturque, ut os, id est faciem, diligenter considerent. Est autem antonomasia; quasi diceret: Si pater non vellet credere me adhuc superesse, vos os meum, id est faciem, probe nostis, et praesertim Beniamin qui erat uterinus. Os meum, id est os Iosephi pro ipso Iosepho, appellativum pro proprio.

Et nunciate patri meo omnem gloriam meam in Aegypto.

Non erat nescius Ioseph, quanta anxietate teneretur pater; nihil igitur gloriatur, sed sic iubet consolari patrem anxium: Sagend jm meinen stand.

Et cecidit in collum Beniamin fratris sui et flevit, et Beniamin item flevit in collo eius. Angorem animi Iosephi miris et quasi ineffabilibus verbis exprimit Moses. Uterque in alterius collo haerebat flendo, amplexantes sese invicem, eiulantes et flentes, citra tamen indecorum.

Et post haec locuti sunt fratres eius cum eo. Vix tandem post multam consolationem, post amplexus et oscula, recepto animo, loqui incipiunt fratres cum Iosepho.

Et hic rumor pervenit in domum Pharaonis. Hebraeus dicit: Et vox haec audiebatur in domo Pharaonis; hoc est: fratres Iosephi advenisse, et ea quae gesta erant increbruerunt in aula regia.

Gavisus est Pharao et servi eius. Hebraice: Et bonum visum est in oculis Pharaonis; id est: Placuit hoc Pharaoni et servis eius. Servi hic pro familia capiuntur, ut LXX intellexerunt. Hoc tametsi et in aliis locis fit, tamen non ubique.

Accipite patrem vestrum. Accipere pro adferre, adducere, saepe utuntur Hebraei.

Dabo vobis bonum terrae Aegypti, et comedetis medullam terrae. Optima terrae comedetis, pinguissima, praecipua. LXX vim Hebraici sermonis exprimere volentes verbis dandi genitivum iunxerunt, δώσω ὑμῖν; id est: Participes vos faciam omnium bonorum Aegypti.

Nec dimittatis quicquam de supellectili vestra, quia omnes opes Aegypti vestrae erunt. Hebraeus sic legit: Ne parcat oculus vester supellectili vestrae, quoniam omne bonum Aegypti erit vobis. Dicimus Latine parcere irae, parcere ingenio. Sic hic parcere oculis, significat satisfacere oculis; quasi diceret: Nolite satisfacere velle desiderio oculorum, ut solent qui alio demigrant et omnia volunt secum vehere, nihil post se relinquere. Vos non sic: satis vasorum, satis supellectilis est in Aegypto.

Et cibaria in itinere. Dedit Ioseph fratribus suis commeatum, viaticum ad viam, ad iter, ad profectionem. Viaticum puto Latinis non a via, sed a Graeca dictione βιωτικὸν derivari, quae dictio a vita descendit: quod pro vita facit.

Et patri dedit secundum hoc. Videtur debere referri ad sequentia. Graeci ad praecedentia retulerunt. Sic etiam Latinus. Hebraeus autem dicere vult: Iuxta hoc quod sequitur misit patri.

Ne irascamini in via. Id est: ne contendatis, ne litigetis in itinere. Ad concordiam et mutuam caritatem hortatur, ne alter alteri obprobret factum.

Quo audito Iacob, quasi de gravi somno evigilans, non tamen credidit eis. Hebraei sic: Et vacillavit, vel haesitavit cor eius, quia non credidit eis; id est: valde attonitus est et quasi consternatus. Ut solet nobis accidere, dum quae valde cupimus subito referuntur, quae tamen minime expectabamus. Libenter credidisset eis; sed suspecti erant ei. Nam quomodo fieri potuit, ut in tot annis non aliquando

fratres inter sese de nece aut venditione Iosephi essent rixati, ut pater aliquando audiisset? Ideo non habebat verbis eorum fidem.

Et revixit spiritus eius Id est: refocillatus est, respiravit, Graeci verbum habent longe elegantissimum ἀνεζωπύρησε, id est, rursum vivificatus est, haud aliter, quam si ex parva scintilla ignis reviviscat. Erat enim et spes et mens Iacobi consternata et absorpta; iam omnia reflorescunt.

Quod ad fidem et mores attinet, plena est historia exemplis ac typis, quae nos docent mansuetudinem, caritatem, tolerantiam. In primis autem divina providentia ubique relucet, quae omnia miris consiliis et pulcherrimo ordine disponit. Ubi et hoc quoque discimus, Iosephum non in terra Chanaan patria sua magnum fieri, sed in Aegypto, terra scilicet aliena. Sed erat probus et innocens, et ob hoc carus Deo et pretiosus. Sic et nobis terrena haec patria relinquenda est, ut veram et fertilissimam Aegyptum adquiramus, regnemusque cum eo, qui nostri causa relictis sedibus aethereis in hanc vallem plenam miseriis et calamitatibus descendit. Ducit ergo suos per varias tribulationes Deus; at adest et liberat, etiam in hac terra, alioqui plena periculis, magnis consolationibus refocillans. Nam et Iosephum dominum facit post carcerem, et luctum Iacobi tandem in gaudium vertit. Neque tamen suos usque adeo tentationibus et adflictionibus hic liberat deus, ut molestiis et malis omnibus careant: Nam hoc nemini in hac vita contingit. Tametsi enim Dominus Aegypti esset Ioseph, non tamen a laboribus et curis liber est. Et Iacob licet immodicum gaudium de filio conciperet, dum audiret eum adhuc superesse, cogitur tamen domicilium suum (in quo nimirum iam lubens habitarat) et patriam deserere, et in terram longinquam et alienam demigrare. Constanter ergo et cum gaudio, quidquid acciderit, feramus! aderit Dominus, et invitis omnibus hostibus et adversariis liberabit et educet nos. Faciles autem simus ad remittendas iniurias fratribus: nam qui nos laedunt et persequuntur, aliud nihil faciunt, quam promovere nostram salutem et felicitatem; si quidem constantes fuerimus. Mansuetudine et beneficentia eos, non asperitate, non crudelitate vincamus!

Typum Christi in Iosepho fideles facile excutient. Si Ioseph tantam caritatem ostendit erga fratres suos, qui eum vendiderant, ac summa iniuria adfecerant: quantam putamus erga nos miseros peccatores esse divinam clementiam? Certo persuadere nobis debemus, quidquid petierimus, patrem nostrum coelestem daturum nobis esse. Imo attonitos et stupefactos ad se vocat fratres. Ita et Christus omnes adflictos et desperatos ad se vocat. Erant apostoli tres in monte Thabor, ceteri post resurrectionem in monte, quem eis Dominus designaverat, nimio terrore et claritate gloriae eius perculsi. At accedens Dominus consolatur eos, et erigit deiectos. Dedit Ioseph fratribus dona, sed plus ceteris Beniamino; Christus ascendens in altum dedit dona hominibus. At dona spiritus diversa sunt, sed idem spiritus; et qui hunc spiritum habent, licet dona sint diversa, unius tamen sunt mentis. Non murmurant fratres quod plus dedit Beniamino, nec insolens fit Beniamin, quod ceteris plus acceperat. Sic in una eademque ecclesia dona varia

sunt, sed non debet hinc contentio, non murmuratio aut insolentia nasci aut invidia.

CAPUT XLVI.

Deo patris sui. Cur non dicit Deo suo? nam et suus erat. Verecunda est locutio et honestatis plena; quasi diceret: Illi Deo, qui cum Abrahamo et Isaaco testamentum fecerat.

Et dixit Deus Israeli in visione noctu: Iacob Iacob, et dixit: Ecce me, et dixit: Ego Deus fortissimus patris tui, ne metuas descendere in Aegyptum, quoniam in gentem magnam faciam te illic: ego descendam tecum in Aegyptum, et certissime etiam te reducam. Quod nocte adparet Deus Iacobo, refricatio est testamenti: suggerit enim Israëli, quae patri Abrahamo supra cap. 15. promiserat. Dixerat enim: Semen tuum peregrinum erit in terra aliena. Hoc iam parat Deus. Ecce ab Abrahamo usque ad Isaacum, et ab Isaaco usque ad Iacobum tot anni fluxerunt, et inter tot casus et discrimina versati sunt fideles, aliquando forsitan obliti, omnia disponente et providente deo fieri. Iam ergo adparet Deus, et eorum mentes excitat, promissionemque renovat. Deinde Iacob, qui tot pericula, tot casus evaserat, iam senio confectus, cogitur, sic disponente Deo, in terram sibi incognitam et alienam, ad infidelem gentem proficisci, ubi primum incipiunt angores et tribulationes filiorum Israëlis; sed in Domino fisi omnia patienter ferunt. Iacob figura est Christi, qui in mortem usque humiliatus patri fuit obediens; exaltavit ergo eum pater super omnia. Sic et quilibet Christianus fidere debet deo, qui nobiscum descendit in foveam rursumque educit nos, liberat ac coronat.

Quod autem dicit Iacobo: Faciam te rursus ascendere, aut reducam te, non in Iacobo impletum est, sed in semine suo, post quadringentos tandem annos. Est igitur synecdocha. Haec ex ipsa historia nobis haurienda sunt: nam si non ex historiis divinis haec didicerimus, satius esset Livianas legere. In historiis ergo sacris semper ad fontem, ad initium promissionis divinae nobis recurrendum est, et exempla vitae spectanda.

Haec sunt nomina filiorum Israël. Sic iam coeperunt vocari Iudaei. Hoc quoque notandum, quod Iudaei in generationum catalogo feminas non recensent: quod enim Dina numerata est ob singulare facinus factum est.

Omnes animae, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere sexagintasex. Id est, omnes homines. Sed Iacob, Ioseph, et duo filii eius non veniunt in hunc numerum. Et ergo statim subdit, eorum fuisse septuaginta.

Moriar nunc. Sic Simeon Lucae secundo: Nunc dimittis Domine servum tuum in pace.

Viri pastores sumus. Hebraeus legit: Viri pecoris servi tui, Vechlüt.

Quia detestantur Aegyptii omnes pastores ovium. Hoc est: negligunt eos, nec multum eis tribuunt, non curant eos; non magni

aestimantur pastores apud eos, praesertim in aula. Ponitur autem vehementius verbum detestandi pro negligendi aut posthabendi verbo.

CAPUT XLVII.

Extremos quoque fratres. Hebraice sic: Et de summa fratrum suorum, de fine, de consummatione. Metalepsis est, finis pro summa; rationis enim finis est summa. De tota summa quinque adduxit Ioseph ad Pharaonem.

Ad incolendum in terra tua venimus. Hoc verbum est modestiae et verecundiae. Nonne cristas debebant erigere, quod Ioseph tantus esset in aula regis? Haec autem omnia ex praescripto Iosephi loquuntur.

Terra coram te est. Magna gratia hic ostenditur regis erga Iosephum. Coram te, id est, in potestate tua; quasi diceret: Ad nutum tuum sit tibi copia regionis totius.

Quod si nosti in eis viros industrios. Recte Latinus: nam אנשי חיל hic non robustos, sed aptos et viros industrios puto significare, quos praeficere debet Ioseph pecori regio.

Et benedixit Iacob Pharaonem. ברך, barach, hic significat gratias agere, collaudare. Sic calix benedictionis, id est, gratiarum actionis. Gratias egit Iacob Pharaoni, quod se, quod filios tantopere diligeret ac extulisset. Neque enim tam incivilis fuit Iacob, ut tanto supercilio ordiretur benedictionem aliquam, ut quidam putant. Quid enim impio regi cum benedictionibus patrum?

Dies annorum vitae meae, seu peregrinationis meae, triginta et centum anni, pauci et mali fuerunt dies annorum vitae meae. Pulcherrimum est schema apud Hebraeos, Dies annorum. Hi qui tot malis adfliguntur, quemadmodum Iacob, numerant diem ex die: saepe una dies annus esse videtur. Mali, id est, adflictionis pleni. Vide! tantus vir, tam sanctus patriarcha, quem Deus tantopere dilexit, dicit vitam suam nihil aliud fuisse quam adflictionem. Quid nos dicemus? Peregrinatio est vita nostra, plena molestiis et laboribus: regis et pastoris idem exitus. Quid igitur tam anxii, tam avidi sumus, tam avari? cur tantas moles struimus? quasi hic perpetuo manere vellemus. Vigilandum nobis est et curandum, ut ea quaeramus quae sursum sunt, non quae super terram, ut cum Dominus venerit et evocaverit (quae nobis hora incerta est) parati simus ad occurrendum ei.

In terra Raëmses. Modo dicit eos habitasse in Raëmses, modo in Goschen; sed alterum generale est, alterum speciale.

Et cibavit Ioseph patrem suum et fratres suos, et omnem domum patris sui iuxta parvulos. Ego puto *taph* vocem Hebraicam significare hic familiam, ut dicat: Iuxta numerum familiarum praebuit eis cibum. Sic animarum cibator Deus dat spiritum suum cuicunque ut vult.

Et non fuit cibus in universa terra. Annis scilicet postremis non erat cibus, id est parum cibi erat; caritas annonae magna erat.

Haec exempla non tantum audiamus, sed discamus et nos futuris periculis occurrere. Hoc maxime fit resipiscentia et vitae immutatione.

Fames enim a deo ob peccatum nobis infligitur. Cessemus ergo et desistamus a peccatis; et propitium habebimus Deum. Deinde divites liberales sint et rerum fideles dispensatores, pauperum levent egestatem! omnes servent modum et temperantiam! Magnum vectigal est parsimonia. Frugalitatem discamus!

Cur moriemur coram te? Id est: te vidente, quum tu possis nos a morte liberare ac servare. Cur sinis nos interire fame, quum possis succurrere?

Eme nos et humum nostram pro pane, et erimus nos et terra nostra Pharaoni in servos. Cur, inquis, tam mansuetus et qui typus est Christi, Ioseph, tam duriter et crudeliter cum populo agit, ut eorum pecora, humum, agros, corpora, domum eorum impignoret, et in servitutem redigat? quare non dedit gratis? cur non mitigavit tam duram et inhumanam sententiam? Nemo ex hoc facto sibi blandiatur! nemo cupiditati suae excusationem quaerat! Neque enim Christianus quid factum sit, sed quid factum oportuit, considerare et sequi debet. Lex naturae, quae dei lex est, insita a deo pectoribus nostris, docet, ut faciamus proximo, quae nobis fieri volumus. Deinde docet lex dei, ut diligamus proximum ut nos ipsos. Secundum hanc legem ac regulam cunctis vivendum et agendum est. Ad hanc regulam quisque fidelis quam proxime accedere studeat! Deinde, si fieri non potest ut hunc scopum tangat: iura gentium et publicam pacem ac concordiam tueatur! sit iustus iustitia humana, si non potest divina! Hoc videmus in divino illo viro Iosepho, qui et res et capita Aegyptiorum Pharaoni in servitutem redegit, nec frumentum dat aut semen, nisi quintam dent regi. Ita nimirum cogebat tempus et res; ita faciendum erat, ut dignitas regis, communis salus et vita hominum defenderetur. Neque aliter potuit Ioseph. Sic cuilibet fideli in censibus, divitiis et negotiis secularibus faciendum est, ut quam proxime ad divinum praeceptum omnia agat. Quod si omnino fieri non potest, idque propter tempora aut locos aut publicam pacem, et iura gentium: videat ut oculus suus sit simplex, ut semper prae oculis deum habeat, huius gloriam quaerat et proximi salutem, caritate et fide omnia transigat. Si census recipit: non putet se benefacere, sed deinde census et temporalia omnia fideliter dispenset! Si oculus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit.

Et da semen ut vivamus, et non moriamur neque terra fiat inculta. Dum seritur, semen est; dum servatur, frumentum. Ab effectu ergo semen vocant; quasi dicerent: Da nobis frumentum, ut et agros seminemus et reliquum edamus, ut et vita nostra servetur et terra non desoletur. Est synecdocha. Istud autem, *ut vivamus et non moriamur*, macrologia: alterutro enim clara fuisset sententia; sed peculiaris est haec figura Hebraeis.

Et populum ipsum transire fecit ad civitates de termino ad terminum. Transire hic verbum est forense, id est in potestatem venire seu redigere; quasi diceret: Non solum tellus ipsa facta est Pharaonis, sed et populum ipsum oppidatim proprium fecit Pharaoni; de suo iure in ius Pharaonis fecit transire. *Facere transire* pro capite

diminui. העביר, heebir, habent nostri codices; vetusti forte habuerunt העביד in servitutem redegit: facile enim ר in ד mutari potuit.

Veruntamen tellurem sacerdotum non emit, quoniam privilegium erat sacerdotibus a rege. Terra sacerdotum non vendebatur: nam illi iuxta privilegia regis de regio penu sustentabantur.

Sed ederunt legem eorum quam dedit eis Pharao. Ederunt legem seu statutum, id est, hoc edebant quod eis erat per legem et statutum regis demensum. Species est synecdochae seu metonymiae.

Et posuit hoc Ioseph in statutum usque in hodiernum diem super tellurem Aegypti, ut det quintam partem proventuum Pharaoni. Hic intelligimus Pharaonis nomen generale esse omnium regum Aegypti: quod et ex libro Exodi clarius fiet. Intelligit enim Moses per Pharaonem quemlibet regem Aegypti, quum dicit: in hodiernum usque diem. Pharao autem a vindicando nomen habet: rex enim iudex esse debet, et vindex malorum.

Nemo hinc abusui decimarum scutum aut proiectionem petat! Si enim ecclesiasticae sunt decimae (nam de tributariis, aut eis, quas laicales vocamus, ad praesens nihil attinet), debemus quidem dare decimas: nemo enim alio iure, etiamsi haereditario, agros, praedia, vineas accepit, quam ut decimae ratio dependeret; sed simul debent, qui eas accipiunt, imo exigunt, nonnunquam etiam truculentius, sic dispensare, ut ecclesiis possint rationem reddere: sunt enim ecclesiarum, unde et ecclesiasticae sunt appellatae. Quum autem neglectis tam divinis quam humanis litteris, neglectaque vera religione, passi sumus decimas non aliter, quam alias quoque merces venire, aut ceremoniis addici plane inutilibus: quod debemus, demus, ne adversario tumultuandi occasionem praebeamus. Dabit dominus tandem tam iustos et aequos magistratus, ut quae publica sunt, publico usui restituant; sed citra eorum iniuriam qui imprudentes emerunt: quod Pontifex quoque negat vendi debere. Sacerdotes plures fuerunt apud Aegyptios, et plura habuerunt mysteria. Antequam autem scriptura esset, notas quasdam habuerunt, et dederunt responsa populo et oracula in rebus dubiis. Erant docti et experti multarum rerum; et tamen quasi ex diis darent responsa fingebant, ut maiores et celebriores essent apud populum. Sic apud Romanos collegium fuit Pontificum, qui habuerunt libros Sibyllinos, ephemerides, annales Dialesque. Deinde responsis adhibuerunt sacrificia, ut metus esset religionis apud populum, et auctoritas maior, quasi ex diis essent responsa. Porro et Aegyptii et Romani sacerdotes cupiditate excaecati omnia adfectibus vitiarunt. Sic postea Iudaeorum sacerdotes avaritia, invidia, vana gloria vitiati sunt; sic demum Christianorum pontifices et sacerdotes, quum verbi coelestis promi deberent esse, Condi rerum omnium facti sunt. Quae omnia debet humana miseria philautiae.

Pone manum tuam sub femur meum. In testamento manum ad femur ponunt dum iurant, in ceteris rebus elevant manus; quod hac ratione fieri puto, quod femur principium est proseminandi et gignendi. Quandoquidem igitur Salvator omnium hominum Christus, semen illud benedictum, ex illis nasciturus erat corporaliter, et omnes

homines in fide Abrahami collecturus: ponunt manum ad femur, quoties huius rei admonere volebant. Ideo tam anxie adiurat Iacob Iosephum filium carissimum, et cui maxime fidebat, a iuramento et exteriori signo liberum esse non sinit. Ardua enim res erat et maximum mysterium.

Fac mecum beneficentiam et fidem. Iuramentum debet esse beneficum et fidele ac verax, aut ad gloriam dei, aut ad proximi utilitatem fieri.

Posteaquam dormiero cum patribus meis. Dormire pro mori accipi Hebraeis frequens est, idque propter corpus quod olim excitandum est. Sic Paulus mortuos dormientes vocat. Quare frivolum est, quod quidam dicunt animas dormire post mortem usque ad diem iudicii.

Sepeli me in sepulchris eorum. Fuerunt Hebraei sepulturae luctusque observantissimi, sed non in supercilio quo nos observamus, quasi fructi ex hoc aliquid ad mortuum redeat. Putas tam divino patri, tam pio homini tantam fuisse curam, ut ossa et cadaver eius mortuum transferretur? tantam fuisse sollicitudinem sepeliendi funeris? quasi ea animae sollicitudo levaretur? Huius enim sententiae nulla vestigia invenimus apud Hebraeos. Sed facta sunt haec in mysterio: volebat pientissimus pater iuxta patres suos sepeliri, qui eiusdem fidei fuerunt. In quo nimirum ecclesia fidelium coemeterium et requies praefigurata est. Quod si etiam Iacob adfectu quodam carnis hoc fecit: faetum nihilominus in figura est, quod corporaliter geritur. Praesignata ergo est unitas ecclesiae et fidelium omnium congregatio, eorum scilicet, qui ante Christum et eorum qui post mortui sunt. Hi inquam, omnes per Christum congregabuntur: venient enim ab Oriente et Occidente, et a finibus terrae, et recumbent cum Abrahamo, Isaaco, et Iacobo, quicunque eorum fidem sunt secuti. Harum rerum typum voluit nobis Deus adumbrare corporum patrum in unum locum sepultura. Una ergo est ecclesia omnium fidelium hic per Christum, quae et in fine mundi per Christum ad deum colligetur.

Adoravit Israel dominum, conversus ad lectuli caput. Hebraei sic habent: Adoravit Israel ad caput lecti. Si omnino adorandi verbum placet, intelligimus completo sermone Iacobum deum adorasse ad lectuli caput, collaudasse, gratias egisse. Videtur tamen שחה, schahah, non adorationem hic, sed incurvationem et inchoationem significare. Postquam complesset sermonem cum Iosepho, fessus inclinavit rursus ad caput lecti. Senex et decrepitus pater, longa iam oratione fessus, et morbo degravatus, inclinavit emortuum corpus ad caput lectuli, requiem capturus.

CAPUT XLVIII.

Et dixit Iaacob ad Ioseph, Deus Schadai apparuit mihi in Lus. Lus vocabatur, quae postea Bethel. Oratio ipsius Iacobi est in genere deliberativo. Primum ergo narrat quomodo apparuerit ei Deus, promissa Dei recenset, et fere totam summam testamenti refricat, idque in eum usum facit, ut Ioseph intelligat non esse vanum, quod pater consultat, scilicet quod utraque tribus Manasse et Ephraim sit

propria tribus: haec enim esse in sua potestate; unde hoc non temere faciat, sed iussus a Deo, ut multiplicetur gens et populus Iudaeorum. Et hic legat testamentum Iacob, iam iam moriturus.

Benedixit mihi. Id est amice me compellavit, magnifica pollicitus est et praestitit ea.

Et ponam te in Ecclesiam populorum. Id est, in concionem et multitudinem populorum. Patres enim sunt et exempla fidei, Abraham, Isaac, Iacob.

Duo igitur filii tui, qui tibi nati sunt in terra Aegypti, antequam ego in hanc terram venirem ad te, mei erunt, Ephraim scilicet et Manasse, sicut Ruben et Simeon mihi sint. Haec in gloriam Iosephi dicuntur, qui solus prae ceteris fratribus duae tribus factus est, cum ceteri fratres tantum una tribus fueruut. Ephraim unam tribum faciet, et Manasse unam: erunt ergo ex Iosepho duae tribus, cum ceteri fratres singuli singulas faciunt tribus. Quod si alicubi in scripturis reperimus tribum Iosephi, intelligimus tribum Manasse et tribum Ephraim (nam Ioseph per se nullam tribum facit), maxime tamen Ephraim.

Reliqui autem quos genueris post eos, tui erunt, et nomine fratrum suorum adpellabuntur in haereditatibus suis. Superius dixit: Duo isti filii mei erunt, id est sic erunt, ac si de me essent nati, aequabunturque iis qui de me nati sunt. Ceteri vero si tibi nascentur, appellabuntur nomine fratrum suorum, id est non habebunt peculiares tribus, sed ad nomina Ephraimi et Manasses recensebuntur; sive sit haereditate aliquid accipiendum, sive aliquid aliud faciendum, semper sub nominibus Ephraim et Manasse censebuntur.

Mihi enim quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rahel etc. Obiter recenset ei, ubinam sepulta sit mater eius, ne ignoret Ioseph sepulchrum matris suae, et sciat ubi natus sit, quod sit genitale solum: minor enim fuerat Ioseph, quam ut haec sciret.

Et osculatus est eos, et amplexatus. Docet historia vitam piorum nihil esse quam tentationem et adflictionem. Ideo autem eorum vita tam exacte describitur, ut discamus patientes esse, et ad futura suspirare; ut sciamus nos esse peregrinos, et hoc unum curare ut ad requiem et sinum Abrahae colligamur. Multa passus in patria sua erat Iacob; iam incola est in terra aliena, et cum ibidem vixisset septuaginta annos, adpropinquant tamen dies mortis eius. Vita ergo hominis cursus est ad mortem. Hoc unum solatur decrepitum et iam morientem, quod nepotes suos videt, osculatur et amplexatur. Ubi notandum adfectus quosdam esse, qui si metu dei et fide temperentur, minime mali sunt; quos Graeci ἤθη vocant, ut est amor parentum in liberos, rursus liberorum in parentes. Hos videmus Deum non exemisse etiam sanctissimis viris, qui quantumvis sint carnei et corporales, iis tamen cum verecundia, metu dei, sanctissime et modestissime usi sunt. Atque huiusmodi nobis scribuntur et recensentur in sacratissimis historiis, ut et nos illis utamur, quemadmodum isti usi sunt; utque, dum tales adfectus in nobis ipsis sentimus et experimur, discamus aliis quoque credere, commisereri et opem ferre, qui adflicti et calamitosi sunt.

Sunt enim qui aut liberos immodice amant, eorumque gratia nihil non faciunt ac patiuntur, per fas et nefas corradentes, ut ingentem haereditatem eis relinquant; aut desertis liberis et uxoribus omnibusque, quorum curam gerere debebant, circumeunt nihil operantes, sed curiose domus percurrentes Ambo illi peccant, a rectoque declinant, isti ad dexteram, illi ad sinistram. Pessimi vero sunt, qui omnem humanum sensum exuerunt, crudeliores et ferociores feris facti, qui cives, rempublicam, patriam, liberos denique pro pecunia vendunt ac produnt, nihil quam humanum sanguinem sitientes. Sic ergo moderandi sunt adfectus, ut neque magis aequo eis indulgeamus, neque eos penitus abiiciamus, sed in eis aliorum necessitatem et miseriam discamus sentire.

Non sum fraudatus aspectu tuo. Hebraeus sic legit: *Faciem tuam* ut viderem non putabam, et ecce ostendit mihi Deus semen quoque tuum. Non putabam, non iudicabam, non existimabam, non sperabam, לא פללתי, lo pilalthi. Elegans est antithesis. Non solum te videre contigit, sed liberos quoque tuos, id quod nunquam sperassem.

Educabat autem Ioseph eos a genubus suis vel eius. Potest enim Vof relativum Hebraicum, tam patrem, quam Iosephum referre. Latinus sic intellexit, ut Ioseph Ephraimum et Manassen liberos suos, quos pater in gremio suo habuerat super lecto, et osculatus fuerat, ad sese iterum receperit. Et is plane videtur esse sensus. Alii putant Iosephum puerulos habuisse inter genua sua, iamque eos eduxisse ut patri propius admoveret. Solent enim pueri genubus patrum cohaerescere.

Commutans manum. שכל est Hebraeis, hoc est prudens, sciens et de industria fecit, quod scilicet dexteram super iuniorem et sinistram super primogenitum poneret: nam nisi hoc diceret Moses, errore caecutientis videri alicui posset contigisse.

Et benedixit Ioseph. Bona precatus est Ioseph, id est, filiis Iosephi: nam liberorum benedictio etiam est patris. Ambobus benedicit, sed non ambobus dat benedictionem primogenitorum.

Deus in cuius conspectu ambulaverunt patres mei. Ambulare coram Deo, vel in conspectu Dei, est velle placere ei, innocenter vivere, ad nutum Dei vivere. Ut satis supra de Hanocho et Abrahamo dictum est. Et hoc solum petit Deus a nobis. Sicut pater corporalis nihil petit a liberis suis, nisi ut probe et honeste vivant: sic Deus nihil a nobis, quam honestam et integram vitam exquirit.

Angelus protegens. Angeli quos mittit Deus custodiunt; sed non debet hoc eis, sed Deo adscribi, a quo mittuntur: ipse enim servat ac protegit. Quod vero ipsos mittit, fit propter nos. Alloeosis ergo est *angelus protegens* pro Deo, qui per angelum protegit.

Et vocetur nomen meum in eis. Superius dixerat, duos istos filios Iosephi suos esse futuros; hoc modo refricat: Israelis filii vocabuntur, non filii Iosephi. Magnum autem erat ex tribu Israel esse, et nominibus patrum nominari. Nam hoc testamentum et promissionem Dei respicit. Qui ex Iuda nati erant, vocabantur filii Iuda: qui ex Levi, filii Levi. Sic de ceteris intellige. Manasses autem et Ephraim filii non Iosephi, sed Israelis sunt vocati. Et hoc non ad elevationem, sed ad magnificentiam Iosephi pertinet.

Novi fili mi, novi. Commutationem manuum et primogenitorum putat Ioseph ignoratione factam esse; quare iniquum esse putat admonetque patrem, ut dexteram super primogeniti caput ponat. Erat enim Ioseph vir iustus, nunquam passurus, ut ex liberis eius duae fierent tribus, ceterisque fratribus in hereditate capienda aequarentur, nisi pater eum fortissimis et evidentissimis argumentis persuasisset. Dixerat enim, ut antea dictum est, Iacob: Non temere hoc fit, fili mi! Deus promisit mihi hanc terram: quare in mea situm est potestate, ut dem eam cui libuerit. Neque putes errore factum, ut Ephraimum Manassi praetulerim: novi, mi fili, Manassen primogenitum esse. Sic autem visum est, ut iunior maior sit eo, cuius semen in magnam gentem crescet. Nam post Iudae tribum fortissima et excellentissima fuit tribus Ephraim. Ubi notandum quod עם, am, plerumque populum Iudaicum, גוי, goy, Gentes significat; verum tamen confunduntur nonnunquam, ut alterum pro altero ponatur, ut hic manifestum fit: nam hic, goy, ponitur pro populo Iudaico.

Vocatio Gentium et repudiatio Iudaeorum hic figuratur, ut antea in Esavo et Iacobo quoque factum fuerat.

Deinde manuum cancelli Christi crucem adumbrant: nam Christo crucifixo primum occurrunt Gentes et amplectuntur quem reiiciunt Iudaei, eruntque novissimi primi et primi novissimi.

In te benedicetur Israel. Hebraei legunt: In te benedicet Israel. יברך, iebarech; quasi diceret: Dum populus Israel aliquem volet benedicere aut ei bona precari, dicet: Faciat tibi dominus sicut Ephraimo et Manassi; vel: Ponat te Deus sicut Ephraimum. Gott thüge dir, berate dich, vile[1] dich wie den Ephraim!

Dabo tibi partem seorsim ultra fratres tuos, quam accepi de manu Amorrhaei in gladio meo et arcu meo. שכם, schechem, humerum etiam significat; quasi diceret: Praecipuum tibi quiddam extra sortem aliorum dabo. Seu ut Sichem pro loco exponatur: Dabo tibi Sichem quam tuli etc. Quomodo dicit se eam cepisse, quum filii hoc fecerant? Simeon enim et Levi hoc facinus patrarunt. Tametsi hoc factum primum patri displicuit, quum tamen deinde vidit providentia Dei hoc esse factum et Deo minime displicere: sibi adscribit quod fecerant filii. Nota est historia ex capite 34. Iure belli Sichem Iacob obtinuerat, lacessitus a Sichemitis iniuria, quod praeter fas et pactum amicitiae Sichem violasset eum et stuprasset filiam. Facit hic locus ad intelligendum dictum Ioannis IV. 5, 12.

CAPUT XLIX.

Vocavit Iacob filios suos, et ait, Congregamini, ut annunciem quae ventura sunt vobis in posterioribus aut futuris temporibus. Solent Hebraei obscuris verbis quaedam praedicere, quae tandem vix intelligimus, quum ob oculos versantur. Sic Christus Matthaei 24, sic Paulus 1. Timothei 4. Facit autem Iacob, quemadmodum faceret

[1]) Vielen, mehren.

aliquis paterfamilias, qui mores filiorum et familiae perspectissimos habet. Is praedicit filiis suis, quae ipsi minime, donec fiant, intelligunt aut credunt. Videt illum esse Veneri deditum, hunc aleae, istum crapulae. Iam facile prudens pater stolidae iuventuti futura praedicere potest: ei qui crapulae et vino indulget, facile praedicet podagram, chiragram, vertiginem etc. Sic facit Iacob vir divino spiritu praeditus: ex moribus singulorum singulis pro sua indole et ingenio futura praenunciat.

Ruben primogenitus meus tu, robur meum et principium doloris mei. Habent et Hebraei suam poesim, quae non minus elegans est, et figurarum varietate respersa, quam sit Homerica aut Pindarica. Quandoquidem autem in omni lingua carminis ratio multo difficillima est, nobisque carminis Hebraici prorsus incognita, divinando magis quam explicando propheticum hoc carmen tractavimus. Tu Ruben primogenitus meus es; debebas ergo robur meum esse: sufficiuntur enim primogeniti in curam parentum, inque partem laboris adsumuntur. Nunc factus es mihi principium, caput doloris mei: ex quo summum gaudium concipere debui, summum dolorem concipere compellor. און, on, Septuaginta intellexerunt pro partus dolore: dicunt enim principium liberorum meorum, id est primus. Hebraei per robur etiam primum et radicem sobolis totius intelligere possunt.

Superior portatu, et superior robore. Hebraei intelligunt יתר, iaether, pro praecipuo. Praecipuus debebas esse in ferendo seu adimendo laborem patris. יתר, iathar, significat superesse, quae vox duo significat Latinis et *superiorem* esse et *reliquum.* Graeci ergo reliquum pro inutili intellexerunt, pro duro et praefracto, qui solus sua consilia sequeretur; quasi dicerent: Ad nihilum vales, vix ferri potes.

Effusio quasi aquae, non fies reliquus. Graeci metaphoram respexerunt et ad iniuriam alludunt. Quemadmodum solent aquae iniuriam facere, dum ruptis aggeribus erumpunt: sic tu fortitudine tua et robore abusus es. Hebraei ad inconstantiam animi videntur respicere; ut Latine dicimus: Effusus risus, dissolutus homo. Quasi diceret: Tu Ruben fortis debuisti esse (nam praecipuus es fortitudine), sed effluxisti et evagatus es inconstantia, ideo non fies reliquus; id est non custodieris, ut solent aquae diffluentes, aut non proficies ad honores. In contemtum haec dicuntur et incontinentiae ipsius Rubenis maxime quadrat, eo quod libidine diffluxerat.

Quia ascendisti cubile patris tui, eo quod, vel quum (אז) *polluisti stratum meum ascensione vel ascendendo.* Causam subnectit cur non custodiatur: polluit enim paternum stratum tum cum ascendit; de quo crimine superius in capite 35.

Schimeon et Levi fratres, arma rapinae excidionibus suis. Qui Hebraicam vocem מכרותהם, mecherothehem, a radice מכרה derivant, exponunt: in habitationibus suis seu armis suis. Nos dictionem hanc a כרת, charath, deduci putamus, quod et LXX videntes, relictis verbis, sermonem metaphoricum in ἰσχνὸν, hoc est, simplicem et planum transtulerunt. Dicunt enim: Perfecerunt iniuriam sublationibus suis; in hoc scilicet, quod civitatem et Sichimitas exciderunt, sustulerunt.

In secretum eorum non ingredietur anima mea. Secretum pro consilio et consilium pro coetu aut communione capitur. Item anima pro voluntate; quasi diceret: Mens mea abhorret ab eorum coetu. Non est mihi voluntas in eis, nihil est mihi commune cum eis.

Ecclesiae eorum non uniatur gloria mea. Antonomasia est, ut robur Herculis pro Hercule ipso; quasi diceret: Ego non intrabo in eorum coetum. In idem redit cum superioribus. Vel *gloriae meae*, id est mihi, non complacet in illorum coetu. Et hoc videtur magis quadrare, id est: non delector illorum contubernio. Nam quod eos omnino excluserit, non est verisimile. Septuaginta legunt: Iecur meum, id est voluntas mea non nitatur eorum congregationi! vel: Voluntas mea non est, ut contendam cum eis; ut supra capite 6. Legerunt autem יחר, iibar, pro יחד, iahad, כבד, cabed, pro כבוד, cabod.

Quoniam in ira sua occiderunt virum, et in libidine sua subnervaverunt taurum. Maledicta ira eorum, quoniam praefracta; et simultas eorum, quia dura. Occiderunt *virum*. LXX transtulerunt homines, intelligentes nimirum Sichimitas. Hebraicus sermo fere sonat, quasi Levi et Schimeon aliquando occiderint virum, deinde rem inutilem et vanam fecerint subnervando taurum; quae res indicio fuit patri, quod futuri essent mali. Facit huc Amphictyonum exemplum, quo puerum necari praeceperunt, qui perdicum oculos effoderat. Dicit ergo: Occidistis virum, caedis estis cupidi. Deinde rem audacem et vanam fecistis; nihil igitur mihi vobiscum commune. Ego dudum sensi audaciam vestram, intractabilem animum, violentiam. Quid enim, quod aliquando occidistis virum? quid quod rem tam vanam perpetrastis, ut subnervaretis taurum, animal quod hominum usui prodesse poterat? Possunt et haec de Iosepho, quae de viro dicuntur, intelligi, qui taurus fuit quo proscissa et arata est tellus Aegypti. In quo haud obscurum fit, duos illos maxime institisse ut interficeretur Ioseph. Nam Ruben et Iudas conabantur eum e manibus eorum liberare, post quos isti duo erant praecipui. In mysterio per taurum Christum intellige, quem sacerdotes Iudaeorum ex tribu Levi occiderunt.

Dividam eos in Iacob, et dispergam eos in Israel. Fuit sors filiorum Simeon in medio tribus Iuda, ut est in capite 19. Iosuae. Levitae nihil possederunt, sed sors eorum dispersa fuit in hereditate aliarum tribuum.

Iuda tu, laudabunt te fratres tui. Haec benedictio vehementer obscura est; tamen per Christum illustrata facile intelligitur. Laudabunt te fratres tui. Tu eris laus et gloria fratrum tuorum. Tu ille es, ex quo laudem et gloriam omnes fratres consequentur: nam a Iuda omnes Iudaei sunt adpellati.

Manus tua in cervice inimicorum tuorum. Continua bella geres cum hostibus, sed tu victor evades.

Incurvabuntur tibi filii patris tui. Ad ius primogenitorum hoc pertinet. Est autem pulchra antithesis. Quod ad inimicos tuos attinet, semper cum eis manum conferes: Du wirst jnen die hand alwegen im haar haben; sed superior et victor eris. Quod ad fratres tuos, eris omnium aliorum dominus. Hostibus superior, fratribus maior eris.

Catulus leonis Iuda, de praeda fili mi ascendisti, accubuit, iacuit ut Leo, et ut Leaena, quis excitabit eum? Puto גור, gur, pro peregrino poni; quasi diceret: Tu Iuda leo es circumiens. Pulchra est metaphora; comparat autem Iudam fortissimo animali. Nam haec tribus semper fuit superior, constantissima et fortissima, ut nulla alia tribus ausa fuerit eam irritare aut excitare. Nam tametsi et ipsa tribus Iuda aliquando ob peccatum concidit: tamen non fuit derelicta sicut ceterae tribus; duravit etiam diutius antequam aboleretur. De magnanimitate et fortitudine illius herois Caleb, qui fuit ex tribu Iuda, lege Iosuae 14. et 15.

Non auferetur sceptrum a Iuda, nec dux de exercitu eius, donec veniat felix eius, et ipsum expectabunt populi. חוקק Hokek pro duce, et רגלי Ragle pro exercitu pedestri poni puto, כי pro donec. שלה, schala, significat: Felicitatus est, prosperatus, abundavit. Intelligunt autem etiam Chaldaei Messiam pro Schilo et salvatorem, qui salutem et prosperitatem attulit populo Israelitico. Haec prophetia maxime Christum respicit, Salvatorem et Messiam totius mundi. Dum enim is nasceretur, sceptrum a Iudaeis ablatum erat.

Expectabunt eum populi. עמים autem et גוים, licet hoc pro Gentibus, illud pro Iudaeis frequentius ponitur, tamen promiscue aliquando reperies eis usos fuisse scriptores. Unde et hoc loco incertum est, an populorum nomine tantum Iudaeos intelligat. Nam et Gentes expectabant non mente, sed penuria eius qui mittendus erat. Unde et aliqui legunt: Ipse erit expectatio populorum, qui expectationem pro re expectata et pro consolatione accipiunt. Septuaginta legerunt שלח pro שלה: donec veniant promissa ei. Intellexerunt autem, ut opinor, de Christo: nam ille erat Iudae promissus.

Ligans ad vitem pullum suum, et ad Sorek filius meus asinam suam. Iam sortem et habitationem Iuda describit: admiscentur enim in benedictionibus temporalia quoque; quasi diceret: Filius meus Iuda habitabit in regione ubere et fertilissima, ubi erit omnium rerum adfluentia, vini et frumentorum copia; tum et prospera et pacata erunt omnia, habitabit securus et absque timore. Omnia sunt tropica. Sorek species vitis est electissima.

Lavit in vino vestimentum suum, et in sanguine uvarum pallium suum. Perstat in metaphora: Tanta erit copia vini, ut vel vestem suam lavare posset sanguine, id est rubore uvarum. Est autem hyperbola, quum dicit: In vino lavabit (nam praeterita pro futuris apud Hebraeos maxime in prophetiis ponuntur) vestem suam; prosopopoeia vero aut metalepsis, quum dicit: in sanguine uvae.

Rubicundiores oculi eius vino, et candidum dentium super lac. Hic notandum, quod tametsi quaedam sunt in benedictionibus corporalia, vix tamen intelligi possunt, nisi spiritualiter exponantur. Simplex sensus est: omnia laeta erunt, laeta facies rerum omnium (nam per oculos nimirum faciem et statum intelligit); pulchra, laeta, prospera, fortia erunt ei omnia. At quandoquidem quae de Iuda dicuntur, in typo de Christo, qui ex tribu Iuda natus est, dicta esse fides docet:

videamus ab initio, quemadmodum Iacobi vaticinium in Christo clarissime sit expressum. Christus primogenitus est ex multis fratribus, cui soli omnis honor et gloria debetur, cui curvabitur omne genu. Is cum praeda et captivitate, morte et hostibus devictis, ascendens, velut leo accubans, quem nemo ausus fuit excitare, nisi ipse se ipsum. Ad cuius adventum (nam ipse est Schilo, Messiah et salvator) regnum Iudaeis ademtum est. Non solum autem Iudaeorum regnum desiit, sed per Christum diaboli, qui princeps huius mundi est, regnum vastatum et perditum est, et regnum dei coeptum praedicari in universo orbe. Vinea ecclesia est credentium. Porro quae in Christum etiam in membra eius competunt. Per splendorem ergo oculorum aciem et lucem fidei intellige. Nam dum ceteri tribus ad Hieroboamum deficerent, tribus Iuda mansit in Hierusalem, in cultu veri dei. Deinde Christus lux est et splendor paternae claritatis. Item per oculos Christi misericordia et gratia possunt intelligi. Candor dentium divinarum literarum castam ruminationem significat. Nam hae pure tractari a nobis debent, haudquaquam ex adfectibus: nam hi impuri et pessimi sunt consultores. Ex sacris ergo literis adfectibus imperandum, non patrocinium quaerendum est. Ruborem vestium propheta Esaias ad Christum refert.

Sabulon ad stationem aquarum habitabit, et ipse ad stationem navium, et regio eius, vel terminus usque ad Zidon. Sors Sabulon ad Zidonen portendit; quare in novis tabulis videntur tribus Sabulon et Nephtalim esse transpositae. Sed nihil hic definio. Per stationem navium intelligit, quale apud Athenienses fuit Piraeus, portus et promontorium.

Isaschar asinus osseus, accubans inter extremitates: Et vidit habitationem quod bona, et terram quia pulchra, et inclinavit humerum suum ad portandum, laborans pro foenore terrae. Isaschar inter Sabulon, Nephtalim, Aser, Ephraim, habitat ad stagnum Genesareth, in pingui et ubere terra: nam שפות, schaphoth, quod extremitates vertit Latinus quidam, *pinguibus* reddunt; Graeci *ἀνὰ μέσων τῶν κλήρων*, id est inter medias sortes. Requies autem מנוחה, menuha, pro habitatione, mansione exponimus. Videtur autem esse antithesis in Sabulon et Isaschar; quasi diceret: Zabulon quoniam in portu maris habitat mercibus studet. At Isaschar agriculturae magis intendit, ut qui in extremitatibus, id est, in mediastina atque recessiore agro incoleret. Proinde cum terram bonam et fertilem esset nactus: laboravit et coluit eam, ut terra redderet foenus suum; nisi haec tribus aliis facta sit aliquando tributaria, quod factum esse non meminimus.

Dan iudicabit vel vindicabit populum suum, sicut una tribuum Israël. Consolatio est: nam Dan Balae ancillae erat filius. Ne ergo aliis tribubus minor et inferior videretur, dicit pater eum futurum iudicem et vindicem, sicut sunt aliae tribus. Sicut una tribus, Hebraismus est. Germanice dicimus: Als ein anderer stamm. *Unam* mutamus in *aliam*. Capitur autem verbum *iudicandi* pro praeessendi. Allusum est autem ad nomen דין. *Don* enim iudicavit, vindicavit, praefuit, significat.

Et erit Dan coluber super viam, cerastes super semitam,

mordens calcaneos equi, et cadet ascensor eius retrorsum. Inter Palaestinos habitabant Danitae; prudentes ergo eos esse oportuit sicut serpentes, et vigilare in insidiis: saepe enim cum Palaestinis congressi sunt. In Samsone, qui fuit ex tribu Dan, hoc vaticinium maxime completur.

Salutem tuam expectavi, Domine. Videtur hic versus intercalaris esse, ad supplendum carmen appositus.

Gad, Cunei cuneabunt eum, et ipse cuneabit plantam. Ludit hic in amphibologia nominis גד: nam Gad significat fortunatum. Quasi diceret: Quantumvis fortunatus sit Gad, tamen cuneus hostium, furum, latronum, militum circumdabit eum; nihilominus ipse caedet calcem eorum, vertet eos in fugam. Nam qui fugiunt in calcem caeduntur. Incursores infestabunt eum; ipse vero apprehendet, caedet calcaneum eorum.

De Aser pinquedo panis eius, et ipse dabit delicias regibus. Pinguis panis ubertatem terrae significat. Quasi diceret: Tam felix erit regio Aser, ut etiam reges hinc sint frumentaturi.

Nephtali cervus emissus, faciens dare verba pulchritudinis. Cervus emissus videtur esse metalepsis, ut missus ponatur pro celeri: habent enim quae mittuntur cum velocibus quandam vicinitatem. Nam quae mittuntur velocia esse oportet; et quae velocia sunt, facile mittuntur. Quidam prophetiam ad Christum trahunt, qui a patre emissus verba coelestia docuit in Capernaum, quae est in tribu Nephtali maxime, iuxta tabulas antiquas.

Filius crescens Ioseph, filius crescens super oculum. Filius auctus, crescens Ioseph: nam ab auctione nomen habet. *Super oculum.* Per oculum aspectum et speciem intelligit. Ioseph pulcher aspectu, cuius gratia videndo crescit. *Filius* species est periphraseos pro homine aut viro, Hebraeorum et Graecorum more. Ὑιοὶ ἀχαιῶν, et בני עמון. Hic autem filius aut homo Ioseph, quanto magis videtur, tanto iudicatur formosior ac dignior.

Filiarum incessus super murum. Synecdocha mihi esse videtur, ubi minor et infirmior pars totum populum significat, ut in Zacharia: Dicite filiae Zion: Ecce rex etc. id est toti populo Israëlitico. Quasi diceret: In tribu Ephraim erit magna multitudo populi.

Et amaricabunt eum, contendent, et odio habebunt eum magistri sagittarum. Multa intentabuntur ei. Alludit autem ad ea quae Ioseph passus est. Quasi diceret: Quemadmodum tu fili Ioseph multa passus es, ita et Ephraim et Manasse multa patientur. Intendent eis insidias arcuum magistri. Nam studium sagittandi viguit in tribu Ephraimi (ut est in Psalmo: Filii Ephraim intendentes arcum), ita ut etiam ad aemulationem ceteros baleares provocarent: nam figulus figulum odio habet.

Sed sedit vel manet in fortitudine arcus sui, et fortificata sunt brachia manuum suarum. Quasi diceret: Quantumvis in eum saevient sagittarii, Ephraimo tamen manus fortes erunt et superiores.

Fortitudines fortes Iacob. Hoc est fortitudo Iosephi seu Ephraimi est de forti Iacobi, id est de illo forti, qui Iacobum fortificavit.

Illinc pastor lapis, lapis Israel. Lapidem offensionis intelligo Ieroboamum, qui fecit duos vitulos in offensionem Israeli. *Pastor* autem pro rege ponitur.

Benedictionibus coeli desuper, benedictionibus abyssi. Paucissimis verbis plurima comprehendit, per *abyssum* totam terrae molem et quidquid sub nobis est intelligens; per coelum quidquid superne venit, ut sunt solis ac lunae favor, pluviae, ros etc.

Benedictionibus uberum et vulvae Quasi diceret: Fertiles erunt pecudes et iumenta tua, feliciterque lactabunt. Est enim nonnulla infelicitas animalia non esse fecunda; deinde si fecunda sunt, si non possint lac praebere natis.

Collium aeternorum. Tantus erit cumulus desiderabilium, ut superent eorum colles aeternos. Colles aeterni stabiles sunt, non facile decidunt. Videntur Hebraei collibus suo quodam idiomate aeternitatem tribuere; fertilis autem fuit mons Ephraimi.

Fiant in caput Ioseph, et super verticem Nasarei fratrum suorum. Hae omnes benedictiones erunt in caput Iosephi et in caput separati. Per *separatum* autem intelligit Iosephum, qui aliquando a fratribus separatus, venditus fuit in Aegyptum.

Beniamin lupus rapax. Iudam leoni, Beniaminum lupo comparat. Nihil autem dicit, quam omnem sufficientiam habebit Beniamin et mane et vespere.

Omnes hae tribus Israel. Epilogus est.

Ego apponar vel congregabor ad populum meum. Ad populum seu ad patres colligi consolatione plenum est. Mori nonnihil doloris habet. Quemadmodum anima mea ad sinum patrum colligitur, ita et corpus meum ad patres sepelite!

In spelunca agri duplicis. Hic clare habemus agrum fuisse duplicem vocatum, non speluncam.

CAPUT L.

Ruit super faciem patris. Adfectus carnales hic exprimuntur.

Praecepit Ioseph medicis, ut condirent corpus. Per medicos hic eos intelligit, qui curandis funeribus praeerant. Qui mos apud Iudaeos solennis erat, ut corpora aromatibus condirent ac a putrefactione praeservarent.

Si inveni gratiam in oculis vestris, loquimini in auribus Pharaonis. Tametsi a rege secundus erat Ioseph, nihil tamen sibi arrogat neque insolescit, sed intercessores mittit ad Pharaonem; quae est verecundia honesti animi, quae nihil temere, nihil audacter et praefracte agit. Potuisset suapte potestate ire, rege non convento. At quandoquidem in funere patris fuit, noluit ad regem intrare ne funestus eum offenderet.

Tota domus Ioseph. Synecdocha est.

Et facta est turba non modica. Hebraeus: Fuit, vel fuerunt castra magna valde. Castra pro exercitu, et exercitum pro turba ponit: nam non proficiscebantur in bellum cuius proprie est exercitus.

Quumque habitator terrae Chananaeus vidisset planctum. Genus pro numero poni frequens est Hebraeis.

Et sepelierunt eum in spelunca duplici. Hebraeus legit in spelunca agri duplicis, ut superius quoque in capite XXIII. indicavimus.

Ne memor sit iniuriae. Hebraei: Ne odio nos prosequatur Ioseph. Septuaginta μήποτε μνησικακήσῃ, ne iniuriae ita sit memor, ut aliquando expostulet, exprobret et rependat. Das ers uns nit zu argem gedenck und ufrupfe.

Reddat nobis omne malum quod fecimus ei. Ubi Latinus dicit; Fecimus, Hebraeus habet גמלנו, gamalnu. Ubi notandum quod גמל non solum significat retribuere aut rependere, sed etiam dare, quum nullus prior dederit, quod in Psalmis saepe deprehenditur. Psal. 115. „Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit (dicere debuit: dedit) mihi.“ Deus enim non retribuit, sed tribuit. Nam quis prior dedit illi et retribuetur ei? Rom. 11. Fratres enim Iosepho primum iniuriam intulerant, non rependerant.

Mandaverunt ei. Verbum צוה, ziva, non solum praecipere, sed et mandare aut significare significat, ut hic clare patet. Neque enim fratres ipsi Iosepho praecipiebant, sed per alios ei significabant. Dicuntur autem ipsi facere, quod per alios faciunt. Mandarunt, nunciarunt, significarunt.

Pater tuus praecepit. Idem est verbum צוה, de quo paulo ante diximus. Mandavit pater tuus, commisit, ut sic diceremus tibi. Videtur esse praetextus.

Obliviscaris quaeso sceleris fratrum tuorum. Hebraice: Fer quaeso praevaricationem fratrum tuorum etc. Is ferre dicitur iniuriam, qui patiens est nec rependit.

Nunc igitur fer quaeso scelus servorum dei patris tui. Emphasin habet hic sermo et vehementem obtestationem. Per religionem enim et numen divinum fratrem obtestantur. Quasi diceret: Si non remittis culpam ob id quod fratres sumus, deum tamen honora, qui fuit patris tui deus.

Et flevit Ioseph dum loquerentur cum eo. Non erant praesentes fratres, sed per unum aliquem loquebantur cum eo. Alloeosis ergo est personarum. Vide quam facilis sit Ioseph ad remittendas iniurias, quae sibi fuerant a fratribus illatae. Neque tamen hinc discere debent magistratus ut scelera non puniant. Dum iniuria tua est, facile remittere debes; non sic, dum publica. Ioseph ergo privati cuiusque personam gerit, Iacob iusti iudicis: ille remittit, hic filiorum, Schimeonis Levis et Rubeni, in finem usque non remittit, quod eorum peccatum grave erat. Inter benignitatem ergo et crudelitatem ad medium iustitiae pergendum est. Nam neminem punire tam est adfectus quam omnes velle occidere. Nihil ergo ex adfectibus, sed ex iustitiae et aequitatis amore faciet iudex.

Servi tui erimus. Ut vitae necisque in nos potestatem habeas.

Ne timeatis! Num ego sub deo sum? Varie hunc locum exponunt: Num quidquam possum ego contra deum? seu: Num pro deo ego sum? Nonne loco dei sum? quasi diceret: Deus paravit me ut sim

vobis pro deo. Capitur autem deus pro auxiliatore, adiutore. Nec arroganter loquitur hoc Ioseph: omnia enim deo tribuit. Nam status orationis huc tendit, ut Ioseph sit eis a Deo positus liberator.

Vos cogitastis super me malum, deus vertit hoc ad bonum. Tametsi deus nostris malis pro sua bonitate ad bonum abutatur: non tamen culpa carent qui peccant, et poena digni sunt.

Ut salvaret populum multum. Id est, multitudinem populorum vel multos populos.

Consolatus est eos, et loquutus est eis in cor eorum. Persuasit, securos fecit, ne metuerent. Er hat troſtlich mit jnen geredt. Tam fideliter, tam amanter loquutus est cum eis, ut reficerentur et erigerentur corda eorum.

FARRAGO ANNOTATIONUM IN EXODUM EX ORE HULD. ZUINGLII EXCEPTARUM PER LEONEM IUDAE ET CASPAREM MEGANDRUM.

LEO IUDAE ET CASPAR MEGANDER EVANGELII APUD TIGURUM MINISTRI LECTORI GRATIAM ET PACEM.

Damus et hanc, ut promisimus, optime lector, si usui futurum tibi sentiremus *καταςρώσεως* particulam, quam et hoc propensius damus, quo te videmus impensius delectari simplicitatis studio, quod apud nos docti maxime suadere nobis videntur. Quisnam tandem erit modus allegoriarum, aut quae scripturae auctoritas, si cuivis liceat quodvis fingere? Scimus eas nonnunquam veluti condimenta posse adhiberi; at ea lege, ne quod principalis cibus et res est obliteretur. Sunt enim multi qui, nisi allegorice omnia intelligant, intellexisse sibi nihil videantur; quum vobis id unice sit atque inter prima expediendum, ut linguarum peritia atque illarum ipsarum tropis, figuris, schematismis, idiotismis naturalem sensum ornemus; secundo loco exemplum sic pectoribus inseramus, ut simile quiddam in nobis aut pampinet aut prematur. Postremo et haec negligenda minime ducimus, quae in hunc usum vel dicta sunt vel facta, ut quae Christus postmodum aliquando gesturus erat adumbrarent. Tropologiae, allegoriae, anagogae, legem non habent, nisi ut modus cum analogia servetur. Sensum ergo, exemplum et significationem quum Zuinglius apud nos cum aliis veluti scopum scripturae spectet, quorum index est simplex literae expositio, non piget nos ista in Exodum, quae ex enarrantium faucibus eripuimus, promulgare: hactenus enim nihil rogatum volumus. Ultra vigesimum vero quartum caput non processimus, quod paucis exceptis reliqua ferme ceremonialia sunt. Tu, bone lector, literas sacras perge simpliciter ac naturaliter intelligere, et in id quod recte intellexeris te ipsum transformare. Sic enim reliqua, quae illis in figura contigerunt, sive ut Christum praescriberent, sive nos docerent, felicius adsequeris. Det qui vere optimus maximus est, ut aliquis ex eorum numero, qui hodie sunt doctissimi et innocentissimi, suo ipsius stilo pro dignitate id agat, quod quale quamque utile futurum esset obscure nunc ac levi quod dicitur manu delineamus. Aut Zuinglium servet, aut Zuinglio aciem (non enim ambigimus, quicquid tandem aut ipsi aut aliis nostrorum dominus dedit) quum aliquando per occupationes licebit, extorsuros. Interea istis utere ac bene utere! Vale! Tiguri Calendis Septemb. MDXXVII.

CAPUT I.

Haec sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt etc. Pollicitationem Abrahamo et semini eius factam Genes. XV. scribit Moses; quo vero ordine, quaque virtute et magnificentia hanc praestiterit deus, praesenti libro prosequitur. Primum autem nomina eorum qui Aegyptum cum Iacobo ingressi sunt recenset, ad praeterita respiciens, ut commodius ad futuram historiam initium sumat; mox epilogum subjungens his verbis:

Ioseph autem erat in Aegypto. Postremo a Iosephi et fratrum suorum morte historiam inchoat. Nam hoc mortuo succrescentibusque populis dura quoque ac gravis servitus super eos ingravescebat, a qua potenti manu et excelso brachio educit eos deus. Elegans autem exemplum tum divinae providentiae atque opitulationis, tum temeritatis humanae, tum denique huius nostri seculi.

Singuli cum domibus suis. Hoc est cum familia sua. Synecdocha: nam verisimile est, Beniamino familiam nondum fuisse.

Omnique cognatione. Hebraica vox דור, dor, hic non cognationem, sed seculum videtur significare. Quasi diceret: mortuis iis omnibus qui eo seculo vixerant: nam hi omnes sic interierant, ut nemo superesset qui de hac re quicquam sciret.

Quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram. Latina Hebraici sermonis proprietatem non adsequuntur. Sunt enim Hebraica ut brevia, ita longe elegantissima. Ad verbum autem sic habent: Filii autem Israel creverunt ac supra modum aucti et multiplicati sunt, fortesque facti sunt valde valde, et impleta est eis terra. Graeci sic legunt καὶ χυδαῖοι ἐγένοντο et vilescebant; intellexerunt autem tot eorum fuisse, ut etiam ipsa multitudine vilescerent, quodque fastidio essent Aegyptiis.

Qui non novit Ioseph. לא ידע, lo iada, emphasin habet. Neque enim corpore nosse poterat rex Aegypti Iosephum, qui aliquot seculis antea obierat, sed oblitus beneficiorum, ingratus fuit. Quibus verbis, non solum ingratitudo malignitasque, sed et imprudentia ac stultitia regis taxatur. Regibus enim in primis necessaria est prudentia, qua non solum futura praevideant, sed etiam praeterita et retroacta diligentissime metiantur ac colligant. Quae autem maior ingratitudo, quam eam gentem, ex qua tanta salus Aegyptiis fuit, tam immaniter et crudeliter adfligere? At ita sumus omnes, ut operum beneficiorumque dei (quae est nostra malignitas) cito obliviscamur. Cavendum ergo nobis magnopere ab hac peste, ne unquam nobis excidere sinamus, quae vel ipse vel per homines deus nobis fecit.

Sapienter opprimamus eos. Hebraice sic נתחכמה לו, nithhachma lo, consilium capiemus, consultabimus de ipsis. Graeci dixerunt κατασοφισώμεθα αὐτοὺς callide vel astute circumveniamus eos. Germanicis verbis vim Hebraicae dictionis significantius exprimimus: Wir wöllend uns irenthalb beraaten, consilium de ipsis perdendis excogitabimus.

Ne egrediatur de terra. Recte Latinus: nam עלה, ala, vox

Hebraica, quae ascendere significat, hic eleganter pro excedere aut exire ponitur.

Praeposuit itaque eis magistros operum, ut adfligerent eos oneribus. Sic fere omnes hunc locum exponunt; at mihi Hebraica longe alium sensum habere videntur. Neque enim ad opus laboremque duntaxat praefecti eos agebant, sed insuper etiam tributa ab eis exegerunt. Nam huc regis consilium spectabat, ut neque numero neque divitiis augerentur; labore itaque ferendisque oneribus, ad haec solvendis tributis oppressi sunt filii Israel. Qui vero haec exigebant, vocari hic puto שרי מסים, sare missim. Illi vero aedificare coeperunt granaria aut munitiones quasdam: nam utrunque significat מסכנת, mischenoth.

Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant. Sensus probe est redditus, at longe vividior est apud Hebraeos: Quo magis eos adfligebant, hoc magis crescebant hocque magis erumpebant: hoc est dilatabantur numeroque augebantur. פרץ, paratz. Hic notandum est כאשר, quod significat secundum quod aut quemadmodum, pro quanto magis poni, et כן, *sic*, pro tanto magis. Ad verbum enim sic sonant Hebraica: Quemadmodum eos adfligebant, sic crescebant.

Oderantque (Aegyptii scilicet) *filios Israel.* Iuxta Hebraicam veritatem sic: Nauseaverunt a filiis Israelis Aegyptii, abominabantur, detestabantur. Quae enim odimus, et quae abominabamur, ab his nauseam capimus taedioque adficimur, et quasi ad vomitum provocamur. קוץ, kotz, enim Hebraica vox Germanicae affinis est.

Et adfligebant illudentes eis invidentes. Hebraeus dicit: Et servire fecerunt Aegyptii filios Israel in saevitia aut rigore, hoc est ad varia opera violenter trudebantur. Non in universum perdit filios Israel crudelis tyrannus, sed vires eorum minuit, corpora duriter premit, substantiam exhaurit atque ita eos adfligit, ut hiscere vix possint. Non dissimili ratione principes quidam hac nostra tempestate evangelium praedicari permittunt, ut ipsi pro sua libidine evangelium moderentur, ne dicam premant, non Evangelicae doctrinae colla subdant. At ipsis ignorantibus imo resistentibus ubique, deo sic operante, erumpit ac exundat (sic enim Christus Matth. XIII. de semine coelesti docet), ut parum absit quin audaces istos divini verbi violatores, quemadmodum Pharaonem mare, adobruat.

Quando obstetricabitis Hebraeas et partus tempus advenerit. Sententia probe est reddita a Latino interprete; at verba Hebraica magis propria sunt, quae non adsequitur. Quumque adestis in partu Hebraeis mulieribus, videritisque in procinctu esse foetum. Habent enim hic Hebraei עלאבנים, alabanim. Significat autem אבן, eben, lapidem aut pondus aut stateram. Sensus ergo est: Quum tempus partus advenerit, id est, dum in propinquo est, in propendendo scilicet, jm überwägen, ut fit in librando, utpote quum et puer exire et mulier parere cogitur.

Si masculus fuerit interficite eum, si foemina reservate. Hic clarum fit, quod et alias saepe diximus: verbum vivendi aut vivi-

ficandi Hebraeis in sacris literis saepe pro in vita servandi accipi, quod in Psalmis et in Evangeliis etiam in aliena lingua frequens est. Nam quod Latinus dicit: Reservate, Hebraeis est חיה, haia. Sic mox infra: Obstetrices non fecerunt iuxta praeceptum regis, sed conservabant mares. Item: Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis? Et rursus: Non sunt mulieres Hebraeae quemadmodum Aegyptiae: nam vivificarunt ipsae (ubi Latinus dicit: Ipsae enim obstetricandi habent scientiam), hoc est tulerunt pueros.

Aedificavit eis domos. Relativum *eis*, להם, lahem, apud Hebraeos masculinum est; quare non puto referendum esse ad obstetrices, tametsi alicubi etiam feminis reperitur attributum. Sensum hunc esse puto: Aedificavit eis domos, hoc est: quandoquidem obstetrices timuerunt deum, et non interfecerunt pueros, factum est timore obstetricum, ut ampliati sint Iudaei: nam domum pro familia accipi frequens est. Hac occasione factum est, ut multiplicati sint filii Israel vehementer, aedificavit eis domos, id est familias eorum multiplicavit: nam aedificandi verbo impense utuntur Hebraei pro multiplicandi aut servandi, Psalm. LI. Aedificabis muros Hierosolymae, id est, servabis.

EXEMPLA.

De tyrannide satis multa sunt. Quid crudelius? quid immanius excogitari potuit, quam infantes occidere? parvulos necare? innocentibus qui nondum lucem aspexerunt, vitam et lucem eripere? Horret natura talia vel cogitare. Et talia a quibus omnes abhorremus audet sceleratus rex, duntaxat propter rem cupiditatemque tyrannicam ac libidinem regnandi, attentare; et quae sint omnium oculis et aspectibus horrenda, et quae ipsum quoque facere pudet, manum femineam perficere cogit. Ubi duplex imminet periculum, primum parvulis, si parent obstetrices tam inhumano imperio; alterum obstetricibus si non parent. Perdit infantes per eas per quas servari solent. Tam audax est tyrannus, ut ceteros facere cogat cuius ipsum pudet, vultque bonus palam videri qui clam est pessimus. Ubi videmus tyrannidi adiunctam esse audaciam et hypocrisin: vult aliis culpam obtrudere, ne in se redundet. Similem crudelitatem in pueros Bethlehemiticos Herodes exercuit. At nostrorum tyrannorum furor omnes superiores crudelitate superat, qui non solum renascenti Christo impudenter et pertinaciter resistunt, sed verbi insuper praecones omnesque Christi atrociter insectantur ac occidunt. Recte masculos omnes occidi praecipiunt effeminati et evirati principes; at servabit eos deus vel invitis omnibus mundi tyrannis.

CAPUT II.

Egressus vir de domo Levi, et accepit uxorem stirpis suae. Hic iterum videmus iustos, quibus lex posita non est, multa servasse etiam ante legem, quae postea lege praecepta sunt: tale est quod matrimonia intra tribus contrahuntur, quae lex longe post lata est.

Abscondit eum tribus mensibus. Tametsi maior pars puerorum fuisset interemta: multi tamen servabantur, alius alia via. Quum ergo interemtos omnes audivimus, synecdochen intelligamus! Sic hodie multos

licet occidant principes tyranni, quotidie tamen ipsis saevientibus ac reluctantibus credentium numerus crescit.

Sumsit fiscellam scirpeam et linivit eam bitumine ac pice. Hoc est capacem eam fecit, ne aquam admitteret.

Gradiebantur super crepidinem alvei. Hebraice est עַל יַד הַיְאֹר, ad eam partem fluminis, in qua puer iacebat, gradiebantur puellae reginae.

Vocavit nomen eius Mosche, quod de aqua tulerat eum. Ab extrahendo *Mosche* dictus est: nam מָשָׁה, mascha, Hebraeis extrahere significat. Semper externis rebus aliquid praefigurat divina providentia. Ex aquis extrahitur, qui filios Israelis de aquis tribulationis erat liberaturus et per mare sicco pede educturus. Deinde Christi typum gerit Mosche, populi liberator: nam ex tribu erat sacerdotali; Christus sacerdos est et pontifex verus, qui semetipsum pro nobis obtulit, ut nos a tyrannide diaboli liberaret etc.

Postquam adolevisset Mosche egressus est ad fratres suos. De pueritia eius pauca scripsit; iam ad gesta transit quae in aula regia fecerit.

Vidit adflictionem eorum, et virum Aegyptium percutientem quendam de fratribus suis. Cumque circumspexisset huc atque illuc nullumque adesse vidisset, percussum Aegyptium abscondit in sabulo. Timor dei, amor iustitiae et proximi Moschen impellit, ut ab iniuria fratrem defendat. Nemo ergo hic adfectibus suis blandiatur, quod vir dei Mosche Aegyptium interfecerit, quum neque princeps neque iudex esset: nam singularia illa facta et coelestia non debent a nobis vitiari, sed cum timore recoli; et primi vehementesque motus nonnihil excusationis habent, etiam in humano iure. Nobis ad regulam et legem dei vivendum est, tametsi Stephanus Act. VII. Moschen excusat: vi enim et iniuria ad hoc factum adactus fuit. Praeterea semper magni viri magna et admiranda incunabula habuerunt, etiam apud Gentiles, ut de Iove, Telepho, Romulo et ceteris patet; in puris literis de Samsone, Samuele, Ioanne Baptista, Christo ipso. In quibus omnibus nobis consideranda est divina providentia, quae se exerit et semina quaedam futurorum in crepundiis praeostendit, ut discamus omnia operante deo, non hominis voluntate aut viribus fieri.

Anne occidere me vis sicut heri Aegyptium. Hebraeus legit: Anne me cogitas interficere? nam verbum dicendi pro cogitandi frequenter utitur אמר, omer. Hic obiter nota Hebraici populi ingratitudinem, qui beneficium non agnoscunt, sed hoc sermone efficiunt, ut Mosche, qui eos a violentia et iniuria vindicaverat, fugere cogatur.

Moratus est in terra Madian. Verbum ישב, ieschcb, non solum morari significat, sed etiam proficisci. Commodius ergo hic vertisset: Fugit Mosche a conspectu Pharaonis et profectus est in terram Madian. Mox sequitur idem verbum ישב pro sedit: seditque iuxta puteum. Admiranda semper neque absque mysteriis apud *fontem* gesta sunt, de quibus, quoniam in Genesi nonnihil annotavimus, hic lectorem nihil morabimur. At hoc praetereundum non est, quod Moses, qui populum liberaturus erat, fugere cogitur, ut in omnibus divinam pro-

videntiam discamus agnoscere. Nam quid magis alienum, quid magis impossibile humanae rationi videri potuit, quam hominem fugitivum captivi populi liberatorem fore? At hunc ducem et imperatorem deus populo suo facit, ut omnem humanam sapientiam pudefaciat.

Et sacerdoti Madian septem fuerunt filiae. Ἐπιβολή est ad futuram historiam, ut sequentia clarius intelligantur. Hic nota quod etiam apud gentes numinis religio fuit cognitioque dei, licet non tam clara. Hic Madianitae sacerdotem suum habent virum sapientem et gravem.

Pastores eiecerunt eas. Hebraice est ויגרשום, vaiegarschum, et depulerunt eos, scilicet greges: nam relativum masculini generis est referturque ad צאן, zon, non ad בנות, banoth. Sic enim nos putamus, at nihil contendimus: scimus enim, *nun* aliquando masculos, et *mem* feminas contra naturam referre. Sic mox infra: Surrexit Moses et liberavit eas adaquavitque greges earum, ubi iterum mem relativum masculinum in fine ponitur. Sicut superius Mosche a fratribus oppressionem ac violentiam, ita hic a puellis depellit, in quo eius magnanimitas et virtus notetur. In quo et hoc obiter notandum, puellas etiam antea saepe a pastoribus depulsas neque tamen ab officio cessasse. Cur ergo viri feminis ignaviores sumus? cur cessamus? Putamusne sic iustitiam ac veritatem coli ac instaurari posse, ut nemo reclamet, nemo resistat pessimis conatibus?

Insuper et aquam hausit nobis. Hebraice: hauriendo hausit nobis, quae verborum geminatio emphasin habet, hoc est diligenter ac magna cum fide multoque sudore hausit.

Quare dimisistis hominem? vocate eum ut comedat panem. Decorum pulchre servatur. Nec enim filiae adsuetae erant domum ducere viros alienos, neque id eas decebat. At patris erat gratiam referre benefico.

Iuravit Mosche quod haberet cum eo. יאל, iaal, non solum *adiuravit*, sed et *coepit* significat. Exponunt ergo quidam: Coepit Mosche habitare cum eo. Exemplaria Graeca κατῳκίσθη habent, sed mendum esse puto pro καθωρκίσθη, adiuratus est.

Vocavit Gerschom. His nominibus pii sese ad gratitudinem et laudem dei excitare voluerunt ut, quandocunque liberos aspicerent aut nominarent, divinorum beneficiorum memoria eos subiret. Absurdum ergo est, quod Christiani liberis suis non solum peregrina, sed gentilia etiam asciscunt, quorum significationes non intelligunt.

Ingemiscentes filii Israel. Etiam mortuo rege nihil laboris nihilque oneris filiis Israel minuitur. Clamant ergo ad dominum, neque frustra: ascendit enim clamor eorum ad dominum. Desiderium pauperum exaudit deus. Nobis ergo hic tolerantia et longanimitas discenda est. Non resistit populus Israel, tametsi duro servitio premitur, non sese liberat, non effugit, sed ad deum clamat ac suspirat, qui vocem eorum exaudit mittitque liberatorem Moschen. Sic et nos si aliquando hic premimur, iniuria adficimur, servimus, ferre id magno animo debemus: nam non dormitat qui custodit Israelem. Clamemus ad dominum ut respiciat nos, ut liberet, neque nos ipsos propria auctoritate aut vi

eximere et liberare tentemus! Si absque heri iniuria ac iactura contingat libertas, utamur ea cum gratiarum actione; sin minus, sorte nostra simus contenti! Neque enim personarum acceptor est deus: qui servus est hominum, libertus est Christi.

Et respexit dominus filios Israel, et liberavit eos. Sensum potius quam verba transtulit Latinus. Hebraei sic legunt: Et vidit deus filios Israelis, et cognovit deus. Sensus est: Novit deus omnia quibus premebantur, et ob quae pressi clamarent ad ipsum. Item: Novit hic, ידע, non simpliciter capitur, sed cum emphasi: novit, id est, cordis adfectu (si sic de deo loqui liceat) cognovit filios Israelis, hat jr klag ze hertzen gelegt, und für sich genommen sy von sölchem trang ze entledigen, ut iudex cognoscit in causa, oppressum liberans, nocentem puniens. Germanice dicimus: Ein Raat wil mein sach nit erkennen, id est, bedencken, ze hertzen nemmen, helffen.

Omnium vexatorum et adflictorum liberator est deus, qui in media tentatione et necessitate exitum ostendit. Bene ergo speremus in rebus adversis! non potest non adesse suis misericors pater. At cum tolerantia oportet eius adventum expectare. Non deerit, tametsi nonnunquam diu differat. Durum est hoc carni; certissima vero est fides et spes piorum, quae opis dilatione accenditur, non concidit.

CAPUT III.

Mosche autem pascebat oves Ietro soceri sui. Alibi Raguel nominatur socer Mosches; constat ergo eum binominem fuisse.

Ad montem dei Horeb. Horeb mons *dei* dicitur per anticipationem. Illic Mosi adparuit deus de liberatione populi Israelitici verba facturus.

Adparuit ei dominus. Hebraei sic legunt: Et visus est seu adparuit ei angelus domini. Quum deus in veteri testamento adparuisse suis legitur: factum est hoc in forma aut specie angeli, quod deus est invisibilis nec corporalibus oculis a quoquam videri potest, ut Ioannes Baptista testatur Io. cap. I. Quod autem a principio capitis angelum Mosi adparuisse, in posterioribus vero locutum dominum ait, intelligimus alloeoses esse personarum, quae figura Hebraeis familiarissima est. Subinde enim oratio ab angeli ad dei personam desilit. Auctoritate ergo loquitur deus, at is qui videtur et loquitur angelus est et creatura. Tametsi enim deus ubique praesens est, et sua virtute omnia operatur: utitur tamen angelis ceterisque creaturis, ut in omnibus ipsum agnoscamus: nam ad quid alioqui vel hominem vel omnium creaturarum coronam creasset deus?

Et vidit, et ecce ardebat rubus et non comburebatur. Per rubum veteres Mariae perpetuae virginis integritatem intelligunt, quod nos nequaquam improbamus. Potest et commode, ut dei solius sit omnis gloria, thesaurus et virtus passionis Christi per rubum intelligi; de cuius plenitudine omnes nos accepimus et hausimus, nec tamen fons ille unquam minuitur: quanto enim plus haurimus, tanto plus exundat.

Dixit Mosche: Vadam. Dixit, hoc est intra se cogitavit: dicere enim pro cogitare saepe utuntur Hebraei. Item סור Sor, non solum

abscedere significat Hebraeis, sed etiam adire. אסורה, asurah concedam.

Terra sancta est. Sanctum Hebraeis est, quod Romanis sacrosanctum, augustum. Locus is sanctus erat, quod illic deus cum Mosche de populi liberatione loqueretur, quodque postea illic populus deo sacrificaturus erat.

Solve calciamentum. Factum hoc per aposiopesin reticetur.

Ego sum deus patris tui, deus Abraham, deus Isaac: et deus Iaacob. Ut discamus eundem semper esse deum, memoriam patrum revocat quibuscum pactum inierat, ut est Gen. XVII, quibus regulam et leges se colendi praescripserat. Neque Christus novus aliquis deus est, sed ille aeternus, cuius diem ut videret magna exultatione et summo desiderio cupivit Abraham. Fides ergo vera et vetus est credere in deum Abrahami, hunc innocentia et vitae integritate venerari ac colere. Qui missarum sacrificia, sanctorum patrocinia ac huiusmodi nugas magni faciunt, non veterem fidem habent, sed novam excogitant. Vera fides est, quae in dei misericordiam ac iustitiam perpetua meditatione fertur: nam utraque in Christo nobis (tametsi in omnibus operibus suis reluceant) clarissime ostendit pientissimus pater, misericordiam quidem quod unigenitum suum pro nobis dedit, ut per eum vivamus; iustitiam vero, quod eidem non pepercit, sed in gravissimos corporis cruciatus ac mortem turpissimam tradidit, quibus nostra peccata expiaret. Neque enim duntaxat perpetua caritate nos complectitur, sed et insuper peccata et impietatem inulta non sinit severus ac iustus animadversor, ut simul discamus ei qui nostram nolit mortem peccata adeo displicere, ut nisi morte filii placari non potuerit. Qui hanc fidem in pectore gerit, magno studio cavet ne hoc perpetret, quod morte sua dei filius in carne exolvit, format se quotidie ad voluntatem et praescriptum eius, qui eum tanta caritate prosecutus est, ut sanguine filii sui unigeniti ab aeterna morte redimeret.

Videndo vidi adflictionem, et clamorem eorum audivi. Videndo vidi Hebraismus est, quo et Graeci saepe utuntur sicut: eundo ivit. Significat autem haec verborum geminatio aut vehementiam aut certitudinem aut celeritatem. Nemo ergo dum premitur cogitet: deus non videt, oblitus est! certissime videt suorum adflictionem, certissime eorum preces exaudit, tametsi nonunquam ad tempus dissimulet. Nemo aliquid inhonesti, aliquid turpe cuius pudeat, committat! deus videt ubique praesens.

Clamor filiorum Israel venit ad me, vidique oppressionem eorum, qua ab Aegyptiis opprimuntur: veni mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Aegypto. Post quadringentos tandem annos adflictionem suorum respicit deus; neque solum oppressos respicit, sed et oppressores, illos ut liberet, hos ut puniat ac perdat. Alterum bonitatem dei, alterum iustitiam nobis declarat; quae duo, ut supra meminimus, mens fidelis perpetuo spectat. Dei bonitas ac misericordia pios allicit, iustitia a peccato cohibet, impios vero terret. Dicis: Cur tam diu sinit suos adfligi?

cur non statim exaudit, liberat, educit? cur non subito malos perdit? Primum non est nostrum excutere dei consilium: certum nobis esse debet deum tam bonum esse, ut in se sperantes nequaquam deserat, tam iustum ut inultam malorum impietatem non sinat; tametsi utrumque saepe diu differat, ut impii, dum in eos animadvertit deus, in conscientiis proprio iudicio condemnentur; ut proprio ore, impleta impietatis mensura, dicere cogantur: Iustus es domine et rectum iudicium tuum, sapientiaque a filiis suis iustificetur. Nusquam deficit eius bonitas, nusquam claudicat eius iustitia, nusquam fallit nec fallitur. Quomodo ergo suorum oppressionem non videret, clamorem oppressorum non exaudiret? Aut quomodo mala inulta sineret? vindictam de malis non sumeret? Metuamus ergo optimum patrem, iustum iudicem! neminem laedamus, neminem opprimamus! Videt dominus si quid huiusmodi tentaverimus, nec inultum sinet. Si peccavimus: poeniteat, revertamur ad dominum! clemens est, misericors est. At non nisi resipiscentia clementiam eius eblandiri possumus.

Et educam eos de terra ista, ad terram bonam et latam, in terram lacte et melle manantem, ad locum Chananaei, Ethaei, Amorraei, Pheresaei, Evaei, et Iebusaei. Iterum bonitas simulque iustitia dei relucet: suos exaudit ac educit, Amorrhaeos ceterasque gentes impias expellit ac perdit; hos spoliat, illos ditat; habitatores terrae Chanaan eiicit ac spoliat; filios vero Israel inducit ac terram dat eis possidendam. Neque tamen aut iniquus est deus aut iniuriam illis facit: domini enim est terra et plenitudo eius. Deinde hac de re ante quadringentos annos Abrahamum admonuerat, scilicet semen eius post tot saecula possessurum esse terram Chananaeorum: nondum enim completam esse Amorrhaeorum impietatem; in quos tandem atrocissimis poenis animadvertit, ne quis iniustum deum esse queri posset. Mature satis admonet errantes. Si redimus, misericordia eius parata est; si in scelere pergimus, non potest non punire qui iustus est. Quare si videmus aliquando regna ab aliis occupari, eiici quosdam aliis intrusis: nihil miremur! Iudicia haec dei sunt nobis impervestigabilia. Cogitemus hoc nostrorum esse peccatorum poenam, nihil fieri a summo illo bono absque causa. Pessimi fuerunt Chananaei; expulsis igitur illis terram eorum Hebraeis dedit deus possidendam. Qui dum in dei mandatis non perstant: et ipsi a gentibus adfliguntur eque terra ista bona in captivitatem abducuntur.

Dixit Mosche: Quis sum ego? Humilis sui ipsius abiectio et plena verecundiae excusatio: neque enim idoneum satis se putat Moses qui cum tanto rege loquatur. Eligit deus qui tale ne cogitant quidem; qui ad alta aspirant saepe reiicit, ut verum sit illud: potentes deprimit, humiles exaltat.

Et hoc habebis signum, quod miserim te. Quomodo eductio eductionis signum esse potest? Puto signum pro causa hic accipi, ut sit sensus: Hanc causam coram Pharaone praetexes, eductionem scilicet populi ad hunc locum ut mihi hic sacrificet: nam hoc signum sequentia, non praecedentia respicit. Aut ut is sit sensus: Hoc erit tibi signum, id est: Tu oculis tuis videbis reque ipsa comperies te a me missum

esse liberatorem Israelis, cum tu et populus stabitis hoc in loco mihi sacrificaturi.

Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? Quasi diceret Moses: Absurdum, imo turpe est, de te dicere apud filios Israel cuius nomen ignorem. Indica ergo mihi quo voceris nomine, ne me populus irrideat atque explodat, si eius praecepta iactem cuius ne nomen quidem teneam.

Ego sum qui sum. Hebraeus dicit: Ero qui ero. Sententia apud Latinum probe exprimitur; tametsi Hebraica magis dei naturam exprimunt, nempe quod aeternus sit et nunquam desiturus. Huc enim spectat deus hoc sermone, ut se illum esse ostendat qui semper sit, nusquam et nunquam desit; qui non ex alio, ut cetera omnia, sed ab se ipso sit, atque sic sit, ut nisi esset nihil esset atque omnia collaberentur. Et hunc sensum mox exprimit, addens: Qui est, seu qui erit, misit me ab vos; quo verbo indicavit se solum *esse* omnium rerum esse. Fiet hoc clarius, si etymon summi nominis dei יהוה excusserimus: nam haec vox ab essendo deducta est, aut fortasse istud verbum היה, haia, quod *esse* illis significat, ab hoc nomine יהוה derivatur: היה enim Hebraeis *fuit* significat, יהוה vero hoc summum dei nomen quadrilitterum est, quod hactenus propter sanctitatem apud Hebraeos inedicibile, hoc est improlatum ac ineffabile, manet. Ex his omnibus hoc nobis discendum est, hoc primum esse in cognitione dei, ut sciamus eum esse, qui sua virtute est, qui ipse est, et a nullo accipit ut sit, atque perpetuo est. Ex quo postea facile liquido videmus, omnia a deo, quaecunque tandem videmus, non a se ipsis esse et constare. Est ergo solus deus qui ab se ipso est, quique omnibus *esse* tribuit, atque ita tribuit, ut esse nulla ratione nulloque momento possent, nisi deus esset, qui omnibus tum *esse* tum *vita* est, omnia sustinet, omnia regit. Quod et Iesaias pulchre indicans cap. XL. Quis mensus est, inquit, pugillo aquas, et coelos palmo ponderavit? Quis adpendit tribus digitis molem terrae etc. Hinc metus quoque dei in piis nascitur. Mortales enim quum omnes sumus, solus deus aeternus est; non ergo morte abolentur peccata, sed etiam post mortem poenam irrogat, qui aeternus est, aeternam. Quod enim sumus quum morimur, perpetuo sumus; sive peccatores in perpetuum cruciamur, sive amici dei perpetuo eo fruimur. Mutationem igitur in nobis, dum hic vivimus, requirit qui immutabilis est: qui enim Christi sunt in novitate vitae ambulant.

Haec dices filiis Israel: dominus deus patrum vestrorum, deus Abraham, deus Isaac, et deus Iacob misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in aeternum. Nunc palam se et a potentia, et a maiestate dominus adpellat, qui se paulo ante ab essentia *qui sum et qui est* adpellaverat. Deum esse quid sit, in capite XVII. Geneseos satis explanatum esse putamus. Ceterum domini nomen nonnihil severitatis videtur prae se ferre: neque enim duntaxat bonus est deus, sed iustus etiam, qui ut bonitatem suam omnibus exponit, ita et malorum vindex est iustissimus.

Et memoriale in generationem et generationem. לדור דור le dor dor, utuntur Hebraei pro perpetuo: nam etiam post hanc vitam

erit deus et eo fruentur electi. Memoriale puto pro titulo accipi, ut reges habent in epigrammatis et inscriptionibus.

Educam vos de adflictione Aegypti. Locutio Hebraica. Non enim de ea loquitur adflictione quam patiebantur Aegyptii, sed de ea qua filii Israelis ab Aegyptiis adfligebantur.

Terram lacte et melle manantem. Hyperbola est, qua fertilitas et abundantia terrae illius demonstratur.

Viam trium dierum ibimus in desertum, ut deo nostro sacrificemus. Ibimus quaeso o rex favore tuo. Liceat nobis per te ut eamus iter trium dierum ad sacrificium dei nostri! Sic fere habent Hebraica. Hoc coram Pharaone iubet praetexere deus. Vide hic, ut omnia deus ordine quodam a nobis fieri velit. Quid enim opus erat seniores convocare regemque adire? nonne absque hoc potuit eos deus educere? Maxime. At ita disponit omnia suaviter divina sapientia; ordinem habent divina opera, ut etiam apud homines auctoritatem habeant. Et eum morem servat deus qui mundo decentissimus ac honestissimus iudicatur, ne scilicet quis temere ac propria auctoritate, inconsulto magistratu, res arduas ordiatur ac tentet, sed sic omnia agat, ut et pii et impii intelligant ac fateantur honeste omnia, nihil audacter gestum esse. Convocare ergo primum seniores iubetur Moses, deinde cum eis impium regem adire rogareque suppliciter, ut ipsis suo favore exire liceat. Dicis: videtur dolo agere deus, praecipit praetexere sacrificium et interim fugam adornare. Cur non palam et clare loquitur? Quis tu es qui cum deo disceptes? nihil dolo malo agit divina veritas. Omnium dominus est deus, nemini iniuriam facit. Tempus aderat quo se de impio tyranno ulcisci vult iustus iudex; at iudicium sic temperat ac moderatur, ut summa mansuetudine tyrannum atrocem adgrediatur, quam quum contemnit impietas, iustitia dei nullo pacto adcusari aut iniqua censeri possit, sed vincat et iustus sit deus quum iudicatur. Discite hic o iudices, ne pauperum querelas ac causas negligatis! nihil enim tam displicet deo quam publicam vel negligere vel corrumpere iustitiam. Introeant causae orphanorum et pupillorum ad vos! viduarum clamorem audite! liberate oppressos! adeste his qui opem vestram implorant! hoc enim vestri est officii. Quod si neglexeritis: non negliget suos dominus, aderit, liberabit vobisque pro iniustitia vestra iustissimam poenam rependet.

Ego autem scio quod non dimittet vos rex Aegypti, et non in manu forti. Sic enim legit Hebraeus, quasi diceret: Scio inefficaces fore preces vestras apud tyrannum; ad haec nihil effecturam manum meam fortem, quam ostendam variis signis ac miraculis: nulla re moveri poterit obstinati regis animus. Alius sensus potest esse: Non in manu forti, hoc est vos non forti aut armata manu exibitis: nam ego ducam vos. Prior videtur magis genuinus esse.

Postulet mulier de vicina sua, et de ea quae domi secum habitat, vasa aurea, argentea, et vestes. Postulet mulier pro postulet quaeque, locutio est Hebraica. Sic Germanice mulierem pro quaque et virum pro quoque dicimus.

Ponetis super filios et filias vestras. Synecdocha.

Spoliabitis Aegyptios. Qui ad rem sunt attentiores, hoc factum facile in avaritiae suae ac cupiditatis excusationem torquere audent. At cavendum nobis magnopere est, ne affectibus excaecati in factis dei aut curiosi nimis aut temerarii simus. Ne ex his, quae divina providentia geruntur, nobis aut aliena rapiendi aut fraudandi quenquam occasionem capiamus! Sunt quaedam quae praeter communem ordinem a Deo sic sunt gesta, ut a nobis suspici debeant, non contaminari, quae nobis neque frangendae legis neque extra ordinem divinae iussionis aliquid agendi causa esse debent. Non peccant filii Israelis qui contra legem, iubente Domino, Aegyptiis sua auferunt. Nec iniquus est deus qui contra legem iubet, quum sit ipse legis conditor nullaque lege teneatur. Attamen immota manet lex: Ne fureris, omnibus qui sub lege vivunt, quam transgredi, ni Deus aliud iusserit, licet nemini. Lege nondum lata aut sublata lege non est transgressio; stante vero lege quae lex iubet spectanda sunt. Nobis in rebus gestis non solum quid, sed qua causa factum sit, spectandum est. Nemo ergo in causa sua iudex esse velit, ne dum sese malis eximere tentet, gravioribus malis involvatur. Qui iniuria adficiuntur, qui violentia opprimuntur, clament ad dominum! is vocem eorum exaudiet, is liberatorem mittet: nam non dormitat qui custodit Israelem. Exemplo caret Aegyptiorum violentia; Israelitas nemo suscipiebat, nemo defendebat. Suscepit ergo eorum causam Deus. Hos liberat et vindicat, istos perdit et exemplum facit.

CAPUT IV.

Respondens Moses, ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam. Post tot divina verba, post tantam admonitionem adhuc dubitat Mosche. Res enim magna est et plane supra vires humanas, ad quam caro exhorret: adeo indomita et invincibilis res est caro.

Et versa est in colubrum. Post mandata armat deus Moschen variis miraculis et portentis. Sic apostolos suos Matth. X. Marci ult.

Et fugit Mosche. Imbecillitas carnis est: tametsi enim pius vir erat Mosche, fragilitate tamen carnis victus metuit ac resilit, detrectat officium, gravatim acceptat iussa dei, quae cum periculo videt esse coniuncta. Ex animo liberationem populi sui cupit vir fidelis; quum vero id officii ei imponit deus, reclamat et fugit. Ad eum modum omnes quantumvis sancti, dum adest periculum, resiliunt et fugam capessunt, nemo proximorum causa suis rebus quicquam vult decedere; tantum abest ut se pro fratribus periculo et capitis discrimini obiiciat.

Extende manum tuam et apprehende caudam eius. Sic semper adversa carni spiritus praecipit: quantum a coelo distat terra, tanto intervallo distat iudicium carnis a spiritus iudicio. Ad magna et ardua urget divinus spiritus; quae carni placent ac voluptati sunt, adversantur deo. Quae Deus praescribit, ab his abhorret omnis caro. At si pii esse volumus, vocem domini audire oportet, et caudam serpentis prehendere, hoc est nihil cunctari, sed res longe difficillimas infracto pectore adgredi, iubente sic domino, qui gravia quaeque et nocentissima nobis levia et innoxia reddere novit: vertitur enim rursus serpens in

virgam, ut non solum nihil veneno eius laedaris, sed telum insuper fiat tibi, quo ceteros terreas.

Et ecce manus eius leprosa sicut nix. Cur tam atrocibus signis utitur Deus? Miracula ob hoc fiebant, ut terreretur tyrannus; terribilia ergo sunt omnia, non amica. Primum signum, quo in colubrum virga vertitur, horrorem divini iudicii indicat, quod et malefici Pharaonis faciunt: quod non temere sed providentia divina factum est. Excaecatus est rex, ne divinam operationem agnosceret; quum simile ab incantatoribus suis vidisset. Tempus aderat quo punire voluit Deus impios; signa ergo dat atrocia, ut terrerentur nec tamen resipiscerent suaque culpa perirent. Non secus fit nostra tempestate, qua omnia flagitia ac scelera ad summum usque creverunt. Quid miraculorum non vidimus? Clamant prophetae, sed nequicquam; nihil ergo restat nisi extremum excidium. In allegoriis ludat quisque (modo id fiat ad fidei regulam) ut velit! Manus leprosa opus impurum significat, quod hinc fit impurum si in sinu impurus es; sola autem fides cor purificat, cordis puritatem operum puritas necessario sequitur. In alio sensu (nam nihil vetat plures ex uno facto per allegoriam sensus elicere) per lepram sordes populi Israelitici intellige! Quasi diceret Dominus ad Moschen: Sicut lepra a solo Deo curatur, facileque est deo, modo velit, lepram curare quae alioqui incurabilis est: ita solus Deus populum suum, quantumvis depressum et adflictum, liberabit et educet; saeviat licet et renitatur tyrannus. Item manus in sinu leprosa indicat, quod opera legis non iustificant. Tandem aqua in sanguinem versa est, quo signo nihil aliud indicare voluit Deus, quam venturam Aegyptiis internecionem si prioribus signis nihil promoverit; idque non absque sanguinis effusione, quod et tandem in primogenitorum occisione et exercitus mersione sunt experti. Et nos hinc discamus, si nullis admonitionibus adquiescimus, nullis minis terremur, sed pergimus esse pessimi, certo in nos iram dei desaevituram.

Si non audierint vocem signi prioris. Prosopoeia est. Loquitur nobis Deus per miracula, si quidem audire voluerimus.

Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius, ex quo loquutus es cum servo tuo, impeditioris et tardioris linguae sum. Eloquentem fuisse Moysen Iosephus testatur. Adparet ergo eum sic velle dicere: Ecce ego ab hoc tempore, quo tecum coepi loqui, sic stupui, ut iam plane loqui nihil sciam. *Heri* et *nudiustertius* Hebraico schemate pro hactenus ponitur, ut in Genesi quoque annotavimus. Quo magis mens humana in Deum elevatur, hoc magis homo extra se rapitur. Stupet ad alloquium dei caro: vehemens enim est et efficax sermo domini; rugiente leone homo timet. Ad vocem Dei quis non obstupescet?

Quis posuit os homini? Id est, quis dedit? nam שם et נתן, schom et nathan, saepe confunduntur. Stuporem carnis adimit Deus polliceturque se ori nostro adfuturum: nos enim in divinis rebus plane muti sumus. Sic Matthaei X. Ne cogitetis quo modo aut quid loquamini! ego dabo vobis os. Est autem hyperbola (ut et hunc sensum obiter excutiamus): Ne cogitetis, hoc est ne sitis nimis anxii! Nam

quis omnino nihil cogitaret cum coram iudice sisteretur? Aut quomodo loqueretur inconsulto et temere? Metaphora sumta ab his qui aliquid diligenter observant et custodiunt. Adstat enim curatque ne quid erret, ne quid pereat. Ego ero cum ore tuo, id est custodiam, adstabo, adero; deinde docebo te, dirigam ne quid aberres. הוריתיך, horethicha, pro quo LXX. habent συμβιβάσω σε, significat eo modo, quo praeceptores solent, docere et tanquam vi instillare. Vocem autem Hebraicam הורה, horah, quae docere, dirigere significat, ut commode hic, ita saepe in Psalmis per legem ponere verterunt LXX, quod certo argumento esse potest, biblia Graeca non eodem tempore nec ab eisdem interpretibus, ut quidam contendunt, translata esse.

Mitte quem missurus es. Hebraice sic: Mi domine, mitte quaeso in manu, mittes. Graeci sic intellexerunt: quasi diceret Moses: Ego minus idoneus sum; mitte aliquem qui sit potens, qui hoc onus portare posset. In quo videmus LXX quibusdam in locis nonnihil ad Iudaeorum istorum qui Messiam negant opinionem deflexisse. Hebraica autem, si penitius introspicias, talem sensum habere videntur, ut Iudaei nequaquam infitiari possint, Mosen de venturo Messia locutum fuisse. *Mitte quaeso in manu, mittes* ellipsim patitur oratio: omittitur enim dictio אשר, ascher, quae, quemadmodum Graecis, praepositivi articuli nonnunquam, et demonstrandi et referendi vim habet; ut sit sensus: Mitte quaeso in manu eius quem mittes aut missurus es! Haec autem ellipsis Hebraeis frequens est, ut in Psalmis videre licet. Quasi diceret: Quandoquidem, quod scio, missurus es quem promisisti (benedictum scilicet semen): iam eundem mitte, in illius manu rem perfice! is idoneus et satis potens erit. Quanta sit carnis infirmitas etiam in sanctis, subinde admonemur; quam etiam Christus morte instante in se expertus est. Cunctatur Moses et varias nectit excusationes, nimirum crudelitatem tyranni, atrocitatem supplicii totiusque rei difficultatem animo volvens. Sic caro cogitat quae carnis sunt, divinis consiliis renititur, imo sua consilia divinis praeferre audet. Patitur hanc imbecillitatem in suis Deus, ut homines sese infirmos et peccatores nunquam non intelligant, qui, nisi Deus dederit, divini aut boni nihil nec cogitent nec agant; deinde, si quid boni ab eis fieri contingat, id totum esse dei, non hominis, cum gratitudine summa agnoscere discant, neque animo unquam supra modum extollantur. Sic Paulus stimulum carnis sibi a deo datum scribit, ne revelationum magnitudine efferretur; sic David bonum sibi fuisse, quod a deo humiliatus esset, testatur. Admonemur etiam hic verecundiae et modestiae. Qui eloquentissimus erat et in omni sapientia ac disciplina Aegyptiorum doctissimus, ad haec vir omnium hominum mansuetissimus, fortissimus denique, atque adamantinus imperator, cui magnanimitate ac constantia vix parem, sive in sacris sive in profanis historiis legas, reperias, post tot alloquia dei, officium tam grande detrectat, tam duram provinciam suscipere renuit. Stulti igitur aut pessimi sunt, qui sese ad ardua quaeque non solum haud idoneos non agnoscunt, sed invocatos ingerunt quoque et obtrudunt nolentibus. Sed sic agit audax impudentia et impudens audacia, quae non quid officium sit metitur, sed ad rem spectat, ad gloriam, quam non solum

non ambit Mosche, (quae enim maior gloria quam ducem esse tanti exercitus?) sed oblatam etiam renuit.

Iratus Dominus in Mosen ait, Aharon frater tuus levites scio quod eloquens sit. Quum moras necteret Moses, irascitur ei dominus. Mira autem est elegantia Hebraici sermonis, quo et hypotyposis iratorum et concitatorum pulchre exprimitur. Nonne Aaron frater tuus Levita? scio quod loquendo loquetur ipse. Sic enim commoti loqui solent, verbum scilicet quod praecedere debebat postponere. Ist dan nit Aaron din bruder der Levit? nun weyss ich doch wol das er beredt ist; quod loquendo loquitur, id est vehementer disertus et eloquens est.

Pone verba in ore eius. Hoc est omne negotium ei mandabis.

Ego ero cum ore tuo etc. Haec superius explanata sunt. Hoc solum nobis discendum est, in negotiis dei, quantumvis infirma sit caro, non esse concidendum: adest enim suis dominus et rebus desperatissimis consulit.

Ipse tibi loquetur. Id est pro te officio oratoris fungetur.

Tu eris ei in deum. אלהים, elohim, saepe magistratus et iudices in sacris literis vocantur, ut infra cap. XX: Diis non detrahes. Item ibidem: Utriusque causa ad deos referatur! Sensus ergo hic est: Tametsi Aaron pro te loquetur, non tamen eum tibi, sed te ei praeficiam; erit actor tuus, erit tibi pro Deo, pro actore, pro iudice. Hic videmus etiam sacerdotes, tametsi ex eorum ore lex dei cunctis requirenda sit, subditos esse magistratibus. Quem ordinem (ut omnia) antichristus Romanus pervertit, non solum se suosque a iure et potestate magistratus eximens, sed principibus et regibus se quoque praeferens.

Portans virgam Dei in manu sua. Aliquando dicitur virga Dei, aliquando Mosis: dei erat ut auctoris, Mosis ut ministri.

Vide ut omnia ostenta quae posui in manu tua, facias coram Pharaone. Quae posui in manu tua, id est quorum auctoritatem dedi. Signa ergo non Mosis fuerunt, sed dei. Coram Pharaone signa fieri iubentur, ne excusationi sit locus, ut videat et tamen non credat. Sic Christus editis miraculis Iudaeos damnationis reos ostendit, quum a nullo unquam talia vidissent, et tamen non credidissent.

Indurabo cor eius. Indurat Deus quos vult, et quorum vult miseretur; nec tamen iniustus est, quum eos quos induravit damnat. Quae quoniam huius loci non sunt, ad epistolam Pauli ad Romanos lectorem remitto, ubi haec breviter et pie a Paulo tractantur.

Primogenitus meus Israel. Docet Mosen quo pacto sermonem ordiatur coram Pharaone. Quasi diceret: Hoc scito Pharao, Israelem, id est populum Israeliticum (est enim genus pro numero) loco filii primogeniti mihi esse. Tam carus est mihi, tam pretiosus Israel, quam solent patribus esse primogeniti. Ex omnibus enim mortalibus mihi hunc populum peculiariter selegi quem, si non dimiseris, interficiam tibi filium tuum primogenitum, id est electa, praecipua, pretiosa tua perdam. *Κατάχρησις* est: Israel primogenitus meus.

Arripuit Zipora saxum et circuncidit praeputium filii sui. Quum in diversorio esset Moses in itinere cum uxore et liberis, contigit

ut ei adpareret Dominus, iratus ob id quod filium e gentili muliere susceptam non circumcidisset. Mulier, cuius consilio id vetitum erat, intelligens ob hanc causam iratum dominum, mox temere saxum arripuit, et puerum circumcidit, ne quid mali pateretur maritus. Hic nota: si Deus Mosi succenset ob puerum ex uno parente natum non circumcisum, clarum fit circumcisionem in pueris necessariam esse et a Deo exigi. Cur ergo Catabaptistae infantibus, ex utroque parente fideli genitis, baptismum negant? Mihi verisimile videtur Paulum in epistola priore ad Corinthios, quae de impari connubio illic loquitur, hinc desumsisse. Dicit autem pueros sanctos et mundos esse, etiamsi duntaxat alter coniugum fidelis sit.

Tetigit pedes eius, et ait: Pedes scilicet angeli, et ait ad Mosen: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Hoc est: Video me multa tecum passuram; intelligo te mihi multorum incommodorum ac periculorum occasionem fore. Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur; negotium dei absque sanguine non perficitur.

Et destitit ab eo angelus, cum dixisset (mulier) *sponsus sanguinum tu mihi es, ob circumcisionem.* Hoc *ob circumcisionem* non ad mox praecedentia, sed ad superiora pertinet. Ob circumcisionem uxor Mosis mota est sic cogitare aut dicere: Sponsus es mihi sanguinum.

Et exposuit Mosche Aharoni omnia verba domini pro quibus miserat eum. Hebraeus dicit: אשר שלח לו, ascher schalah lo, ob quae miserat eum, vel quae ei demandaverat dominus; ut sit שלח *mitto* pro praecipio et mando.

Audierunt quod dominus visitasset filios Israel. Audierunt, id est intellexerunt, agnoverunt.

Proni adoraverunt. Hebraice inclinaverunt et gratias egerunt.

CAPUT V.

Post haec ingressi sunt Mosche et Aharon, et dixerunt ad Pharaonem. Fidelis minister fuit Moses in tota domo dei, facitque omnia quae mandaverat ei dominus. Primum senes convocaverat, iam adit tyrannum. Ardua plane res est agere cum huius mundi principibus; ideo cunctabundus et gravatim subit provinciam Moses. At posteaquam subiisset, iam strenue omnia agit. Exemplum ergo magnanimitatis, fortitudinis ac constantiae nobis in Mose proponitur. Nota! *ingressi sunt ad Pharaonem* cum emphasi dicitur; quasi diceret: Post longam moram et cunctationem tandem ad Pharaonem ingressi sunt.

Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto. Ut festum celebret mihi, dicit Hebraeus. Synecdocha est: per partem enim totum intelligitur. Festum enim celebrare oblationem aut sacrificium complectitur, quod in solemnibus etiam sacrificabant.

Quis est dominus cuius vocem audiam? Elati animi et contemnentis hoc verbum est. Quasi diceret: Quis tam potens est, ut rex Aegypti eum audiat? id est obsequatur, morem gerat. Et hodie multi quaerunt: Quis me certum reddet hoc verbum dei esse? Nec enim mirum est sic loqui gentilem hominem et impium tyrannum, qui fidem in deum non habet. At eum sic loqui, qui Christi et nomine et fide

gloriatur, hoc demum turpissimum simul et miserandum est. Non blasphemat Pharao nomen dei, non iacit in eum convitia, sed tantum non audit. Nos verbum dei non solum non audimus, non solum non credimus, sed contemnimus, reiicimus, probris insectamur, haeresin vocamus, huius praedicatores quoque persequimur et interficimus. Tanta est audacia, tanta impietas et malignitas eorum, qui Christum ore confitentur, factis negant.

Deus Hebraeorum vocavit nos. Hebraice נקרא יהוה עלנו, nikra adonai alenu, vocatio domini super nos. Exponi autem solent verbalia in *io* et active et passive: ipse deus vocavit nos, aut nos a deo vocati sumus; seu: deus Hebraeorum vocatio nostra, id est, quo vocante vocamur. Sic 1. Cor. X. Communicatio corporis Christi, id est, communio. Putant quidam a קרה venire dictionem, ut sensus sit: Deus obviam factus est nobis, aut occurrit nobis: nam cap. III. supra est נקרה, nikra, per ה.

Viam trium dierum ibimus quaeso in desertum. Hic status et orationis summa. Neque enim dubium est, pluribus aliis et forte magnificentioribus verbis Mosen et Aaronem coram rege usos esse; neque doli deus neque mendacii Moses culpandus est, quum non totam profectionem regi proponunt. Erant quidem iter trium dierum ituri filii Israelis; at longius quod celat tyrannum, idque certa et ineffabili ratione ac soli sibi cognita: agit enim omnia deus sapienter et imperscrutabili consilio. Quibus ex factis nos nihil dolo agere aut fallere discamus. Neque fallit qui non omnia dicit, sed tempori suo quaedam servat; si quidem sincero, non fallendi animo hoc facit, si non suam, sed dei gloriam et proximi salutem quaerit.

Ne forte accidat nobis pestis aut gladius. Hebraeus dicit, בדבר או בחרב, badaeber o bahereb. Ubi notandum quod ב saepe reperitur esse articulus nominativi casus, non praepositio. Sic statim infra: Ne animadvertant in verba mendacii. Est autem hic sermo ethologicus, hoc est ad morem Aegyptiorum, cum quibus Hebraei habitabant, dictus. Habebant enim gentes Ioves suos, et Veioves, averruncatores malorum. Non dissimilis mos apud Christianos inoleverat, ut divos pro defensoribus colerent et invocarent; quasi vero dii contra deum quid possent, aut defendere eos quos vellet punire deus.

Praecepit Pharao praefectis operum et exactoribus populi. Adparet duplices fuisse praefectos, alteros summos illos ex aula Pharaonis qui demensum populi praescriberent, quos Hebraei vocant נגשי, nogsche; alteros qui sub prioribus essent ex filiis Israelis selecti, qui ad opus urgerent populum; et hos vocat Hebraeus שטרים, schotrim.

Mensuram laterum quam prius faciebant, imponetis super eos. מתכנת, matchoneth, mensuram, modum significat aut numerum. Sed quomodo eis imponebatur quod prius fecerant? Vetere verbo utitur pro praesenti: praescriptum erat demensum in singulos dies; hoc praecipit continuare. Ponite super eos, hoc est, prior numerus maneat, ubi Latinus dicit *prius*. Hebraei habent תמול שלשם, thmol schilscham, heri et nudiustertius, quod, ut saepe iam diximus pro *antea* capitur, pro *hactenus*, verum ut continuum tempus intelligas per *prius*, non

interruptum. Observa interim semper tyrannicae atrocitatis exemplum, quae, dum Deus populum e servitute et captivitate vocat, indurata gravius premit. Ubi et admirabile consilium dei videmus, qui ad Pharaonem servos mittit! ipse interim cor regis indurat ut renitatur, servos suos magno exponens periculo, magnamque eis invidiam tam erga Pharaonem quam populum conflans; ad haec populum suum, quem se liberaturum dixit, maiori iniuria adfici gravioribusque oneribus premi sinit. Haec sunt opera divinae providentiae; ita solent omnia initia esse gravia et difficilia. Laborandum est sudandumque verbi tum ministris, tum auditoribus. Nemo ad summam requiem sine summo labore unquam contendit.

Nec minuetur de opere vestro quidquam. Pro quidquam Hebraei dicunt דבר, dabar. Ne tantillum quidem de opere vestro decedet.

Paleae non dantur nobis, nihilominus dicunt nobis, Lateres facite. אמרים, dicentes pro dicunt. Utuntur Hebraei participiis tam activis quam passivis pro praesenti indicativi quo ipsi carent, quod in hoc capite frequenter occurrit. Sic in מכים et נירפים, mukim et nirpim.

Et iniuste agitur contra populum tuum. Hebraicorum verborum sensus est: Et peccatum populi. Quasi dicerent: Nos quidem caedimur; at peccatum, id est, culpa est populi. Tametsi populus opus absolvere non potest, nos nihilominus caedimur.

Vacatis otio, et idcirco dicitis: Eamus et sacrificabimus Domino. Supra modum elegans est hic sermo Hebraicus, נרפים אתם נרפים, nirpim athem nirpim. Vacatis vos, vacatis inquam: quae reduplicatio magnam habet emphasin, luculenterque exprimit temulentiam tyranni. Nam sic solent tyranni loqui, duplicantes verba prae indignatione: Ir gond müssig, müssig gond jr. Ideoque dicitis (iterum est אמרים, omrim, dicentes): Ibimus et sacrificabimus etc.

Videruntque se praepositi filiorum Israel in malum. Primus sensus est: Viderunt se adflictos et pressos. Sy sahend das es übel umb sy stund. Alter sensus: Viderunt praecones filiorum Israelis eos scilicet Aegyptios sibi iratos et male propitios: Sy sahend das sy bön oder böſs über sy warend.

Cumque exirent a Pharaone, occurrerunt Mosi et Aharoni stantibus ex adverso. Adparet Mosen et Aharonem aliquo in loco se statuisse ut, dum Schotre filiorum Israel a rege exissent, intelligerent quidnam cum eis actum esset.

Videat Dominus et iudicet. Hebraismus est, quo ipsi rem deo committunt ac vindictam. Iudicare enim pro vindicare accipitur, et videre pro agnoscere, ut supra a fine secundi capitis. Germanice dicimus: Gott erkenns und räche es. Spectat caro quae carnis sunt; mox ergo ut non ex voto successerat, indignabundi in Mosen et Aharonem feruntur. Horum similes hac nostra tempestate reperias, quos quum Evangelium non omnibus oneribus liberat statim despondent animum. Aliud enim spectarunt ipsi, nempe terrena quaedam lucra aut commoda, non conscientiae tranquillitatem; quae si non contingant,

mox in verbi ministros insurgunt et impetum faciunt. Nemo enim tam perfidus videri vult, ut verbum dei abiiciat, contemnat aut probris lacessat; in ministros ergo feruntur. Constantia igitur piis necessaria est, ne ob id concidant aut cessent si tumultuentur impii; sed ad dominum recurrant ac eius auxilium implorent, cuius causam et negotium agunt, ut facit hic Mosche.

Foetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis eius. Locutio metaleptica: viles nos reddidistis et abominabiles, a re graveolenti transsumta, a qua faciem et nares avertimus. Quasi diceret: Horret, abominatur nos Pharao et irascitur nobis. Huius indignationis vos estis auctores. Paulus ad Corinthios hac metalepsi in contrario sensu usus est, quum dixit nos Christi bonum odorem esse; odorem autem pro fama accipit: tunc enim bonus odor sumus, dum bene de nobis existimatur, praedicatur etc. Germanice dicimus: Der stinckt mich an, de eo quem vehementer odimus.

Praebuistis ei gladium, ut occideret nos. Gladium in manum dare est occasionem et ansam dare interficiendi.

Reversus Mosche ad dominum, ait, Domine cur adflixisti populum istum? Quare misisti me? ex eo enim die quo ingressus sum ad Pharaonem, ut loquerer ex nomine tuo, adflixit populum tuum istum, et liberando non liberasti populum tuum. Fidelis mens nusquam certius auxilium invenit, quam si ad deum in tribulatione recurrat. Hunc anxius Moses adit adflictionemque populi murmurantis exponit, et pie cum eo expostulat. Liberando, inquit, non liberasti (sic enim habent Hebraica), quae verborum anadiplosis magnam emphasin habet. Quasi diceret: Domine, promisisti te nos liberaturum, et ecce non praestas, sed indies magis magisque exasperatur in nos tyrannus graviusque premit. Ecce ab eo tempore quo loqui cum Pharaone coepimus, non solum violentiae nihil decedit, sed magis etiam ingravescit. Hoc exemplo discimus, sonante evangelii tuba, maiorem nobis invidiam ac tentationem concitari: omnes enim copias caro in verbi praecones parat, ingens suscitatur praelium, de quo et Christus Matth. X. suis praedixit.

CAPUT VI.

Per manum fortem dimittet eos, et in manu robusta eiicict eos de terra sua. Consolatur dominus Mosen et animum addit. Quid autem est quod hic dicit: In manu forti eiiciet vos; superius vero capite III. dixit: Scio quod non dimittet vos, nec in manu forti? Si filiorum Israel robur aspicias: non in manu forti exierunt; si Pharaonem: vi eos expulit, at tum tandem quum domini fortem manum esset expertus. Videtur ergo sensus esse: Ego potentiam meam et fortem manum sic in Pharaonem exercebo, ut tandem cogatur vos eiicere.

Ego Dominus qui adparui Abraham, Isaac et Iaacob, in Deo omnipotente; nomen vero meum Adonai non indicavi eis. Ubi Latinus dicit *in deo omnipotente* Hebraeus habet באל שדי, beel schaddai, quod ad verbum sonat *in deo schaddai.* De hoc nomine *schaddai* satis superque diximus in Gen. XVII. Quod ב si praepositio

est, ellipsis est huius dictionis *nomine*, ut sit sensus: Ego patribus adparui in nomine dei schaddai, et nomen יהוה non prodidi eis, quod nunc tibi indico. Tunc nomen capitur pro virtute, pro potentia. Mihi vero magis probatur, ut ב non praepositio sit, sed articulus; ut sit sensus: Ego Deus schaddai adparui Abrahamo etc. Plena est oratio adfectibus qua se Deus imbecillitati et tarditati Mosis accommodat, quemadmodum faciunt praeceptores: si post multam orationem pueri, quae dicta sunt, non intelligant, refricant saepius et diligentius repetunt ac inculcant. Ita quum vidisset deus Mosen prae infirmitate carnis cunctari et moras nectere, dicit: Moses quid cogitas? Ignoras me hoc, quod iam multis verbis tibi commendavi, iam dudum patribus promisisse? Deus sum; mentiri haud quaquam possum, coactus sum praestare quae Abrahamo ceterisque sum pollicitus. Quare nihil novi tecum tento, sed quae promisi iam praesto: nulla enim ratione impediri potest nec debet. Nihil ergo dubites, quum videas me aliud nihil agere, quam id quod semel coepi per te efficere; imo hoc magis te erigat, quod tibi nomen meum summum illud et vivificum יהוה manifestavi, quod patribus quantumvis mihi caris celaveram.

Pepigique foedus. Pactum refricat cum patribus factum, de quo Gen. XVII.

Terram peregrinationis eorum. Id est in qua Abraham, Isaac et Iacob incolae fuerunt, non cives.

Ego Dominus qui educam vos. Iterum est nomen dei ineffabile, de quo supra III. Quasi diceret: Conforta filios Israel! ego enim dominus qui ab essentia nomen habeo, in cuius manu omnium vita nedum Pharaonis est, *ego*, inquam, educam vos.

Redimam brachio extento. Graeci *excelso.* Forma est iratorum hominum, qui prae indignatione elevant manus; capitur autem pro summa potestate quae potest comminuere omnia, gravisque est comminatio in Pharaonem.

Iudiciis magnis. Iudiciis, id est, vindictis, poenis: capiuntur autem iudicia pro memorabilibus factis.

Ero vester Deus. Hoc est pactum dei cum fidelibus, ut eorum futurus sit deus, utque coram eo innocenter ambulent. *Deum* esse est esse auxiliatorem, protectorem, liberatorem.

Inducam vos in terram super qua levavi manum meam. Quid sit levare manum, in Genesi diximus. Super qua levavi manum, id est, quam iuravi, vel pro qua iuramentum praestiti, quam pollicitus sum: iurantes enim levant manus. Modus ergo rei pro ipsa re ponitur. Sic Petrus baptisma vocat Christum aut fidem in Christum, exterius pro interiori.

Narravit Moses omnia filiis Israel. Breviter hic perstringit omnia, multaque omittuntur, nempe quae locutus sit Mosche ad filios Israelis ex mandato domini, quaeque ipsi responderint; hoc tantum subiungit:

Non audiebant eum. Hoc est, non adquiescebant eius monitis; nihilominus iterum ad Pharaonem mittitur. Vide quot laboribus, quanto negotio opus sit, si quis iussa dei complere velit! nulla quies datur

Mosi, nulla dilatio. Sic oportet ministros dei perstare, neque unquam a laboribus molestiisque cessare, donec opus dei perficiant, ut verum sit: Per multas tribulationes ingredi oportet in regnum dei; et: omnes, qui pie vivere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur. Mox ergo rursus instruit Mosen dominus, dicens:

Ingredere et loquere ad Pharaonem regem Aegypti, et dimittat populum. *Et* pro *ut:* ut dimittat populum meum.

Ecce filii Israel non audiunt me, et quomodo audiet Pharao? Quasi diceret: Si filii Israelis populus tuus non audierunt me, populus ille tuus qui te colit: quanto minus rex impiissimus, tyrannus atrocissimus, qui dicit se te non novisse, audiet me?

Et ego incircuncisus labiis. Graeci dicunt ἄλογος, hoc est, nullius reputationis sum apud Aegyptios, nullius pretii sum. At Hebraicum schema hunc videtur habere sensum: Vir sum infacundus, rusticus, inelegans, incivilis, inurbanus, aulice loqui nescio; Germanice dicimus: Der hat ein unbehouen mund, er ist unbehouner, unbehobleter red.

Loquutus est Dominus ad Mosen et Aharon. Epilogus est omnium quae gesta sunt.

Ista sunt capita. Adiiciuntur haec quasi per epilogum; dicta autem sunt, ut adpareat unde nati sint isti, per quos ingens hoc negotium Deus perfecerit.

Hi sunt qui loquuntur. Emphasin habet, quasi diceret: Tametsi durum sit loqui cum Pharaone, tamen illi sunt qui negotium hoc arduum coram Pharaone adgressi sunt.

Filii Ruben. Duntaxat tribus tres recenset; incipit ergo a Rubeno et Simeone, maioribus natu, ut commode veniat ad tribum Levi, de qua praecipue dicturus est.

Loquere ad Pharaonem. Iam redit ad institutum.

Omnia quae ego loquor tibi. Hoc episcopi et magistratus munus est, ut intrepide quae Deus loquitur et ipse loquatur.

CAPUT VII.

Constitui te deum Pharaoni. Hoc est tu eris potentior eo, imperabis ei.

Aharon frater tuus erit propheta tuus. Prophetae vocabulum latum est in scripturis, ut supra in Genesi. Hic pro eo capitur, qui admonet, qui prodit sermonem dei. Propheta enim aliud nihil loqui debet, quam quod Deus praecipit. Et est mitigatio: Aharon pro te loquetur coram tyranno.

Indurabo Pharaonem. Puto Pharaonem non pure in praedestinatorum, sed in eorum numerum reiiciendum esse, qui flagitiis suis commeruerunt, ut a deo excaecarentur et indurarentur. Misit enim Deus verbum suum Pharaoni; quum vero audire noluit, merito induratus est. Unde in eius iudicio non erit ad praedestinationem anxie confugiendum.

Mittam manum meam super Aegyptum. Hoc est percutiam Aegyptum. Ich wil sy angryffen.

Per iudicia maxima. LXX transtulerunt *vindictas,* de quo

supra. Haec ad consolationem Mosi dicuntur: impatiens enim erat morae, et dominus promiserat se mirabilia facturum.

Erat Mosche octoginta annorum. Imperatorem et prophetam seniorem elegit Deus. Sic Paulus presbyteros, id est seniores eligere iubet, qui non solum annis, sed sapientia quoque promoverint.

Proiice virgam coram Pharaone, erit in colubrum. Hic Hebraico more omissa est coniunctio *et*, quae omnino ad orationis integritatem requiritur.

Fecerunt etiam sic malefici. Hic videmus mire tentari Mosis et Aharonis fidem: nam quis eos anxios fuisse negat, dum vident similia ab incantatoribus fieri? Fiunt autem haec a deo ad excaecationem Pharaonis, quo minus credat servis dei, quo minus intelligat a deo esse miracula quae a maleficis suis aeque fieri videt. Ita Deus aliquando permittit, ut etiam per malos et impios signa magna edantur, ad piorum tentationem ac probationem, Matth. XXIV; sed ut interim impii seducantur et plectantur. Hic etiam nota, quod maleficorum factum non vere fiebat, sed praestigium erat: creaturas enim mutare solius dei est. Attamen utitur scriptura his verbis sic *fecerunt*, quum non vere facerent.

Devoravit virga Aharonis virgas eorum. Catachresis est: nam virga non devoravit, sed serpens. Sic quod serpens erat virga vocatur, attribuiturque virgae quod serpentis est proprium. Ad eundem modum καταχρηςικῶς Christus panem corpus suum vocat, dicens: Hoc est corpus meum; quum tamen panem praebebat. Si vero nos ita appellamus, quemadmodum primus institutor, iam metonymia est.

In hoc cognosces, quod ego sim Dominus. Μυκτηρισμὸς est, sermo minax et severus.

Et laborabunt Aegyptii ad bibendum aquam de flumine. Eleganter Latini laborare pro penuria habere utuntur. Laborant bonae literae. Hoc modo hic utuntur Hebraei hoc verbo נלא, nila, Aegyptii carebunt aquis, defectum habebunt aquarum.

Extende manum tuam super aquas Aegypti. Quomodo Aharon manus extendere potuit super omnes aquas Aegypti? Sensus est: Dum flumen (Nilum scilicet qui per antonomasiam fluvius Aegypti dicitur) Aegypti tanges, omnes aquae Aegypti tactae erunt vertenturque in sanguinem. Potentia enim dei fluvium tetigit, ut ex sequentibus claret, quum dicit: Postquam percusserat Dominus fluvium. Miraculum ergo non Aharonis est, sed dei, tametsi Aharon flumen tangat.

Nec hoc ad cor posuit Pharao. Emphasin habet; quasi diceret: Nec eum movebat etiam tantum periculum. Per fluvios Aegypti potentes huius mundi intellige, qui omnia implent sanguine! At patitur deus, ut iuxta hos magnos fluvios aquam vivam fodiamus ad bibendum, (ubique enim pullulat Evangelium sanguine fidelium rigatum, quo tamen obrui sperant torrentes isti), donec septem dies, hoc est universum tempus, transeant.

CAPUT VIII.

Si nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. Officium prophetarum semper fuit in populo dei. Neque

enim aliquando fuit tempus, quo non per prophetas suos admoneret, et revocaret peccantes deus, contumacibus poenam et divinae irae vindictam comminaretur. Plenum sane periculo est officium prophetae, qui regibus et potentibus mundi divinum iudicium palam annunciaturus mittitur, quo nihil aliud quam omnium odium, persecutionem et necem sibi conciliat. Adeo amat nos Deus, adeo neminem perire vult, ut cum suorum periculo impios moneat et a periculo revocet.

In reliquias ciborum tuorum. Mihi videntur per שאר conservacula reliquiarum intelligi, in quibus res servantur, ut ranae non solum in domibus aut atriis, sed etiam in cellis et penuariis essent futurae.

Et ascendit rana, operuitque terram. Genus pro numero. Synecdochica est locutio.

Orate pro me ad dominum, ut auferat ranas a me, et a populo meo, emittamque populum ut sacrificet domino. Sic facit impia hypocrisis: dum adesse vindictam dei sentit, promittit quae se non facturum plane sciebat. Adparet, divinos Pharaonis ranas tollere non potuisse, tametsi litera non exprimit. Nam si potuissent, non rogasset Moschen et Aharonem Pharao, ut pro se apud Deum intercederent. Vivos pro vivis intercessisse scripturae testantur; mortuos pro vivis orasse sacris literis proditum non est.

Constitue mihi quando deprecer pro te. Hebraice: Indica mihi, dic clare et aperte! Erklär dich, thu dich uff! Miraculo ranarum potentiam suam ostendit Deus, qui summum regem vilissimis animalibus ita vincit et domat, ut Moschen pro se precari orare cogatur.

Videns autem Pharao quod respiratio data esset, ingravavit cor suum, et non audivit eos. Exemplum contumaciae. Mox ut respiratio data est, ad ingenium redit tyrannus: nec enim pudet datam fidem non servare.

Fecerunt sic incantatores incantationibus suis, ut educerent cinifes, et non potuerunt. Quomodo dicuntur fecisse quod non potuerunt? Capitur *facere* pro conari et ordiri rem ut facerent. Posterius pro priori, hysteron proteron est.

Digitus dei est hic. Manum et digitum dei pro potentia et virtute dei accipi, frequens est in sacris literis. Elegans autem est synecdocha, qua Hebraei virtutem dei non elevant, sed amplificant potius. Quasi diceret: Tam potens est Deus, ut solo digito omnium potentum huius mundi potentiam facile superet. Eodem modo capitur 3. Reg. XII. Malefici et incantatores sunt, quicunque simplicium oculos praestringunt, et veritatem obscurant; quorum hypocrisis tandem palam fiet, ut digitum dei adesse agnoscere, inviti etiam cogantur. Antea saepe miracula fecerant; in tam minutula re (ἠθολογικῶς loquor) dicere coguntur: Digitus dei est, et deficiunt. Fiunt haec, ut piorum fides probetur, impiorum audacia cognoscatur.

Induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos. Magna est duritia, malitia et temeritas carnis, quae tum maxime deprehenditur, quum se et legibus et poenis liberam sentit. Dum adest poena: omnia simulat, omnia pollicetur Pharao; mox ut aufertur ad ingenium redit.

Et implebunt domos Aegyptiorum (muscae scilicet) *terramque*

in qua habitant ipsi, scilicet Aegyptii. Nam Hebraica sic habent, וגמ האדמה אשר הם עליה, ve gam ha adama ascher hem alehah: Et etiam terram in qua ipsi super eam, scilicet habitant. Hebraismus autem est: in qua ipsi super ea. Sic alibi: eduxistis eos de lacu in quo non aqua in eo. Hic autem הם relativum ad ערב, non ad Aegyptios puto referri debere. Est enim antithesis, quum statim subdat, se terrram Goschen, in qua Israelitae habitabant, singulari quodam miraculo servaturum, in hunc modum: אשר עמי עמד עליה, ascher ami omed alehah, in qua populus meus stans super eam. Capitur autem stare Hebraeis pro habitare, quemadmodum Germanis. Dicimus enim: Der staat zu Fryburg, zu Paryſs, hoc est illic degit, habitat, moratur.

Ut scias quod ego dominus in medio terrae. In medio esse Hebraismus. Quid vero significet hic clarum fit: principem scilicet esse et dominum.

Ponamque divisionem inter populum meum, et populum tuum. Ex Graecis interpretatus est Latinus, qui legunt διαςολὴν, Hebraei vero liberationem. Est autem μετάληψις: per distinctionem enim sive interstitium fit liberatio; hinc factum est, ut Graeci διαςολὴν, distinctionem pro liberatione posuerint. Novit Dominus suos e tentatione eripere.

Non est integrum ut sic faciamus, abominatio enim est Aegyptiis, sacrificabimus domino deo nostro, quod si sacrificaremus abominationem Aegyptiorum in oculis eorum, num non lapidibus nos obruerent? Sermo hic valde tersus est apud Hebraeos; videtur autem δίλημμα esse cum antithesi, quae antithesis elegantiam habet ex ἠθολογία. Ut sit sensus: Si sacrificaremus deo nostro abominationem vestram (id est ritu et more vestro, qui nobis abominabilis est): offenderemus deum nostrum. Iam sequitur altera pars antithesis: Si vero abominationem nostram (hoc est, ritu et more nostro qui Aegyptiis abominatio est) sacrificaremus deo nostro in oculis Aegyptiorum, id est coram Aegyptiis: fieri non posset, quin nos lapidarent. Alii ἐπιφώνημα esse dicunt, et tunc idem manet sensus; at gratia perditur.

Similes sunt hac tempestate principes quidam Pharaoni, qui Evangelium quidem praedicari permittunt; at tali conditione, ne vitia dure taxentur, ne quid in templis immutetur, ne tumultus excitetur. Mox rationem ineunt perdendi in totum Evangelii. Hos non immerito sic alloqui licet: Si praedicamus vobis verbum Dei ex praescripto vestro: abominatio erit deo nostro. Quod si, ut Deus praecipit, praedicare pergimus: abominatio erit in oculis vestris: non enim ferre potest pontifex Romanus, ut evangelium Christi pure et libere praedicetur. Nihil ergo ministris verbi dei expectandum, si modo deo suo obsequi velint, quam ut lapidibus obruatur. At oportet deo plus obedire quam hominibus neque eos timere, qui corpus occidunt, in animam nullam habent potestatem. Resistamus ergo eis quemadmodum Pharaoni Moses, qui populum dei captivum tenent, nec libere sinunt currere verbum dei. Per cinifes et muscas adfectus nostri non inepte adumbrantur:

adhaerent enim tenacissime et aculeis suis pungunt; a quibus si nos liberat Deus, caveamus ne cor nostrum induretur et peius fiat. Per vilissima animalia expugnat deus eum, quem populus Israel expugnare non poterat, ut in omnibus potentia et virtus dei manifesta fiat utque se omnium dominum esse ostendat.

CAPUT IX.

Pestis valde gravis. Pestis vocabulum latam habet apud Latinos significationem. Hic pro pestilentia capitur, quam Hebraei דבר, deber, vocant, quemadmodum Germani *das ding.* Graeci ϑάνατος dicunt; ponunt autem mortem pro pestilentia. Sic Germani *der tod ist im land*, intelligentes pestem per antonomasiam.

Nihil omnino pereat. Hebraice est לא דבר, lo dabar. Capitur autem dabar Hebraeis pro minutissima recula quae in rationem venire potest. Latinus diceret: ne tantillum quidem, ne minimum quidem; Germanice *nit eins dingly.*

Mortua sunt omnia animantia. Sed quomodo hoc cum eo quod sequitur quadrat.

Erant ulcera in iumentis. Vox Hebraea כל, kol, quae omne significat, non capitur distributive sed collective, et est synecdocha: magna enim pars iumentorum peste interiit. Sic 1. Timoth. 11. Deus vult, ut omnes homines salvi fiant, hoc est, ex omni hominum genere.

Ingravatum est cor Pharaonis. Miserat Pharao servos, ut resciret, periissetne aliquid ex Israelitarum pecoribus. At posteaquam intellexerat nihil eos damni accepisse (unde merito resipiscere et divinam potentiam agnoscere debuisset): magis magisque eorum felicitate exulceratur atque invidia contabescit, bonitate dei et aliena felicitate abutens; hoc tamen melior quibusdam nostri seculi tyrannis, qui non solum aliis salutem invident, sed salvos quoque interimunt ac funditus perdunt.

Accipite vobis plenas volas fuliginis de camino. Accipite vobis קחו לכם, kehu lachem, ex Hebraeorum more, qui frequenter huiusmodi pleonasmis utuntur, quemadmodum et Germani: Nemmend uch, nim dir. Hoc Latinus non admittit. Loquitur autem ad ambos, quum tamen solus Moses fuliginem spargere iubetur; est autem heterosis numeri.

Erunt in hominibus et iumentis ulcera et vesicae turgentes in universa terra Aegypti. Hebraei dicunt: שחין אבעבעות, schehin ababenoth, quorum alterum ulcus, alterum bullam aut inflationem significat. Derivatur autem vox posterior a בעה, bieh, quod bullas in aquis proiicere aut conflare significat, quod a fervore fieri scribit Rabbi David Kimhi. Et Graeca vocabula ab ardore et incensione nomen habent. Quod ratione physica (cuius Moses expertissimus fuit) factum arbitror. Nam bullae, ulcera et quicquid est tuberum aut tumorum in corpore, ex incensione nasci compertum est, calore in humorem agente eundemque expellente, atque tubera in corpore, velut in arbore gemmas, protrudente, quae caloris in frigidum et humidum actio magnum in corpore dolorem excitat. Quae fervore carent ulcera minus dolent. Hunc ardorem et incensionem, Graeci φλεγμονὴν vocant.

Sparsit fuliginem Moses in coelum coram Pharaone. Spec-

tante Pharaone fuliginem proiicit Moses, ne Pharao arte aliqua aut incantatione factum suspicari posset, si clam fecisset. Potuisset Deus etiam absque fuliginis sparsione ulcera et bullas mittere, sed variis modis ostendit suam potentiam et virtutem, nonnunquam nudo verbo, ut supra in peste; aliquando instrumento aliquo et re corporali, ut dum aquam fundi iubet super terram, dum virgam vertit in colubrum, dum hic fuliginem sparsit, ut in omnibus eius vim atque potentiam agnoscamus. Sic Christus modo curat solo verbo, Lucae XVIII, dum caecum recepto visu respicere iubet; modo adhibito instrumento, ut dum lutum super oculos caeci ponit, Io. IX. Tametsi enim omnia per se ipsum, nullo cooperante, perficere potest deus: solet tamen plerumque nostris se infirmitatibus adcommodare, exteriora adhibens nostri causa, ut et caro nostra aliquid habeat quod prehendat et quo se quasi teneat. Sic baptismum in aqua constituit, symbolo nimirum ablutionis. Qui enim lavatur, sordidus esse convincitur, puritatem desiderat. Eandem significationem gerebat circumcisio, amputans quod superfluum erat. In utroque sacramento nova et pura vita adumbratur. Fuligo in oculis Pharaonis spargitur, quae adfectuum tenebras et mentis caliginem in Pharaone significat. Quod Moses spargit, non Aharon, quum tamen prius Aharon terram virga tetigerat, decorum servatur, Aharon enim propheta est, cuius officium est terram pectoris nostri tangere, hoc est ob scelera nos dure increpare. Moses vero coelum versus pulverem iacit, hoc est fidelis quisque orationem pro aliis ad deum effundit. Item rebus minutissimis et contemtissimis regum potentiam deus disturbat et deiicit, ut videant tyranni, quam nihil sit eorum manus, et non magno exercitu egere ut eos debellet, qui possit hoc et ranis et muscis efficere.

Induravit dominus cor Pharaonis. Eadem locutio idemque sensus est: Induravit dominus cor Pharaonis et induravit cor suum Pharao, et induruit cor Pharaonis.

Quemadmodum dominus loquutus erat ad Mosen. Hic LXX *συνέταξε* dicunt, quod significat *praecepit*; quum tamen in superioribus semper ex Hebraico *καθάπερ ἐλάλησε κύριος* verterint. Qua ex re colligi potest, Graecos olim *συντάττειν* non solum pro praecipere, sed etiam pro mandare, colloqui, confabulari, congredi, loqui, usos fuisse.

Hac vice mittam omnes plagas meas ad cor tuum. Sic enim legunt Hebraei. Magnam autem habet emphasin haec comminatio: Cor tuum tangam plagis meis, ut potentiam meam et sentias et agnoscas, quam et ferre cogeris, quantumvis resistas. Ego talibus plagis vos percutiam, ut etiam in corda vestra penetrent, ut summo dolore adficiantur corda vestra.

Nunc extendam manum meam, percutiam te et populum tuum; dissipaberisque de terra. Haec apud Hebraeos in praeterito leguntur: Misi manum meam percussique te et populum tuum peste, dissipatusque es de terra: nam pestis iam, ut auditum est, praeterierat. Quod Hebraeis frequens est propter certitudinem divinae promissionis. Aut schema est, quemadmodum Germanice dicimus: Der künig ist geschlagen, quum non rex, sed exercitus eius caesus sit.

Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam. Hebraice sic: Veruntamen propter hoc feci te stare, hoc est servavi te in vita, ich hab dich auffrecht lassen blyben, statui te, feci te consistere, in tanta peste te servavi, ut ostendam tibi virtutem meam; vel ut alii dicunt: ut sis tu perpetuum exemplum potentiae meae, quam in te exercui; tu tamen induratus me non agnoveris. Sunt qui העמדתיך, heemadethicha, exponunt: Induravi te in malitia, ut mundo exemplum in te edam. Hoc maxime considerandum est tyrannis, qui vi sua et potentia omnia posse se iactitant, ipsorumque esse tum bellum, tum victoriam existimant.

Et narretur nomen meum in omni terra. Hoc est memorabile et celebre reddatur, etiam in illis terrarum locis, ubi hactenus mei memoria non est facta.

Adhuc retines populum meum. Quod Latinus dicit *retines*, Hebraeus מסתולל, aggerem ponis. Est autem pulchra metaphora: nam qui aggerem ponunt, erumpentium aquarum excursionem ac impetum cohibent, ne latius evagentur. Graeci dicunt ἐμποιῇ, infacis, eynthun. Notandum etiam, apud Hebraeos conditionalem esse orationem, tametsi nota conditionis omittitur: Si tu populum meum adhuc prohibes: ecce ego pluam etc. Ubi etiam manifestum fit, Hebraeos sua pasuk magis propter numerum, quam sententiarum distinctionem, ponere. Est enim hic in media sententia pasuk, sic: עודך מסתולל בעמי לבלתי שלחם הנני ממטיר: Hoc idem paulo superius ab initio capitis habetur in ista oratione כי אם מאן אתה לשלח ועודך מחזיק בם: הנה יד יהוה

Mitte, collige iumenta. Hebraice *coge*. Est autem metalepsis, *cogendi* verbum pro colligendi, congregandi. Tityre, coge pecus! Saepe monet deus, sed caeca impietas omnia contemnit. Neque enim unquam plaga aliqua tam magna fuit, quam non admonitio Dei praecesserit: tanta est dei bonitas, tanta rursus nostra malitia, ut frustra nobis haec omnia fiant.

Qui timebat verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos et iumenta in domos. Qui verbum Dei reverebantur, colebant, quibus verbum domini pretiosum fuit in cordibus suis, qui credebant verbo Domini. Vides et malorum aeque et bonorum pecora servari, sed credentium verbo Dei: nam tales resipuerant. Quod si pecora Aegyptiorum servavit Deus: cur dubitamus eum nos servaturum (siquidem crediderimus), quum pecoribus sumus longe praecellentiores?

Qui vero sermonem domini ad cor non ponebat. Ad cor ponere Hebraismus est etiam Germanis communis zhertzen setzen. Qui verbum Dei non curabat, negligebat. Sic in libris Regum Abscholom posuit rem in corde suo, quod scilicet Amnon sororem suam vitiaverat.

Dominus dedit voces. קלת, koloth, voces, pro tonitruis ponit Hebraeus. Adpellativa pro propriis et generalia pro specialibus poni per synecdochen frequens est Hebraeis.

De eo tempore quo fuerunt in gentem Aegyptii. Hoc est ab eo tempore quo coepit habitari Aegyptus. Tametsi sunt, ut est apud Diodorum, qui in Aegypto homines primum natos autument. Gens certe est vetustissima etsi non prima.

Cunctam herbam agri percussit grando. Hic speciale pro generali ponit: nam עשב proprie virentem herbam significat; hic autem pro omni eo ponitur quod crescit. Sic mox infra: *Et omne lignum regionis*, lignum pro arboribus frugiferis ponit. Sic Germanice dicimus: Der hagel hat alles holtz deſs välds übel zerschlagen, per ligna arbores intelligentes.

Peccavi etiam hac vice, vel etiam nunc. Hebraeus legit: Peccavi vice vel vicibus. Quasi diceret: Peccavi aliquot iam vicibus. Qui sensus huic loco et poenitentiae Pharaonis videtur esse magis commodus, quam si diceret: hac vice. Saepe antea fefellerat; attamen, malo praesente, deum iustum fateri cogitur impietas; sed vera pietas etiam in prosperis Deum agnoscit.

Orate pro me, Dominus iustus, ego et populus meus impii. Hoc agit hypocrisis: ore quidem Deum iustum, se impium fatetur, at corde non credit: longe enim est a deo; simulat se dimissurum populum praesente poena, quum in animo nihil minus habeat. Audacia et hypocrisis quum erumpere non potest, in latebras suas se abscondit, omniaque pollicetur, donec quod metuit, tollatur; tum ad ingenium redit. Haec Iudae poenitentia est et impiorum omnium: casum deflent, gratulantur se admonitos, sed per simulationem omnia.

Ut scias quia Domini est terra. Quasi diceret: Ut cognoscas Dominum esse dominum terrae, non te; sed hoc per aposiopesin reticet. Quum ergo ablatam grandinem videris: agnosce dominum, cui hoc, non naturae, non casui, acceptum feras.

Scio quod tu et servi tui, necdum timeatis Deum. Hebraeus ad verbum sic habet: Et tu et servi tui, cognovi quod priusquam timebitis deum. Sed pro טרם, taerem, quod *priusquam* significat, Chaldaeus עד לא, ad la, id est *adhuc non* posuit. Sensus ergo esset: Hoc scio fore ut nec tu nec servi tui adhuc deum timeatis, tametsi iam tot signa et portenta vidistis, tametsi promittitis. At Hebraei non habent hanc dictionem *non*. Puto Hebraeis טרם esse quod Latinis *inante*, id est posthac, ut Moses εἰρωνικῶς dicat: Scio fore ut tu et servi tui posthac timeatis deum.

Ut desinant tonitrua dei. Hebraeus sic legit ורב מהיות קלת אלהים, ut satis sit de tonitruis dei. Utuntur autem Hebraei *multum esse* pro satis esse, quemadmodum Germani: Es ist sein zevil, hoc est es ist sein genug. Ora deum ut perficiat, ut finem faciat, ut cessent tonitrua: satis enim superque est.

Linum iam folliculos germinarat. Id est nodulos. Graeci sensum intelligentes transtulerunt σπερματίζειν, quod semen facere significat: nam in folliculis semen continetur.

Addidit ad peccandum. Hebraismus est: id est rursum peccavit, ultra peccavit, rediit ad ingenium, fidem fregit.

CAPUT X.

Dixit dominus ad Mosen, ingredere ad Pharaonem, ego enim induravi cor eius. Cur ad eum mittat quem indurat, superius

diximus. In testimonium scilicet. Sic Iesaiam praedicare iubet, et simul excaecare eorum oculos, aures adgravare, et indurare cor ne obsequantur aut credant. Simili modo evangelium praedicari iussit Christus in salutem omni credenti, impiis in condemnationem. Ideo mox subiungit:

Et narres in auribus filii tui et nepotum tuorum. Ut et hi potentiam et magnitudinem dei cum gratiarum actione recolant, ac deum tantum metuant ac venerentur. Capitur autem filius et nepos pro toto populo Israelitico *συνεκδοχικῶς*. Est enim Hebraeis haec figura frequens, ut pars pro toto, rursus totum pro parte ponatur, genus pro multitudine, multitudo pro genere, aliquando magna pars multitudinis pro ipsa multitudine aut pro ipso genere. Sic mox locustam pro multitudine locustarum accipit, et oculum terrae pro superficie terrae, quod cuiusque rei superficies oculus et facies eius est.

Nec quicquam eius adpareat. Hebraeus legit: Et non poterit videre terram; quod impersonaliter vertendum erat: Und man mag die erden nit sehen. Quemadmodum enim Latini impersonalibus verbis in passiva voce utuntur (*legitur*, man lifst): sic Hebraei suis impersonalibus in activa voce utuntur לא יוכל לראת, lo iuchal lireoth: Man mag sy nit sehen. LXX eleganter personam tertiam in secundam verterunt. Dicunt enim: Tu non poteris videre; sic quum Germanice dicere vis impersonaliter: Wenn man das thut, versa persona dicis: Wenn du das thust.

Usque quo patiemur hoc scandalum? Hebraeis est, מוקש, *mokesch*, quod significat laqueum, ruinam, offendiculum. Graecis est *σκῶλον*.

Nonne vides quod perierit Aegyptus? Elegantius Hebraei: An ne prius cognosces quod periit Aegyptus? Duplex potest esse sensus: Visne perdi Aegyptum? Aut ut טרם, taerem, *prius* pro potius exponamus, et תדע *cognosces* pro videbis, experieris. Sic: Nisi potius videre velis totam Aegyptum perdi. Sic etiam Germani prius utuntur pro potius: Ich wolt ee das du undergiengest.

Sic dominus sit vobiscum. Sic fiet, Dominus sit vobiscum. *Μυκτηρισμὸς* est, sermo cum naso et sanna: Sic fiat Dominus vobiscum, quemadmodum dimissurus sim vos cum parvulis vestris.

Cui dubium est quod pessime cogitetis? Hebraice: Videte quod malum coram vobis. Videte pro videtis, imperativus pro indicativo, quod et Graecis frequens est; at cum interrogatione quadam. Sehend jr, das jr böses vor euch habend. Quasi diceret: In hoc video vos mali aliquid moliri.

Non sic fiet, sed ite tantum viri et sacrificate domino, hoc enim et ipsi petistis. גברים adultos et fortes intelligit, qui ad profectionem idonei sunt. Quasi diceret Pharao: Quandoquidem dei vestri cultum duntaxat quaeritis et ad cultum idonei non sunt nisi adulti: quid ergo parvulis cum sacrificio et festivitate? Ex causa arguit Pharao. Haec autem causa Hebraeis a fine ponitur: Hoc enim solum quaerebatis; hoc est semper praetexuistis sacrificium et cultum dei vestri. Quandoquidem ergo solum hoc quaeritis: eant ergo qui ad hanc rem sint

idonei! Hic aliam tyrannidis speciem videmus, quod non audit aulicos suos et consultores: audire enim debet rex principes et optimates; quos si non audit, iam tyrannus est. Pharao ergo nec illos audit, qui optime consulunt: exuit enim omnem pudorem, omnem reverentiam, tam dei quam hominum.

Et mane facto ventus urens, levavit locustas. Hebraice: Ventus orientalis adduxit locustas.

Vastantes omnia. Pro quo Hebraeus dicit: Et obscurata vel obtenebrata est terra. Est autem μετάληψις, obtenebrata pro devastata, depasta.

Festinus Pharao vocavit Mosen. Festinavit vocare Mosen, id est sategit, seu mox vocavit quos non ita dudum eiecerat.

Dimitte peccatum meum. Hebraei *tollite*; LXX *suscipite* legunt: nam suscipere Latinis est patrocinari alicui, patrocinium alicuius suscipere.

Etiam vel saltem hac vice. Quasi diceret: Et huius delicti veniam mihi a deo impetrate! nunquam posthac committam ut hunc offendam. Haec non ex corde, sed fallendi animo loquitur. Nemo duritiam et inconstantiam Pharaonis, qui tot portentis et admonitionibus non solum non movetur, sed durior fit, mirabitur, cui carnis ingenium probe perspectum est. Omnes, quum adversa ingruunt, resipiscentiam meditamur, pollicemur etiam, donec praesens malum effugerimus; at parum eorum praestamus quae promittimus, quod tota vita nostra testatur. Neque desunt nobis tum admonitiones, tum portenta, quae omnia indurato corde contemnimus.

Ut auferat a me mortem istam. Ut vel hanc mortem a me auferat. Hoc solum spectat tyrannus, ut praesens malum tollatur, non ut melior fiat. Mortem pestem vocat et luem locustarum.

Exivit a Pharaone. Moses scilicet, cuius nomen apud Hebraeos non exprimitur, quum tamen ambo exiissent: nam ambo vocati erant. Sunt autem eiusmodi ἑτερώσεις frequentes Hebraeis, ut hic clarum fit: aliquando facit solum Mosen loquentem, quum ambo loquantur; aliquando ambos, quum solus Mosche loquatur. Sic in Evangeliis Petrus loquitur omnium nomine; nonnunquam vero omnes, sed per unum.

Qui flare fecit ventum. Hebraeus legit: Et vertit dominus ventum occidentalem. Euro locustas adduxerat, zephyro iterum tollit. Occidentem autem mare vocant Hebraei, quod mare mediterraneum illis est ab occidente. Quod solo verbo potest, instrumento efficit deus, ut omnia in eius potestate esse videamus.

Et induravit dominus cor Pharaonis. Post tot portenta, tot clades, post tantam luem nihilo melior factus est Pharao, sed in coepta perfidia et crudelitate perstat. Sic faciunt omnes impii. Per locustam, animal alte volans et coelum versus sese elevans, Pharaonis et servorum eius fastum et contumaciam contra potentiam dei intellige! Quae in mare vento delatae Pharaonis et servorum eius in mari rubro mersionem figurabant.

Dicitur quandoque Pharao se ipsum indurare, quem tamen dominus induraverat. Ubi nota, quod quemadmodum non raro bona, quae ipsis

solius sunt, nobis tribuit: ita et indurationem, quam ipse malis nostris exigentibus operatur, nobis tribuere solet, quod nos eum ad hoc malitia nostra provocamus.

Sint tenebrae super terram Aegypti tam densae, ut palpari possint. Bifariam dicuntur tenebrae palpabiles. Primo per hyperbolen, id est valde densae, densissimae tenebrae, nebulosae. Secundo figurate dicuntur palpabiles, quod homines faciant palpare aut palpitare: ut quum dicit Poeta: Uritque videndo femina, id est, dum videtur femina, uritur videns; ubi ustio mulieri tribuitur per ἐναλλαγήν.

Tribus diebus nemo movit se de loco in quo erat. Hebraice: nemo surrexit de sub se. Omnia per hyperbolam dicuntur: neque enim immoti stabant homines, sed ad opera et negotia sua nemo exire poterat. Es kond niemand nüt schaffen, es kond niemand aufskummen. Non surrexit vir vir, id est quisquam, איש, isch. Locus hic dicitur non ille, in quo aliquis esset circumscriptus, sed domus aut habitatio in qua quisque manebat. Exteriores tenebras ei offundit deus, quem intus in corde obcaecaverat. Nobis non licet divini consilii rationem pervestigare, quare scilicet cynomia, culicibus, grandine et aliis tyrannum domare voluerit; quum tamen absque his omnibus Aegyptum funditus evertere potuerit. Sic placuit illi: nihilominus corporalibus rebus utitur ut instrumentis, quo potentiam suam nobis plenius ostendat, quod scilicet vilissimis et abiectissimis rebus summa quaeque et potentissima mundi conterere possit, si velit. Homo animal est infirmum et fragile, contra deum sese erigens et sublimia cogitans; audet contra creatorem suum pugnare eumque contemnere. Hunc deus punit contemtissimis rebus, ut discat homo coram tanto ac tam potente deo humiliari, creatorem suum revereri, agnoscere potentem dei manum. Homo enim ita conditus erat, ut deo subesset, ipse vero omnibus animalibus ac creaturis praeesset, quod dominium peccato nonnihil diminutum est. Quod si homo contra suum creatorem ferocire incipit: iam deus minutissima quaeque sic armat, ut videat miser homo se nihil esse. Scribit Plinius, tota regna, totos populos, minutis animalibus vastatos esse.

Etiam parvuli vestri eant vobiscum. Iuventus vestra, pubes vestra. Vocem Hebraicam טף, taph, Graeci ἀποσκευὴν verterunt. Utuntur autem Graeci hac voce pro omni eo quod nobiscum aut ferimus aut accipimus, hoc est pro sarcinis. Et ego טף, taph, hic Hebraeis puto accipi pro omni turba imbelli, pro liberis, servis, famulitio, et plane pro his quae inter sarcinas censentur aut apud eas sunt.

Ut faciamus domino deo nostro. Id est, ut offeramus, sacrificemus. Sic Poeta: Cum faciam vitulam pro frugibus, ipse venito!

Ne ungula quidem ex eis remanebit. Schema Hebraicum, simile Germanico: Nit ein klaw, id est ne ungula quidem.

Et nos non novimus quid sacrificaturi simus. *Vof* Hebraicum varie exponi in Genesi alicubi annotavimus. Hic causalis est pro *nam*. Sic apud Graecos ἡμεῖς δὲ ὀυκ οἴδαμεν, δὲ pro γὰρ, *autem* pro *enim*, ponitur. Causam enim subdit Moses quare non velit post se relinquere greges et armenta; praetextus autem est quo prudenter omnia cavet. Potuisset enim dicere Pharao: Tot et tot pecora dabo vobis; reliqua

ego servabo. Dicit ergo Mosche: Nam ignoramus nos quid offerendum sit, donec illo venerimus. Mox infra ᾗ δὲ ἂν ἡμέρᾳ *quacunque enim die*, iterum autem pro enim, δὲ pro γὰρ, rationalem pro causali reperies.

Ita fiet ut loquutus es, non videbo ultra faciem tuam. כן, ken, pro sicut exposuit. *Quemadmodum* locutus es, sic vel ita fiet, vel sic dixisti, ut non videam amplius faciem tuam. Potest etiam esse sarcasmus.

CAPUT XI.

Adhuc una plaga tangam Pharaonem. Internecionem primogenitorum hic intelligit: nam submersio extremum malorum omnium fuit, quo funditus perditi sunt.

Et cum dimittet vos de integro, eiiciendo eiiciet vos hinc. Primam partem Latinus non transtulit: Quum in totum dimittet כשלחו כלה, citissime vos expellet ac eiiciet: hoc enim anadiplosis verborum *eiiciendo eiiciet* potest.

Commodato accipiat vir a proximo suo, et mulier a proxima sua. Hic איש vir pro quisque, אשה mulier pro quaeque ponitur, quod et Germanis in usu est: Der mann, das wyb gäbe dry schilling, hoc est yeder, yede. Septuaginta habent ἕκαςος.

Et dabit Dominus gratiam populo in oculis Aegyptiorum. De se loquitur Dominus in tertia persona, quod quidem proprium est Hebraeis: Faciet dominus populum Israeliticum gratum Aegyptiis. Quum ergo, ut interim hoc discamus, aliquis tibi mutuo dat aut commodato, acceptum referas hoc deo, qui gratum te fecit creditori, qui cor eius traxit ac flexit, ut te favore prosequeretur. Contra cum tibi negat aliquis, quae ab eo petis, id peccatis tuis adscribas, ob quae te creditori invisum reddit.

Fuit Moses vir magnus valde in terra Aegypti, coram servis Pharaonis et omni populo. Ἀνθυποφορά est, cur toties redeuntem et increpantem Moschen Pharao non occiderit, quum tamen id minatus esset: erat enim Mosche vir magnus. Sic Herodes metu deterritus est ab occidendo Ioanne, quod a populo ceu propheta sit habitus, Matth. XIV. Et Pharisaei de occidendo Christo clam consultant, quem palam propter tumultum populi interficere non audebant, quod magnus erat coram omni plebe. Qui vere magni esse cupiunt, pietati et innocentiae studeant! Nam nihil est quod tam clarum ac insignem reddat hominem, quam vitae et morum integritas.

A primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius usque ad primogenitum ancillae quae est ad molam. Super solium sedere Hebraico schemate est regnare. Intelligunt ergo quidam per sedentem in solio eum filium regis, qui iam regno esset inauguratus. Mihi magis probatur quod sit antithesis, qua summum et infimum, praecipuum et abiectissimum simul iungat. A primogenito regis qui sedet super solium, id est qui regni capax est et per hoc summus, usque ad eam ancillam, quae in mola est, hoc est ad abiectissimum. Locus est a sufficienti divisione; quasi diceret: Nihil est tam magnum, nihil tam abiectum cui parcetur.

Apud autem omnes filios Israel, non mutiet canis, ab homine usque ad pecus. Vehemens est exclusio. Utuntur autem Hebraei hoc schemate, ab homine usque ad pecus, bifariam: primum ut excludat; id est nec homo nec pecus; secundo ut includat, tam hominem quam pecus.

Et descendent omnes servi tui illi ad me, procidentque ante me, dicendo: Exi tu et omnis populus qui sub te est. Hoc subdit Mosche, ne perduellionis crimen inuri ei possit. Omnis populus qui sub pedibus tuis est, dicit Hebraeus, pro populo qui sub tuo est imperio, vel qui tecum est, quorum tu imperator es. De quo superius in Genesi.

Et exivit a Pharaone iratus nimis. Hebraei dicunt: Exivit in ira furoris, quod quidam ad Pharaonem referunt; videtur tamen ad Mosen referendum potius esse. Exivit Moses cum stomacho.

Non audiet vos Pharao, et multa signa fiant in terra Aegypti. Hebraeus vero sic habet: Non audiet vos Pharao, ut multa portenta mea fiant in terra Aegypti. Sensus est, ut multa signa fiant, id est satis signorum, ut superius de רב diximus: id est ut ego perficiam et compleam omnia ostenta mea super Aegyptum, das ichs ufsmache mit den zeichen: nam est רבות, reboth.

Moses autem et Aaron fecerunt omnia signa et ostenta. Epilogus superiorum omnium quae coram Pharaone sunt gesta.

CAPUT XII.

Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Martius scilicet Hebraeis נסן, nisan. Hunc mensem etiam Romanis aliquando primum fuisse argumentum est, quod adhuc septimum mensem Septembrem vocant.

Decima die mensis huius, accipiat unusquisque pecudem per domos patrias, singulis domibus singulas pecudes. Tribus Israelis duodecim erant, quae divisae erant in patrias aut familias, deinde familiae in domos. Huius exemplum habes superius cap. VI, ubi legis tribum Levi divisam esse in tres familias. In familiis et domibus quidam erant praecipui, quos patres vocant; dicit ergo hic בית אבות, beth avoth, domus patrum. LXX οἶκος πατριῶν. Iuxta domus ergo et familias pecudem occidere iubentur, pecudem, id est agnum aut hoedum: nam haec vox שה tam agnum quam hoedum significat.

Quod si minor est domus, quam satis sit ad agni esum, accipiat vicinum suum qui coniunctus est domui eius iuxta numerum animarum, quae ad pecudis esum sufficere possint. Hinc manifestum fit, domum hic pro familia, non habitatione capi: nam si quaelibet domus occidisset pecudem, quomodo quum minor esset numerus, vicinum, qui et in domo sua pecudem mactaverat, ad se vocare potuisset? Est ergo, quum dicit: Per singulas domos, de principalibus domibus familiarum intelligendum. Iuxta numerum animarum, id est hominum, Hebraico more, qui hominem totum iam corporis aut carnis, iam animae vocabulo adpellant.

Iuxta quem ritum tolletis et hoedum. Nescio quid interpres

Latinus sit secutus: nam Hebraica longe aliter habent. Quum praescripsisset, qualisnam esse debeat agnus, תמים, thamim, integer scilicet (seu ut Latinus dicit absque macula, id est qui non sit vitiato corpore, das kein prästen habe, unpresthaft, gangheilig, ne de macula, sed de vitio corporis intelligas), masculus, anniculus, mox unde accipiendus sit, subiungit מן הכבשים ומן העזים תקחו, min hakbaschim umin haisim thikahu, id est de agnis et de capris accipietis eam, scilicet pecudem. Pro quo Latinus dixit: Iuxta quem ritum tolletis et hoedum, non sine damno nativi sensus. Qui plane iste est: Decima die huius mensis accipietis pecudem שה, saeh; hanc autem accipietis sive de ovili sive caprili. Quum ergo apud Latinum sequitur: Iuxta quem ritum accipietis et hoedum, confusio non parva suffunditur, quasi cum agno hoedus simul sit mactandus, quum alter per singulas familias tantum iubeatur et occidi et manducari. Potest ergo occidi ex agnis aut ex capris *paesa.*

Et mactabit eum universa multitudo filiorum Israel inter vesperam. ערב, vespera, Hebraeis videtur nominari a quatuor, etiam si metathesis interveniat, quod scilicet quarta pars sit diei. Nam sicut nox in quatuor vigilias, ita forte dies in quatuor partes fuit divisa, quarum ultima, scilicet quarta, vocetur vespera. Sed quomodo omnes potuerunt unum agnum mactare? Synecdocha est. Eadem autem pecus per singulas ac omnes domos edebatur, quod mens eadem erat eademque fides omnium ac gratulatio; tametsi quaelibet patria propriam pecudem habebat. Unitas enim non a re, sed ab uno spiritu, una mente, una fide accipitur. Nam alioquin ne duo quidem simul vescentes, unum cibum edere possunt. Sic in eucharistia (cuius hic esus typus est, ut in sequentibus dicemus) credentes unum panem edere dicuntur, quo se unius corporis membra esse declarant.

Cum lactucis agrestibus. Hebraea vox, מררים, merorim, ab amaritudine nomen habet; lactucae autem amarae non sunt, quae a medicis propter nutrimentum edi praecipiuntur; amara autem non nutriunt. Puto ergo pro lactucis dici debere cum acetariis. Medici vulgo vocant acetosam Ampfern. Est autem herba amara, hoc est acerba. Veteres Latini inter amarum et acerbum non distinguebant. Amarum ergo proprie insuave et contrarium dulci. Forte tempestate Hieronymi πικρίδες pro lactucis silvestribus accipiebantur.

Non comedetis ex eo crudum. Quid sibi vult hoc praeceptum, quum alioqui nemo mortalium crudam carnem edere soleat? Dicunt Hebraeorum Rabbini, dictionem נא, quam crudum vertit Latinus, Arabica lingua, quicquid assum non est, significare.

Caput cum pedibus et intestinis eius. Synecdochicos per partes totum intelligit. Quum exta aut intestina audis, mundam partem extorum accipe, quae esui apta est!

Nihil remaneat ex ipso usque mane, quod si quid residuum fuerit, igne comburetur. Quomodo ista simul conveniunt: Nihil remaneat, et si quid remanserit? Nihil facere debebant reliquum quod edi posset. At ossa, crustulae et nervi, reliquaque quae edi non possunt, comburi iubentur.

In cunctis diis Aegypti faciam iudicia. שפטים, schephatim, iudicia pro vindictis poni, et אלהים, elohim, pro potentibus, iam saepe auditum est. Sensus ergo est: Ego me de potentibus Aegypti vindicabo; ego puniam potentes Aegypti qui oppresserunt populum meum, liberaboque eos de manu eorum.

Ego dominus. Quasi diceret: Ego enim sum dominus in coelo et in terra, in cuius potestate sunt omnia, cui quum voluerit subest posse. Sermo est confirmantis et quasi iurantis.

Et videbo sanguinem. Emphasin habet hoc verbum: Aspiciam, id est parcam; ubicunque hunc sanguinem reperero, non puniam, transibo.

Habebitis hunc diem in monumentum. In recordationem, in memoriam, ut scilicet perpetuo memores sitis eius beneficii, quod vos ab Aegyptiaca servitute liberaverim, quod vobis transitis Aegyptiorum primogenita interfecerim, atque ut pro his gratias agatis: nam memoria hic pro gratiarum actione capitur, ut 1. Paralip. XVI. Ita Christus in coena suae passionis *μνημόσυνον* instituit, quam Graeci *εὐχαριστίαν*, id est gratiarum actionem vocarunt. Et Paulus mortem domini, quotiescunque hic panis editur, annuntiare iubet, hoc est gratias agere deo pro morte filii sui.

Quicunque comederit fermentatum, eradicabitur anima illius de Israel. Non de morte, sed de exclusione aut excommunicatione intelligi videtur, quod vocat Paulus *tradi satanae* ad interitum carnis. Nam per antithesin traditionem satanae ad interitum carnis iustificationi carnis opponit. Qui enim ecclesia propter aliquod flagitium eiicitur, fieri potest, ut corde poenitens coram deo non sit exclusus; carne ergo tantum eiectus est. Sic contra, qui sine fide est, corpore cum ecclesia coit; at intra ecclesiam non est, quae sine ruga et macula est.

In primo die, vocatio sancta domino. Hoc est primus dies sanctus vobis erit, ut scilicet vos eo die puri et sancti sitis, ut sit sancta vocatio sive panegyris. Ein heilige zesamen kommung. Prima enim et septima dies celeberrimi prae caeteris erant.

Tam de advenis quam de indigenis terrae. Hebraica vox גר, ger, hic non peregrinum, sed proselytum significat, qui non natus est Iudaeus, sed apud eos diu versatus, circumcisus et legi eorum initiatus est. Peregrinis enim et obambulantibus prohibitum erat paesah.

Ritu perpetuo. Hoc est tantisper, dum deus ceremonias durare voluit, donec durat Iudaismus.

Occidite paesa. Hic manifeste per anticipationem agnum vocat paesah, id est praeteritionem, qui tamen paesah non fuit, sed signum tantum futurae praeteritionis.

Tingite in sanguine qui est in limine. סף, saph, non solum limen, sed pelvim etiam, phialam et hydriam significat 3. Reg. 7, quod significatum huc magis quadrat. Est autem hypotyposis (nam absque hoc facile intelligeremus sanguinem in aliquo vase receptum esse), qua graphice omnia describit diligentiamque colligendi indicat. Qui est in pelvi, id est quem diligentissime, mactatis agnis, in pelvim colligere debetis.

Non dabit vastatorem ingredi domos vestras. Hoc est non sinet, non permittet. Dare pro permittere etiam Latini utuntur. Per משחית, maschhith, vastatorem aut angelum dei, aut vim illam dei percutientem et devastantem Aegyptum, intelligit.

Servabitis hoc verbum in ritum tibi et filiis tuis perpetuo. Hoc est donec duraturus est Iudaismus, duraturae sunt ceremoniae, usque ad adventum veri agni paschalis Christi. Hic nota hanc dictionem עולם, olam, perpetuo, Hebraeis aliquando longum tempus, non perpetuitatem significare, ut Exodi XXI, ubi perpetuo usque ad annum iubileum significat; sic hic. Neque tamen hinc sequitur, perpetuum nusquam perpetuitatem significare. Nam quum Christus dicit: Ite in ignem aeternum, nihil aliud quam aeternitatem sine fine intelligit, quum post extremum iudicium, quo hanc sententiam feret, nullum tempus erit ultra vel seculum, sed aeternitas.

Posteaquam historiam simplicissime tractavimus, ad mysteria et exempla convertamur! Quae enim hoc capite gesta narrantur, non solum gesta aut scripta sunt, ut beneficiorum et mirabilium dei populum Israeliticum admonerent, sed ut et nobis in figura aliquid adumbrarent; ad haec ut semper in promtu esset prophetis, unde admonitiones et epicheremata, si populus aut cessaret aut erraret, desumerent. Unde et hae voces prophetarum: Ne obliviscamini dei vestri, qui eduxit vos de terra Aegypti, ex fornace ferrea etc. Quandoquidem autem una est Iudaeorum et gentium fides, pium ac attentum animum advertamus ad ea, quae nobis in tam magnifica populi Israelitici liberatione inque veteri Iudaeorum paschate portendat divinus spiritus, quae prae ceteris gentium apostolus Paulus clarissime simul et brevissime explicuit. Hunc ergo Corinthiis loquentem audiamus: An nescitis, inquit, quod paululum fermenti totam massam fermentat? Expurgate itaque fermentum vetus, ut sitis nova conspersio, sicut estis infermentati: nam et passah nostrum pro nobis mactatus est Christus. Festum itaque celebremus, non in fermento veteri, nec in fermento malitiae et versutiae, sed in panibus fermento carentibus, hoc est sinceritate et veritate. Quum in ecclesia Corinthiorum quidam impuritate vitae notatus esset, nempe quod rem cum noverca haberet: taxat eorum negligentiam Paulus, quod huiusmodi flagitium ex ecclesia dei et corpore Christi non reiicerent: vehementer enim indecorum et turpe esse, si in coetu et populo dei, quem sincerum, incontaminatum et purissimum esse oportuit, impuritatem etiam gentibus abominandam inultam sinant. Argumentum autem et epicherema sumsit Apostolus, quum ab ea festivitate quam olim populus Israeliticus, tum ab ea quam etiamnunc populus Christianus, celebrare consuevit; atque externorum sacramentorum ac ceremoniarum rationem ac significationem aperit. Hunc enim morem habent Hebraei, ut si quando doceant admoneant aut exhortentur, ab his, quae foris vere geruntur, argumenta et doctrinas desumere; quibus ab externis ad interna, a visibilibus ad invisibilia, a corporalibus et carnalibus ad spiritualia populum dei abducant. Huius rei exemplis plena est tam V. quam N. testamenti scriptura. Deuter. X. a circumcisione praeputii, quae petrino cultro fiebat, ad cordis circumcisionem exhortatur

Moses, non exteriorem carnis circumcisionem evacuans aut contemnens, sed ad internam cordis circumcisionem, quae per eam quae foris fit significatur, alliciens. Eodem modo Paulus Rom. VI. a baptismo Christianorum externo, quum vehemens epicherema arripuisset, ad innocentiam et vitae novitatem urget. Sensus ergo Pauli in proposito loco talis est: Nescitis quantopere deus olim populo Israelitico vetuerit, ne quisquam septem diebus, quibus solemnia Paschatis celebrare iussi erant, fermentatum ederet, sed azymos tantum panes, hoc est placentas infermentatas. Quod si quis tam audax extitisset, aut praecepti dei tam negligens, ut fermentatum edisset: huius anima e populo dei eradicari debuit. Quum vero vos, per sanguinem Iesu Christi liberati, verum et novum Pascha celebratis: quanto magis decet, ut nova sitis conspersio panesque infermentati? Illis agnus mactabatur, cuius sanguis postibus domorum illitus a vastatione et morte servabat; nobis Christus verus agnus occisus est, cuius sanguis a morte aeterna liberat. Quemadmodum vero illi in memoriam tanti beneficii agnum edebant: sic nos in recordationem mortis Christi, qua a morte aeterna sumus liberati, panem edimus et vinum bibimus. Illi festum et panegyrin gratulantes celebrabant; et nos epulemur, hoc est, festum celebremus (*epulari* enim pro festum celebrare veteres Latini usi sunt, eo quod in publicis festivitatibus publicae etiam epulae dabantur) non in fermento veteri, neque in fermento malitiae, (exponit interim quid per fermentum, quid per azyma intelligat) sed in panibus fermento carentibus, hoc est sinceritate et veritate. Ecce quam brevibus totam huius actionis summam complectitur Paulus. Non ergo tantopere *quid*, quantopere *quare* edamus, attendere oportet. Praecipuum enim in coena est, ut pro morte filii, quae nostra est vita, deo nostro gratias perpetuas agamus, ut gratulemur salutem nobis per Christum partam. Deinde quandoquidem per mortem filii dei in unum corpus cooptati sumus unusque panis effecti nos omnes, qui de uno pane et de uno calice participamus: magnopere curandum est, ut puri, sinceri et veraces simus, ut nihil fermenti, hoc est nihil flagitiorum et scelerum (nam paululum fermenti totam massam acidam reddit) sit in nobis. Porro Christus ipse, quum in locum veteris paschatis ac typici ostenderet se novi ac aeterni commemorationem constituere: Desiderio, inquit, desideravi hoc passah manducare vobiscum antequam patiar. Accepto itaque pane discipulis simul edentibus praebuit, dicens: Accipite et manducate! hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, nihil obscure his verbis ad vetus Pascha alludens. Iussi erant Iudaei agnum edere festinanter, eo quod passah esset, hoc est praeteritio, quum tamen neque agnus praeteritio esset, quae sequenti nocte erat futura, neque festivitas ipsa, (sunt enim qui Hebraicum הוא hu ad festum referant) sed signum tantum praeteritionis futurae. Sic panem edendum praebet Christus apostolis, quem corpus suum esse dicit, quum tamen neque panis corpus neque vinum sanguis sit, sed figurae tantum et symbola corporis pro nobis traditi et sanguinis pro nobis effusi. Haec tam sollicite tamque multis inculcamus, propter eos qui a tropis abhorrentes in pane corpus Christi corporaliter edi docent, neque admittunt,

ut panis *μνημόσυνον* sit corporis Christi pro nobis traditi; quum tamen hic infitiari non possint agnum praeteritionis esse signum aut memoriale, non ipsam praeteritionem. Ad haec tropicum hunc sermonem esse, sequens locus in hoc capite declarat, quum Moses dicit: Victima praeteritionis domini hic, quo tropus quasi explicatur. Constat itaque et priorem agnum futurae, et posteriorem praeteritae praeteritionis fuisse symbolum; eodem modo panem, quem Christus discipulis edendum dedit, mox futurae passionis, quem vero nos edimus in coena, praeteritae symbolum esse. Iam hoc haudquaquam negligendum est, agnum victimam dici per synecdochen, ab occidendo scilicet et mactando, eo quod frequenter quum offerretur mactatio fiebat; quumque mactabatur simul offerebatur. Ex agno enim nihil offerebatur: nam totus agnus mandebatur; reliqua vero igne comburebantur. Unde variis nominibus et festum et agnus adpellantur. Totum enim festum aliquando memoria aut commemoratio dicitur, ut supra auditum est; aliquando azymorum festum, quod his septem diebus infermentatae placentae ederentur; aliquando *passah*, id est praeteritio. Quod de festivitate diximus, idem volumus intelligi de agno: nam et is eadem nomina sortitur. Quandoquidem tota huius capitis historia typica est futurorum umbra (omnia enim illis in figura contingebant): paucis mysteria percurramus! Populi Israelitici ex Aegypto profectio liberationem e servitute peccati et diaboli tyrannide significat, qua per Christum sumus donati, ut sine timore de manu inimicorum liberati serviamus ipsi, cum sanctitate et iustitia coram ipso, omnibus diebus vitae nostrae. Cuius rei ut perpetuo admoneremur, commemorationem mortis suae nobis Christus in coena instituit, quae per esum agni et azymorum adumbrata est, de qua re satis supra. Quod et per prophetam Ierem. XVI. videtur praedici, quum dicit: Ecce venient dies, inquit dominus, et non dicetur ultra: Vivit dominus, qui eduxit Israelem de terra Aegypti etc.

Agnum esse Christum, Ioannes testatur; ante eum Iesaias et Ieremias. Quod agnus unius anni esse debet, significat Christum omnium seculorum esse salvatorem: nam annus absolutionem et consummationem significat. Christus enim summa est et auctor salutis, et eorum qui se praecesserunt et eorum qui sequuntur, qui semel (quemadmodum in veteri lege summus pontifex) in sancta ingressus, unica oblatione, perfectos efficit in perpetuum eos qui sanctificantur. Sub ipso ergo vivimus annum acceptabilem.

Agnus autem absque macula Christus est, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, quem tamen sub specie carnis peccato obnoxiae misit pater, ut de peccato condemnaret peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis; eumque qui non novit peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei per illum.

Primo mense accipitur. Christus enim Alpha et Omega, et agnus ab origine mundi occisus. Mactatur autem ad vesperam, hoc est, novissimis temporibus, quibus evangelii mysterium revelatum est.

De grege ovium et caprarum pecus accipi iubetur. Et Christus semen Abrahami arripuit, per omnia similis fratribus reddi voluit,

tentarique per omnia secundum similitudinem absque peccato, ut et tentatis compati et succurrere possit. De sacrificio hirci pro peccato vide figuram Lev. XVI. Sanguine agni utrumque postem signari significat, et corpus et animam nostram agni sanguine esse redemta et sanctificata. Ne tamen aliquis sanguini plus aequo tribuat, videtur hic non absurde excutiendus esse hic locus, qui dicit, tantum eas domos sanguine illitas, in quibus agnus paschalis edebatur. Ubi non immerito quaeri possit, anne et illae domus a vastatione sint servatae, quae sanguine aspersae non fuerant? Huic quaestioni paucis respondemus: Sanguinem haudquaquam in causa fuisse quo minus filii Israelis cum Aegyptiis percuterentur: nam hoc gratiae et favori divino tribuimus, qui vel sine sanguine liberare potuit; attamen hoc signum externum non sine causa adhibuit. Tametsi ergo non omnes domus signatae, omnes tamen servatae fuerunt; neque tantum sanguinem respicit deus, sed fidem potius et testamentum suum, in quo et pueri, qui passah non manducare poterant, servabantur.

Lactucae Christi mortis et passionis amaritudinem in figura adumbrant, cuius anima tristis facta est usque ad mortem. Exemplum vero duplex est: nam Israelitis tribulationem et adflictionem quibus premebantur, nobis carnis mortificationem significat.

Quod agni carnes coqui non permittuntur, significat, Christum ab omni commixtione, id est peccato alienum. Omne enim quod coquitur aqua commiscetur; unde et naturae alterius commixtionem attrahit.

Totus agnus editur: nam totus Christus noster factus est; quicquid vero fecit hoc totum nobis fecit, neque extra ipsum alia salus est aut vita. Item Christum totum fide edit, quisquis eum verum deum et hominem confitetur, utriusque naturae proprietate in personae unitate servata.

Reliquiae igne comburuntur, hoc est peccata, quibus hic carere vix possumus, per fidem Christi combusta remittuntur: nam qui lotus est non opus habet, nisi ut pedes lavet.

Quid sit lumbos praecingere, Christus Luc. XII. docet, nempe semper ad occursum sponsi esse paratos. Hoc idem de baculis et calceis intellige.

Quod universa multitudo filiorum Israel agnum mactare iubetur typus est, aut nos omnes esse peccatores, (etenim propter peccata nostra Christus mortuus est) egereque gloria dei; aut Christum non tantum Iudaeorum, sed et gentium esse salvatorem. Non enim omnes qui sunt ex Israel sunt Israel, sed qui fidem Israelis imitantur.

De ossibus non conterendis figuram aperit Ioannes evangelista, ne cui videatur temere factum, quod hic ossa iubentur non confringi. Ossa fortitudo sunt et fulcra corporis; Christus fortitudo est corporis sui, ecclesiae: qui huic petrae adhaerescit et fidit, vere fortis est. Quod in una domo agnus edi praecipitur nihilque efferri, unitatem ecclesiae significat. Per unam enim domum omnes intelliguntur: nam fieri non potuit, ut una in domo tanta multitudo agnum ederet.

Septem dies quibus festum celebratur omne tempus vitae nostrae significatur, quod scelerum fermento carere debet.

Diutius forsitan mysteriis immorati sumus, quam annotationum farrago aut requirat aut patiatur; ad textum igitur iam revertamur!

Domos nostras liberans. Sic narrabant patres liberis et nepotibus suis.

Non erat domus, in qua non iaceret mortuus. Iterum synecdocha est: hoc est magna pars domorum hanc cladem passa est. Omnis domus erat funesta: nam quis dubitat domos fuisse, in quibus nulla erant primogenita?

Abeuntes benedicite mihi. Bene de me ac magnifice praedicetis, vel bene precemini mihi coram deo vestro! orate pro me!

Tulit populus conspersam farinam. Massam scilicet, quam iam pro itinere infermentatam paraverant ad pinsendum, ut hac vescerentur septem diebus ex praecepto domini.

Feceruntque filii Israel, quemadmodum praeceperat dominus Mosi. Hic praeterito plusquamperfecto commode usus fuisset Latinus dixissetque: Fecerat enim populus Israel quemadmodum de mutuo accipiendis vasibus praeceperat dominus.

Habitatio filiorum Israel, qua manserant in Aegypto, fuit quadringenti triginta anni. Hoc praedixerat dominus Abrahamo, quod nunc praestat.

Eadem die egressus est omnis exercitus. Illo ipso eodem die, eodem momento, κατ' ἔμφασιν בעצם, beaezem. Quasi diceret Moses: Tam certa sunt dei promissa, tam firma, ut mox annis quadringentis triginta completis ipso eodem die eduxerit filios Israel.

Profecti sunt filii Israel de Raemses, in Suchoth סכות, suchoth, tabernacula significat. Videtur autem hic locus hoc nominis ab eventu per anticipationem obtinuisse, quod hic primum tabernacula fixa sint.

Nox ista est observabilis domino. Hebraice שמרים, schemrim, vigiliarum nox, quod dominus nocte illa vigilaverit super filios Israel.

Dixit dominus: Haec est religio Passah. Hic debet esse ritus, haec observantia; hoc more celebrandum est Pascha. Interserit hic quaedam quae ad agni esum pertinent.

Omnis alienigena non comedet ex eo. Alienigenam, בן נכר, ben necar, hic intellige eum qui aliunde ad nos venit nec nobiscum habitat.

Omnis servus emptitius. איש עבד, isch ebed, isch pro quilibet. Sunt genera servorum tria: bello capti, vernae et emtitii. De posterioribus hic loquitur.

Advena et mercenarius non comedet ex eo. תושב ושכיר, thoschaf veschachir. Puto thoschaf Hebraeis eum significare, qui cum eis quidem habitare coepit, at fide eorum nondum initiatus est. Is de agno edere non debet. שכיר, schachir, vero is est, qui pro mercede servit, ein taglöner, ein mietling. Et huic de agno edere non licet.

Quod si quis peregrinorum. Hic Hebraei גר, ger, habent, quae vox *peregrinum* significat, sed non eum qui errat et obambulat, sed qui peregre venit et Iudaeorum religionem adsumit, proselytus aut

inquilinus, de quo pauca supra diximus: nam talis cum indigena pari iure agnum manducare potest. Quum de ritu paschatis certam legem hoc loco Moses praescribat, operae pretium nobis visum est, ut rationem sacramentalium signorum hic diligentius excutiamus. Sunt enim hac tempestate errones quidam contentiosi, qui circa baptismum et eucharistiam non parvos errores ubique serunt, quorum audacia et impudentia facile retunditur, si veterum sacramentorum rationem, significationem usumque recte capiemus. Etenim eadem (hoc est eiusdem rei significantia) sunt sacramenta eademque fides Iudaeorum et Christianorum. Analogiam igitur fidei ubique respiciamus oportet, si quid de signis controvertitur. Neque enim evangelium baptismatis et eucharistiae, quemadmodum lex circumcisionis et paschatis, certam definitionem praescribit. Ad eas scripturas ergo nobis recurrendum est, quas et Iudaeos scrutari iussit Christus, si nihil in signorum usu errare volumus. Primum ergo videmus agni paschalis esum interdictum omnino esse his qui circumcisi non erant. Circumcisio quidem signum erat quum Iudaismi tum testamenti et pacti, quod dominus cum patribus pepegerat. Paschatis vero observatio, memoriale liberationis ex Aegypto et publica gratiarum actio. Hoc solum adultis, illud infantibus etiam dabatur. Sic apud Christianos duo in universum sunt sacramenta aut signa, baptismus circumcisionis loco, quod proprie signum est testamenti, nempe quod baptizatus sit in testamento et populo dei. At eucharistia memoriale est, signum liberationis quam per mortem Christi nobis contigisse credimus, atque publice profitemur. Utemur ergo baptismate, quemadmodum Iudaei circumcisione. Si quis adventans se eorum fidei et religioni sociare voluisset: primum iubebatur circumcidi antequam ederet Passah. Quod si ipse circumcisionem, signum testamenti, accepisset: iam omnis eius infans masculus, tota eius familia permittebatur, imo iubebatur circumcidi. Si vero pater circumcisionem accipere noluisset, non dabatur pueris et familiae eius circumcisio. Qua in re plane videmus (quicquid tandem oggenniant Catabaptistae) a patre totam familiam aut patriam censeri. Ubi vehementer quondam errasse Theologistas discimus, qui furtim Hebraeorum pueris sublatis, vel invitis parentibus, ad baptismum properarunt, cuius exemplum aut verbum nusquam in scripturis proditum est. Quisquis ergo, sive ex Iudaeis sive ex Gentibus, Christo credit ac nomen dat fidemque profitetur, baptizari debet ac in populum dei accenseri; neque ipse solum baptizari debet, sed tota eius familia. Si vero pater non est baptizatus, nequaquam debent invito eo aut inscio pueri eius baptizari. Non ergo Christianorum infantibus baptismus testamenti signum negandus est. Nam dum pater credit fideique signum gerit, a patre infantes et tota familia censenda est. Eucharistia vero, quoniam publica pro morte Christi (qua testamentum dei erga nos confirmatur) gratiarum actio est, non nisi ab adultis et fidelibus celebrari debet. Infantes enim, tametsi in testamento sunt dei, idonei tamen ad hanc gratulationem haudquaquam sunt; quum ea quae hic aguntur minime capiant, nisi prius dum adoleverint a parentibus doceantur. Unde et Iudaeis Deus praecepit, ut filiis suis et nepotibus huius ceremoniae causam et usum exponant, atque tam

ingens beneficium perpetuo inculcent. Porro ad dominicam coenam neque alienigenae, hoc est infideles admittuntur: tum quod corpus Christi aut non diiudicant aut contemnunt, quod absque iniuria capitis fieri non potest; tum quod non possunt simul mensae domini et daemoniorum esse participes. Neque servi, qui scilicet flagitiis et sceleribus venumdati sunt. Venumdatos enim peccatis Hebraei vocant turpibus factis totos deditos et deploratae malitiae homines. Sic Achabum venundatum peccatis legimus. Hanc ob causam Paulus diligenter admonet, ut qui huius coenae conviva sit futurus, se ipsum probet ac discutiat, quo scilicet animo, qua fide accedat; ac tum de pane illo edere deque calice bibere permittit, ne dum indigne accesserit, mortis sibi iudicium edat ac bibat, reusque fiat corporis et sanguinis domini.

Et fecerunt filii Israel, sicut praeceperat dominus Mosi. Epilogus est eorum quae de agno et Paschate praedicta sunt.

Eadem die eduxit dominus filios Israel de terra Aegypti, cum copiis suis. Epilogus est egressionis filiorum Israel, de qua nonnihil supra attigit; sequentibus vero plura subiunget.

CAPUT XIII.

Sanctifica mihi omne primogenitum, quod vulvam aperit. Sanctificare est dedicare, seligere, in usum dei separare. *Aperire vulvam*, secundinam, membra genitalia, Hebraismus est pro primogenitum nasci.

In usu ceremoniarum semper aliquid praefigurat Deus. Quod ergo hic Israelitarum primogenita, quae a morte et internecione, percussis Aegyptiis, servarat, sibi sanctificari ac dedicari iubet, typus est, per Christum, qui ex semine Israelitico nasciturus erat, omnes fideles a morte et interitu servatum iri. Nam et is primogenitus est ex multis fratribus, quos sic patri sanctificavit, ut iam iuris sui esse nequaquam debeant; emti videlicet, non argento, non auro, sed pretioso sanguine agni immaculati et incontaminati Christi.

Memento huius diei. Nunquam excidat vobis tanti beneficii memoria. Nunquam committatis, ut ingrati sitis ei, qui vos tam dura et gravi servitute liberavit.

Non comedatis fermentatum panem. Semel a tyrannide diaboli per gratiam Christi liberatis summo studio cavendum est, ne se prioribus flagitiis contaminent.

Hodie egredimini mense novarum frugum. Hebraei legunt, in mense אביב Abib, qua voce bifariam utuntur. Uno modo pro Iulio, mense novarum frugum: nam tunc omnia maturescunt. Hoc significatu hic non sunt usi: nam filii Israel verno tempore, decimaquarta Martii, ex Aegypto sunt egressi, quum nondum essent novae fruges. Secundo utuntur אביב pro florido et virenti; et sic hic puto accipi, non ut sit proprium nomen mensis, sed ut sit adpellativum: omnia enim veris tempore in flore sunt et omnia virent.

Terram lacte et melle manantem. Hyperbolicos fertilitatem et ubertatem terrae Chananaicae exprimit. Phoenicia enim non solum in sacris literis, sed etiam apud ethnicos scriptores laudem fertilitatis

habet. Quod autem hodie inculta est et vastata, in causa est, quod filii Israelis praecepta dei non servarunt.

Non adparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. Hebraei sic legunt: Non videbitur tibi fermentatum et non videbitur tibi fermentum in omnibus terminis tuis. Duas voces habent Hebraei, quae fermentum significant חמץ et שאר; posterior Germanicae voci sur non absimilis est. Vehementer autem cavet Moses hac anadiplosi, ne quacunque ratione aut fermentum aut acidum aliquid fermenti loco edant. Solet enim caro adfectibus dedita legibus, quas simplices ac brevissimas esse oportet, in fraudem uti. Neque ullae sunt leges tam firmae, nullae adeo munitae, quas non audacia carnis circumire ac infringere tentet: deinde ex lege arripere, quo se excuset, ne contra legem peccasse videatur. Unde hic omne acidum, quod scilicet popinatores facile pro fermento inducerent, prohibetur.

Et narrabis filio tuo in die illa, dicens: Hoc est quod fecit mihi dominus. בעבור זה עשה יהוה לי בצאתי ממצרים Sic legunt Hebraei. Sensus est: Eo quod hoc fecit mihi dominus, quum educeret me de Aegypto. Hoc respondere debebant filiis suis quaerentibus, cur Passah celebrarent. בעבור, *propter* significat; hic *pro eo quod* magis quadrat. Deinde זה demonstrativo Hebraei frequenter absque demonstrato expresso et quasi infinite utuntur: Eo quod hoc et hoc fecit mihi dominus, dum me ex Aegypto educeret. Expressum hic exemplar eucharistiae habemus: nam ad hunc modum et nos filiis nostris eucharistiae usum narrabimus: Eo quod Christus nos per mortem suam e diaboli servitute liberavit, ideo hac coena gratias ei agimus, et mortem liberatoris nostri annunciamus.

Et erit quasi signum in manu tua, et quasi monimentum ante oculos tuos, ut sit lex domini in ore tuo. Ἠθολογία est. Solent enim, qui tardioris ingenii aut futilis memoriae sunt, admoneri, ut aliquid in manum sumant aut signum aliquod sibi faciant, ne eorum quae eis commissa sunt obliviscantur, aut si excidant facilius reminiscantur. Quasi diceret: Externae istae ceremoniae sint tibi non secus, ac si quis signum aliquod in manum aut ante oculos ponat, quod eum perpetuo admoneat. Germanice dicimus: Der verstaat ein ding nit, mann stosse es jm dann in die ougen, in dhend. Hic sole clarius videmus, quid prosint signa ut vocant sacramentalia: non enim fidem interiorem, ut plerique somniant, confirmant, sed sensus exteriores admonent ac solantur. Dicit ergo Deus per Mosen populo: Eam ob causam praecepi tibi hanc ceremoniam, ut potentiam ac beneficentiam meam, qua te liberavi ac e servitute eduxi, quasi in oculos et manum dem, ut videant oculi tui et palpent manus tuae, ne usquam tibi desit quod carnis infirmitatem adiuvet. Fiet autem, quum haec exteriora ob oculos versabuntur et manibus tractabuntur, ut tibi potentia, gratia et misericordia mea innoventur. Nam harum te admonebant ceremoniae. Considerata autem tanta dei bonitate, qua te liberavit, calefiet cor tuum, ut tantum benefactorem redames, metuas, colas, innocenter coram eo ambules. Quo enim plus amabis, hoc plus studebis eius voluntati obtemperare, sicque fiet, ut lex Dei semper sit in ore tuo,

ut semper eius beneficentiam laudes, extollas atque opere magnifacias, ut tota vita tua dei virtutem testeris, ut nusquam ab eius lege vel unguem latum discedas. Quis non videt eucharistiam nostram aliud nihil esse, quam pro morte Christi gratiarum actionem? dominumque pane et vino nihil aliud voluisse, quam ut beneficentiae suae nobis signa in manus et oculos poneret? Quemadmodum autem Iudaei tum recte Pascha celebrabant, quum gravissimam servitutem, qua vel ipsi vel patres eorum pressi fuerant, simulque virtutem, beneficentiam ac bonitatem dei, quam liberati experti erant, in memoriam revocabant (nam illa meditatione corda eorum liquefiebant ac in gratitudinem et amorem dei accendebantur): ita et nos tum digne et cum fructu sacras epulas edemus, si intus in corde diram illam peccati tyrannidem, qua conscientiae nostrae torquebantur, meditemur; simul autem pientissimi patris nostri erga nos caritatem, qui proprio filio suo non pepercit, sed eum pro nobis in mortem tradidit, ut nos per eum vivamus.

A diebus in dies. Idiotismus est Hebraicus, מימים ימימה, miiamim iamima: id est anniversarie, quotannis. Incipiendo scilicet a diebus illis et revoluto anno, rursus in illis diebus, celebrate Pascha, järlich uff dise tag, järlich zu synen tagen. Nam quum annus diebus constat, utuntur nimirum Hebraei diebus in plurali pro annis.

Separabis omne quod aperit vulvam domino. Hebraeus legit, העברת, haabartha, transire facias, qua voce Gen. XLVII. usus est. Ioseph in potestatem Pharaonis Aegyptiorum agros redegerat. Vide illic. Hic interpres per *separabis*, quod superius per *transire facies* vertit, id est mancupi facias domino omne primogenitum.

Et quasi appensum, quod ob recordationem ante oculos tuos. Haec per similitudinem esse dicta superius ostendimus, tametsi supercilíosi Pharisaei hunc textum carnaliter intelligentes, etiam frontalia quaedam (quae a Iudaeis טוטפת, totaphoth aut תפילים, tephilim, vocantur) capitibus circumponebant, in fimbriis vestimentorum legem dei scribentes. Evangelistae vocant phylacteria, quod iis custodirentur quasi arcis quibusdam vel praecepta dei vel lex.

Non duxit eos dominus per viam Philistinorum, quae vicina est. Hebraeus legit, כי קרוב, ki karob, tametsi propior.

Reputans. אמר Hebraeus *dixit* pro intra se cogitavit. Rationem ac causam subiungit, cur non per planitiem, sed per eremum sint ducti a domino, nimirum ne bello Palaestinorum fatigati reditum animo meditarentur. Duxit ergo eos per mare primum, deinde per inviam solitudinem, hoc est regionem montosam ac petrosam, ut etiamsi reditum animo volverent, difficultate itineris ac maris impedimento absterrerentur: voluit enim eos servitute exemtos in terram bonam inducere; at antea multis laboribus exercitos, ut terram bonam avidius anhelarent; in quo et divinam benignitatem intelligimus, quae nostram semper promovet utilitatem. Ubi etiam discimus nostram vitam aliud nihil esse quam militiam, ut Hiobus ait; nobisque per multas tribulationes eundum esse ad promissam terram. Quod quidem dei providentia ad nostram fit utilitatem, ne otio et luxu diffluamus animoque inhae-

reamus terrenis, sed adflictionibus et aerumnis variis pressi desiderium capiamus aeternorum.

Armati ascenderunt. חמשים, hamuschim, legunt Hebraei, ut sensus sit: Quinta generatione ascenderunt, id est quinto iam saeculo. Erant enim iam triginta anni supra quadringentos. Pollicitus enim erat deus Abrahamo, post quartum saeculum semen suum reversurum esse in terram Chanaan.

Tulit quoque Moses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filiis Israel. De hac re superius in Genesi cap. ultimo. Tulerunt autem ossa secum, non ut adorarent aut colerent, sed ut in terra Chanaan inhumarent, ut patet Ios. XXIV. Non ergo est, ut hoc exemplo cupiditatibus nostris excusationem praetexamus, qui piorum ossibus ad cauponationem et idololatriam sumus abusi. Et huiusmodi non solum facta, sed etiam figurae sunt. Synagoga ecclesiae typus est; Ioseph, caput et dux Israelitici populi, capitis Christi. Iubet ergo ossa sua, ut secum ferant cumque patribus sepeliant, ut videamus caput ecclesiae Christum a membris nunquam avelli.

Dominus praecedebat eos, ad ostendendum viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris. Tam certam curam gessit Dominus populi Israelitici, ut luceret eis interdiu nubes, noctu vero ignis columna. Et ut in Levitico legimus: Ad verbum eius tentoria figebant, et ad verbum eius iterum solvebant. Miracula autem talia fecit Deus visibilibus rebus, ad consolationem populi Iudaici; nihilo secius fidelibus omnibus adest absque istis signis. Qua ex re discimus, signorum non esse rem magis facere praesentem. Neque enim esus panis et vini Deum aut Christum nobis praesentem facit, sed refricat ipsa laus et gratiarum actio et in memoriam nobis revocat Christum pro nobis esse passum; symbola vero, quae simul edimus, unum idemque cum eo interque nos corpus esse testantur.

CAPUT XIII.

Loquere filiis Israel, reversi castrametentur. Dic eis ut revertant, dicit Hebraeus. Nam superius auditum est, Dominum nolle eos per terram Palaestinorum ducere; ideo reducere Mosen iubet populum.

E regione Piaroth, quae est inter Magdalum et mare contra Beelsephon. Varie exponunt hunc locum. LXX sic intelligunt, quemadmodum Iosephus scribit: Filii Israelis iussi sunt castra figere in os speluncae. (Sic enim intelligit לפני פי החירת, lipne pi habiroth, id est, in locum angustum ante cortem) Videtur autem Moses velle indicare consilium domini, qui iubet populum castra metari in loco periculosissimo, quo magis eius potentia et gloria innotescat; nimirum si eius auxilio, quum undique essent irretiti et perplexi et nusquam esset effugium, liberarentur. Ab hoc sensu nec Hebraica abhorrent. Nam פי, pi, os et angustiam, חר, hur, speluncam, foramen significat, מגדל, migdal, vero turrem locumque aliquem munitiorem et altiorem, promontorium, praerupta loca deserti. Videtur autem sic fuisse com-

paratum, ut ante eos esset mare, utrinque montes, a tergo hostis immineret.

Sic Deus semper quae carni contraria sunt praecipit: haec enim ardua quaeque horret, secura vult esse et in tuto, nec quidquam tentare nisi periculo vacet. Docet autem hoc facto Deus, ne rei difficultatem, sed verbum suum consideremus, adgrediamurque infracto pectore quae ipse iubet, certi opem suam nobis nunquam defuturam.

Eremus conclusit eos. Hic adparet desertum coepisse citra mare rubrum; dicitur autem eremus, non quod omnino inhabitabilis, sed quod sit montosa. De quo supra nonnihil attigimus.

Dicturus est Pharao, super filiis Israel. Iterum *dicere* pro cogitare ponitur. Hic nota לבני, lifne, pro לפני, et לפני pro מפני, mipne, poni. *De* filiis Israel.

Persequetur post eos. Hebraismus. Latinus diceret *persequetur eos.*

Glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu eius. Magnificabor, magnalia aut magnifica in eo ostendam. Induraverat enim dominus cor Pharaonis, ut ostenderet potentiam suam in eo notamque faceret virtutem suam.

Et nunciatum est regi Aegyptiorum, quod fugisset populus. Septuaginta, ὅτι πέφευγεν ὁ λαός. Verbum aufugiendi turpius est et servilius, quam ut populo Israelitico conveniat, qui iussu dei Aegyptiorumque favore exierant, non turpiter aut indecore aufugerant; ἠθολογία ergo est. Sic enim loquuntur aulici Pharaonis pro more tyrannorum. Germanice: Die schelck sint entflohen.

Et mutatum est cor Pharaonis, et servorum eius. Deo nimirum corda eorum indurante, ut qui prius eos coegissent exire, iam mutato consilio, in pristinam invidiam et duritiam relabantur.

Iunxit ergo currum suum, et omnem populum suum sumpsit secum. Graece est συναπήγαγε. Est autem prothysteron, prius pro posteriore, לקח pro נהג, sumsit pro duxit. Er nam, hoc est: Er fürt.

Duces totius exercitus. Hebraeus legit, ושלישים על כלו, veschalischim al killo, et equites omnes. Quos Graeci τριστάτας, Hebraei שלישים vocant. Quasi diceres latine *tertianos*, ternarios aut triarios, a tribus nimirum equis.

Egressi sunt excelsa manu. Id est, laeti, alacres, animosi, magna sperantes, hilares. Est autem μετάληψις: qui enim laeti sunt, manus elevant alteque incedunt.

Cumque appropinquasset Pharao, levantes filii Israel oculos, viderunt Aegyptios post se, et timuerunt valde. Vide quam subita et repentina mutatio. Qui modo magnanimi fuerunt, statim visis Aegyptiis toti concidunt. Hic vero metus ad gloriam dei concitatur, utque ubique infirmitatem et inconstantiam carnis agnoscere discamus. Solet enim caro exultare dum fortuna arridet; mox dum tempestas ingruit concidere et murmurare. Sublevare oculos, locutio est Hebraica, qua saepe usi sunt Evangelistae: nam Latinus non sic loquitur: Quum sublevasset oculos Iesus; sed: Quum respectaret. Forma est ergo

Hebraica, quae omnia graphice et proprie describit. Nam quum in periculis sumus, attollimus oculos; deinde respectamus et circumspicimus omnia. Adeoque frequens haec forma est Hebraeis, ut ea etiam in his utantur, in quibus non fit quod dicitur, ut in Genesi diximus: Levavit Iacob oculos in somnis.

Forsitan non erant sepulchra in Aegypto. Subsannatio valde amara et acerba: cum indignatione enim haec in servum dei iaciunt: Quasi vero in Aegypto non essent sepulchra, eduxisti nos in solitudinem hanc, ut hic moreremur. Sic tota concidit caro, dum non ea quam quaerit via succedit.

Nonne iste est sermo quem loquebamur. זה הדבר, sae hadabar. Quasi diceret: Hoc idem antea, dum adhuc in Aegypto essemus, diximus tibi. Eben das seytend wir dir. De hoc superius cap. V. Historia ipsa satis explicat sententiam, omnia scilicet fieri ordinatione dei, quam quum nos aut non intelligimus aut non advertimus, statim murmuramus et concidimus. Nihil igitur potest caro nostra quam desperare, nisi dominus tenuerit et iuverit.

Et ait Moses: Nolite timere. Consolatur et confortat consternatos Moses, dicens: Nolite metuere, θαρσεῖτε. Bono ac immoto animo este, confidite, confidenti animo este.

Videte magnalia domini, quae facturus est hodie. Secus habent Hebraica: Videte salutem domini, quam faciet vobis hodie. Capitur autem salus pro ope pro auxilio. Facere opem aut salutem locutio est Hebraica. Latinus enim dicit *ferre opem;* at Germani Hebraeos imitantur: dicunt enim Hylf thun.

Aegyptios quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis in sempiternum. Hebraei hic elegantiam habent, quae et Latinis est in usu. Sic enim legunt: Quos vidistis Aegyptios hodie. Sic Comicus: Quas putatis esse, non sunt verae nuptiae. Sed quid hoc sibi vult: non videbitis eos ultra in perpetuum? Anne filii Israelis Aegyptios ultra viderunt? Non viderunt eos posthac eo modo quo nunc, persequentes scilicet et imminentes. Hunc sensum etiam LXX explicuerunt, quum dicunt: ὃν τρόπον etc.

Dominus pugnabit pro vobis, vos autem tacebitis. Dominus ipse in se suscipiet pugnam vestram; vos tacebitis, id est quieti eritis: nam hoc significat חרש, harasch, Hebraeis tranquillum et quietum esse.

Hic non solum miraculum et historiam spectare debemus, sed potius exemplum. Si Deus tam potenti manu Iudaeos undique hostibus et metu circumdatos liberavit: non debemus dubitare quin et nos sit liberaturus. Contra si tam crudeliter in persecutores eorum animadvertit, neque nostris persecutoribus parcet.

Quid clamas ad me? Clamasse Mosen certum est, tametsi ob verecundiam per aposiopesim (ne arrogans videatur, quum ipse auctor negotii sit) reticetur, sed intus in corde. Sollicitus fuit et anxius vir pius et fidelis. In quantis enim angustiis fuisse putas, quum undique circumventus esset et hostis atrocissimus insequeretur? Ad haec populus caput eius petebat. Petebatur enim caput, non solum ab hoste, sed etiam ab iis quorum dux erat. Non putas tantas curas et anxietates

Mosi clamorem extorsisse? Vide in quas tempestates et procellas Deus suos ducat! vide quibus arietibus suos pulset, ut fidem eorum probet et exploret! At ostendit etiam in tentatione exitum his qui in mandatis eius perstant. Pugnante itaque carne cum fide in tentationibus, clamemus ad dominum, non labiis tantum oris, sed cordis desideriis! Haec enim vera et gratissima est deo oratio, quae ex imo pectore prorumpit, certa et constanti in deum fide. Neque enim cor eum invocat in quem non credit. Fides ergo verae orationis est fundamentum.

Tollensque se angelus. נסע solvere Hebraeis significat. Verbum est bellicum, quo eleganter utitur Moses, quasi opus habuisset angelus magno negotio ad tollendum machinas, arma et sarcinas, ut solent qui castra movent. Graeci ἐξῆρε dicunt, id est sustulit. Qui prius castra praecesserat, post eos ivit, quod Latini vocant agmen colligere seu in subsidium se collocare.

Sustulit se etiam columna nubis. Pulcherrima est haec prosopopoeia: loquitur enim de statua, ac si persona esset.

Et facta est nubes et tenebra, illuminavitque noctem. Sic legunt Hebraei, *nubes et tenebra*, id est nubes tenebrosa. Sed si tenebrosa erat, quomodo luxit noctu? Ea parte qua respexit Aegyptios, tenebrosa fuit; rursus ea parte qua Hebraeos, lucida. Hinc factum est, ut neuter exercitus alterum adoreretur.

Decurrere fecit dominus mare, vento Orientali vehementi tota nocte, posuitque in mare siccum. Qui omnia solo verbo potest, creaturis suis uti non dedignatur, ne videatur eas abiecisse et contemsisse.

Persequuti sunt Aegyptii, et introierunt post eos omnis equitatus Pharaonis, currus et equites in mare. Hebraeus dicit *in medium maris.* His verbis Moses more suo rem totam proponit; in sequentibus vero digerit et quaeque speciatim distinguit in hunc modum: Quum iam essent in medio mari, deus primum terruit eos. (Nam *respicere super castra Aegyptiorum* hoc in loco non est gratiae et benignitatis, ut saepe alias, sed iustitiae et severitatis. Sunt enim oculi super iustos in protectionem, super impios ut perdantur) Primum igne et nube, forte etiam fulguribus et tonitruis, ut saepe alias fecit, terruit eos et conturbavit, confudit eorum castra perplexaque reddidit, curruum rotas amovit. (Hic LXX legunt: Ligavit axes eorum, אסר, asar, pro יסר, iasar) Utrumque tamen hoc vult, currus eorum a domino factos esse immotos, duxitque exercitum Aegyptiorum in gravedinem quandam, hoc est induravit eos, graves reddidit, praefractos, duros. Ita ut tametsi dicerent (nam signis illis vehementibus admonebantur): Fugiamus! tamen non fugerunt, nimirum pertinacia indurati et excaecati, sed persecuti sunt Israelem. Puto ergo hunc esse huius loci sensum, ut Moses primum ponat causam qua moti dixerint: Fugiamus Israelem, nempe quod dominus terruit eos repentinis ignibus; deinde causam subnectat, quare non potuerint fugere, nempe quod dominus induraverit eorum animos, pertinacesque reddiderit ut in persecutione perstarent.

Et dixit Aegyptius: Fugiam ante Israelem. Coniunctio Vof pro *nam* ponitur vel *enim*, et singularis pro plurali.

Subvertit rotas curruum. Quidam hic apostropham esse putant referrique posse haec verba ad Israelitas, ut dominus scilicet currus Israelitarum adiuverit ac promoverit. Abundet quisque suo sensu! in hac re nihil contendimus: utro enim referas, discimus et metum et victoriam esse a deo.

Ferebantur in profundum. Ducti sunt in gravedinem, legit Hebraeus. Quis sit sensus, superius diximus.

Reversum est mare primo diluculo. לפנות בקר, liphnoth boker, ante lucem, in matuta. Videtur autem Moses tam exacte tempus descripsisse, quod superius dixerat: Quos hodie videtis Aegyptios, posthac non videbitis amplius, vivos scilicet: nam mortuos in littore viderunt.

Reversae sunt aquae, et operuerunt currus. Hic est finis impietatis; sic percutit et excindit dominus eos qui nullis admonitionibus flectuntur, nullis minis terrentur, sed excaecati contra deum pugnare pergunt. Videmus autem et in hac historia, quam graviter Deus suos tentet; rursus quomodo in se confidentes liberet, ut nihil sit opus abstrusas allegorias aut spirituales, quas vocant, intelligentias quaerere. Docemur sperare in dominum, eius iussa gnaviter et strenue exequi, illum sequi constanter, et credere illum perpetuo nobis adfuturum. Discamus neminem laedere, neminem violentia aut iniuria premere! Nam veniet aliquando divina ultio rependetque iis, qui longanimitatem suam contemserunt, liberabitque suos e manibus eorum.

Et filii Israel perrexerunt in sicco. Pulchra est antithesis. Aegyptii ita involuti sunt aquis, ut ne unus quidem superesset; Israelitae autem vivi et illaesi effugerant. *Perrexerant* vertere debuit hic Latinus interpres, per praeteritum plusquamperfectum. Perrexerant enim filii Israel erantque in littore, Aegyptiis adhuc in medio mari versantibus. Et Graeci legunt ἐπορεύθησαν, Hebraei vero הלכו, halchu; sed ii plusquamperfectis carent.

Salvavit dominus Israelem. Id est liberavit, redemit.

Et vidit Israel Aegyptios mortuos super littus maris. Duplex est hic sensus: Aut quod mare Aegyptios eiecerit in littus; aut quod filii Israelis, qui erant in littore, viderent mortuos Aegyptios in mari. Hinc nonnihil lucis superiori sententiae accedit, ubi dictum est: Fugientibus Aegyptiis occurrerunt aquae. Nam quum Mosche, transito iam mari, in altero littore staret manumque extenderet: fieri non potuit ut aquam maris percuteret ea parte qua erat ingressus, sed ea qua iam stabat. Persequentibus ergo Aegyptiis adque littus, in quo stabant Hebraei, contendentibus occurrerunt aquae.

Liberavit Israelem de manu Aegyptiorum. Hic manus pro violentia et oppressione ponitur. Mox infra: *Et viderunt manum magnam.* Excellens hoc et admirabile facinus significat, quod dominus virtute sua exercuerat.

Timuit populus dominum, et crediderunt ei. Mox viso miraculo animum recipiunt et resipiunt. Ita subinde mutatur caro etiam fidelium.

CAPUT XV.

Tunc cecinit Moses et filii Israel carmen hoc domino. Ele-

gantissimum ac vetustissimum est hoc ἐπινίκιον, quod pro victoria cecinerunt filii Israelis domino. Adparet autem non statim, sed aliquanto post factum esse hoc carmen, et primo rudius cantatum esse, quomodo Livius epinicia in quodam triumpho tradit esse cantata.

Cantemus domino. Hebraeus legit: Cantabo domino, quod quidem elegantius est, quum personam totius populi induit.

Gloriose magnificatus est. גָּאֹה גָּאָה, gao gaah, elevando elevatus est, ex idiotismo Hebraico: id est magnifice magnificatus est, magnifice suam potentiam exaltavit.

Equum et ascensorem deiecit in mare. Equum cum inscensore eius exaltavit in mari. Utuntur autem extollere seu exaltare per metalepsim pro interficere: quem enim conterere volumus, extollimus. Quo schemate etiam Germani utuntur, quum aliquem in cruce sublatum et suspensum significare volunt, dicentes: Er ist erhöcht. Sic Christus Io. XII. Ego si exaltatus fuero a terra. Item Io. III. Exaltari oportet filium hominis pro mori. Aut potest esse sarcasmos; quasi diceret Moses: Superbos illos et arrogantes, qui populum dei persecuti sunt, in mari exaltavit deus, quandoquidem alti voluerunt esse.

Fortitudo mea et laus mea dominus. Id est, quem ego laudo, cui laudem hanc cano.

Factus est mihi in salutem. Hebraismus. Latinus diceret: Facta est mihi salus seu factus est salus mea.

Iste deus meus et glorificabo eum. Iste deus meus; quasi diceret: Nullum alium deum colam, venerabor, metuam, sed hunc verum deum magnificabo. Verbum Hebraicum נָוָה, navah, Onkelus Chaldaeus transtulit pro aedificare domum; ceteri Hebraei, pro hospitio excipere: nam varia habet significata. Latinus glorificare pro magnificare et exaltare intellexit.

Deus patris mei et exaltabo eum. Qui in genere demonstrativo versantur, a vetustate etiam commendant. Quandoquidem ergo deum laudat et deo nemo antiquior est: a vetustate eum laudat, quod scilicet fuerit deus patrum suorum; per patres autem Abrahamum, Isaacum et Iacobum intelligit; atque per hoc obiter gentem vetustissimam Iudaicam scilicet commendat. *Deus patris mei* synecdocha est, id est deus patrum nostrorum. *Exaltare* hic in bonam partem capitur pro laudibus evehere.

Dominus quasi vir pugnator. Hebraeus dicit *dominus vir belli;* quasi diceret: Fortis bellator est aut gnarus bellandi.

Omnipotens nomen eius. Quod hic omnipotens, alias dominus vertit Latinus; est autem Hebraice nomen illud ineffabile יְהוָה, quod ab essendo derivatur. De quo satis supra III. capite. Capitur autem nomen pro virtute, pro potentia.

Exercitum eius proiecit in mare. Iam digerit quae superius in summa proposuerat.

Quasi lapis. Genus pro numero, veluti lapides.

Et in multitudine gloriae tuae contrivisti insurgentes contra te. Aegyptii non insurrexerant contra Dominum, sed contra Israelem. Ubi discimus, qui populum dei offendit, eum etiam deum offendere;

ideo per prophetam dicit: Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. Item in Evangelio Christus sibi, quod suis factum est, imputat, sive bonum sive malum. Qui vos spernit, inquit, me spernit. Consolatio haec est non parva iis, qui hic ob Christum premuntur.

Misisti iram tuam, comedit eos quasi stipulam. Iram pro iustitia dei accipit; venusta autem est prosopopoeia. Fingit enim iram dei, ac si ignis esset, quae erumpendo subito Aegyptios quasi culmos devoraret.

In spiritu furoris tui congregatae sunt aquae. Sic Latinus. Hebraeus vero sic legit: In spiritu furoris tui nudatae sunt aquae. Plenum est hoc carmen pulcherrimis tropis. Latinus per metalepsim, Hebraeus per enallagen sententiam protulit; eadem tamen est apud utrumque. Nudatio sequitur collectionem: dum enim aquae in unum aliquem locum colliguntur, nudatur fundus; et dum crus nudamus, colligimus vestem. Prius ergo pro posteriore Latinus ponit, collectionem scilicet pro nudatione. Enallagen autem secutus Hebraeus: Nudatae sunt aquae, dixit, quum non aqua, sed fundus nudetur. In unum enim locum aquis decurrentibus terra, quae sub aqua est, denudatur. Dicitur aqua ergo nudari, quum alveus nudatur aut solum.

Stetit aqua fluens. Statuti sunt sicut moles aquae fluentes, dicit Hebraeus. Pulchra est antithesis: naturaliter enim fluit aqua; iam contra naturam suam stat ut moles.

Congregati sunt abyssi. Hebraeus legit: Congelati seu coagulati sunt abyssi, densatae sunt profunditates: significat enim קפא, kafa, coagulare veluti lac. Enallage: nam non abyssi, sed aquae quae in abysso sunt congelantur; capitur autem congelare pro stare immotas veluti glaciem.

In corde maris. Hebraismus pro in medio mari; in corde terrae, id est in terra. Sicuti rex in medio populi cor est populi.

Dixit inimicus. *Dicere* pro cogitare, consilium capere, statuere. Multa lux atque ordo quidam orationi accessisset, si per praeteritum plusquamperfectum vocem Hebraicam אמר traduxisset Latinus. Dixerat hostis: nam alludit Moses consilium quod coeperat Pharao, dicens: Persequar Israelem.

Dixerat inimicus: Persequar, adprehendam, dividam spolia. Hoc dat in cor eius Deus, ut eum perdat: nam hoc contumacia eius iam dudum commeruerat. *Dividam spolia* species est synecdoches, posterius scilicet pro priori. Apud Homerum frequens est armis spoliare pro interficere; simul autem ostendit crudelitatem hostium in populum dei.

Implebitur anima mea. Anima pro voluptate. Voluptatem capiam ex nece eorum. Germanice dicimus: Ich wil min hertz, minen mut an inen erkülen. Hoc vocant Hebraei *animam implere.*

Vacuum reddam, seu evacuabo gladium meum. Pro evaginabo gladium. Enallage: non gladius extrahendo, sed vagina evacuatur.

Interficiet eos manus mea. Singula verba cum emphasi quadam truculentiam exprimunt.

Spirasti flatu tuo, mox operuit eos mare. Alloquitur deum, virtutem eius amplificans. Quasi diceret: Quantus quantus sit hostis,

quantumvis saeviat: solo flatu tuo, o domine Deus, omnem eius potentiam et superbiam deiicis.

Submersi sunt. צלל, zalal, verbum Hebraicum. קל est, non נפעל, hoc est neutrum, non passivum; perinde ac dum Latini dicunt: Merserunt, sy sind under gangen.

Quis similis tui in fortibus? Post narrationem laus sequitur: nam hac ratione demonstrativum genus vocatur, quod orator prius ostendere et demonstrare debeat, quis sit ille quantusque quem laudat. Exclamatio est vehemens. Quis tam potens? quis tibi similis magnificentia et sanctitate? quis tam admirabilis laudibus? hoc est qui tam admiranda faciat, quae admiremur et laudemus? seu terribilis laudis: debet enim cum tremore laudari Deus.

Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra. Terra hic pro aqua capitur, ut in Genesi quoque annotavimus. Quasi diceret: Mox ut manum tantum extendisti, aboliti sunt et perditi: tanta est potentia tua, tanta virtus.

Duxisti in misericordia tua. Misericordia pro beneficentia capitur: est enim חסד, hesed. Eum ipsum populum quem redemisti, זו.

Ad habitaculum sanctum tuum. Vel secundum Hebraica: Ad habitaculum sanctuarii tui. Nondum duxerat eos illuc; at ideo educti erant, ut eos in terram promissam induceret: intelligit enim per habitaculum sanctuarii, vel templum Hierosolymitanum vel terram Chanaan. Respicit ergo ad certitudinem divinae promissionis.

Ascenderunt populi, et irati sunt. Hebraeus legit: Audierunt populi et fremuerunt, seu conturbati sunt. Graeci: ὠργίσθησαν, irati sunt, quos secutus est Latinus. Capiunt autem irasci pro conturbari et iram pro quacunque turbatione, quod non est adfectus alius fortior qui hominem magis turbet.

Dolor adprehendet habitatores Philistiim. Hoc est subito terrore et stupore quodam exanimabuntur, ut solet fieri in pugna. Possunt enim haec omnia praeterita per futura exponi, quod poëtis frequens est. Sin autem praeteriti significatio magis placet, dicimus carmina illa primum cantata esse a populo incondita, quae a Mose postea expolita et exornata sunt: nam non potuit huius magnifici facti memoria tam cito ad gentes pervenisse.

Nota etiam hic ubi Hebraeus dicit: Dolor adprehendit eos, LXX habent ὠδῖνες, qui proprie praegnantium sunt dolores. Qua voce saepe atque non illibenter usi sunt Graeci, quod haec vox proprie anxietatem et dolorem exprimat, quem non possunt impii evitare. Nam veluti mulier praegnans, velit nolit, dolorem ferat oportet (effugere enim non potest): sic impii, quantumvis saeviant, quantumvis fremant, manum tamen dei et conscientiae cruciatum ferre coguntur.

Tunc conturbati sunt principes Edom. Graeci ἔσπευσαν, festinarunt. Nam בהל et turbari et festinare significat. Qui stupefacti sunt et territi, festinant, omnia confundunt; festinare ergo pro confusos esse capitur.

Obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Hebraice liquefacti sunt seu diffluxerunt נמגו, namogu. Sic etiam Graeci ἐτάκησαν. Est

autem *τήκειν* diffluere, liquefieri, quod nimirum terrore fit et horrore, qui omnia membra, cor et animum liquefacit. Verum Latinus, quum dixit, obriguerunt, non ad vocem, sed ad sensum magis respexit: nam id ipsum ex horrore fit, qui facit omnia membra rigere, ut quasi stipites immobiles stemus.

Cadat super eos formido et pavor. Optat Mosche: O Deus, is timor quo eos terruit manus tua, cadat super eos, ut maneat!

Plantabis eos in monte haereditatis tuae firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es domine. Plantabis eos, vel cibabis eos: nam potest esse Hiphil, tam a נטע, nata, quam a טעם, taam. Mons haereditatis est mons Zion. Praeparatum habitaculum dei vocat quod populi erat, eo quod dominus hoc elegerat et praeparaverat. Tametsi praeparatum nondum erat, in praeterito tamen loquitur, propter certitudinem divinae providentiae.

Dominus regnabit in aeternum et ultra. Locutio est Hebraica. Sic Germani von ewig zu ewig. Aeternitatem autem sine fine his verbis significant Iudaei. Species est hyperbolae. Discimus hic beneficiorum dei memores esse. Neque enim nobis satis laudari potest divina beneficentia, quae tanta est ut omnis laus nostra minor sit.

Sumpsit autem Miriam prophetissa soror Aharonis, tympanum in manu sua, egressaeque sunt post eam omnes mulieres cum tympanis et choris, quibus praecinebat. Morem fuisse hunc inter Iudaeos adparet, ut in festivitatibus puellae convenirent, ad canendum et choros ducendum, utque saltarent ad numeros certos, idque cum decoro et modestia. De hoc habent Iudicum XI. et XXI.

Verbum ענה, ana, significat respondere et alternis canere; dum autem alternis canunt puellae in choris, una aliqua praecinit aut praeit. Ideo Graeci dixerunt *ἐξῆρχε*, id est coepit aut anteivit; ceterae canendo secutae sunt. Tympanis autem ob id maxime usae sunt, quod prae ceteris instrumentis musicis ad numeros et mensuram sunt aptiora, idque propter ictus: ictibus enim apte gressus concurrunt.

Cantate domino. Duntaxat primum versum huius cantici ponit hic Moses, nominis loco; indubitatum tamen est totum carmen Mariam cecinisse.

Et egressi sunt in desertum Sur. Desertum vocatur, non quod nemo in ea habitet, sed quod sit aspera et montosa. Una autem est eremus, tametsi diversa sortitur nomina a locis adiacentibus.

Et venerunt in Marath. Sic vocatur per anticipationem: nam hic locus nomen hoc ex eventu postea sortitus esse videtur.

Et murmuravit populus contra Mosen, et dixit: Quid bibemus? Vehemens adfectus hoc unico verbo exprimitur. Tota autem causa murmuris et impatientiae in hoc verbo intelligitur. Talis est conditio ducum et imperatorum, ut omnis clamor, omnis necessitas in eos redundet; ipsius unius caput, si quid populo accidit, petitur.

Et clamavit ad dominum. Populus murmurat, Moses ad dominum clamat. Perpetuum hoc exemplum est eorum qui praesunt, ut in omni casu ad deum clament: is docet quid faciendum sit. In omni ergo necessitate ad deum curramus, nihil fidamus nostris viribus, neque desperemus: ostendet deus exitum.

Qui ostendit ei lignum, quod cum in aquas misisset, versae sunt in dulcedinem. Allegorice crux Christi lignum illud est, quo immisso omnes tentationes et adversitates nobis dulces redduntur, omnis amaritudo vitae nostrae dulcescit.

Illic constituit ei praecepta atque iudicia. Ei scilicet populo. חקות, hukoth, Hebraeis sunt, quas nos ceremonias, iusta, ritus vocamus. משפטים vero iudicia sunt, quibus causas discutit iudex ac vindicat. Non hic ceremonias aut iudicia scripta dedit: nam hoc postea factum legimus, sed pactum cum patribus factum refricat, docetque populum suum Deus per os Mosis, ne scilicet ex servitute liberati ad libidinem carnis libertate uterentur, ut bene et recte coram deo et proximo viverent, ut in simplicitate et innocentia (sicut olim patres) coram deo ambularent. Adparet et istud quod superius monuimus, ante legem fere servavisse Israelitas moribus et consuetudine, quae per Mosen postea sunt scripta lege praecepta.

Illicque tentavit eum. Populum tentavit Deus, dum aquis carebant. Puto hic tentare accipi pro probare, quod mitius est ac modestius.

Si audiendo audieris vocem domini dei tui, et rectum in oculis eius feceris. Nihil in humanis tam rectum fieri ab homine potest, in quo non peccet homo, quod omni culpa careat, quod omnino perfectum sit et irreprehensibile. Sed tum rectum est, si fiat eo modo quo Deus iubet, sique id solum fiat quod Deus praecipit. Sensum ergo LXX respicientes transtulerunt *καὶ τὰ ἀρεςὰ ἐναντίον αὐτῦ ποιήσῃς*, et placita coram eo feceris. Ea demum placita sunt in oculis dei quae ipse praescribit. Ergo si ad eius praescriptum cuncta facimus, iam quae illi placent et quae recta sunt facimus. Iubet ergo, ut eius vocem audiant, ut praecepta eius servent. In quo et bonitatem dei immensam videmus, qui populum suum monet, ut coram se innocenter et recte ambulent. Neque enim tum lex data erat, sed quemadmodum pactum cum patribus factum erat, ita transfundebatur ore a patribus in filios: nam illi beneficentiam dei posteris suis inculcabant. Neque eget is, qui innocentia deum colit, lege. At is qui secundum carnem vivit, cancellis legis indiget. Qui enim spiritu dei ducuntur, hi filii dei sunt et vere liberi. Qua libertate uti non possunt neque debent mali et impii: nam hi magnopere lege coërcendi sunt. Quare etiam Deus, quum populus sine fine delinqueret, gravi eum lege et crudelibus minis pressit ac terruit. Quod factum haudquaquam fuisset, si in avita fide, integritate ac innocentia perstitissent. Qui spiritu vivunt, illis spiritus lex est.

Cunctum languorem quem posui in Aegypto, non inducam super te. Per מחלה, mahala, vitia aerumnasque intelligit, quibus Aegyptum percusserat.

Ego enim Dominus sanans te. Hic clementiam et longanimitatem suam aperit deus; quasi diceret: Ego talis sum deus qui non facile percutio, non damno, non perdo, non praeceps sum ad iram et vindictam. Si integre coram me ambulaveris, ego te salvabo: nolo enim mortem peccatoris; potior est apud me misericordia quam ira.

Audiamus ergo, fratres carissimi, vocem Dei nostri et Christi eius,

qui est auctor nostrae salutis, cuiusque vocem ut audiamus paterna vox e coelo admonuit. Consideremus apostolum et pontificem nostrae professionis, qui Mose multo praestantior est. Quem si audierimus, non tanget nos malum, quod olim incredulos ac inobedientes Iudaeos perdidit.

Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi erant duodecim fontes aquarum et septuaginta palmae. Exercitus filiorum Israelis fidelium coetum adumbrat, cuius dux Christus est, qui duodecim apostolos et septuaginta discipulos elegit. His dat aquam ex fontibus vivis, coelestem scilicet doctrinam, ut omnes ex eo bibamus et sitim restinguamus.

CAPUT XVI.

Profecti sunt de Elim, et venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin. Ab initio locum describit Moses, deinde tempus. Vox Hebraica עדת, quam multitudinem hic Latinus vertit, Graeci συναγωγὴν, alias ἐκκλησίαν verterunt. Significat ergo ecclesia coetum, congregationem multitudinemque populi, non tantum bonorum, sed malorum etiam.

Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Mosen in solitudine. על משה, al Mosche, contra Moschen. Graeci ἐπὶ verterunt pro על: ἐπὶ enim Graecis etiam significat contra vel adversus. In deserto murmurarunt, quod a Graecis omissum est, sed non apte: nam emphasin habet vehementem. Solent pericula etiam inimicos conciliare; at haec communis filiorum Israelis calamitas non potuit conciliare fratres, quin inter sese disceptarent et contra duces tumultum excitarent. Vide ut unico verbo ingratitudinem pertinaciamque Iudaici populi Moses exprimat.

Quis det, mortui essemus in manu Domini in terra Aegypti? Locutio est Hebraica; aliquando optativa est, ut hic: Utinam mortui essemus in Aegypto! alias renuit, ut: Quis det, ut de carnibus eius saturemur? Nam illic difficultatem et impossibilitatem quandam habet. Mori nos in manu Dei in terra Aegypti. Hic LXX manum Domini ita interpretantur, ac si populus optasset se interfectum esse et percussum manu Domini in Aegypto. Sed si Hebraica penitius introspicias, sensus est: Utinam mortui essemus in terra Aegypti manu Dei, id est, voluntate Dei. So es Gotts will wäre gsyn, so wärend wir (licet in captivitate) gstorben.

Comedebamus in saturitate. Panis nomine omnem cibum intelligunt Hebraei; nihilominus panem dumtaxat alicubi significat.

Super ollam carnis. Genus pro numero.

Cur induxistis nos in desertum istud. Hebraeus absque interrogatione legit כי הוצאתם אתנו, ki hozethem othanu. LXX pro כי ὅτι habent. Causalis autem est non rationalis; exponitur per siquidem aut quoniam: siquidem eduxistis nos in desertum. Nam hoc monstrant esse causam murmuris; δεικτικός ergo sermo est rei quam opprobrant eis.

Colligat populus quae sufficiat per singulos dies. דבר יום ביומו. Hic דבר significat dimensum, rationem aut summam cuiuslibet diei. Germanice jr acht.

Dixerunt Moses et Aaron ad omnes filios Israel: Vespere scietis. Haec omnia per anticipationem dicuntur; sensus autem verborum est: Dum vobis dominus dabit panes et carnes, in eo videbitis eum audiisse murmur vestrum, eumque esse quem murmure vestro offenderitis. Est etiam inversio constructionis; quasi diceret: Beneficium dei ostendet vobis, deum murmur vestrum audivisse. Non murmur erat causa beneficentiae, ut verba videntur sonare.

Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra dominum. Qui ministros dei spernit, deum ipsum spernit.

Dixit Moses ad Aharonem: Dic universae congregationi filiorum Israel: Accedite coram domino. Hic κατὰ ὑποτύπωσιν dicuntur, quae superius per anticipationem praemissa sunt. Convocare populi multitudinem, Hebraico schemate, nimirum dicitur appropinquare in faciem domini; qui mos fuit convocandi populum per sacerdotes ad dominum, praesente populo loquentem cum Mose.

Ros iacuit per circuitum castrorum. Hebraice: Et mane fuit שכבת הטל, schichbath hatal; ac si diceres: Iactio seu positio roris, ein legy tows. Non de rore hic loquitur, sed de pane qui in modum roris sparsus iacebat in superficie terrae.

Minutum quasi pilo tusum. Descriptio est illius cibi coelitus depluti.

Man hu, quod significat, quid est hoc. Nec verba nec sensum Latinus traduxit. Sic enim legunt Hebraei: Et dixit quisque ad proximum suum: Donum hoc: non enim noverant quid esset. מן, man, Hebraeis donum significat aut sortem. Cibum ergo a domino datum, quoniam aliter non poterant, man adpellant. Quasi diceret: Donum hoc dei est, munus est: nomen a bonitate dei reique novitate ac admiratione huic cibo imponunt. Quibusdam placet מן הוא pro מה הוא positum esse et cacophoniae gratia paragogen *nun* adiectam. Tunc impatientiae et contemtus verbum esse videtur: putabant enim panem illum promissum pistum magna multitudine et abundantia venturum. Sic non solum non contenti, sed etiam ingrati fuerunt.

Hic est sermo quem praecepit vobis dominus. זה הדבר, sae hadabar, hoc est verbum. Est autem, *verbi* significatio amplior ac splendidior apud Hebraeos, quam *rei* apud Latinos. *Praecepit* pro mandavit aut promisit.

Colligite ex eo, quisque quantum sufficiat ad vescendum. לפי אכלו, lepi achlo, bifariam exponi potest: colligat quisque quantum ei ad esum satis sit; vel: Quisque colligat ut habeat ad edendum.

Gomer ad singula capita iuxta numerum animarum vestrarum, quisque ad eos qui in tabernaculo eius sunt. Gomer mensurae genus est; incertum autem nobis quantum capiat. Videtur voci Germanicae, ymmi, non esse omnino absimilis: nam Hebraei עמר, omer, non gomer, dicunt. Cuique capiti, hoc est cuivis homini,

Hebraismus est. Sic iuxta numerum animarum, id est hominum. Uff yeden menschen, als vil menschen in einer zelt sind.

Collegerunt alius plus, alius minus. Non sic Hebraeus, sed sic: Et collegerunt multum et parum, plus, minus. Sensus est: cumque exissent ad colligendum, collegerunt plus, minus, ac deinde metiebantur ad gomer collecta. Aut potest intelligi, eum qui plures habebat in tabernaculo suo plura gomer collegisse; eum vero qui paucos pauca.

Nec supererat ei qui multum, nec defuit ei qui parum collegerat. His verbis miraculi virtus ostenditur: neque enim omnium gula similis est, alius alio magis edit. Non ergo caret miraculo, quod singuli singulis gomer cibabantur et nihil supererat nihilque deficiebat. Hunc locum apostolus Paulus 1. Corin. VIII. pia quadam interpretatione alio detorquet; quod et nobis per allegoriam licebit, siquidem analogiam fidei servaverimus. Docet hic locus contentos nos esse debere paucis. Qui enim divites sunt omniaque devorare se posse existimant, his nihil in morte supererit; contra pauperibus, quorum spes in domino est, nihil quod ad usum et necessitatem pertinet deerit: suppeditabit enim dominus quantum satis sit.

Scatere coepit vermibus, atque computruit. Aut hysteron proteron est aut sic exponi potest: Et ebullierunt vermes: putruerat enim; ut *vof* sit causalis, ויבאש, vaiibasch.

Cum incaluisset sol. Fervorem solis pro meridie, et rursus meridiem pro fervore solis usurpant Hebraei.

Sabbatum requies sancto domino cras. Sanctum Hebraeis, quod Latinis sacrosanctum. Sacrosanctum autem Romanis dicitur, quod senatus populusque Romanus sancierat, firmum scilicet et inviolabile. Sic sabbatum sanctum est, id est a deo institutum, ut vacemus et ei serviamus.

Quod coquetis, coquite. Ethologia. Id est: Quod quisque solet coquere, coquat! nam alioqui coquebat quisque, quod coquebat.

Exierunt de populo, ut colligerent, et non invenerunt. Increduli scilicet, qui verbo dei fidem non habebant; tentantes dominum, num invenirent sabbato; tametsi deus dixerat non inveniri.

Usque quo renuitis servare praecepta mea, et legem meam. Verbum est indignantis et increpantis incredulos.

Videte quod dominus dedit vobis sabbatum. Haec est apostrophe Mosis ad populum. Nam haec verba non loquitur deus, sed Moses ad populum, postquam increpatus esset a deo. Sensus est: In hoc videre potuistis sabbatum, non a nobis, sed a deo vobis datum esse, quod sabbato exeuntes nihil inveneritis. Otio indulgere et vacare ab opere cultus dei non est; at sabbato ob id vacare, ut soli deo servias, verbum eius audias et mediteris, gratias pro beneficiis ei agas, id demum verus cultus est dei.

Maneat quisque apud semetipsum. Hebraice *sub se.* Similis est locutio ei, de qua supra cap. X. audivimus. Tribus diebus nemo moveat se de loco in quo erat! nemo exeat de habitatione, hoc est, de civitate aut habitationis loco!

Imple gomer ex eo ad custodiam, in generationes vestras.

משמרת, mischmeret, custodiam. Puto hic poni pro memoriali, pro monumento vel testimonio, ut et posteri viderent aliquando, quo cibo aluisset dominus filios Israelis in deserto.

Sume vas, et pone in eo man plenum gomer, et repone coram domino, ut servetur in generationes vestras. Reponebat Aaron manna coram domino in memoriale. Haec puto per anticipationem dici: nam arca nondum fuit fabricata. Servatum ergo est man, ut quum facta esset arca in ea reponeretur; neque hoc man putrescebat.

Hoc cibo aliti sunt, usque quo tangerent fines terrae Chanaan. De hoc lege Ios. V. Quid per manna significatum sit, exponit Christus Io. VI. dicens, se esse panem verum, qui de coelo descenderit, ut quicunque ex eo ederit vitam sit habiturus aeternam. Qui manna edebant, moriebantur; qui manducat hunc panem, Christum scilicet, vivet in aeternum. Hic est cibus animorum vitalis, quem qui ederit (at editur sola fide, non dentibus) nunquam esuriet; cuius *μνημόσυνον* panis est et vinum, quae in coena sumimus.

Arcula illa, in qua servatur manna, Christi est humanitas, in qua divinitas, quae panis est vitae, servatur: nam pro sua deitate Christus cibus est animorum; Christi autem corpus ad dexteram dei adsumtum est. Quod quidem, si fideles sumus, summum nobis gaudium esse debet: spem enim nobis ascendendo fecit, ut ubi ipse est et nos futuri simus. Porro miraculum in se magnum est, quod e coelo filios Israelis quadraginta annis pane cibavit; quo manifesta fit nobis et omnipotentia et providentia dei, qui suorum ubique sic curam gerit, ut eis omnino nihil unquam desit.

CAPUT XVII.

Profecta est omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin, per mansiones suas. Ubi Latinus dicit: Per mansiones suas, Hebraeus dicit: Per profectiones suas.

Cur tentatis dominum? Tentare Latinis significat exasperare, irritare. Sic hic patientiam et longanimitatem dei irritant ac contemnunt. Sic in Actis Petrus: Cur tentatis deum, ut imponatur iugum super cervices discipulorum? Quasi diceret: Nonne scitis solam fidem iustificare hominem? cur ergo onus tam grave legis imponere vultis cervicibus discipulorum?

Virga qua percussisti fluvium. Non Moses fluvium percusserat, sed Aharon; nisi per fluvium mare rubrum intelligas. Iam ergo Mosis virga, iam Aharonis, iam denique dei virga vocatur.

En ego stabo coram te illic supra petram in Horeb. Anthropopathôs dictum; est autem quasi occupatio. Potuit enim Moses cogitare aut dicere: Domine vade mecum! dicit ergo: Ne dubites! ego ante te adero in petra.

In oculis seniorum. Locutio est: Id est coram senioribus.

Est ne dominus in nobis, an non? Hebraeus suo schemate dicit: Estne dominus in medio nostri? id est: Estne dominus noster necne?

Elige nobis viros. Viros pro militibus saepe ponit Hebraeus.

Delectum habe! Profectio filiorum Israelis ex Aegypto vitam nostram commodissime adumbrat, quam militiam esse Iob testatus est. Pugnandum autem nobis est cum hostibus, quos tum vincere poterimus, quum vera et fideli oratione ad deum confugimus. Iehoschua armis pugnat, Moses oratione victoriam parat. Quamdiu tollebat manus Mosche, tandiu vincebat Israel. Qui populo praeest, usque habet quod clamet ad dominum. Nam varia sunt ingenia hominum: iam metuunt, iam murmurant, iam diffidunt. Quis haec absque ope dei feret? Invocandus ergo est deus in hisce angustiis, qui ad se clamantes non deserit.

Elevatio manuum significat, in orationibus et manus et desideria in deum intenta esse deberet. Illuc vota nostra erecta sint, ubi est fortitudo nostra. Donec levat manus, non succumbit Israel; donec in deum mens est fixa, non vincitur ab hoste. At caro nostra infirma est et fatigata aliquando lassescit: debent ergo fulcra ab iis, qui verbo praesunt, adhiberi nutantibus. Petra vero, quae Mosi defatigato supponitur, Christus est (ut etiam obiter petrae typum, de qua superius dictum est, exponamus: nam petra erat Christus, ex qua aqua vitae promanat): is nostra firmitudo, nostra soliditas est, quo confortante omnia possumus.

Hic admonendi sunt Christiani, ut quam maxime fieri potest a bellis abstineant, pacem cum omnibus, quod in ipsis est, habeant, omnes, etiam inimicos, amore et benevolentia prosequantur. Quod si patientia nostra omnem moverit lapidem ut lucrifaciamus inimicum, isque pertinacia et malignitate pergit publicam pacem ac tranquillitatem interturbare, ut metuendum sit ut non haec patientia nostra in dei contumeliam vergat, atque omnino bellandum sit, necessitate ita cogente: simus viri, bellemus gnaviter, et pro fratribus proque publica tranquillitate vitam exponamus intrepidi. Dominus ipse nos non deseret: pro nobis ipse pugnabit. Invocemus eum in media tempestate! in mediis procellis consilium et exitum ostendet. Nihil temere inceptandum aut tentandum est. At si omnino ita res exigat, faciamus ut Iehoschua vir dei, non solum nomine, sed et figura nobis Iesum adumbrans. Ne bellemus nisi dominus iusserit; id est nisi fides et caritas dictaverit.

Pone in auribus Iehoschua. Ponere in aurem est inculcare et significare. Quid autem dicere debebat Iehoschua? nempe quod, Mose levante manus, populus dei vicerit: nam hoc Iehoschua non viderat, qui adversus hostem pugnaverat; Moses vero in monte steterat. Iubet ergo tam magnificum factum scribi et populo commendari.

Delebo memoriam Amalec. Quomodo deleta est memoria Amalechitarum, quum eorum crebro in sequentibus libris mentio fiat? Memoriam hic pro re memorata capit. Delebo memoriam eorum, id est salutem eorum, conditionem et statum eorum, jren wolstand.

Dominus exaltatio mea. יהוה נסי, adonai nissi. Dominus refugium meum, dominus protectio mea. Nomen hoc arae, quam aedificaverat, imposuit Mosche. Quasi diceret: Quandoquidem vidimus domini esse bellum aut praelium, merito aram hoc nomine vocabimus: Dominus protectio mea.

CAPUT XVIII.

Iethro sacerdos Madian, socer Mosis. Apud vetustissimos, qui potentes erant praeerantque reipublicae ac magistratibus, fungebantur etiam sacerdotio: erant enim multarum rerum scientia et usu sapientissimi. Sic suo כהן, cohen, nimirum utuntur Hebraei pro praefecto, primario et sacerdote. Sic Melchisedek rex fuit et sacerdos altissimi, Gen. XIV. Verbi autem ministris Christus ne principum more dominentur interdixit.

Tulit Ziporam uxorem Mosis posteaquam remiserat eam. Tulit pro reduxit. Crudescente enim saevitia Pharaonis et instante negotio longe periculosissimo, remiserat Moses uxorem suam et liberos ad domum soceri, quam hic reducit Iethro.

Iuxta montem dei. Horeb vocatur mons dei, quod illic multa miracula operatus sit Deus coram filiis Israelis.

Ego socer tuus, venio ad te. Hebraei hic habent אני, ani, quod *ego* significat. Dura autem est apostrophe; quare puto Hebraeis אני aliquando pro הנני accipi. Sic Septuaginta intellexerunt: dicunt enim *ἰδὲ*.

Qui egressus in occursum soceri sui, adoravit. Saepe iam diximus שחה Hebraeis non solum adorare, sed etiam procidere, genu flectere significare, quod hic manifestum fit. Nam non potuit vir dei Mosche gentilem hominem adorare. Adoravit, id est honorem exhibuit.

Salutarunt se mutuo verbis pacificis. Hebraica locutio talis est, וישאלו איש לרעהו לשלום, interrogavit alter alterum, pacifica, hoc est salva et integra, sintne omnia. Interrogavit quisque proximum suum ad salutem. Sic habent ad verbum. Graeci sensum viderunt, quem sic verterunt: *ἠσπάσαντ' ἀλλήλες*. Significat autem hoc verbum Graecis non solum *salutare*, sed totum illud quod salutantes inter se loquuntur, dum alter alterum interrogat de salute. Sic est Hebraeis שאל, schaal. Alter alterum bene precati sunt.

Benedictus dominus. Laudabilis, vel laude dignus, *εὐλογητός*. Deum Mosis summis evehit laudibus; quasi diceret: Optimum illum deum, qui talia fecit populo suo. Videmus hic etiam apud Gentes dei cognitionem fuisse, et forte clariorem quam aliquot iam annis apud Christianos; tametsi ex omnibus gentibus peculiariter Deus elegerit Iudaeos, ex quibus secundum carnem nasciturus erat Christus. Adparet autem Madianitas (qui et Ismaelitae) ab Ismaele filio Abrahami de cultu unius dei nonnihil doctos fuisse, ut apud quosdam verae pietatis adhuc essent reliquiae; tametsi plebs idola colebat.

Nunc cognovi quod magnus est dominus super omnes deos. Colebant quidem deum Madianitae, ut dictum est, sed non adeo pure et sincere, nec tam clare deum cognoscebant ut Israelitae. Quasi diceret: Audivi saepe antea de deo illo vestro, quod magnus sit; at fides mea satis infirma erat. Iam quum video tanta miracula ab eo esse facta: firmatur nonnihil imbecillis mea fides, sublevatur caro, ut plane cognoscam deum vestrum solum esse fortem et potentem super omnes, qui vel dii vel fortes habentur aut sunt.

Eo quod superbe egerunt contra illos. כי בדבר אשר זדו עליהם. Hac ratione quod Aegyptii licenter egerunt in filios Israel, ideo dominus multavit eos gravissima poena. Quasi diceret: Quandoquidem vidi Israelitas ab Aegyptiis duriter pressos manuque domini e servitute eductos, Aegyptiosque gravissime punitos: certissime novi hunc deum esse iustissimum, qui adflictos liberat, adflictores punit. Ceteri dii, vel malis hominum gaudent, vel suos liberare non possunt; non sic deus Israelis: optimus ergo est et iustissimus.

Obtulit ergo Iethro socer Mosis holocausta. Hebraice est: Et accepit holocausta, id est adduxit, attulit.

Venerunt Aaron et omnes seniores filiorum Israel, ut comederent panem cum eo coram domino. Pars sacrificiorum comburebatur; pars vero edebatur ab iis qui sacrificabant. Publicae enim epulae publicis solemnibus dabantur.

Notatur hic constantia, fides, religio, integritas et civilitas piorum hominum. Venit ille gratulatum genero suo totique populo, quum tot et tanta prodigia dei audisset; consalutant communibusque votis laudant deum; simul edunt et laetantur, gratias agentes deo de tantis beneficiis et victoriis; firmatur fides infirmioris etc.

Hoc etiam nota, quod *coram domino edere* est in honorem dei edere de sacrificiis dei. Qui mos et apud gentes fuit, qui quum diis suis offerrent partem cum vicinis et amicis edebant. Decet igitur in publicis solemnibus convenire pios laetumque agere convivium; modo fiat citra immodestiam et luxum.

Et factum est die crastino. Sic loquuntur Hebraei: Factum est postero quodam die. Graeci dicunt: *Post crastinum* quod eis idem significat quod *crastino.* Quemadmodum Latini: Post diem quartum dicunt pro quarto die.

Sedebat Moses ad iudicandum populum. Elegantius *considebat*, ut Graeci dicunt συνεκάθισε. *Con* enim auget, et magnificentius est considebat quam sedebat, maiestateque plenum. Considebat pro tribunali, ut ius diceret populo.

Quid est hoc, quod tu facis populo? Videns Iethro adflictionem et laborem generi sui, arripit rhetorico more, id quod plus movet, nempe populi adflictionem; tametsi levare voluit onus generi.

Venit ad me populus quaesitum deum. Iam quasi expositionem eius, quid sit *quaerere deum*, mox subiungit, dicens:

Cum inciderit aliqua disceptatio, veniunt ad me, ut iudicem inter eos et ostendam praecepta dei et leges eius. Quasi diceret Moses: Ego secundum legem dei et dictamen spiritus dei iudico et lites compono, non iuxta adfectus meos. Discimus hic iudicium inquirendum esse a deo, cuius lex est, non nostra. Non enim qui literam legis tenent, statim recte iudicant; nisi simul et spiritum legis teneant. Fit enim plerumque, ut qui legum sunt peritissimi pessimi sint ac versutissimi homines. Perhibent iurisperiti quoque, iudicem non minus aequi quam iusti esse debere studiosum. Oportet ergo iudices esse viros pios et fideles deique metuentes, qui ex mente legis et dei iudicent: quilibet enim in sua causa caecus est. Quod si iudex iisdem quibus

actor et reus adfectibus tenetur, iuste iudicare nuspiam poterit. Solus ergo deus, qui veritas est immutabilis, recte et inoffense iudicare potest, et hi qui spiritum dei habent, hoc est qui veritati innituntur. Qui ergo iudicem adit, quaesitum deum venit; legis ergo et voluntatis divinae iudex debet esse consultissimus. Talis nimirum Moses fuit, vir dei metuens, qui spiritum dei et legem dei vivam scriptam habebat in corde suo, secundum quam causas componebat ac iudicabat; non quod in qualibet causa ad locum aliquem, ad consulendum deum recurrerit, sed quod omnia pro divina voluntate, quae in corde ipsius erat, faciebat.

Stulto labore consumeris, et tu et populus iste qui tecum est. Hebraeus legit נבל תבל, nabol thibol, defluendo deflues; aut: Concidendo concides, hoc est omnino sub hoc gravi onere cades, certissime cades. Aut: Rem vehementer stultam facis, stultissime agis. Significat enim נבל, nabal, et defluere et stultum esse.

Audi verba mea et consilia mea, et dominus erit tecum. Obsequere voci meae, consilium tibi dabo, eritque dominus tecum. Sic legunt Hebraei. Quasi diceret Iethro: Tametsi ego Iudaeus non sum, tamen consilium quod dabo etiam deo placebit: nam ex deo est.

Esto tu populo in his quae ad deum pertinent. Hoc est in rebus arduis et difficilibus, quae ad deum referendae erant petendaque oracula. Moses mediator erat et sequester inter deum et homines; non autem in sacrificando, quod sacerdotum erat officium. Moses ergo, quod ad hoc officium attinet, typus Christi est: unus enim conciliator dei est et hominum homo Iesus Christus. Intercessor autem unius non est; at deus unus est. Quibus quidem verbis Paulus Christum non solum mediatorem esse ostendit, sed ipsum quoque esse verum deum et verum hominem. Ceterum quatenus sacerdos et pontifex fuit Christus, figuratus est per Aaronem.

Provide autem de omni populo viros, sapientes, timentes deum, in quibus sit veritas et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos etc. Clarissime hic ostenditur, neque sacris literis neque divinae voluntati repugnare, ut in populo dei magistratum gerat etiam fidelis, quod tam odiose quidam hodie impugnant, ut hoc adserentes ἄθεοι ab eis pronuncientur. Deinde brevissimae hae dotes exprimuntur, quas iudicem et magistratum habere oportet, nempe fortitudo, magnanimitas, sapientia, metus dei, veritatis studium, fides, odium avaritiae. Quas quidem dotes nisi fidelis homo ne habere quidem potest; tantum abest ut fidelis gerere magistratum non possit. Discutiamus autem singula exactius!

Primum iubet eligi אנשי חיל, id est viros robustos, fortes, sagaces; intelligit autem non corporis, sed animi robur. Et vir a virtute nomen habet. Viri ergo esse debent, non effeminati et molles. Germanice quidam dicunt: ein heil man, id est ein weydlich redlich man. At quandoquidem hac in re facile falli possumus, hypocrisi nobis oculos praestringente, mox addit: Dei metuentes. Quasi diceret: Ego nequaquam de fortibus et audacibus istis loquor, qui nihil non audent, sed de magnanimis et vere fortibus, qui in domino fortes sunt,

Deinde attentos eos et benevolos reddit, his verbis: Si itaque audieritis vocem meam custodieritisque pactum meum: eritis mihi in peculium etc.

Scitis quomodo portaverim vos super alas aquilarum. Similitudo est: altius enim volant aquilae ceteris avibus, extra omnem telorum iactum, extra omne periculum. Sensus ergo est: Ego eduxi vos et constitui extra omne periculum; defendi vos, liberavi vos, et in tuto constitui; accepi vos ad me, id est in populum meum et familiam meam.

Eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra, sed vos eritis mihi regnum sacerdotale, et gens sancta. Tametsi omnis terra mea est omnisque gens, vos tamen eritis peculium meum, ein sundertraut, et sacerdotale regnum. Quemadmodum apud omnes populos reges et sacerdotes summi et prae ceteris honoratiores sunt: sic ego vos ex omnibus gentibus selegi, ut sitis prae omnibus populis praecipui mihique dedicati. Hac autem ratione populum Iudaicum peculium suum et regnum sacerdotale vocat, quod ex hoc populo nasciturus erat Christus, verus rex et sacerdos. Quandoquidem autem una est Iudaeorum et gentium fides, unus deus unaque ecclesia, quum ad vitae innocentiam et puritatem Christianum populum adhortaretur Petrus; his verbis commodissime est usus: Vos, inquit, genus electum, regale sacerdotium, populus qui in lucrum accessit etc. Quasi diceret: Quemadmodum olim deus Iudaeos prae cunctis gentibus sibi elegit, ut essent populus peculiaris et gens sancta: ita et vos Christus suo sanguine sibi adquisivit, ut sitis gens sibi dicata et sancta, siquidem in simplicitate et innocentia coram eo ambulaveritis.

Respondit omnis populus simul, et dixerunt: Cuncta quae loquutus est dominus, faciemus. Haec est audacia et temeritas carnis, quae ut videatur deo obsequi nihil non pollicetur, parum praestat.

Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum. Quasi diceret: Loquar ad te, ut etiam populus audiat: nam hactenus locutus cum eo erat deus, populo absente. Allicit hoc sermone populum, cui nimirum volupe erat audire sermonem domini. Ut credant tibi perpetuo. Facit deus verba sua verba Mosis: dignatur enim deus quae sua ipsius sunt quandoque nobis communicare aut nostra facere, idque ex gratia sua.

עולם hic non aeternitatem, sed iugiter significat: quoad scilicet viveret Moses. Quod si pro perpetuo seu aeterno exponere placet, ad legem referendum est. Nam lex dei aeterna est, perpetua scilicet voluntas summi dei.

Sanctifica mihi populum. Varia lavacra variasque purificationes habebant Iudaei, sed ad carnis emundationem tantum, quibus et hypocritae uti potuerunt et quorum cor non erat sincerum, quapropter ad Hebraeos IX. vocantur iustitiae carnis, ad tempus correctionis datae. Simulabant autem Pharisaei et hypocritae coram indocta plebe huiusmodi rebus absolutam sanctitatem; ideo deus per ethologiam vocat hoc sanctificare. Veram autem et internam sanctificationem sequenti capite docet; simul ergo exteriorem et interiorem hominem instituit ac mundat.

Ne ascendatis in montem. Nemo ascendebat montem, quam

Moses et Aaron. Significat nos in divinis rebus non debere esse curiosos, ne sacrosancta consilia divinae providentiae temere contingamus, hoc est perscrutari velimus, sed ad radicem montis in ordine nostro maneamus. Quod si unus et alter a deo vocatur ut ascendat, certissimis signis hoc ostendet. Ne ergo quid temere, neque supra modum! De hoc monte ex Paulo ad Hebraeos postea dicemus.

Cum coeperit clangere buccina, tunc ascendat in montem. Hebraei diversam habent sententiam: sic enim legunt: In prolongando seu ducendo Iobel, ipsi ascendent in montem. Per Iobel tubarum et tonitruum sonitum intelligit. Sensus est: Dum satis protractus adeoque finitus est sonitus tubarum et voces tonitruum: tum ascendere potest populus, at praesente domino nequaquam. Neque enim veto, ut in perpetuum non ascendatis. Dum ergo sonitus cornu cessaverit, potestis ascendere.

Ne appropinquetis uxoribus vestris. Hinc traxit quasi per allegoriam mandatum suum Paulus 1. Cor. VII. quum coniugatis praecipit, ne se fraudent invicem, nisi si quid ex consensu pro tempore, dum ieiunio et precationi sit vacandum. Neque ex praecepto loquitur, sed per indulgentiam; quasi diceret: De hac re expressum domini praeceptum non habeo; at ex eo quod olim, dum dominus in montem ascenderet, in populo factum est, loquor. Quemadmodum illi tunc, quum vellent domini vocem audire ab uxoribus abstinebant, ita et vos facite! Nam quum animum divinis rebus intendere volumus vacareque precationi: carnalis societas, quae spiritum nonnihil distrahit, apte intermittitur.

Iamque advenerat tertius dies, et mane inclaruerat, et fuerunt voces et fulgura, et nubes densa supra montem, clangorque buccinae fortis valde, et timuit omnis populus qui in castris. Post populi audacem responsionem non statim legem dedit Dominus, sed tentat eos prius, ac tonitruis, (per voces enim tonitrua intelligit Hebraeus) fulguribus tubarumque clangore totiusque montis horribili spectro terret, ut temeritatem, audaciam hypocrisinque carnis eis ob oculos ponat. Qui enim se omnia facturos polliciti erant quae dominus praeciperet, adventum domini et colloquium ferre nequaquam possunt. Adumbratur omnino hic carnis imbecillitas legisque terror ac vis; non quod lex terreat aut occidat (nam bona est et spiritualis), sed ob imbecillitatem carnis, quae tanta est ut mox audita et considerata lege concidat ac desperet. Horribilis est haec vox carni, et ut ita dicam tonitru: Ne concupiscito! diligito alterum ut te ipsum! terret ergo ac in desperationem adigit. Moses, qui non terretur voce domini, perfectorum qui spiritu carnis imbecillitatem vicerunt typum gerit.

Et eduxit Mosche populum in occursum dei ex castris. Hoc officium est ministrorum verbi, ut homines e castris vitiorum educant deoque socient, quantumvis resistant et inviti audiant.

Et totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset dominus deus super eum in igne. Hic vides מפני אשר, mipne ascher, pro *eo quod* poni. In igne dicitur deus descendere, ad quod alludit David Psal. XCVI, quum dicit: Ignis ante ipsum praecedet.

Et sonitus buccinae paulatim crescebat, in maius et prolixius tendebatur. Hebraei sic legunt: Factumque est, ut vox cornu iret, ac fortis fieret vehementer, seu sonus tubae vadens ac promovens; hoc est magis ac magis augescebat, invalescebat atque intendebatur. Totus hic sermo plerisque tautologicus et vanus, tum etiam rusticus et ineptus videri potest; sed quod res eadem semel atque iterum repetitur amplificatio est divinae descensionis ac adventus magnifici dei. Voluit enim Moses quam amplissime potuit adventum dei magnificis verbis describere. Et quae nobis absurda et aspera videntur apud Hebraeos elegantissima sunt: nam δεικτικῶς omnia describit Moses. Quum advenisset deus in montem, ascendebat ad eum Moses; mox iterum descendere iubetur admonereque populum. Iam Aaronem secum assumit iterumque montem ascendit etc. ut solet in adparatibus adventuum magnorum regum fieri, ut alius alio currat ac mittatur.

Moses locutus est, et deus respondit ei in voce. Hoc *in voce* omisit Latinus; puto autem per vocem *tonitru* intelligi. Solus Moses intelligit, populus stupet.

Contestare populum. Testari Hebraeis est exacte et diligenter rem exponere. Sic Christus in Evangelio: Testimonium perhibebitis de me, hoc est clare et aperte omnia quae a me audivistis aliis nunciabitis.

Ne forte velint transcendere terminos ad videndum dominum, et pereat ex eis plurima multitudo. פן יהרסו, pen iehersu, ne forte conterant aut irruant, terminos scilicet sibi a domino constitutos, cupidi scilicet dei videndi. Verbum ergo הרס, haras, Latinus periphrasi circumloquitur his verbis: Ne forte transcendere velint terminos. Sunt qui hoc verbum a sole deducunt. חרס enim praeterquam quod evertere ac conterere, etiam solem significat. Quem sensum imitati forte sunt LXX, quum dicunt: μήποτε ἐγγίσωσι πρὸς τὸν θεὸν κατανοῆσαι. Tunc sensus esset: Ne quando incalescant, zelo scilicet aut curiositate videndi dei, ut lucis huius claritate ac amoenitate capti forte velint adpropinquare et agnoscere. Chaldaeus פגר, pagar, utitur, quod significat *transgressus est.*

Ne cadant ex eis multi. Cadere pro perire, perdi, interfici.

Sacerdotes quoque adpropinquantes ad dominum, sanctificent se ipsos, ne quando disperdat eos dominus. Sacerdotes hic forte vocantur per anticipationem: nam nulli adhuc erant constituti sacerdotes. Puto autem כהנים, cohanim, hic significare seniores aut primores populi.

Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai: tu enim testificatus es nobis, dicens: Pone terminos monti, et sanctifica illum. Verba quae dominus prius ad Mosen erat locutus, Moses iam refricat. Et ne quid erret in verbis dei, iterum recitat, domino audiente, verba ipsius domini: הגבל את ההר וקדשתו. Haec verba dupliciter exponi possunt. Primo ut sit sensus: Tu Mose circumscribe et defini montem et sanctifica eum, ne scilicet quis eum contingat. Alter sensus est: Terminans montem sanctificabis eum; id est qui aut montis terminos transierit aut montem contigerit, interficiatur!

Ascendes tu et Aaron. Sacerdos nondum erat Aaron, et iubetur interesse divinae concioni. Hinc discimus sacerdotium nihil esse sed verbum dei, sacerdotiumque aliquid esse propter verbum dei. Quandoquidem sacerdotes ii sunt, qui simplici et indoctae plebi suggerere debent legem dei: necessarium erat, ut Aaron colloquio dei interesset, ut acciperet intelligentiam divinae legis.

Descendit itaque Moses ad populum, et omnia narravit eis. Haec per modum epilogi dicta sunt; quasi diceret: Moses itaque sequester erat inter deum et populum: per hunc enim omnia transacta sunt. Praetulit autem Moses hac parte typum Christi, per quem nobis aditus est ad deum, montem nobis alioqui inaccessum. Supra nonnihil attigimus de differentia legis et gratiae; sed iam quod illic promisimus ex Paulo ad Hebraeos XII. clariorem expositionem adferemus, ubi clarissimis verbis ostendit, quid nobis mons ille horribilis adumbrarit. Non enim, inquit, accessistis ad contactum montem. Hortatur autem Paulus eos qui fide Christi initiati sunt, ut innocentissime vivant, neque malorum radicem unquam succrescere sinant: longe enim aliam esse et salutis et vitae iam conditionem, quam olim. Fingite, inquit, mihi duos montes! priorem illum in quo datam esse legem scitis, terribilem quidem et formidabilem; alterum Christum ipsum, pignus gratiae et misericordiae divinae, qui totus est suavis et mitis, benignus et propitius. Ad hunc nos accedimus, non ad formidabilem illum. Neque enim terret lex aut damnat eos qui sunt in Christo Iesu, per quem nobis propitius pater redditur; deinde si legem carnis imbecillitate victi transgressi fuerimus, reconciliatorem habemus Christum: accessistis enim ad montem Zion. Pulcherrima et commodissima paronomasia utitur. In Sinai enim lex dabatur quae terret; de monte vero Zion vita et salus progressa est. Ad civitatem dei viventis; id est non ad damnationem vel in legem quae damnat (debet autem haec locutio sic intelligi: Lex damnat et occidit, id est lex ostendit nos esse damnatos et morti obnoxios); sed ad coelestem Hierusalem, id est vitam aeternam, per fidem in eum quem deus mundo constituit salvatorem. Ad angelorum coetum, id est eo ubi coetus angelorum gaudium habet perpetuum. Ad concionem primogenitorum, id est fidelium: nam per primogenitos eos, qui a patribus observati sunt et de quibus Christus nasciturus erat, hic intelligit omnesque patres fideles. Ad Iesum conciliatorem, id est non ad damnationem legis, sed ad eum qui a legis damnatione servat Iesum Christum. Ad sanguinis aspersionem. Alludit ad morem veterem, dum Moses populum sanguine aspergeret, aut summus pontifex semel in anno non absque sanguine sanctumsanctorum introiret. In aspersionem ergo, inquit, sanguinis Christi, qui in remissionem peccatorum nostrorum fusus est, qui quidem sanguis meliora clamat quam Abelis: huius enim vindictam, illius vero a vindicta et ira dei nos liberat.

CAPUT XX.

Ego dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servorum. Primum in omni lege est, ut deum habeamus utque eundem metuamus, colamus, amemus. Hoc caput est et initium reli-

gionis, ut simus pii, id est ut dei simus metuentes. Quem si habuerimus, nihil opus multis legibus; quo si caruerimus, nihil proderit si omnia legibus plena sint. *Domini* nomen magnificentiam, potentiam, ac virtutem, *Dei* vero bonitatem ac munificentiam nobis summi illius boni significat. Primum nomen ab *essendo* derivatur, ut dictum est supra cap. III, alterum a fortitudine. Est enim deus essentia et fortitudo omnium rerum, fons omnis bonitatis. Primum ergo se deus verus miseris mortalibus insinuat ac manifestat, antequam vanos eis interdicat. Ut non sit opus procul quaerere eum, qui tam familiariter inter nos versatur seque totum nobis fruendum proponit. De hoc satis dictum est cap. XVII. Geneseos. Parum autem esset si se sic nominasset, nisi et hoc praestitisset. Omnipotentiam (ut omnium rerum creationem et gubernationem transeamus) ostendit, dum signa et portenta varia in Aegypto facit; nec hodie desunt eius potentiae miracula, si diligenter eius opera consideraverimus. Bonitatem Iudaeis praestitit, dum e petra aquam, e coelo manna cibum dedit, dum eos ut aquila pullos suos fovit. Quae bonitas nobis ineffabiliter in Christo praestita est, qui pignus est bonitatis divinae, gratiae et misericordiae. Nam pridem antea eramus filii irae, filii tenebrarum et aeternae mortis mancipia; iam in Christo filios dei adoptavit nos deus et aeterni regni fecit heredes. Qui eduxi te de terra Aegypti. Hoc populo illi veluti recens factum ac magnum beneficium refricat. Potuerat dicere: Ego sum deus, qui creavi coelum et terram; item: qui creavi hominem. Sed nihil tale dicit, quod haec iam vetera erant, illud autem recens. Dixerat aliquando dominus: Ego virtutem et potentiam meam in Pharaone ostendam, et magnificabo nomen meum in tota terra Aegypti. Ex quo discimus eductionem filiorum Israelis ex Aegypto prae ceteris omnibus opus excellentissimum ac magnificentissimum fuisse, quod non solum Aegyptiis, sed toti etiam mundo magnum fuit et admirabile. De domo servorum, id est de domo servili. Domus enim conditionem indicat: aut enim liberum esse oportet aut servum.

Nec erunt tibi dii alii coram me. Dei nomine (ut saepe iam diximus) bonitas et munificentia summi boni proponitur. Vetat ergo ne alibi auxilium, vitam, salutem quaeramus, ne auxiliatores alios habeamus, quam ipsum solum, ne alio spes nostras locemus. Deum itaque alienum vetat, dominos non item: nam et Gentes unum esse dominum omnium rerum confessi sunt, interim iuxta hunc dominum mundi creatorem plures deos habentes. Quod et apud Christianos aliquot iam seculis in usu fuit, ut cum domino conditore omnium quisque sibi peculiarem deum eligeret, apud quem curas et aestus suos deponeret, a quo opem speraret. Coram me, עַל פָּנָי, al panai, ante faciem meam. Minax est sermo et vehemens, ut quum iratus pater filio dicit: Cave ne hoc in oculis meis committas. Quod Hebraei, Graeci et Latini deum unum pluralitatis numero nuncupant, magnificentiae est et gloriae.

Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper, et quae in terra infra, neque eorum quae sunt in aquis sub terra: non coles ea neque servies eis. Posteaquam se dominum omnium deumque nobis colendum proposuisset:

removet iam omnia quae a cultu unius dei abducere possunt. Quid autem a cultu unius dei magis abduxit, quam idola? Neque vero omnia idola vitari aut tolli iubet, sed ea duntaxat quae ad cultum prostant. Nos vero, proh dolor, non solum idola coluimus, sed illis etiam salutem ac vitam accepta tulimus. Sic apud Christianos Antichristi doctrina dei verbum obliteravit, ut gentibus etiam stultiores ligna et lapides, et quid non? operaque manuum nostrarum pro diis coleremus. Longe igitur errant, qui idola inter res externas et indifferentes numerant, quasi eis Christiani absque periculo uti possint; nisi idololatriam inter ea ponant, quae exteriorem, non interiorem hominem respiciant, quo quid absurdius dici possit, non video. Hoc ergo praeceptum qui violaverit, praeceptum de colendo unico deo transgressus est. Sive enim praeceptum de idolis sub primo comprehendas sive speciale praeceptum ex eo facias, habere nequaquam licet quod deus tantopere vetuit. Proinde magis mirandum est, praeceptum de vitandis idolis a pontificiis, quum populo divina praecepta praescriberent, omissum esse, quum tamen ipsi hoc sub primo praecepto contra morem Hebraeorum comprehendant. Hebraei namque praeceptum de colendo uno deo primum faciunt, de idolis secundum; ultima vero duo de non concupiscenda uxore ac re alterius, ut numerus denarius constet, sub uno includunt; quod etiam a veteribus Christianis observatum esse apud Augustinum in libro quaestionum deprehenditur. Quum vero hic ordo inverteretur, idololatriae et toti isti abominationi aperta est fenestra.

Quoniam ego sum dominus deus tuus fortis zelotes. Rationem iam quasi subdit, cur non velit neque alios deos neque idola a nobis coli. Ego enim, inquit, sum dominus deus tuus, satis potens, satis fortis, ut non sit opus aliunde auxilium petere. Quod si me neglecto alio spes tuas locaveris, nequaquam feram. Zelotes enim sum, hoc est vindex, neque patiar ut impune me ore confitearis, corde recedas. Hic liquidum fit, pios nequaquam esse qui, deo optimo maximoque contemto, divos sibi auxiliatores aut intercessores faciunt: neque enim vera pietas hoc ferre potest, nempe quae uni solique deo adhaereat. Neque pii esse possunt, qui alterius quam sponsi sui dei vocem audiunt. Qui ergo vere pii sunt, unum dominum ac deum suum audiunt, qui eos a carne ac omni creatura sic avulsit ac sibi adiunxit, ut eius unius vocem audire cupiant, et cum flagrante amore anima Cantic. II. clament: Sonet vox tua in auribus meis! Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Qui ergo vere pius ac religiosus esse velit, ab ore dei sui pendeat, nullius praeter sponsi sui verbum vel audiat vel recipiat. Quam fidem dominus, ut nobis probe ob oculos poneret, crebro in scripturis connubio fideli comparat, et tamquam sedulus maritus ab adulterio deterret ac scortatione. Hoc unum porro intendens, quod sicut in matrimonio fides prae omnibus exigitur, imo matrimonium nihil est, quam data acceptaque fides: ita pietatem non esse pietatem, nisi toto pectore domino, animae sponso, fidas, in eum solum oculos figas, aurem praeter ipsum penitus nulli accommodes. Ac propterea iubet Num. XV. per quatuor palliorum angulos fila hyacinthina inseri: Quae quum viderint, inquiens, recordentur omnium mandatorum domini, ne sequantur cogitationes

suas, et oculos per res varias fornicantes. Sancte vero iactat sanctus Paulus 1. Cor. XI. ipsum Corinthios veluti castam illibatamque virginem soli Christo adiunxisse; nimirum, ut solum audirent, solum mirarentur, solum amarent, solum sequerentur. Et Eph. V. mysterium connubii magnum esse asserit: Christi enim et ecclesiae coniunctionem portendere. Quibus omnibus monemur, ne unguem latum usquam a sponso nostro recedamus, si vere filii esse volumus; quod si secus fecerimus, inultum non sinet qui zelotypus est.

Visitans iniquitatem patrum super filios, super tertios et quartos, si oderint me. Visitare Hebraeis aliquando in bonam, aliquando in malam partem acceptum reperitur; hic pro punire ponitur. Dicit enim se patrum peccatum in posteris puniturum, etiam usque in tertiam et quartam generationem, si patribus malis perrexerint esse similes. Nam alibi dicit neque patres filiorum neque filios patrum iniquitatem portaturos. Addit ergo: Si me oderint, si mores pessimos patrum imitati fuerint, si ab avita pravitate et impietate non degeneraverint. Odisse autem Hebraeis etiam negligere contemnereque significat, ut in Evangelio: Qui odit animam suam; hoc est qui contemnit aut negligit vitam suam dei causa. Deum odit, qui negligit, contemnit, offendit, ad iram provocat, qui deum non amat, non metuit, non colit.

Faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt praecepta mea. Mille pro numero infinito ponit. Severitatem et iudicium in tertiam et quartam generationem, misericordiam autem, gratiam et beneficentiam suam in mille facturum se dicit. Ubi discimus bonitatem et benignitatem dei nostri, qui non solum sit metuendus, sed etiam multo plus amandus, nihilque non sit ab eo sperandum.

Est ergo, ut quasi per epilogum singula colligamus, primum praeceptum aliud nihil quam divinae potentiae, virtutis ac bonitatis expositio et declaratio, ut is optimus maximus sese nobis, tametsi nostri nihil eget, totum ultro etiam offerat, exponat, ac donet. Creaverat nos, sed aufugeramus ab eo, cecideramus in peccatum, in tenebras, in mortem, ab eo longissime alienati; quare se iterum nobis proponit: noluit enim nos omnino perire. Ego sum, inquit, ille ipse deus, qui vos creavi, qui fons sum omnis boni. Resipiscite, ad me redite, mihi fidite, me unum amate ac colite! Hunc cultum, hunc honorem et servitutem, quam soli Deo debemus, Christus Matth. IV. pulchre repetit, dum diabolo tentanti respondet: Dominum deum tuum coles et illi soli servies. Tantum de primo praecepto, in quo et caput fidei nostrae et fundamentum esse videmus. Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Credo, id est fido ac totum me in hunc deum coniicio, huic uni adhaereo, ab hoc totus pendeo.

Non adsumes nomen domini dei frustra aut vane. Hoc praeceptum Deus refricat Levit. XIX. sic: Non iurabis in nomine meo ad mendacium, ad falsum, vane, frustra: nam haec omnia significat שקר, schaeker. Ne polluas nomen dei tui! Adparet ergo hoc praeceptum a Iudaeis sic esse intellectum: non assumendum scilicet esse nomen dei temere et frustra a quoquam, neque ad mendacium aut iniustitiam, ut Graeci dicunt. Eum vero, qui nomine dei sermone quotidiano ad men-

dacium non fuisset abusus, contra hanc legem non peccare existimabant. Deierabant ergo Iudaei, putantes hoc sibi per praeceptum licere. Hanc opinionem eorum Christus legem exponens Matth. V. refellit his verbis: Audistis dictum esse antiquis Levit. XIX, ne nomine dei deierent ad mendacium et vanitatem. Hoc nimirum probo; insuper illud adiicio (nam hoc in Leviticorum libro additum non est): Reddes domino deo tuo ea quae iuraveris; hoc est si iure iurando te astrinxisti nomine dei, serva iusiurandum! Ego autem dico vobis: Ne deieretis omnino! Sunt inter vos quidam (nam hoc forte tum apud Iudaeos in controversia erat), qui putant, quandoquidem solo nomine dei in secundo praecepto vetitum est iurare idque temere et frustra, licere sibi in quotidianis sermonibus, si verum dicatur, per nomen dei, aut si non per nomen dei, tamen per coelum, per terram perque alias creaturas deierare, quod ego omnino veto. Nam tam abundans esse debet iustitia discipulorum meorum, tanta innocentia, tanta puritas (si iustitiam spectetis quam lex dei requirit: expono enim ego legem, ac differentiam inter iustitiam dei et humanam doceo), ut omnino deierare, neque per nomen dei, neque per ea quae infra deum sunt, iurare debeant. Neque per coelum, quia thronus dei est; neque per terram, quia subsellium est pedum illius, neque per Hierosolyma, quoniam civitas magni regis est; neque per caput tuum (adparet huiusmodi deierationes tum in ore Iudaeorum frequentes fuisse), quod non potes unum pilum album aut nigrum facere. Comprehendit autem Christus sub his, quae hic recensuit, omnia alia per quae deierabant. Imo lex dei, quae vetat nomen dei frustra non adsumi, hoc vult, ut sermo vester tam verus sit tamque purus, ut si *nae* dicatis, sit nae: si *non*, non. Quod si quid ultra additis, ex malo hoc proficisci scitote! Videmus ergo primum, Christum hoc sermone suis iure iurando nequaquam interdixisse: neque enim Iudaeorum mos unquam fuit per coelum aut per caput iuramenta praestare, quemadmodum solebant gentes, sed per nomen dei viventis. Quod licuisse semper omnibus piis, satis capite XXI. Geneseos ostendimus. Secundo, non vetare hic Christum, ne nomen dei in os sumamus, quo nihil dulcius, nihil gratius debet esse ori nostro; sed ne quotidianis sermonibus assuescamus deierare, sed ita formemus sermonem nostrum, ut *etiam* sit etiam, et *non* sit non. Tantam enim innocentiam a suis requirit divina iustitia, ut ne sermonem quidem eorum ulla deieratione velit esse vitiatum. Quis itaque Christianorum hac tempestate miseram conditionem satis deflere possit? quorum ora obscoenitatibus, stultiloquiis ac mendaciis scatent, quorum lingua nomen dei blasphematur, proximi fama conviciis et detractionibus lacessitur, quorum sermo blasphemiis, deierationibus, imo peierationibus corruptissimus est.

Memento, ut diem sabbati sanctifices etc. Non est fere alia lex quam saepius inculcet Iudaeis deus, quam sabbati observationem: quod absque causa factum esse nemo putare debet. Voluit autem hoc praecepto clementissimus deus, homini, qui corpore et anima constat, consulere, ut et corpus a labore quiescere et anima deo vacare commodius posset. Quemadmodum enim corpus quotidiano labore defati-

gatum et exhaustum, si alterna requie caret, durare nullo pacto potest: sic animae robur corporis mole ac operatione nonnihil infirmatum ac distractum langueat ac concidat necesse est, nisi divinarum ac spiritualium rerum meditatione subinde reficiatur. Septimum ergo diem sanctificavit, hoc est in eum usum elegit Deus, ut corpus ab omni opere liberum robur colligeret, et mens legis divinae divinorumque beneficiorum meditatione occupata nutriretur ac vires resumeret. Hanc ob causam, et ipse Deus septimo die ab omni opere quievit, ut et nos ab omni opere externo vacantes ipsi uni ac soli hoc die vacaremus. Idcirco et hunc diem benedixit ac sanctificavit, id est in usum suum separavit ac elegit. Er hat jn gefryet. Sabbatum ergo tum sanctum est, si nos sancti, id est toti deo dicati fuerimus. Iam, quandoquidem nostrae saluti divina benignitate consultum agnoscimus, decet ut et nos aliorum saluti, qui nobiscum versantur, consulamus. Non ergo nos solum quiescere hoc die praecipit Deus et ab omni opere cessare, sed et servos nostros et ancillas et iumenta: hoc enim caritas expostulat. Videmus ergo praeceptum hoc partim fidem, partim dilectionem respicere. Non ergo temere a quoquam sabbatum violari debet. Temere autem violant, qui septimo die legem dei non audiunt, (quid enim nobis cum tot feriis?) et qui cum offensione proximi citra necessitatem servile opus faciunt. Nam alioqui sabbati quoque dominus est filius hominis. Porro sabbati requiem iam inde ab origine mundi typum aeterni illius sabbati fuisse, clarissimis argumentis in epistola ad Hebraeos, capite IV, ostenditur.

Magnifica patrem tuum, et matrem tuam. Vera pietas primum in deum est, deinde in parentes. Post praecepta ergo, quae ad cultum unius dei pertinent, proximum est, ut in parentes quoque pii simus. Significat autem haec vox כבד, kabed, magnificare, qua Evangelistae impensius sunt usi. Sic Luc. VII. Magnificabant deum dicentes: Propheta magnus surrexit in nobis, hoc est laudibus summis praedicant deum, mirabantur, nec satis laudare poterant divinam beneficentiam, quam in Christo eis exhibebat; plus aliquid de Christo quam de homine puro sentiebant. Tametsi forte ad eam fidei mensuram non venerant, ut Christum dei filium crederent: magnus tamen supra modum erat in oculis eorum ac magnifice de eo et sentiebant et loquebantur. Sic et nobis praecipit hic Deus, ut magnifaciamus parentes nostros, hoc est magnifice de eis sentiamus, ut pretiosi nobis sint, etiamsi sint vilissimi et pauperrimi. Non potest autem fieri, ut is qui sic magnifice de parentibus suis sentit eos non vera pietate prosequatur, eos non colat ac metuat. Docet ergo deus, ut pii simus in eos per quos in lucem editi, et ingenti labore ac cura nutriti et educati sumus, ut eorum senectutem et egestatem sublevemus, ut eos colamus, ut summa benevolentia, summo honore eos prosequamur. Ut autem liberorum corda ad parentum pietatem alliciat deus, huic praecepto praemii vice adiicit vitae longaevitatem. Ut longaevus sis, inquit, super terram quam dominus Deus tuus dat tibi; id est ut in tranquillitate, in pace vivas super terram quam daturus est tibi Deus. Has humiles promissiones dat nobis Deus, quae typus sunt futurae terrae viventium, in qua habitaturi sunt fideles perpetuo.

Sic Matth. V. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Sunt sane quaedam in scripturis divinis, quae nonnihil operibus et meritis nostris polliceri videntur; sed ita se spiritus divinus nostrae imbecillitati adcommodat. Non omnes ad perfectam aetatis Christi plenitudinem adolescunt; sunt semper quibus lacte adhuc opus est, quos ut pueros donis et praemiis divina benignitas allicit. Nihilominus perfecta nobis forma proposita est, ut tamquam filii absque mercedis respectu operemur.

Ne occidas. Hominum innocentum interfectionem hic vetat dominus prohibetque ne quis, aut odio aut ira motus, in quenquam irruat. Nihil ergo hoc praeceptum ad iudices et magistratus, qui gladium non frustra portant, pertinet, quorum officium est sontes punire et malum e medio tollere, ut et virtuti locus sit et bonis vivere tranquillis liceat. Dei enim ministri sunt ad iram ei qui male agit, id est, ad adserendum iustitiam ab eis qui male faciunt. Dei ergo nomine vindicat, non suo; dei nomine, non suo ferit. Tu vero nedum neminem ferire iuberis, sed ne irasci quidem. Qui enim fratrem suum odit, homicida est. Deus autem, qui mortificat et vivificat, impune ferit. Quem ergo iubet ferire, ille quoque citra crimen ferit. Sic percusserunt Moses, Pinehas, Samuel, Elias, Iehu, alii, quibus percussio ad gloriam reputata est. Sed caveat magistratus ne feriat, nisi dominus iubeat. Quando autem dominus iubeat, nemo melius videbit quam pius; hoc est is, qui novit quoties ignoscendum, quoties percutiendum sit. Licet enim Petrus septuagies septies parcere iussus esset: Ananiam tamen et Sapphiram prima vice percutit, Act. V, quod res nimirum sic flagitaret. Non enim semper adparet angelica specie aut voce, qua moneat ut percutiamus; sed corda intus movet, ac docet ubi sit ignoscendum, ubi vero minus. Tu vero statum rerum hodie considera, et eorum vitam qui nomine Christi gloriantur percurre! reperies sic crudelitatis omnia plena, sic caede et sanguine commaculata omnia, ut inter crudelissimas feras quam inter homines vivere tutius iudices. Verumque est hodie, quod olim quidam dixit: Vivitur ex caede et rapto.

Non moechaberis. Ne fureris. Quemadmodum furti nomine omnis illegitima aut illicita rei alienae contractio ac usurpatio intelligitur (nam sub furto etiam foenus, rapina et omnis circumventio proximi comprehenditur): ita sub nomine moechiae omnis illicitus usus membrorum naturalium. Adulterii igitur nomine etiam scortationem intellige et quicquid obscoenius est.

Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. ב pro *contra* hic ponitur, ut in Latinis. Testimonium ferre aut testari Hebraeis annunciare et exacte exponere significat; confiteri etiam, non solum in iure, sed in omni sermone. Hoc praecepto vetatur, ne quis aut mendacia in proximum confingat aut proximi dicta calumnietur; quod ex capite XIX. Levit. facile deprehenditur, in quo hoc praeceptum clarius explicatur.

Non concupisces domum proximi tui nec desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt. Haec duo sub uno includunt Hebraei, ut Paulus exponit: Non concupiscas. Hoc praeceptum ideo ponit deus

ut ostendat, etiamsi omnia priora servaverimus nihilominus nos coram eo esse peccatores. Nam is tam purus est ab omni adfectu, ut nihil concupiscat; vult autem et nos tales esse. Nam qui cum tanta luce, cum purissimo bono habitare volunt, purissimi esse debent. Voluntas ergo dei sanctificatio nostra est. Possumus ergo iusti quidem esse humana iustitia; coram deo vero nemo iustus esse poterit. Quod si haec duo praecepta non posuisset: possemus nos excusare peccatores non esse nesciremusque concupiscentiam esse peccatum, facileque existimaret aliquis licere absque culpa concupiscere. Iam quandoquidem lex dicit: Ne concupiscas! discimus nos undique esse peccatores, ut Paulus docet Rom. VII. Posuit ergo Deus priora praecepta veluti crassiora, infirmitati nostrae condescendens: scivit enim nos absque concupiscentiis esse non posse. Quasi diceret: Tametsi puri ab adfectibus esse non potestis, nolite tamen furari, nolite fraudare etc. modum ponens adfectibus. Ne tamen putetis vos esse puros aut iustos coram me, etiam si ab opere externo abstinueritis! Tantum enim abesse debet ut furemini, ut quod proximi est ne concupiscere quidem debeatis. Quod si concupiscere contingat, manus tamen continete! Omnes ergo nos quantumvis sancti huic praecepto obligati sumus. Nemo enim est cuius herus et dominus non sit concupiscentia.

Nota etiam in istis duobus posterioribus praeceptis sufficienti collectione omnia comprehensa esse, quae proximi sunt, ne quis sibi blandiatur, si pecuniam eius concupiverit.

Cunctus populus videbat voces. Voces tonitrua intelligit, et *videndi* verbo pro intelligendi et experiendi abutitur, ad ea etiam quae auribus hauriuntur. Sufficit enim Mosi unum verbum ad duo subiecta: nam alioqui voci non convenit videre, sed lampadi. Verbum ergo sentiendi commune fit utrique, quod et videre et audire *sentire* est.

Steterunt procul dicentes, perterriti atque pavore concussi, dicebantque Mosi: Loquere tu nobis, et audiemus. Non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Decuit, ut deus tam horribilis adpareret, ut ostenderetur legis atrocitas. Dicit Augustinus: novum Testamentum in veteri latere, vetus in novo patere. Quod nihil aliud est quam quod Paulus dicit: legem paedagogum nostrum fuisse in Christum. Fuerunt et in veteri lege, qui absque paedagogo deum cognoscerent ac deo servirent, ut Abraham et ceteri. At non tam plures ut in novo, quod vera lux Christus mundo nondum inclaruerat, per quem dei cognitio et clarior et certior innotuit. Sunt rursus et hodie in Christi ecclesia, qui adhuc sub lege vivunt, qui adhuc sub umbris sunt, qui adhuc paedagogo illo egent. At vere piis qui in vera luce ambulant, hoc est in innocentia, integritate et sinceritate vitae, Christus haec omnia ademit. Hic etiam nota (ut interim allegoriam quoque tractemus), quomodo caro nostra ad legis vocem territa concidat et fugiat. Omnes quidem longe a deo recedimus. Alii omnino audire deum nolunt, ne quid in verbo dei, quod moribus eorum contrarium sit, audire vitamque emendare cogantur; alii audiunt quidem verbum oreque deum confitentur; at cor eorum longe est a deo. Et quemadmodum Iudaei a sermone domini abhorrent, noluntque audire sermonem

ne moriantur (putabant enim, quocunque Deus tanta cum magnificentia et pompa adveniret, nihil esse quam praesentem mortem): ita et nos a mortificatione carnis, quam verbum dei docet, omnes abhorrentes vocem domini fugimus. Ardua enim res est carni, in omnibus se ad divinae legis formam componere. Hinc fit, ut plerique hypocritae simus, speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius interim abnegantes. Vere ergo, loquente Deo, omnis caro moritur, ni Deus misericordiam suam interponat.

Ut tentaret vos deus et ut terror illius esset in vobis, ne peccaretis. Tentaret, id est probaret, experiretur; quasi diceret: Quum vobis sermones domini, quos ab eo acceperam, annuntiarem, mox respondistis, omnia vos impigre facturos quaecunque praecepisset. Et ecce tantum locutus est vobiscum et audire eum non vultis. Ubi est ergo constantia vestra? ubi strenuus et alacer ille animus? Quod si solo sermone eius et alloquio ita conciditis: quid futurum putatis, quum iustus iudex advenerit sontes puniturus? Terruit ergo vos hoc spectro dominus, ut metus dei sit in vobis, utque perpetuo caveatis ne unquam tam iustum dominum offendatis. Nota: על פניכם, quod significat *ante facies vestras*, valet hic *in vobis*, vel *inter vos*.

Vos vidistis, quod de coelo loquutus sum vobis: Non facietis mecum deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Refricatio est primi praecepti; quasi diceret: Vos vidistis (utitur iterum *videndi* verbo pro experiendi aut intelligendi; quod visus certissimus sensus est), quod superne e coelo, non desubtus locutus sum vobiscum, idque cum terrore. Nec ullam mei speciem aut imaginem vidistis; tantum vocem meam audistis. Quod ideo factum est, ne imaginem meam aut formam exprimeretis. Cavete ergo, ne mihi ullam similitudinem faciatis, neque auream neque argenteam! Deos vocat idola per metonymiam, quemadmodum Caesaris statua Caesar dicitur. Quod si omnino mihi aram pro sacrificio erigere vultis:

Aram de terra facietis mihi, offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves, in omni loco quemcunque tandem memorabilem reddam nomine meo, veniam ad te et benedicam tibi: quod si omnino aram lapideam feceris mihi, non aedificabis eam de sectis lapidibus, quod si ferreum instrumentum admoveris ei, polluetur. Non ascendas per gradus ad aram meam, ne reveletur turpitudo tua. Tantum absit, ut me aut auro aut argento effingatis, ut ne aram pretiosam mihi construi velim. Nec volo, ut si etiam ex lapide fiat ullum artificium adhibeatis in condenda ara. Videtis quantopere sapientissimus Deus caveat, ne quid in ara per artifices effingatur, non ignarus fore, ut plebs ad idololatriam propensa ea ad colendum arriperet, quae ipsa ara augusta facta fuissent. Ne ergo nos deo sapientiores esse velimus, nihil referre putantes, si idola aut erigamus aut erecta non confringamus! Plus valeat apud nos divini verbi auctoritas, quam hominis alicuius quantumvis magni prudentia. Neque temere has aras construetis ubicunque locorum, aut pro libitu vestro, sed tantum in eo loco quem ego elegero, quem nomine meo celebrem ac memorabilem reddam, quicunque tandem is sit; vel

ubi memorabile faciam nomen meum, illic mihi aram erigite, illic mihi sacrificate! Quasi diceret: Ego ostendam tibi ceterisque locum ubi arae sint construendae. Ut autem longissime absit populus ab idololatria, nolo ut construatur mihi ex lapidibus caesis, sed rudibus et nativis, ne quid omnino sit in ara, quo populus haereat. Quod si enchiridion, id est ferrum vel instrumentum aliquod ferreum, lapidibus arae admoveris: iam lapidem contaminasti. Hic diligenter notare debemus, ut Paulus docet, in figura omnia illis contigisse. Quid enim? num lapides deo adeo curae sunt ne contaminentur? Num lapides, si ferrum immiserimus, contaminantur? Aliud ergo in recessu habent divina verba, quam prima fronte pollicentur. Voluit divina sapientia praemonere, ut populus ille suus, sanctus, mundus et incontaminatus esset, quandoquidem et ipse sanctus est. Hoc autem rudi ac mundo lapide praefigurare voluit: nam populus ille rudis, carnalis ac durus erat; symbolum ergo lapidem habet. Nobis vero lapis verus Christus est, sine manibus de monte excisus, hoc est praeter naturae ordinem, absque virili semine, conceptus. Lapis ille angularis, qui in fundamentum positus utrumque parietem nectit, cui et nos superaedificati sumus, in templum sanctum domino. Sancti ergo et immaculati nos quoque simus, ut dignum Deo nostro habitaculum praestemus! Christus autem ara nostra est, in quo si obtulerimus sacrificia nostra, Deo grata et accepta erunt. Per allegoriam quoque terra, ex qua ara aedificatur, carnem nostram significat. Nam summus ille sacerdos, qui et ara nostra est, carnem nostram adsumsit. Terra ergo nostra fructum dedit. Potest et haec allegoria hic elici, ut lapides nativi integritatem operum nostrorum significent: solent enim sculptores, ut hominibus placeant, lapides dolare et polire et omnia ad eorum voluntatem fingere. Nos vero non hominibus, siquid ad aedificationem facimus, sed soli deo placere studeamus! Absit fucus omnis, absit vana gloria, absit hypocrisis! Nam si adfectus nostros admoverimus, contaminamus opus dei. Iam videamus quid per hoc velit, quod vetat per gradus aram ascendere. Quid autem opus hac prohibitione? Ara nondum erat erecta, gradus nondum facti. Quid igitur vetat ne ascenderent? aut potest aliquis absque gradu ascendere? Prius erat facere gradus, posterius ascendere per gradus. Usus ergo est posteriori pro priore. Gaudet autem divinus spiritus magna quaedam et excellentia sub humilibus obscurisque verbis docere. Significare autem his verbis voluit, ne divinis quidpiam nos elevemur, ne efferamur donis eius, ne usquam adpareant nostra verenda, id est ne nostros adfectus usquam misceamus divinis literis, sed pure, sancte et sincere eas tractemus, ad solius dei gloriam et proximi utilitatem. Non ergo denudare verenda aut turpitudinem est nihil turpe, nihil obscoenum, nihil inhonestum admittere. Vult ergo Deus hisce omnibus praeceptis nihil aliud, ut uno verbo omnia concludamus, quam ut simus populus innocens, purus ac sanctus, utque nihil committamus quod oculos sanctissimi illius dei offendere possit.

CAPUT XXI.

Haec sunt iudicia quae propones eis. Admirabilis ordo divi-

narum legum. Superiori capite decalogum audivimus, in quo leges dantur, quae hominem, tum erga deum tum erga proximum, optime instituunt. Docent deum super omnia diligere et colere, huic uni fidere ac niti, proximi bona nec concupiscere nec laedere. Novit autem summus ille opifex carnis nostrae imbecillitatem, quae sine concupiscentia esse non possit. Novit insuper aliquos concupiscentia et adfectibus non contentos fore nec ab iniuria temperaturos, sed in opus etiam externum audacter erupturos. Quum ergo superiori capite haec omnia vetuisset, poenam tamen transgressorum non posuisset: hoc capite ac sequentibus quaedam, quae superius dicta sunt, refricat, leges iudiciarias iudicibus praescribens, quibus in praevaricatores animadvertant. Nostra enim malitia ultra leges etiam poenas excogitare coëgit. Vocat autem haec iudicia non sua, sed iudicia, quod qui talia servat adhuc iustus coram deo non est, licet iustus coram hominibus sit: non enim potest in eum iudex sententiam dicere. In summa autem et confuse hic quaedam adumbrat, quae postea in Deuteronomio clarius exponit ac digerit. Ubi quoque notabimus differentiam esse inter leges, praecepta, iudicia, et iusta aut ceremonias. Leges sunt certae et perpetuae, de quibus XX. capite; praecepta pro re nata mutantur aut tolluntur; iudicia sunt quae iudicibus praescribuntur, ut secundum ea causas discutiant ac iudicent; iusta mores sunt, ritus, consuetudines etc. Ceremoniae pompae sunt, quae nihil praeterquam significant, aut oculos pascunt.

Loquamur ergo hic de iudiciis, quae a maioribus nostris germanice dinge vocata sunt, quae intendi ac remitti possunt; unde et a Germanica dictione dingen tractae esse videntur hae voces dingstatt, dinghoff, et dingzedel, dingbrief. Primum ergo de servitute.

Si emeris servum Hebraeum, sex annis serviet tibi etc. Lex praecipit, ut proximum diligamus perinde ac nos ipsos, ne id quod eius est concupiscamus, ne ei ullo pacto noceamus. Si haec lex a nobis servaretur, nihil opus esset hoc praecepto de servitute, nihil hoc: Ne fureris. Item habent Hebraei legem de subveniendo pauperibus; quam si servarent iterum praesenti praecepto nihil egerent. Videmus ergo differentiam etiam in ipsis legibus divinis esse. Quaedam enim innocentiam et puritatem, quam Deus a nobis postulat, ostendunt ac indicant; quaedam his, qui innocentes non sunt, aliquid tribuunt ac donant; quaedam vero carnis temeritati et audaciae modum ponunt, atque etiam poenam. Praesens ergo praeceptum non datum est, ut si quis illud servet innocens et iustus sit apud deum, sed ut cupiditati et adfectui divitum ac potentum huius mundi, in quorum potestatem aliquando pauperes rediguntur, modum ponat, ne putent sibi quod libeat licere.

Cum quali veste intravit. Hebraei legunt: Si in corpore suo intravit, in corpore suo exeat: hoc est si solus venit, ut exponit Onkelus Chaldaeus, si non adduxit aliam personam, uxorem scilicet. Sic infra quoque expone, quum dicit: Ipse exibit cum vestitu suo, scilicet solus.

Et adducat eum herus eius ad Deos, adducatque eum ad fores, seu ad postem, perforabitque ei dominus eius aurem subula,

et erit servus eius in saeculum. Ad deos, id est ad iudices. Item עולם, olam, hic longum tempus, scilicet usque ad iubileum, significat, non aeternum. Quod servus ad ostium domus ducitur et auris ei perforatur, ceremonia est iudicialis. Nam si dominus absque arbitris servo aurem perforasset: facile aut dolus aut fraus intervenire potuisset. Aut enim servus negasset vimque se passum a domino dixisset; rursus herus in calumniae suspicionem facile raperetur. Iubentur ergo iudices adire remque cum auctoritate transigere. Hic ergo docemur, ne in causis nostris ipsi simus iudices; quod si etiam causa incidat, quam iuste exequi possemus, citra tamen iudicis aut magistratus decretum nihil tentemus!

Si quis vendiderit filiam suam in famulam etc. Hic locus valde obscurus est, ut etiam Augustinus exponendo nonnihil sudaverit, et videntur eius dicta non admodum probe sibi constare. Quare nihil hic definire possumus; volumus autem nostram super hac lege dicere sententiam. Nobis tota vis in dictione אמה, *ama*, sita esse videtur, obscuritasque hinc nata quod verborum forensium, quibus Hebraei utuntur, ignari sumus. Nos ergo putamus hunc esse sensum: Si quis vendiderit filiam suam in ancillam: intellige, conditione aliqua occulta, ut puta spem ei facit herus, quod velit eam sibi desponsare, aut aliquid tale; quod si fit; non exibit haec ancilla communi ancillarum aut servorum lege, sed meliore ac potiore. Quod si postmodum domino suo displicuerit, qui eam sibi adhuc non desponsavit, qui ei nihil promisit (sic enim intelligimus יעד), liberam eam dimittet; vendendi autem eam alieno populo potestatem nequaquam habet, eo quod sprevit eam. Quod si eam filio suo despondet, iuxta ritum puellarum liberarum dotabit eam; si vero filius aliam duxerit: alimentum suum, vestem suam et interesse non diminuet. Graeci hic pro interesse legunt ὁμιλίαν, quae vox Graecis significat colloquium, confabulationem, conversationem, congressum.

Percutiens aliquem, ita ut moriatur, et ipse morte moriatur. Haec est lex generalis; quandoquidem autem varia sunt homicidiorum genera, mox subiungit exceptiones:

Qui autem non est insidiatus, sed Deus tradidit eum in manus eius, constituam tibi locum in quem fugiat. Homicidiorum alia fiunt ex proposito aut ex insidiis; alia casu, aut ut Hebraei loquuntur, fato Dei. אנה, inah, enim fatare significat: fatum enim omne ex deo est. Omnia autem voluntate ac providentia fieri fides vera docet, de quo hic dicendi locus non est. Hunc ergo, qui fato dei obvium sibi factum occiderit, liberat deus, tantisperdum apud iudicem causa dicatur. Asyla ergo a deo hac ratione constituta sunt ut illuc confugeret, qui praeter propositum homicidium perpetrasset, tutusque illic esset, donec res coram iudicibus discuteretur. Quod si testibus convinceretur, hoc aut voluntate, aut ex insidiis perpetrasse: etiam ab ara iubetur ad supplicium rapi. Vides itaque asyla apud Hebraeos refugia fuisse in defensionem innocentum, donec iudex in causa cognosceret. Apud nos nihil aliud sunt quam omnium scelerum alimentum et fomes. Nam sic securi sunt etiam latrones et patriae proditores, ut si in asylum con-

fugerint, iam nemo eorum causam malam esse dicere audeat. Quid hoc aliud est, quam alere vitia et scelera? Asyla ergo ad praescriptum dei Christiani eligant, ad quae homicidis confugere liceat, causa eorum adhuc indiscussa, ne ab amicis et ultoribus persequentibus subito obruantur. Quod si postea, causa coram iudice discussa, inventus fuerit de industria homicidium fecisse, reusque esse convictus fuerit: ad supplicium mortis rapiatur, etiam si ad aram confugit.

Hic mos ad aras confugiendi etiam apud Gentiles fuit, de quo in libris Regum et alibi plura; tametsi *de ara rapere* locutio sit: sic enim et de illo loquimur qui aram nusquam adierit. Volunt autem Hebraei hac locutione significare, non debere tutum esse homicidam vel in sanctissimo loco, qualis est ara. Iam Graeci cum in Hebraeis non esset *si ad aram confugerit:* ipsi hanc particulam *καὶ καταφύγῃ ἐπὶ θυσιαστήριον*, addiderunt. Neque haec adiectio sensum vitiat, sed leporem schematis adimit orationi. *De ara ergo rapere* pro eo dictum est, nusquam etiam in sanctissimo loco tutum esse eum debere. Nullus locus quantumvis sanctus eum tueri debet.

Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur. Ecce quanta puritas divinae legis. Supra in decalogo praeceperat deus, ut honore prosequeremur parentes. Iam siquis tam impius est, ut non solum non honorem parentibus tribuat, sed insuper etiam contumeliis et verberibus eos adficiat: accedit lex humanae iustitiae, quod is interficiatur.

Qui furatus fuerit hominem et vendiderit eum, convictus noxae morte moriatur. Ubi Latinus dicit *convictus noxae*, Hebraeus legit: et inventus fuerit in manu eius. Quo schemate utuntur Hebraei pro convictum aut noxium esse. Manus enim symbolum est admissi criminis, et ponitur manus pro facto. Invenitur in manu eius, id est manus eius noxiae sunt. Es erfindt sich uff jn das ers gethon hat, das er schuldig ist, man bringt es uff jn. Nam quomodo alioqui in manu eius inveniretur, quod vendidisset?

Plagiarii iureconsultis hi dicuntur, qui homines furantur liberos aut qui sunt alterius domini, aut qui hos emunt ac vendunt. Sic, ut quidam volunt, dicti, quod lege Fannia plagis damnati essent; vel, ut quidam dicunt, a plagis, id est regionibus, quod huiusmodi piratae et fures omnes regiones, omnes plagas notas habent.

Si rixati fuerint viri, et percusserint alter alterum lapide aut pugno etc. Si percusserit vir proximum suum, Hebraismus est, lapide ac pugno. Leges brevissimas esse, at late et ample exponi debere nemo est, qui ignoret. Ponuntur ergo hae duae dictiones pro *eminus* ac *cominus;* ut sit sensus: Si alter alterum percusserit laeseritue; sive hoc cominus fiat, ut pugno aut manuum consertione; sive eminus, ut telo, sagitta aut lapide, hoc est quacunque tandem ratione hoc fiat.

Et ceciderit in lectum. Locutio est Hebraica. Sic Latine dicimus: lecto decumbit, et Germanice: Er lyt zbett.

Et surrexit. Iterum Hebraismus est. Latinus dicit: Si convaluerit. Germanice: So er wider ufstat, hoc est *si* convaluerit, ita ut ambulare possit, etiam si baculo innitatur.

Innocens erit qui percussit. Hoc est: In eum non potest laesus instituere actionem. Sic intelligo נקם, nikam, innocentabitur; hoc est: etiam si criminis reus agatur, a iudice debet absolvi.

Veruntamen operas eius et impensas in medicos restituet. Hebraice: Veruntamen sabbatum, hoc est, requiem, otium ac cessationem eius dabit, et medicando medicabitur. שבתו, schibto, Germanice vocamus sumselly; Hieronymus operas vocat, quod hoc vocabulo in eo significatu forte sua tempestate usi sunt. Hic iterum nota, quod per otium late omnia intelligit. Exempli causa: Si abscidisset ei manum, et manum reddidisset ne posset laborare, iam is tenetur omne sabbatum, id est otium per totam vitam, aut manum pro manu rependere. Sic per medicum omnia intellige quae expendit, allen kosten und schaden, ut Germanice dicimus.

Si quis percusserit servum suum vel ancillam baculo, et mortui fuerint in manibus suis, criminis reus erit. Hebraeus dicit: Ulciscendo ulciscetur, vel vindicando vindicabitur: hoc est contra eum potest actio constitui, iure venit adcusandus et plectendus. Hic videtur poena occisoribus heris posita esse, non ob homicidium (nam domini in servos et vitae et necis potestatem habebant; et mox sequitur, non plectendum dominum, si servus post duos dies moritur), sed ob atrocitatem. Servorum autem conditionem longe miserrimam esse, nemo miretur, praesertim apud hunc durae cervicis populum et carnalem. Hoc autem docet nos circumspectos esse, quibus dura videtur servitus, quum simus libertatis assueti, ut curemus summisque votis a deo petamus, ne, qui hucusque semper liberi fuimus (quandoquidem summum bonum est libertas) nostro vitio ac oscitantia in durissimam ac gravissimam servitutem reducamur. Nam non desunt, qui in hoc toti incumbunt omnesque nervos intendunt, ut patria prodita libertate ipsi soli regnent, et summam rerum sibi vendicent; quod si obtinuerint, nihil parcent crudelissimi homines. Principiis ergo ac quorundam improbis ausibus obstemus, antequam pestis haec latius ac totum corpus inficiat ac perdat.

Si viri pugnaverint, et percusserint mulierem praegnantem, eiectusque fuerit foetus eius et non fuerit mortuus, multando multabitur, secundum quod maritus eius ponet super eum, et dabit per arbitros: quod si mors subsequuta fuerit, dabis animam pro anima. Sic fere ad verbum Hebraei habent. Et hic locus obscurus est. Hebraei enim omnes אסון, ason, pro morte exponunt, incertumque est an ad foetum eiectum, an ad mulierem percussam referatur; si mors fuerit, multando multabitur, iuxta id quod maritus uxoris super eam ponit. Iam ne maritus pro sua libidine modum excedat, adiicit dominus id fieri debere בפללים, biplilim, per arbitros. Septuaginta vero hunc locum sic intellexerunt: Si percusserint mulierem ferentem uterum, et eiectus fuerit infans *μὴ ἐξεικονισμένον*, nondum formatus: est enim *εἰκονίζειν*, formare, figurare. Volunt autem dicere: Si embryo adhuc non fuerit formatus, hoc est dum embryo non adhuc vivit (ut forma capiatur pro vita): dabit percussor multam *μετὰ ἀξιώματος*. בפללים *ἀξιώματα* Graeci vocant proposi-

tiones certas, verissimas et infallibiles. Intelligunt ergo hic arbitrium certissimum et castissimum iudicis iusti, et incorrupti arbitri.

Animam pro anima. Id est, vitam pro vita. Baar umb baar. Sed quid opus erat addere: oculum pro oculo, dentem pro dente? qui enim vitam perdidit, omnia amisit. Hic nota legem talionis hic a domino citari: est enim post נפש, naephaesch, athnaeta, hoc est membrum, quod sequitur, oculus pro oculo etc. quasi diceret: Dominus percussor dabit animam pro anima. Volo enim, ut in hisce rebus sit lex talionis, nempe: si quis alicui vitam ademerit, et ipse vitam amittat; si oculum, adimatur et ei oculus; si dentem, dens etc. Atque hanc legem talionis, quam hic citat dominus, occasione accepta, Moses tulit Deuteronomii XIX.

Si percusserit quis oculum servi sui et ancillae suae, et perdiderit ei, scilicet ancillae. Nam relativum foemininum est שחתה, Schihatha; nisi malis ad עין, en, referre, quod et ipsum foemininum est. 3. Reg. VIII. עינים פתחות oculi aperti.

Ad libertatem manumittet eum pro oculo eius. Dura semper fuit servorum conditio. Quod in populo suo fieri deum permisisse hac ratione existimo, ut eum alacrem et gnavum faceret, ut animosi et fortes essent in praeliis eoque libentius mortem oppeterent, optantes magis in pugna mori quam turpi servituti se dedere. Deinde ne dilapidarent et profunderent bona sua nec alieno aere se constringerent, studerent parsimoniae et frugalitati quo minus dederentur ob noxam.

Si bos cornu petierit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur, et non comedentur carnes eius, Dominus quoque bovis innocens erit. Id est, iure non venit adcusandus nec damnandus. Tu in omnibus hisce praeceptis summam aequitatem considera. Nam si hoc negligentia heri factum est, occidetur et ipse; rursus aequum non est puniri herum, cuius culpa nequaquam intervenit. Deinde legem hanc late expone, ut sub bove rabidum quoque canem aut equum calcitrosum et omne pecus nocens intelligas. Quid autem sibi vult quod carnes bovis vetat edi? Si naturalem rationem spectamus, forte ideo vetuit dominus atrox illud animal manducari, ne homines, qui mites et innocui esse debent, carnis illius manducatione crudeles reddantur. Nam saepe in nostram vertuntur perniciem quae edimus, similesque adfectus inducunt. Ne ergo efferi reddamur et atroces, prohibet dominus edi a nobis has carnes: sibi enim tam invisum esse homicidium, ut nec bestiae homicidae carnes nobis admittat. Tantum abesse a nobis debet omnis crudelitas et atrocitas. Per allegoriam id puto significari: quaedam scilicet esse flagitia quae tanta sunt, ut semel admissa ita profligentur, ut in Christianorum coetum nunquam admittantur. Quod si deo tam infesta est violentia et atrocitas bestiae: quanto magis displicet ei si quis homo hominem trucidet et vi opprimat?

Et non custodierit eum. Graeci pro ישמרנו verbum habent vehemens ἀφανίσῃ, id est, ita incluserit et removerit, ut non solum non noceat, sed ne videatur quidem. Germanice ab den augen thun.

Si expiatio ponatur super eum, dabit redemptionem pro anima sua, iuxta omne quod positum fuit super eum. Qui

morti obnoxius est, nihil debet recusare, nullam conditionem renuere, ut vivus maneat. Quam enim commutationem dabit homo pro anima sua? Dabit ergo quidquid postulaverint adversarii. Huc etiam respexerunt LXX, qui habent: Quidquid adiectum fuerit, hoc est gravissimam redemtionem, alludentes ad ea quae in trutina et bilance ponuntur.

Triginta siclos argenti. Siclum LXX. fere ubique δίδραχμον verterunt. Quantum autem valeat siclus, δραχμὴ et δίδραχμον, docet incomparabilis ille Budaeus in libro de Asse.

Si quis aperuerit puteum, aut si foderit, et non obtexerit eum. Si quis puteum prius effossum aperuerit (erant enim putei lapidibus obtecti), aut si quis de novo puteum fodit, et os non obstruit etc. Hac lege de damno infecto agitur, qua plectendus quoque venit, qui quacunque occasione offendiculum in alterius perniciem aut damnum ponit, aut non cavet.

Vendent bovem vivum. Graeci legunt ἀποδώσονται. Significat autem ἀποδῦναι proprie reddere; hic vero pro vendere ponitur, quemadmodum Germanice utuntur: Hingeben pro vendere, verkauffen.

CAPUT XXII.

Si quis furatus fuerit bovem aut pecudem, et occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor pecudes pro una pecude. Superius cap. XII. dictum est quid שה, sae, significet; quae dictio etiam hic ponitur. Ponitur quoque צאן, zon, pro שה. Iam per parenthesin interiicit de fure diurno et nocturno, de quibus per occasionem loquitur, sic:

Si effringens fur domum aut suffodiens fuerit inventus, acceptoque vulnere mortuus fuerit, non ei sanguis. Hoc est: non potest actio homicidii in eum qui percussit constitui, si pronomen *ei* percussorem referat; quod si percussum referret, sensus esset: Man richtet jm nit.

(Si sol super eum ortus fuerit, sanguis ei, reddendo reddet, seu rependendo rependet) שלם verbum est forense hic et significat ex aequo rependere secundum legem talionis, paria facere. Sic etiam LXX intellexerunt. Nota etiam hic, quod *perfodere* aut *suffodere* domum Hebraismus est pro subire clam domum. Sic Christus: Si sciret paterfamilias qua hora fur esset venturus: non sineret perfodi domum. Quae iam sequuntur, superiora ante parenthesin respiciunt.

Si vero non habet quod rependat, ipse venundabitur in furto suo. Hoc est *pro* furto suo. ב *pro* valet. Superius dictum est, quid fur reddere debeat; hic dicit: Si solvendo non est, vendatur.

Si inventum fuerit in manu eius furtum, de bove ad asinum et ad pecudem, vivum, duplum rependet. Quid sit in manu invenire, supra diximus. De bove ad asinum locutio est Hebraica; valet ac si dicas: Sive bos fuerit sive asinus. Duplum videtur intelligi debere, quod reddat bovem quem abstulit et alium; sic pecudem quam est furatus et aliam. Sic etiam quintuplum intellige: quatuor et illum quem furatus est. Hic videmus aliam esse poenam furis apud quem furtum adhuc est; aliam eius qui vendidit aut mactavit, maiorem scilicet.

Nam dum res fuit ablata adhuc superest, potest domino suo restitui daturque quiddam pro contumelia; si vero perdita res est, rem solvet et contumeliam, qua adfectus est dominus.

Si quisquam laeserit aut depastus fuerit alienum agrum aut vineam, miseritque iumentum suum ut depascatur alienum agrum, bonum agri sui, et bonum vineti sui rependet. Sensus est: Ius erit illi cui damnum illatum est, ex agro inferentis iniuriam damnum suum sarciendi; nec solum id, sed ex optimis quibusque agri aut vineae. Attamen auctoritate iudicis non propria, ut in superioribus est auditum.

Si exierit ignis et invenerit, id est adprehenderit, *spinas, et depastus fuerit collectos iam acervos, vel stantes adhuc segetes, vel agrum, reddendo reddet qui succenderit succensionem.* De damno infecto hic loquitur, quod ex incuria ac negligentia alicuius alteri illatum est. Tria autem hic ponit: Si ignis depaverit segetes demessas, quae iam in manipulos et acervos congestae sunt, aut quae adhuc stant et non sunt demessae; aut quae demessae quidem sunt, sed adhuc in agro dispersae iacent: nam hoc per agrum intelligit. Comprehende autem sub segete etiam alia, ut foenum et arbores.

Si quis dediderit proximo suo argentum (hic intellige quidquid monetae aut pecuniae nomine censetur) *aut vasa* (hac voce comprehende omnem supellectilem) *ad custodiendum, et furatur de domo viri illius,* (scilicet in cuius custodiam et tutelam positum erat) *si invenitur fur, reddet duplum: si fur non invenitur, adducatur paterfamilias ad deos*, hoc est, ad iudices.

Hic Graeci addunt: Et iurabit, scilicet magister domus, apud quem res deposita erat. Ex Graecis ergo Latinus hanc particulam desumsit, tametsi et Iudaei dicunt hoc debere subintelligi; idque ex sequenti membro facile intelligi potest, ubi de iuramenti interpositione mentio fit. Adparet ergo *ad iudices duci* olim tantum fuisse, quantum apud nos iusiurandum praestare; ut etiam Germanis: Du must mir für den richter, pro eo quod est: Du must mir darfür schweeren. Iam in textu sequitur, אם לא שלח ידו *quod non miserit:* nam אם pro *quod* hic debet exponi, non pro *si*, *manum suam ad rem proximi sui.* Quae iam sequuntur per parenthesin interiecta sunt, על כל דבר פשע, *super quacunque praevaricatione aut culpa sive sit de bove, sive de asino, sive de pecude, sive de veste, super omni perditione*, id est re perdita, *quam dicere potest quod ipsius hoc, causa amborum veniet ad iudices, quem iudices impiabunt*, id est, condemnabunt, *reddet duplum proximo suo.* Nota, quae hic per parenthesin interiecta diximus, lex quaedam generalis sunt, quae per occasionem in particulari declaratione interseritur.

Quod si quis dederit proximo suo, (Adhuc lex est de deposito, et ad superiorem pertinet, quasi membrum: nam hic de animatis, superiori lege de inanimatis, ut de argento et vase dixerat) *asinum, aut bovem, aut pecudem, aut aliud quodcunque iumentum servandum, et moritur, aut conteritur, aut abducitur, nemine vidente, iuramentum Domini inter utrosque erit.* Iuramentum

Domini, id est iusiurandum quod praestatur sub nomine Dei. Germanice den eyd zu Gott vel by Gott. Hic clarum fit iuramentum intervenisse, de quo supra attigimus.

Quod non miserit manum suam in rem proximi sui, et acceperit super se, und er nimmt es uff sich, *non reddet. Quod si furto ablatum fuerit, restituetur hero suo.* Supra quum de re inanimata agebatur, contrarium ponitur, qua re puto id Deum voluisse: quandoquidem populus ille mire cupidus fuit pecorum, hic talionem et redhibitionem praecipit, ne quis temere alterius pecora furetur; in pecuniis vero et aliis rebus aliud est. Hoc ergo ultimum membrum de deposito vivo intelligendum est; et pecora viva si abacta fuerint, facile deprehendi potest; in vasis et pecunia non item. Negligentia ergo hic et oscitantia punitur.

Si laniando laniatum fuerit, adducat testem, quod laniatum est non restituet. Hebraica hic dubia sunt. Adducat testem, hoc est in testimonium quo laniatum est; sed huic sensui videtur obstare athnach. Aut adducet testem, id est adducat possessorem in rem praesentem, ne suspicioni aut fallaciae sit locus.

Sed quid opus talibus in eo populo, quem deus peculiarem sibi ex omnibus elegit? Quid necesse huic praecipere ne rem depositam furentur? Hic discimus cognoscere miseriam nostram: quanti quanti sumus, vix bona fide divitias et temporalia tractamus, maxime alienas res.

Si commodato petierit quis a proximo suo, et contritum aut mortuum fuerit, dominusque eius non fuerit praesens (vel) cum eo, reddendo reddet. Domino praesente non potest facile contra eius voluntatem quid committi; secus est, si abest dominus.

Si dominus cum eo, non reddet, si mercede conductum, venit in mercede sua. Hoc est: si pro mercede ei locatum est, ultra mercedem nihil dabit.

Si quis seduxerit virginem, necdum desponsatam. Tantum abesse debet ab omni viri consortio, ab omni suspicione, ut ne desponsata quidem esse debeat.

Si pater virginis renuerit eam ei dare, numerabit iuxta dotem virginum. Videtur hic מהר significare, quod Germanice vocamus die morgengaab. Quae Latini iurisperiti *Paraphernalia* vocant, a Graecis mutuo accepto nomine. Nam est כמהר בתולת, kemahar bethuloth. Iuxta dotem virginum. Si in singulari dixisset *iuxta dotem virginis* intelligeret aliquis eum significare, tantum quantum pater dat filiae in dotem. Sed hic quibusque suas leges intactas relinquimus.

Tametsi semper et contumax et durae cervicis fuit Iudaeorum populus, scortatione tamen non adeo legitur commaculatus fuisse: quod nimirum huic legi acceptum ferimus: nam ubi haec lex servatur, pudicitia non facile periclitatur.

Veneficium aut maleficium, non patieris vivere. Res pro persona ponitur.

Sacrificans diis, praeter Dominum, eradicetur. Tametsi haec lex perpetua est, tamen hic inter iudicialia ponitur, quae superius lata

erat capite XX, eo quod poena non erat addita, si quis deos alienos coluisset. Hic ergo occidi eos ac omnino perdi iubet, qui praeter Dominum alios deos colunt.

Advenam non adfliges, nec opprimes eum, quoniam et vos advenae fuistis in terra Aegypti. Hanc legem omnes philautia obcaecati negligimus: omnes enim exteros et advenas contemnimus. Adponit autem Deus quod vim magnam habet adfectus movendi. Et vos, inquit, aliquando advenae fuistis, oppressi et adflicti in terra Aegypti; hoc nunquam debet vobis excidere. Quasi diceret: Haec est causa quod tanto tempore permisi vos adfligi in Aegypto, ut disceretis oppressis et adflictis commiserari, et ne vos aliquem adfligeretis ac opprimeretis.

Omnes viduas et pupillos ne adfligetis: si adfligendo adfligetis eos, et si clamando clamaverint ad me, audiendo audiam clamorem eorum. Mira elegantia et vehementia sermonis Hebraici. Quasi diceret: Cavete ne unquam adfligatis aut contristetis viduas aut orphanos! nam si adfligendo adfligetis (est autem magna vis in anadiplosi Hebraica) et ipsi clamando ad me clamaverint, vosque eos non audieritis: ego exaudiendo exaudiam clamorem eorum. Nam mihi curae sunt viduae et orphani, neque ego clamorem eorum negligam.

Si argentum mutuaveris populo meo, id est, alicui ex populo meo, *pauperi seu adflicto tecum, non sis ei velut exactor aut foenerator.* Qui ad foenus aut lucrum pecunias suas mutuant, inclementer a debitoribus credita exigunt. Vetat ergo Dominus, ne quis hanc iniquitatem ac crudelitatem in populo suo exerceat.

Si impignorando impignoraveris vestem proximi tui, ante Solis occasum reddes ei. Iam forte epicherema subiicit, quo ad commiserationem duros foeneratores moveat.

Haec enim opperimentum eius solum est, haec vestis eius cuti suae, seu nuditati suae (עור, or, utrumque significat), *in qua dormit.* Hoc vestimento se et contra improbitatem frigoris et tempestatis defendit, et nocte pro tegumento utitur. Quibus verbis magnam pauperiem indicat.

Si clamaverit ad me, ego exaudiam, quoniam misericors ego, scilicet sum. Non dicit: Si clamaverit ad me, ego exaudiam eum, et te puniam: nam hoc pulcherrime per aposiopesin reticet, sed tantum adiicit: Nam ego misericors sum. Quasi diceret: Si tu omnino tam immitis et immisericors in eum fueris, ut et frigore et penuria proximum perire sinas: ego tamen misericors ero, ego commiserabor eum, hoc est vindicabo eum et crudelitatem tuam puniam; sed hoc tacet. Hinc nimirum Christus parabolam de duobus debitoribus sumsit, Matthaei XVIII. quasi diceret: Ego talis sum Deus, qui misericordiam impendo rogantibus. Quod si vos hoc non feceritis: nec ego clamorem vestrum exaudiam, sed oppressorum vociferationem.

Diis non detrahes aut maledices, et principi populi tui ne maledices. Iterum *elohim* pro iudicibus et magistratibus ponit. Magni ergo sunt et merito suspiciendi; quos deus nomine suo dignatur. Et Paulus vocat eos ministros Dei cunctosque eorum imperio subdit.

Nec est quod ii, qui praesunt, cristas hinc erigant; sed hoc potius agant, quandoquidem audiunt se in hunc locum dei providentia evectos, ut nihil admittant quod eos dedeceat. Qui loco Dei sedent, ne usquam Dei nomen quo eos Deus dignatus est commaculent! Hoc quoque notandum, eum hic loqui de piis et bonis magistratibus: nam impii et mali, qui officio suo non satis faciunt, culpandi sunt; sed ab his quorum interest. Vetat ergo ne quis temere pro adfectuum fervore maledicentiae frena in magistratus solvat.

Plenitudinem tuam, et lachrymam tuam, non tardabis seu differes. Latinus sensum probe reddidit, sed elegantiam sermonis Hebraíci amisit. Per plenitudinem omnia arida et fructus, per lacrimam liquida omnia intelligit, ut est vinum et oleum etc. sive modio sive mensura mensurentur.

Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. Primogenita ideo iubet sibi dari, quod eorum primogenita, interfectis Aegyptiorum primogenitis, servarat, supra cap. XII.

Sic facies bovi tuo et ovi tuae. Pergit praecipere de primogenitis. Aut hic שור, schor, pro vitulo ponitur: nam septem dierum bos esse non potest. Aut generaliter pro armento שור, et צאן zon pro grege intelligit.

Viri sancti eritis mihi. Hoc est integri, innocentes: Ir söllend fromme lüt sein. Quasi diceret: Non satis erit primogenita mihi obtulisse, sed quia populus meus peculiaris estis, operam date ut sitis sancti. Emphasis est in *mihi.*

Et carnem in agro laniatam non comedetis, cani proiicietis eam. Per carnem forte omnem feram intelligit; quasi diceret: Vos non comedetis hanc carnem, sed feris proiicietis. Per allegoriam significatur, eum, cuius probitas et integritas et innocentia nobis perspecta non est, nec in episcopum nec in magistratum adsumi debere. Hoc quoque ad finem huius capitis adnotabimus: nam superius excidit. Ab initio capitis XXII. permittit dominus, Hebraeum emi posse pro servo. Hoc capite praecipit, ut absque foenore mutuum dent. Si foenerari non licet, sed absque foenore pauperi succurrere iubet deus: nunquam licebit proximum emere in servum. Quaedam ergo (ut supra quoque attigimus) leges purissimam divinae voluntatis regulam respiciunt, ut est: Mutuum dantes, nihil inde sperantes; et: Diligito proximum tuum, ut te ipsum. Haec exprimere omni studio conetur omnis fidelis! Sunt deinde leges quaedam humanae, hoc est, quae humanam et miseram illam iustitiam respiciunt, quibus tanquam cancellis adfectus nostri effrenes cohibentur, quas etiamsi custodierimus, iusti et innocentes, quod ad deum attinet, minime sumus. In his ergo legibus sententia iudicis standum est.

CAPUT XXIII.

Non suscipies vocem mendacii. In hoc capite quaedam sunt iudicialia, quaedam vero ceremonialia, quaedam deinde quae ad conscientiam et internum hominem pertinent. Nam Moses perpetuus populi

dux castrensi quodam stilo raptim omnia et sparsim veluti miscellanea annotavit.

Tametsi haec lex: Non susc. etc. generalis sit, in primis tamen ad iudices pertinet, ne temere cuivis rumori aut famae credant. De qua re et olim Solon praecepta dedit.

Nec pones manum tuam. Metaphora est a pueris ducta, qui facile abs quovis manu ducuntur. Sensus est: Ne foedus ineas cum impiis, ut propter societatem et consuetudinem falsum dicas testimonium.

Ne sequaris turbam ad faciendum malum, nec respondebis ad multitudinem ad declinandum. Ne multitudo moveat te ut eos sequaris, neque propter multitudinem flectas iudicium. Multitudo non te terreat, quo minus recte iudices, aut quo magis a recta sententia declines. Hoc iterum maxime iudices respicit, licet et his dictum sit qui causas agunt in iudicio. Nam qui multam turbam aut amicorum aut potentum secum adferunt, videntur vi velle extorquere pro se a iudice sententiam. Ne ergo terreatur iudex multitudine, neque respondeat illorum proposito.

Pauperem non decores in causa sua. Hoc est: non magnificabis eius causam, quum iniustus est; non iustificabis eum, quia pauper est. Licet multo favore ubique prosequatur pauperem deus, non tamen vult ut respectu paupertatis iudicium corrumpatur. Et hic synecdochen nota, qua una pars pauperum scilicet tantummodo exprimitur; altera vero, divitum scilicet, subintelligitur. Quasi diceret: Si propter pauperem, iudicium non debet violari: quanto minus propter divitem? Hanc sententiam inscribere pectoribus suis debent iudices, ut semper cogitent, quam iustum debeat esse iudicium, quod nec propter pauperem (qui tamen nobis ubique a deo commendatur) velit esse corruptum. Non debent pauperes ex misericordia respici, ut mitius eis pronuncietur. Hoc autem maxime intelligendum existimo ante sententiam.

Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reducendo reduces eum. Haec lex modum adfectibus et inimicitiis ponit: vehemens enim irae et odii adfectus est. Sub bove autem, hoc est sub persona, odium prohibet, rem scilicet, quod Hebraeis peculiare est. Et diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Proximum* dicit, et omnem qui auxilio tuo et ope indigeat intelligit. Bovis quoque aut asini nomine quaecunque sunt hostis tui intellige!

Si videris asinum odientis te, iacentem sub onere. Si iumentum inimici exonerare iubet deus, quis non videt quantum ei displiceat, si amicos et eos quos tutari debemus iniquis oneribus oneramus? Tam abest, ut proximum oneremus, ut etiam inimici pecus exonerare iubeamur atque erigere.

Non flectes iudicium pauperis tui in causa eius. Prius praecepit, ne ob misericordiam pro eo iudicarent; hoc praecepto vetat, ne pauperem propter inopiam ullo modo premant, quo minus ius illi dicant. *Pauperis tui* emphasin habet; id est qui tecum versantur, quos tu alere debes. Praeceperat enim deus, ne pauperes in populo esse sinerent. Pauperes ergo qui in ecclesia nostra sunt nostri sunt. Quum potens

aliquis aut praedives cum pauperculo aliquo in iudicio contendit: frequenter fit ut dives dicat: Cur a mendico illo in ius vocor? cur ab illo impetor quem stipe alo? Volunt enim divites pauperibus, quemadmodum heri servis suis, ius actionis praecludere. Hoc cavet praecepto dominus, ne iudex huiusmodi sermonibus aut tenuitate pauperis a iusta sententia dimoveatur.

Longe sis a verbo mendacii. Hoc ante omnia iudices respicit: illi enim longissime a vanis et mendacibus sermonibus abesse debent. Hic autem omnem dolum malum intellige aut calumniam, quae fieri potest.

Innocentem et iustum ne trucides, quoniam non iustificabo impium. Hoc est: Non propitiabor, nisi sanguis illius etiam fundatur qui innocentem interfecit. Ut alibi dicit: Terra innocenti sanguine commaculata non ferre potest impios illos homicidas, evomet eos, nec reconciliari poterit donec et ipsorum sanguis fundatur. Non ergo iustificabo, non sinam inultum. Potest etiam exponi: Non iustificabo impietatem, id est: Ich wird ein gottlose sach nimmer für gerecht geben.

Munus non accipias, quoniam munus excaecat videntes, et pervertit verba iustorum. Quid muneribus cum oculis? Quomodo autem qui vident caeci sunt? Tropica ergo loquutio: Videntibus oculis caecutire, mit gesehenden augen blind sein. De oculo ergo mentis intelligit qui muneribus excaecatur, ut nihil rectum cernat, nihil agat rectum; deinde mentes et actiones eorum pervertit, qui non pridem antea iusti erant.

Peregrinum non adfliges, nam et vos peregrinorum animam nostis, quoniam et vos advenae fuistis in terra Aegypti. Mirus adfectus, dum eis adfectus pristinos refricat quos olim in Aegypto habuerunt, dum et ipsi advenae essent in terra aliena: plus enim movet quod ipsi experti sumus.

Sex annis seres terram tuam. Hoc cum sequenti praecepto plane ceremoniale est. Nam sabbatum semper magnum et celebre fuit propter figuram, de quo satis supra dictum putamus.

Et nomen aliorum deorum non memineris, non audietur ex ore tuo. Tantum abest, ut deos alienos colatis, ut ne mentio quidem illorum apud vos fieri debeat. Sic Paulus Ephes. V. Scortatio et omnis immunditia aut avaritia ne nominetur quidem inter vos, sicut decet sanctos.

Tribus vicibus festum ages mihi in anno. Pro vicibus Hebraei רגלים, regalim, habent, quod *pedes* significat, hic *vices*, quod pes pedem per vices levet. De quo diximus in Genesi II.

Festivitatem azymorum custodies. Hic ab azymis nomen habet festum, quod et *paesa* dicitur. De quo vide cap. XII.

Tempore mensis novarum frugum. Hebraeus dicit: ad festivitatem mensis Abib. Abib proprie Iulius est Hebraeis; hic autem pro verno tempore ponitur quo omnia reflorescunt. De hoc latius supra cap. XIII.

Non adparebis in conspectu meo vacuus. Hebraeus legit: Non videbuntur vultus mei frustra. Videtur autem consolatio esse; quasi

diceret: Ne pigeat vos toties ire Hierosolyma mihique festivitatem celebrare! nunquam frustra venietis; semper aliquid gratiae reportabitis. Ego quum in praesentiam meam veneritis (nam haec per vultum intelligitur), non dimittam vos vacuos. Non quaeretis me sine fructu. Nemo me invocans repulsam patietur.

Solennitatem quoque messis primitivorum operum tuorum. Opus hic capitur pro re operata: loquitur enim de frugibus et anni proventu. Sic opus capitur a Paulo 1. Cor. III. Dies domini declarabit, et quale cuiusque opus sit ignis probabit. Si cuius opus manserit etc. Ubi opus pro his accipitur, qui apostoli opera ad fidem venerant.

Ter in anno videbuntur, aut adparebunt omnes mares ante faciem domini dei. Ante faciem domini venire, est schemate Hebraico coetum convenire, ut supra: Fac adpropinquare populum coram domino, id est convoca coetum, congrega ecclesiam.

Non sacrificabis cum fermento sanguinem sacrificii mei. In sacrificiis simul etiam liba offerebant et placentas. Praecepit ergo, ne fermentum ullo modo placentis commisceant, quas sint cum sacrificiis oblaturi, sed azymos tantum offerant. Alii aliter intelligunt, nempe, ut non immoletur pascha, donec omne fermentum ex domibus expurgatum sit. Sacrificium nostrum sincerum et infermentatum esse debet, ut supra de azymis declaravimus.

Non remanebit adeps solennitatis meae, usque in crastinum. Non simus pigri et negligentes in divinis rebus, ne differamus, ne procrastinemus bona. Mora enim omnis periculosa est.

Non coques hoedum in lacte seu adipe matris suae. Quandoquidem hoc in usu non fuit, ut hoedus in lacte matris coqueretur, puto plane aenigmaticum esse hunc sermonem, et rem supra modum obscoenam et abominabilem vetare. In mysterio potest significare, Christum non a Iudaeis, sed a Gentibus esse occisum. Augustinus.

Ecce ego mitto angelum ante te, ut custodiat te in via, et ut introducat te ad locum quem praeparavi. Quod angelo hic tribuit, solius ipsius est; quasi diceret: Sancti sitis, et innocenter coram me ambuletis! nam ego ipse adero, et praecedam vos, custodiamque vos, donec introducam vos in eam terram, quam pollicitus sum.

Nomen meum in medio eius. Hoc est: nomen meum est in eo, nomine meo adest.

Quod si audieris vocem eius, et feceris omnia quae loquar. Angelus loquitur, deus autem author est: vertit enim personam, et dicit: Et feceris quae ego loquor. Haec quod ad literam attinet. Nemini vero piorum dubium est, hic ingens latere mysterium. Angelus enim a mittendo nomen habet; significat ergo angelus *dei missionem.* Missio vero proprie ad filium dei Christum pertinet, qui et alibi a propheta angelus testamenti adpellatur. Hic eos ubique comitabatur, ut Paulus exponit 1. Cor. X. In quo nomen, id est virtus et potentia dei est, imo ipse est virtus et potentia dei. Nihilo tamen minus Iudaei intelligebant angelum, et saepe per angelum eis apparuit deus, loquens cum eis, ut et ipsi aliquid sensibile et visibile haberent, eorum infir-

mitati in hoc condescendens et cum eis quasi balbutiens, ut quemadmodum ceterae Gentes oracula sua habebant, ita et ipsi haberent aliquid quod viderent et sentirent. Et tamen angelus ille nihil aliud erat nisi filius dei, nisi verbum dei, potentia dei, imo ipse deus.

Ero inimicus inimicis tuis, adfligentes te adfligam. Omni consolatione plenum est hoc verbum. Quem enim metuere potest, qui deum habeat protectorem? Hinc Christus: Qui vos spernit me spernit. Constantes ergo simus, nec unquam labascamus nec concidamus! a nobis stat qui conteret hostes nostros, quantumvis saeviant.

Non coles deos eorum, nec servies eis, nec facias iuxta opera eorum. Habebant et Gentes deos suos, idola, ritus, sacra, a quibus suos omnino abstinere vult deus, ne ullo pacto se eorum sacris misceant, ne opera eorum, id est cultus quos idolis fecerant, sequantur. Et hoc vehementer cavet Paulus 1. Cor. VIII. et X, ne Gentium sacris aut epulis intersint, qui Christi corpus iam sunt facti.

Excidendo excindes. Hoc ad deos, idola, cultusque pertinet et ad omnem abominationem Gentium.

At vos domino deo vestro servietis. Qui vere pii sunt, in spiritu et veritate deo serviunt.

Et benedicet panem tuum et aquas tuas. Per panem omnem cibum, per aquam omnem potum intellige! *Benedicere* est ditare, multiplicare, locupletare. Sic etiam temporalia promittit suis cultoribus deus.

Et auferam infirmitatem de medio tui. Sic superius: Non adfligam te languoribus Aegypti. Et haec promissio temporalis est. Hic vides quam non destituat suos deus cibo et sanitate corporis, quae duo in corporalibus bonis fere maxima sunt. Quum igitur inopia aut morbus incidit: fit hoc, ut vel fides tentetur qui nusquam expeditior est et securior, quam dum omnibus huius vitae bonis destituti sumus et virtus in infirmitate perficitur; aut in poenam nostrorum peccatorum. Plerumque enim animi infirmitas corporis aegrotationem comitem poenam habet. Infirmitas ergo corporis ut a peccato causatur, ita et poena est peccati.

Non erit sterilis et infoecunda in terra tua. Latinus in neutro proferret: Non erit sterile et infoecundum, quae Hebraei in foeminino. Ponuntur autem adiectiva pro substantivis; ut sit sensus: Non erit sterilitas aut infoecunditas. Primum ad vivipera, secundum ad arbores et ad alia referri potest. Benedictionem, hoc est donum dei, esse prolis multiplicationem, superius in Genesi cap. 1. auditum est.

Numerum dierum tuorum implebo. Hoc est: Ad senectutem bonam deducam te, prolongabo dies tuos, vitam tuam.

Terrorem meum praemittam ante te, et terrebo seu conturbabo omnem populum, ad quos tu es venturus. Ubi Latinus dicit *interficiam* Hebraeus legit המתי, hamothi, conturbabo; nisi Hiphil a מות dicas. Graeci dicunt *ἐκςήσω.* Sensus est: Rumore tantum et fama vestri, antequam ad eos veniatis, terrebo et attonitos eos reddam.

Et crabrones aut vespas mittam ante te. Hyperbolen esse puto; quasi diceret: Ita attonitos eos reddam, ita stupidos, ut etiam

vespae sint eis superiores. Solis vespis (si velim) expugnabo eos. Nam non per vespas eiecti sunt Chananaei, qui adhuc in terra fuerunt, advenientibus Hebraeis.

Non eiiciam eos ante te uno anno, ne terra in solitudinem redigatur et crescant contra te bestiae, paulatim expellam eos. Et hic habes eos non esse eiectos, donec advenerit populus Iudaicus; et ne tum quidem semel, sed paulatim. Aliud hic loquitur deus, aliud in recessu praetendit, aliud item significat. Nam non ideo non eiecit eos, ne terra deserta fieret, tametsi hoc praetexat: nam ob id non erat terra futura deserta, quum incolentes filii Israelis feras eadem ratione qua Chananaei prohibere potuerint. Sed hoc vult, ut populus perpetuo habeat, cum quibus pugnet, quibus exerceatur, ne otio et ignavia torpescat. Atque hanc causam a deo per Mosen dictam in sequentibus audiemus. Sed cur non iam dixit? Nimirum inter initia adhuc eos lacte nutrit, et celat quod acturus erat. Nam si illis hoc antequam intrassent ab initio dixisset, impatientia victi dicere potuissent: Quid? iam tot laboribus pressos etiam in terra (ubi nos requiem inventuros sperabamus) nos adfliget hostibus? Ideo ne resilirent, hoc tacet. Significat autem, nobis perpetuum bellum gerendum esse cum vitiis, neque unquam nobis cum eis conveniendum. Dicis: Deus iubet ne cum eis conveniant, et tamen sinit ut eis cohabitent. Cur non omnino eos extirpat? Vult deus ut cum eis habitent, sed ne foedus aut societatem cum eis ineant. Sic nobis semper (ita divina ordinante providentia) aderunt et vitia et vitiosi, imo inter medios malos nobis habitandum erit, sed perpetuo pugnandum cum eis, nec unquam redeundum cum eis in gratiam. Hoc est quod Ioannes dicit: Si dixerimus, peccatum nos non habere: nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est. Et rursus: Qui ex deo natus est, non peccat. Reliquiae quidem peccatorum in piis etiam semper manent, ut sint stimuli et exercitamenta virtutis et custodia humilitatis. Hostibus ergo suos deus carere non sinit, ne otio torpescant et luxu diffluant.

A deserto usque ad fluvium. Id est ab Antilibano ad Euphratem.

CAPUT XXIV.

Ascende ad dominum tu et Aharon, Nadab et Abihu, et septuaginta seniores ex Israel. Hic quasi per epilogum refricat, quae supra cap. XIX. coeperat. Nota autem tres ordines! Populus omnino non audebat accedere ad montem; seniores et ceteri cum Mose aliquousque montem conscenderunt; solus vero Moses dominum adire et cum eo familiariter colloqui permittitur. Quod Hebraeus bis verbis exprimit: ונגש משה, venigasch Mosche, et adpropinquabat solus Moses ad dominum, et ipsi non adpropinquarunt. Quo verbo morem accedendi et cum domino loquendi, non actionem significant: nam sic utuntur verbis daggessatis Hebraei. Quasi diceret: Solus Moses in more habebat accedere dominum. Moses hic typum Christi gerit, qui appetente passionis tempore discipulos secum adsumsit, deinde tres ex eis propius adduxit, porro etiam illos relinquens solus oraturus deum adiit.

Venit ergo Moses, et narravit plebi omnia verba domini atque

iudicia. Hoc per anticipationem scribitur: nam non statim descendit de monte, sed tum tandem quum et decem praecepta et iudicia et ceremonias, de quibus in posterioribus dicetur, a domino accepisset, sermonemque omnem cum domino consummasset. Hic autem scribitur, quia hucusque eas leges atque praecepta recensuit, quae interiorem hominem maxime respiciunt; quaedam denique iudicialia, quibus transgressores punirentur, quorum maximus usus est ad tranquillam vitam. Ceremonias autem, quia umbrae tantummodo fuerunt, in sequentibus recenset, quod earum non esset tanta vis: nam in superioribus ceremoniarum parum meminit, nisi trium solemnium. Hunc esse sensum sequentia declarabunt, ubi completo sermone descendisse Mosen et populum convocasse legimus cap. XXXV.

Et scripsit Moses omnia verba domini, et surrexit mane et aedificavit aram. Et haec postea sunt facta, quum de monte descendisset.

Et duodecim statuas, iuxta duodecim tribus Israel. Statuae proprie sunt, quae aut excisae aut sculptae sunt, eriguntur que in titulos aut monimenta. Hic autem rudes et impolitos lapides, quos temere attulerunt (nam superius ne ferro exciderentur lapides arae vetuerat dominus) statuas vocat, ut sit statua quidquid erigitur et stat. LXX *lapides transtulerunt*, erudite quidem illi: accipitur enim hic statua per metalepsin pro immani saxo.

Emisit adolescentes ex filiis Israel, ut adducerent holocausta, et mactarunt sacrificia et pacifica. Adolescentes eliguntur ad sacrificia, quod functio sacerdotalis adhuc ex Levitica tribu ordinata non esset, et quod hi ob simplicitatem et vitae innocentiam ad hanc rem essent maxime idonei. *Adduxerunt holocausta* hysteron proteron est: hoc est adduxerunt animalia, quibus ad sacrificandum utebantur. *Pacifica* Hebraeis שְׁלָמִים, schlamim, vocantur, quae rebus integris et salvis offerre soliti erant; hoc est quae in pace, dum omnia essent integra et salva, aut si favente domino victoria potiti essent in bello, aut post accepta a domino beneficia, pro gratiarum actione et gratulatione obtulerunt, Danckopffer.

Hic est sanguis foederis, quod pepigit dominus vobiscum. Foedus esse, ut ipse sit deus noster, nos populus eius recteque ambulemus coram ipso, supra in Gen. XVII. auditum est. Sed cur vocatur sanguis testamenti? ἠθολογία est. Constituerat dominus iudiciarias quasdam leges, quibus homo in hominem capitali poena adverteret, si legem dei coram homine violasset. Quum ergo hic mos inter homines servetur, ut legis transgressores capite plectantur, nec absque sanguine fiat expiatio: utitur et hoc more hic deus aspergendo populum sanguine, ac si diceret: Si pactum illud meum non servaveritis: sine sanguine expiari nullo modo poteritis, ostendens nihil superesse praevaricantibus quam extremam poenam. In huius rei figuram in veteri testamento sanguinolenta sacrificia instituit deus, et nihil absque sanguine emundabatur, ut viderent absque sanguinis fusione peccata non posse dilui, utque hac sanguinis pecuini fusione assueti, postea veniente Christo et sanguinem fundente, facilius crederent, sanguinem eius emun-

dationem peccatorum esse. Nam hircorum et taurorum sanguis ad iustificationem carnis tantum adhibebatur, hoc est tantum externa quaedam ceremonia erat, qua peccans reconciliatus corpore rursus in coetum populi dei admittebatur; conscientia tamen pecorum sanguine aut ablui aut sanctificari nullo modo potuit. Sanguis vero Christi agni immaculati, semel in cruce fusus, perfectos effecit eos in perpetuum qui sanctificantur. Nam si sanguis taurorum et hircorum, et cinis iuvencae, aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis purificationem: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum aeternum se ipsum obtulit immaculatum deo, purgabit conscientiam nostram a mortuariis operibus ad serviendum deo viventi? Haec magna religione tractantur in epistola ad Hebraeos cap. IX. et X. Quum autem dicit, sanctificari nos sanguine Christi, intelligit purificari et in usum dei dedicari: nam hoc significat Hebraeis קדש. Sic Christus Ioan. XVII. Quum iam instaret tempus quo futurus erat hostia pro peccatis nostris, dixit: Ego sanctifico me ipsum pro eis, ut sint et ipsi sanctificati per veritatem. Sanctifico me pro ipsis, id est, offero me pro ipsis sanctum sacrificium, ut et ipsi sanctificentur, id est a peccatis mundentur, vere atque indubitate, hoc est in veritate.

Et ascenderunt Moses et Aaron, Nadab et Abihu, et septuaginta seniores Israel. Et hoc factum esse tum constat, quum dominus in montem descendisset, ut superius cap. XIX. descripsit Moses. Non ergo res eo ordine scribuntur, quo gestae sunt.

Et viderunt deum Israel. Semel locutus est deus: Non videbit me homo, dum vivit. Et Ioannes testatur deum neminem unquam vidisse. Oportet ergo eos locos, qui in scripturis dicunt, deum ab aliquibus visum esse, ad analogiam fidei cum supradictis conciliare. Dicunt ergo se deum sancti vidisse, quum divinam eius praesentiam sunt experti, innotescente eis deo specie aut forma, qua et illi placuit, et illos decuit.

Sub pedibus eius quasi opus lateris saphiri, et quemadmodum coelum cum serenum aut purum est. Graeci quoque πλίνθον legunt, quod eis laterem significat. Per lapidem autem aut laterem, stratum lapidem intelligunt, et per hoc pavimentum quod lateribus sternitur. Vel hinc adparet visionem fuisse hanc: nam alioqui deus non habet pedes, nisi quos ei scriptura per ethologiam adfingit, ut: Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.

Et super separatos filiorum Israel non misit manum suam, sed viderunt et comederunt et biberunt. אצילי, azile, electi sunt et separati, die aufsgenomnen, aufsgeschofsnen, qui scilicet ex omni Israele electi erant, ut montem cum Mose ascenderent. Hos non terruit dominus potentia et maiestate sua, sed se illis videndum sic praebuit, ut etiam gaudiam ex visione non parvum caperent. Quas spiritales delicias forte per edere et bibere circumloquitur, ut Christus: Ego vobis dispono ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Quod si de corporali refectione intelligimus, factum est antequam montem conscenderent, seu postea quum descendissent. Nam interim quum ipsi essent cum domino in monte, adolescentes mactaverant, ut redeuntes convivarentur, ut fieri solet in solemnibus et sacrificiis,

praesertim pacificis. Nisi is sensus magis arrideat: Non misit manum ad eos, hoc est nihil cum eis egit, tametsi ascenderent simul cum Mose, sed tantum viderant eum, Mose solo in colloquium dei admisso. Exceptio est de eo, quod nemini permittebatur ad montem accedere.

Dabo tibi tabulas lapideas legis et praeceptorum quas scripsi, ad dirigendum seu docendum eos. Hae vocantur tabulae testamenti, quod in his contineantur quaecunque ad interiorem hominem instituendum attinent; ideo dicit: Quas scripsi ad docendum eos.

Et surrexit Moses et Iehoschua minister eius. Quod prius in hoc negotio nulla fuit Iehoschuae habita mentio, nunc autem subito fit, atque deinde iterum nulla fit (neque enim traditur, quod cum Mose interfuerit divinae consultationi, neque quod ablegatus sit antequam in consilium conveniretur) D. August. mysterio non vacare putat: Iesum videlicet, verum medicum atque salvatorem, in lege esse et promissum et in occulto aut sub aenigmate ostensum; tandem autem mortuo Mose prodiisse ac salvatorem mundi factum esse, qui tum inter figurarum incunabula delitesceret. Quae mihi sententia videtur non improbabilis.

Et gloria seu magnificentia domini, sicut ignis devorans in vertice montis, in oculis filiorum Israel. Filiis Israelis, qui ad radicem montis stabant, videbatur species domini, quemadmodum ignis omnia devorantis et consumentis; ceteris vero, qui cum Mose ascenderant, velut opus constratum sapphiro. In quo nobis duplex hominum genus adumbratur, primi, quos dominus suo spiritu dignatur, qui cum ad dominum adpropinquant non terrentur, sed mire adficiuntur; alteris vero, qui adhuc carnei sunt, est dominus horribilis, qui primis absque metu conspicitur.

ENCHIRIDION PSALMORUM

QUOS SANCTAE MEMORIAE CLARISSIMUS VIR

HULDRICUS ZUINGLIUS

EX HEBRAICA VERITATE LATINITATI DONAVIT

ET MIRA CLARITATE ILLUSTRAVIT.

AD CHRISTIANOS LECTORES EXHORTATIO LEONIS IUDAE.

Nuper infausto praelio Zuinglium sanctae memoriae virum saeva manus nobis abripuit, Christiani lectores, sed non totum. Quid enim mortales possunt quam vel in corpus furere, perdere etiam, vel post mortem maledictis insontem proscindere? Sed neque turpis mors viro forti, ut Cicero inquit, accidere potest, nec misera sapienti. Vivit adhuc et aeternum vivit fortissimus heros, immortale post se monimentum gloriae relinquens, quod nullo igne absumi, nulla flamma exuri potest. Corpore quidem ab his trucidatus est, quibus iuvandis ac servandis per omnem vitam suam studuit impensissime. Etenim quum gentem suam ad unius ac veri Dei cultum, ad veterem vitae innocentiam, ad avitam et omnibus seculis spectatam probitatem reformare conatur, inevitabili fato invitus in martium campum rapitur, et ab iis vita privatur, pro quorum vita et instauranda et servanda omnibus sese periculis, omnium odiis exposuit. O impudentiam summam! o ingratitudinem nulla venia dignam! Porro cum eo praeclare actum est, cuius virtus nulla oblivione obliterari, nulla reticentia sepeliri potest. Curabit Deus, cuius gloriam ad mortem usque promovit, imo sanguine suo tutatus est, ut vel invitis et reclamantibus hostibus gloriosa et perpetua sit huius viri memoria; curabunt hoc omnes pii. Certe in primis ego auctoritatem et famam eius celebrare et tueri studebo. Multa illius in me beneficia, summus amor. Ex cineribus ergo eius colligens psalmos, quos nuper ex Hebraica veritate mira claritate ac brevitate transtulit, enchiridio hoc legendos vobis propono, ut quem vivum amastis, mortuum, imo vivum semper vobiscum habeatis. Vos interim valete, et fortissimi viri exemplo discite mortem pro iustitia, pro veritate non formidare, sed infracto pectore amplecti.

ENCHIRIDION PSALMORUM.

I.

Innocentiae laus.

O beatum hominem qui non adit consilia impiorum, qui in via sceleratorum non moratur neque in consessu perversorum considet;

sed lege Domini delectatur et in ea meditatur die ac nocte.

Hic similis est arbori ad ripam fluminis plantatae, quae fructum suum suo reddit tempore,

cuius folia non decidunt, cuius omnis fructus feliciter provenit.

Contra vero impii similes sunt pulveri qui a vento dissipatur.

Hinc fit ut neque impii neque scelerati vivant in coetu et concilio iustorum.

Ut enim via iustorum Domino placet, ita via impiorum perit.

I.

Wol dem man der nit wandlet in dem rat der gotlosen, und stat im weg der sünderen nit, und sitzt uff dem sessel der spötteren nit.

Sunder sin gevallen ist in dem gsatz des herren, und üebt sich in sinem gsatz tag und nacht.

So wirt er wie ein boum der an die runsen der wasseren gepflanzt, der sin frucht gibt zuo siner zyt.

Und sin loub wirt nit verderben, und alles das er tuot wirt sich glücken.

Nit also gat es den gotlosen sunder wie dem stoub den der wind verwirfft. [1]

Darum werdend die gotlosen nit ufrecht blyben im gricht, noch die sünder in der gemein der grechten.

Dann der herr kennt den weg der grechten, aber der weg der gotlosen wirt ummkomen.

II.

Irrefragabile de Christo vaticinium (tracta est autem tumultuatio ab interregnis ad impiorum furorem) quem Dominus tanquam potens rex aliquis filium suum regno inaugurat, invitis eis super omnia sublimat.

Ut frendunt gentes! ut populi vana moliuntur!

Concursant reges orbis, et principes in unum coeunt, adversus Dominum et Christum eius.

Rumpamus, inquiunt, vincula eorum, et lora eorum a nobis proiiciamus!

At qui coelos habitat Dominus, ridet ac ludit eos.

II.

Argument. Innhalt. oder zwäck. Gott verwirfft die gwaltigen radtschleg der hohen disen welt. Zeigt an das der demüetig christus wider iren willen ufkomen wirt. Warnet nütz dess minder das sich die gwaltigen wider gott nit verfräfnind.

Warum ufruorend die völker, und die lüt tönend vergeben?

Die künig der erden habend sich gestellt, und die gwaltigen sind zemen grennt wider den herren und wider sinen gesalbeten.

Wir werdend zerryssen ire band, und von uns werffen ire strick.

Der im himel wonet wirt lachen, der herr wirt sy verspotten.

---

[1]) Oder: Nit also werdend die gotlosen sin, sunder wie der stoub den der wind zerwirfft.

In ira et furore suo sic turbat et adfatur eos:

Denn wirt er mit inen reden in synem zorn, und mit synem grimmen sy schüch machen.

Ego vero ungam regem meum, super Zion montem sanctum meum;

Aber ich hab minen küng yngesetzt, uff minen heligen berg zion.

Erudiam eum lege Domini. Sic etiam apud me cogito: Tu es filius meus, ego hodie genui te.

Ich wird uskünden das gebott. Gott hat zuo mir gesprochen: Du bist min sun. Ich hab dich hüt geborn.

Postula a me et dabo tibi hereditatem gentium, et praedia tua erunt orbis termini.

Beger von mir, so wird ich dir die heyden zuo eim erb geben, und die egg der welt zuo einer besitzung.

Quos baculo ferreo reges, ac franges tanquam figulinum vas.

Du wirst sy mit eim ysinen stab zerbrechen, du wirst sy zerklecken wie die gschirr des hafners.

Idcirco reges quaeso sapite, et disciplinam recipite, o iudices terrae!

Darum ir küng sind wys, werdend züchtig ir richter der erden.

ut deferatis Domino timorem et cum metu exultetis ei;

Dienend dem herren mit vorcht und fröwend üch mit zittren.

ut amplectamini filium, ne illo irato pereatis propter studia vestra.

Umvahend den sun, das er nit erzürnt werd, und ir umm üwren weg verderbt werdind.

Nam quum brevi exardebit ira eius, o felices qui sperant in eum.

Dann sin zorn wirt bald embrünnen, wol allen die in inn vertruwend.

III.

Carmen David super fuga, *cum irrueret in eum Absalom filius eius*, vel: a conspectu Absalomis filii eius.

Widerwertigkeit schreckt und bewegt zumm ersten zuo ungeduldt, aber der gloub stillet alle ding.

Quam multi sunt, o Domine, qui tribulant me? quam multi qui insurgunt adversum me?

Herr, warumm ist miner fygenden so vil? und sind vil die über mich ufwütschend?

Quam multi, qui de me dicunt: Deus non salvabit eum? סלה.

Vil redend uff min sel: Er hat ghein heil by gott.

quum tu Domine propugnator meus sis, gloria mea, quique caput meum exaltas.

Aber du herr bist ein schilt vor mir, min eer,[1] und der min houpt ufricht.

Voce mea quum ad Dominum clamo, exaudit me de monte suo sancto.

Mit miner stimm wird ich dem herren rüeffen, und er wirt mir entsprechen von sinem heligen berg. Sälah.

Equidem recumbo ac dormio; iterum Domino me fulciente iterum resurgo.

Ich bin glegen und entschlaffen. Ich bin erwachet dann der herr hat mich ufgericht.

Nihil metuo myriades populorum quae me circumstant.

Ich wird mir nit fürchten vor unzalbarlichem volck die sich umm mich legend.

---

[1]) Oder: min grösse.

Tu enim Domine Deus meus prodibis ad salvandum me! tu percuties maxillam omnium hostium meorum, et dentes impiorum comminues.

Tua Domine est salus; tua igitur bonitate prosequere populum tuum!

IV.

Adhortatio ad organa musica. Carmen David.

Cohortatio est ad pietatem et innocentiam. Increpantur impii, et quae sit piorum felicitas, ostenditur.

O Deus iustitia mea, qui me exaudis ad te clamantem, et in angustiis constitutum in latitudinem educis, miserere mei, et exaudi orationem meam!

O mortales homines, quo usque, spreta magnitudine mea, vana diligetis? quo usque nugacia sectabimini? סלה.

Quo usque agnoscetis quod Dominus eum, quem amat, eripit? Dominus quum ad eum clamo exaudit me.

Contremiscite et nolite peccare! meditemini in cubilibus vestris cum silentio!

Sacrificate sacrificia innocentiae, et sperate in Domino.

Multitudo ista dicere solet: quis praestet nobis bona? quum tu Domine lumen vultus tui super nos manifestaveris.

Qua tu re laetitiam infudisti cordi meo, maiorem quam ipsi habeant in divite proventu tritici et musti sui.

Tuto igitur et in pace accumbam ac dormiam: nam tu Domine solus praestas ut secure habitem.

Stand uf herr, behalt mich min gott. Dann du hast alle mine fygend an den baggen gschlagen. Und die zen der gottlosen hastu gebrochen.

Byın herren ist heil, über din volck sye din gnad. Sälah.

IV.

Ein ermanung zum glouben und unschuld. Er beschiltet und bewegt mit byspilen.

Wenn ich rüeff, so erhör mich o gott min grechtigheit. Du hast mir in angst [1] wyt gemacht. Bis mir gnädig und hör min gebett

Ir menschen kind, wie lang ist üch min er zuo einer schand? wie lang werdend ir doch das ytel lieb haben und die luge suochen? Sälah!

Erkennend doch das der herr in sunderheit mit den sinen handlet. Der herr wirt mich erhören, so ich zuo imm schryen wird.

Werdend ir zornig so sündend nit! trachtend ir etwas in üwren hertzen an üwrem bett, so schwigend! Sälah.

Opfrend opfer der grechtigheit, und hoffend uff den herren!

Vil sagend, wer zeygt uns das guot? Richt uf herr über uns das liecht dines angesichts!

Du gibst fröid in min hertz, me weder sy zuo der zyt habend wenn inen vil korns und mostes wirt.

Ich wil mich schlechts legen und schlaffen im friden, dann du herr allein machst mich in gwüsser hoffnung wonen. [2]

---

[1]) Oder: trang. [2]) Oder: dann du herr allein hast mich in hoffnung rüewig gemacht (oder: gsetzt).

V.

Carmen adhortatorium.

Describuntur duae haereditates et utriusque finis.

Audi verba mea, Domine! intellige cogitationem meam!

Attende voci clamoris mei o rex et Deus meus, quoniam tibi supplicabo.

Tempestive exaudi vocem meam Domine! tempestive enim adcommodabo me tibi et contemplabor.

Nam tu es Deus cui non placet impietas, cui non cohabitat malignus.

Non constant coram oculis tuis violenti, odio habes omnes qui operantur scelus,

perdis mendaces; sanguinarios et fraudulentos abominaris Domine.

Ego autem fretus multitudine bonitatis tuae venio ad aedem tuam, adoro in templo sancto tuo, religiose te metuens.

Duc me Domine tua iustitia propter adversarios meos, et para coram me viam tuam!

Quoniam in ore eorum non est rectum, intus corrupti sunt, guttur eorum sepulchrum patens est, lingua vero sua blandiuntur.

Damna eos o Deus! cadant consiliis suis! pro multitudine scelerum ipsorum elimina eos, quoniam prodiderunt te!

Contra vero laetentur omnes qui sperant in te! in aeternum exultent te illos protegente!

Exultent in te omnes qui colunt nomen tuum!

quia tu Domine prosequeris iustum, et gratia tua velut scuto tueris eum.

V.

Er beschrybt zwo arden der menschen: nempts zwo erbschafften, zeigt ietwederer erb an oder end.

Herr vernimm mine wort, verstand min red,

Merk die stimm mines geschreys, o min küng und min gott, dann ich wird dich bitten.

Herr am morgen wellist min stimm hören. Ich wird mich am morgen zuo dir schicken und bseben. [1]

Dann du bist nit ein gott dem gottlose gevalle. Das bös mag by dir nit blyben. [2]

Die töubrich werdend nit ston vor dinen ougen, du hassest alle die unrecht tuond.

Du wirst die lugner umbringen. Der herr hat ein schühen an dem bluotdürstigen und hochtrachtigen. [3]

Aber ich wil uff die vile diner gnaden in din hus gon, und anbetten by dym heligen tempel in diner vorcht.

Herr leyt mich in diner grechtigheit von miner fyenden wegen, richt dinen weg vor minem angsicht.

Dann in irem mund ist nütz vests, ir innwendigs ist ful, ir käl ist ein offens grab, mit iren zungen leckend sy.

Mach sy verirret o gott. Ey das sy ummkömind von iren radtschlegen. Um der vile irer sünden willen stoss sy us, dann sy sind dir widerwertig.

Aber es erfröwind sich alle die in dich hoffend, sy frolokind ewiklich, dann du haltest ob inen.

Es fröwind sich ouch alle die dinen namen lieb habend.

Dann du herr wirst dem frommen guots tuon, du wirst inn mit dinem gunst umgeben, glych als mit eim pantzer.

---

1) Oder: bschowen. 2) Oder: by dir versamlet werden. 3) Oder: stoltzen.

VI.

David carmen adhortatorium ad organa musica διὰ πασῶν cantandum.

Longanimitas orat, dilatumque desiderium velut opprobrat. Tandem vero gratulatur se exauditam esse, et hostibus imminere pudorem.

Domine, ne quaeso in ira tua arguas me, et in furore tuo ne corripias me!

Miserere mei Domine, quoniam aeger sum ego! sana me Domine, quoniam totus despero!

Nam et anima mea vehementer tentatur. Tu vero Domine quousque cessas?

Redi Domine ut liberes animam meam, et per tuam bonitatem salvum fac me!

Inter damnatos enim non est qui tui meminerit; apud inferos quis putas te celebret?

Laboro gemens; perluo lectum meum omni nocte, et stratum meum lacrimis liquefacio.

Periit mihi per moerorem oculorum acies, emarcui inter tot hostes meos.

At nunc recedetis a me o scelerati omnes: Dominus enim exaudivit vocem fletus mei.

Dominus exaudivit me supplicem: Dominus orationem meam accepit.

Erubescent ac turbabuntur vehementer omnes inimici mei; mutabuntur et erubescent subito.

VI.

Duldmuot bitt hie, und erzellt ir lang engstlich werben, wirt erhört, und ire figend geschendt.

Ach herr straff mich nit in dinem zorn, und in dinem grimmen züchtig mich nit.

Herr bis mir gnädig, dann ich bin schwach, mach mich gsund o herr, dann mine gbein sind betrüebt.

Und min sel ist vast betrüebt. Und du herr wie lang?

Ker widrumm herr, erlös min sel, mach mich heil um diner güete willen.

Dann in dem tod ist ghein gedechtnus din. Wer wirt dich in der hell loben?

Ich hab gearbeitet mit minem sünftzen, ich schwemm min bett alle nächt, und min läger weick ich mit minen trähen.

Min oug ist von dem zorn betrüebt, veraltet under allen minen fygenden.

Wychend von mir alle die unrecht tuond, dann der herr hat die stimm mines weinens gehört.

Der herr hat min pitt gehört, der herr hat angenomen min gebätt.

Es werdend sich fast schemen und betrüebt werden alle mine fygend, sy werdend umkert und schamrot kurtzlich.

VII.

Indignatio David, quam cecinit super facto Chusi filii Iemini.

Testatur innocentiam suam, iniuriam committit iusto iudici, eum docet nusquam cessare.

Domine Deus meus, in te spero, salva me de omnibus qui me persequuntur, et libera me!

VII.

Er verzügt sin unschuld, empfilcht die rach dem grechten richter, und zeigt wie der nit schlafft.

O herr min gott ich truw in dich, frist mich vor allen denen die mich durächtend, und erlös mich.

ne rapiant ac discerpant me tanquam leo: nemo enim est qui me adserat.

Das er min sel nit zerzere wie ein löw, zerryssende, so ghein entschütter ist.

Domine Deus meus! si feci hanc rem; si haec in me culpa deprehenditur;

O herr min gott, hab ich das geton, und ist unrecht in minen henden,

si damnum mihi dantibus reddidi; si hostem meum temere spoliavi:

Hab ich args widergolten dem der grecht gegen mir ist, oder hab ich mine fygend lichtverig usgezogen,

iam persequatur me hostis et comprehendar, ac me vivum humi conculcet; gloriam vero meam in lutum defigat! סלה.

So durächte min fygend min sel, und ervolge sy, und zertrette min leben in die erd, und bringe min eer in den stoub. Sälah!

Exurge et invehere Domine cum ira et indignatione tua in adversarios meos, et praesta quam promisisti vindictam,

Stand uf herr mit dinem zorn, und erhöch dich wider die grimmen miner fygenden, und erweck für mich die rach die du gsetzt hast.

ut te concio populorum circumdet! huius tu gratia iterum exaltare!

So wirt dich die gemein der völcheren umgeben. Und um dero willen ker widrum in die höhe.[1]

O Domine populorum vindex, vindica me iuxta innocentiam et integritatem meam!

Der herr richtet die völcker, richt mich herr und gang über mich nach miner grechtigheit und unschuld.

Cesset obsecro malignitas impiorum; iustum autem fulcias, o cui corda et renes perspecti sunt, Deus iuste!

Ach grechter gott der du erkundest die hertzen und nieren, es verschwinde die bosheit der gotlosen, und wellist den grechten buwen.

Securitatem meam Deo acceptam fero qui servat rectos corde.

Min trost stat uff gott, der do heilmacht die so sind eins ufrechten hertzens.

Deus vindex iustus est: Deus omni tempore comminatur.

Gott ist ein rechter richter und ein gott der täglich tröwt.

Si non redimus, gladium suum vibrat, arcum intendit ac instruit.

Bekert man sich nit so hatt er sin schwert gewetzt, er hat sinen bogen gespannen und vaaret mit imm.

Accommodat sibi arma ad interficiendum, sagittas suas ut incendant inficit.

Und hat ufgeleyt böltz die tödtlich sind, sine pfil sind gemacht ze brennen.

En iste monstrum parturit: aerumnam enim concepit et pariet mendacium.

Sich der hat ytelgheit geborn, denn er hat schalckheit empfangen und hat luge geborn.

Lacum incidit et effodit; sed incidet in foveam quam fecit.

Er hatt ein gruob zuogerüst und usgeworffen,[2] und ist in das loch gevallen, das er gemacht hatt.

---

[1]) Oder: kum wider embor. [2]) Oder: ufgeworffen.

Recidet enim aerumna in caput eius, et scelus in verticem eius descendet.

Gratias ago Domino pro eius iustitia, et canam nomen Domini altissimi.

Sin schalckeit wirt widrumm gewendt uff sinen kopf und sin untrüw uff sin scheitel vallen.

Ich wil dem herren dancken um siner grechtigheit willen, und loben den namen des aller höhisten.

VIII.

David carmen adhortatorium, ad gratiarum actionem torcularium sive vindemiae.

Domine Dominus noster, quam admiranda est maiestas tua per universam terram, quae laudem tuam usque ad astra tollit.

Quam ori infantium et lactentium inseruisti robur quoque, propterea quod hostes et inimicos tuos captivos ducis et ulcisceris.

Quum considero coelos facturam digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fecisti:

quantus, dico, est homo quod eius meministi, quod eius rationem habes?

Minuisti eum paululum a Deo, gloria et honore circumdedisti eum.

Praefecisti eum operibus manuum tuarum et omnia pedibus eius subiecisti,

oves et boves omnes, omnes bestias agri;

volucres in aere, pisces in pelago et quicquid per maris itinera transit.

O Domine Dominus noster, quam admiranda est maiestas tua per universam terram!

VIII.

Ein verwundren gottes an dem menschen und dancksagen.

O gott unser herr wie träffenlich ist din nam in der gantzen welt, die din lob vergicht bis hinuf ze himel.

Us dem mund der unredenden und sugenden kinden hastu stercke gevestet um diner figenden willen, gfangen ze nemen den fygend und den richlichen.

Dann ich wird sehen dine himel, das werck diner fingeren, den mon und sternen, die du zuogericht hast.

Was ist der mensch, das du sin gedenckst? und das menschen kind, das du inn rechnest?

Du hast inn wenig minder gemacht weder die engel, mit er und zier hastu inn bekrönt.

Du hast inn zuo eim herren gemacht under den wercken diner henden, du hast alle ding under sine füess gelegt.

Schaf rinder alle zemen, ouch das veh des felds,

Die vogel des lufts und die visch des mers, und was in dem mer sich nert und wandlet.

O gott unser herr wie träffenlich ist din nam in der gantzen welt?

IX.

David carmen adhortatorium עלמות לבן, id est incrementum filii, adpellatum.

Gratiarumactio est Davidis qui se ipsum hic filium nominat, pro exaltatione sua.

Canam te Domine ex toto corde meo, et celebrabo res tuas admirabiles.

Laetabor et exultabo in te, evehendo nomen tuum altissime,

eo quod inimicus meus retro abiit, corruit ac periit virtute tua.

Tu enim vindicasti me, et iudicium meum perfecisti; throno denique imposuisti o iudex iuste!

Tu compescis gentes, perdis impios, et nomen eorum deles in perpetuum.

Hostile ferrum prorsus tollis, urbes excindis, ut nomen earum cum ipsis intercidat.

Dominus autem in aeternum tenet imperium, qui solium suum ad aequitatis custodiam paravit.

Hic orbem iustitia temperat et per aequitatem populis ius reddit.

Asylum est Dominus pauperi, et refugium in articulo angustiae.

Hinc est ut in te sperent quibus notum est nomen tuum, tu enim non deseris qui te quaerunt Domine.

Canite Dominum qui Zion habitat! memorate inter populos consilia eius!

IX.

Die grechtigheit gottes wirt gelobt, das die recht über alle menschen richte, und der gotlosen laster nit ungerochen lass, ob er sy glych ein syt übersicht. Beschrybt ouch daby der gotlosen untrüw und ard.

Herr ich wil dir dancken in gantzem minem hertzen, und erzellen alle dine wunder.

Ich wil mich fröwen und frolocken in dir, und lob singen dinem namen du aller höchster.

So mine fygend verkert [1] sind hindersich, sy sind bekrenckt und ummkomen vor dinem angsicht.

Dann du hast min rach und sach usgemacht, du bist zuo gricht gesessen, du grechter richter.

Du hast die heiden bescholten und die gotlosen umbracht, iren namen hastu verdilgget ewiklich und immer me.

Die schwert des fygends habend ein end, die stett hastu verderbt, ir gedechtnus ist umkomen wie sy selbs.

Aber der herr wirt ewklich blyben sitzen, er hatt sinen stuol zum gricht gbuwen.

Und er wirt die welt mit grechtigheit richten, den völcheren entscheid geben mit billicheiten.

Und wirt der herr ein schirm des armen, ein schirm so es not wirt tuon in trüebsal.

Und es werdend in dich hoffen die dinen namen kennend, dann du herr verlassest nit die dich suochend.

Singend dem herren, der in zion wonet, kündend under den völckeren us sine fürnemen.

---

[1]) Oder: umgewenndt.

Quoniam sanguinis oppressorum memor inquirit in eum, neque praeterit clamorem eorum.	Dann er irem bluot nachfragende iro yngedenck ist, er vergisst nit des geschreys der armen.
Misereris Domine, et intentus es in adflictionem quae mihi ab inimicis meis irrogatur, et de potestate mortis adseris me.	Herr bis mir gnädig, besich min müey die mir zuogefüegt wirt von denen die mich hassend, du der mich erhebst vor den türen des todes.
Ut exponam omnem laudem tuam in Zion, et exultem in salute tua.	Das ich erzelle alle din lob in den porten der dochter zion, und froloke in dinem heil.
Cum contra gentes in interitum merguntur quem paraverunt, et pes eorum reti quod tetenderunt capiatur.	Die völcker sind gesuncken in die gruob, die sy gemacht habend, in dem strick, den sy verborgen hattend, ist ir fuoss gefangen.
Notum facit Dominus iudicium suum, cum in ipso opere suo comprehenditur peccator. הגיון סלה.	Es ist erkannt, das der herr gericht hatt, in dem werck siner hend ist der gotlos verstrickt. Sälah!
Abeunt ad inferos impii, et omnes gentes quae Dei obliviscuntur.	Die gotlosen werdend zuo der hell kert werden, alle völcker die gottes vergessend.
Pauperis autem nulla prorsus fiet oblivio, et adflictorum expectatio nunquam frustrabitur.	Dann er wirt des armen gar nit vergessen, die hofnung der kestigoten wirt nit entlich umkomen.
Exurge Domine ut non invalescat homo, iudicentur gentes coram te!	Stand uf herr das der mensch nit überhand gwünne, die völcker werdind in dinem angsicht gerichtet.
Ingere eis pavorem, ut agnoscant sese homines esse! סלה.	Herr setz inen einen gsatztgeber, das die völcker erkennind, das sy menschen sygind. Sälah!

Psalmus X. secundum Hebraeos.	*Der zehnte Psalm nach dem Grundtext.*
Qui ergo nunc fit o Domine ut longissime absis, ut lateas in angustiae tempore?	Herr warum stastu so ferr? verbirgst dich zuo der zyt des trüebsals?
Humilis perit insolentia impiorum. O si comprehendantur in coniurationibus quas cogitant!	In erhöhung des gotlosen wirt der arm verbrennt. Sy werdend ergriffen in irem übermuot den sy angschlagen habend.
Gloriatur impius cum animi sui cupiditates implevit, laudatur praedo quique Dominum blasphemat.	Dann der gotlos rüemt sich nach lust sines willens, und der gytig lobende erzürnt den herren. [1]
Impius pro fastu animi sui istud nullius reputat: non enim advocat Deum in omnibus sceleratis consiliis suis.	Dem fragt der gottlos in dem hochmuot sines zorns nit nach, all sin anschleg sind on gott.

[1]) Oder: lobt den, der den herren erzürnt. Oder: Dann der gotlos schmecht nach sines willen lust, und der betrieger scheltende erzürnt er den herren.

Profanae sunt viae eius omnes, omni tempore, sublata sunt e conspectu eius iudicia tua, omnes hostes suos contemnit.

Sic enim apud se constituit: non mutabo ullum tempus quod non cum malitia traducam.

Execratione plenum est os eius, fraude ac dolo, sub lingua eius labor sedet ac dolor.

Versatur foris circum cortes ad insidiandum, ut clam trucidet insontem; oculi eius in praetereuntes intenti sunt.

Insidiatur e latibulo, tanquam leo e cubili suo; insidiatur ut spoliet destitutum, ut spoliet attrahendo eum nassa sua.

Concutit, humiliat ac deiicit violentia sua praetereuntes.

Sic enim secum putat: Ignorat Deus: avertit enim faciem suam ut prorsus non videat.

Exurge igitur Domine Deus, extende manum tuam, et ne obliviscaris eorum qui oppressi sunt.

Cur enim contemnat impius Deum, et in corde suo dicat quod nihil cures?

Videas igitur! tu enim es qui laborem et dolorem consideras, ut in manum tuam tradantur. Tibi derelictus est humilis ac imprudens; pupillo tu fers auxilium.

Contere fortitudinem impii et maligni, ut simul cum impietate sua pereant.

Dominus in perpetuum rex permanet, at omnes gentes e terra pereunt.

Desiderium adflictorum exaudi Domine, praebe aurem tuam pectori eorum.

Vindica pupillum et humilem, ne mortalis homo posthac vim audeat inferre!

Syne weg sind unrüewig zuo aller zyt, dine gricht sind hoch von im, er überherschet [1] alle sine fygend.

Er hatt geredt in sinem hertzen: ich wird nit bewegt, von gschlecht zuo gschlecht wirt mir nütz böss gegnen.

Fluochens [2] ist sin mund voll, betrugs und bschiss, under siner zungen ist müey und ytelgheit.

Er sitzt in der luss der höfen, er tödt heimlich den unschuldigen, sine ougen habend uff den armen acht.

Er lusset heimlich, wie ein löw in der hüle, er lusset das er den verkümreten erzwacke, er erzwacket den verkümreten, mit an sich ziehen in sinem netz.

Und vertruckende demüetiget und fellt er mit siner stercke die armen.

Er spricht in sinem hertzen: gott hats vergessen, er hat sin angsicht verborgen, er sichts nit bis zuo end.

Stand uf herr gott, heb uf din hand, nit vergiss der verkümreten.

Warum erzürnt der gotlos gott, spricht in sinem hertzen: du wirst imm nit nachfragen?

Du hasts gsehen, dann du bsichst die müey und iomer, in din hand ze setzen. Der arm ist an dich gelassen, du bist des weysen helffer.

Zerbrich den arm des gotlosen, und suoch das übel, so wirt sin gotlose nit funden. [3]

Der herr wirt herschen immer und ewklich, die völcker kumend umm uss sinem land.

Herr du erhörst das anligen der verkümreten, din or merckt wie es umm ir hertz stat.

Das du richtist dem weisen und armen, da mit nit wyter stoltz sye der mensch der us der erden gmacht ist.

---

[1]) Oder: bocht, veracht. [2]) Oder: Lestrens. [3]) Für: verschwinden.

X.

David adhortatio.

Constans fides ut nunquam non tentatur, ita nunquam vincitur.

Domino fido. Quomodo nunc dicetis animae meae: abi hinc protinus in montes tuos volucre citius?

Ecce enim impii arcum intendunt, adcommodant sagittas suas nervo, ut clam petant qui sunt integro corde.

Ut funditus perdant, iustus autem quo se vertet?

Dominus qui in templo sancto suo est, Dominus cuius in coelo solium est, oculis suis inspicit, palpebris suis scrutatur filios hominum.

Dominus contemplatur iustum, impium autem et scelerum studiosum odit ex animo.

Pluit laqueis super peccatores; ignis, sulfur, procella et tempestas poculum sunt quo eos potat.

Iustus enim Dominus iustitiam amat, aequitati intentus est vultus eius.

X.

Vester gloub blybt nimmer unangefochten: wirt aber nimmer überwunden.

Ich hab in herren vertruwt. Wie sprechend ir zuo miner sel: wandel dich vogel, in üwre berg.

Dann, nimm war, die gotlosen habend den bogen gespannen, sy habend den boltz uf die sennen grüst, da mit heimlich ze schiessen die so grecht sind von hertzen.

Dann sy habend den grund zerbrochen. Was hat aber der fromm geton?

Der herr ist imm tempel siner heligheit, des herren stuol ist in den himlen, sine ougen sehend, sine brawen erfarend die menschen kinder.

Der herr bewert den grechten, aber den gotlosen und liebhabern des unrechten hasst sin sel.

Er wirt über die gotlosen kolen für und schwebel regnen. Die windsbrut wirt der teil irs trancks sin.

Dann der grecht herr hat grechtigheit lieb. So sehind ire angsicht uff das recht.

XI.

David carmen adhortatorium διὰ πασῶν canendum.

Queritur de publica perfidia, deprecatur perfidorum consortium, eo quod ubi regnent vani illic omnia sint plena impietate.

Fer opem o Domine, quoniam periit sanctimonia, recessit fides a filiis hominum.

Vana loquitur quisque cum proximo suo: sermonem blandum omne cor meditatur.

XI.

Er klagt den gemeinen valsch, bitt verhüt werden vor der untrüwen gmeinsame, dann wo die ytelen erhöcht werdind, da wonind die gotlosen.

Herr kum zhilff, dann des frommen gebrist, dann der gloubhaften ist wenig worden under den sünen der menschen.

Ein ieder redt zuo sinem nechsten ytele ding, der mund hatt wol schmeichleryen, aber die ytelen ding redend sy von hertzen ze hertzen.

Excindat Dominus omne os blandiloquum, et linguam grandiloquam.

Der herre rüte us alle leftzen der schmeichleryen, und die zungen die stoltz redt.

Qui dicunt: confortemus linguas nostras, nitamur labiis nostris! deinde quis nobis dominabitur?

Die da sagend: mit ünseren zungen wellend wir üns stercken, unsere leftzen sind mit üns, wer ist ünser herr?

Propter calamitatem oppressorum igitur, et gemitum pauperum, exurgam dicet Dominus, salutique restituam; et respirare faciet eum.

Der herr wirt von des schadens der verkümreten und sünftzen der armen wegen sprechen: ich wird ufston, ich wil in heil setzen. Er wirts mit imm haben.

Eloquia Domini eloquia purissima sunt, velut argentum incendio a terra repurgatum ac septies liquatum.

Die reden des herren sind rein reden, ein silber imm irdin tigel geschmeltzt, zergengt ze siben par malen.

Tu igitur Domine abstine eos, et custodi nos ab isto genere hominum in perpetuum.

Du herr wellist sy halten,[1] üns fristen vor dem gschlecht ewigklich.

Omnia enim plena fiunt impiis, cum vanitas exaltatur inter filios hominum.

Es wonend zring umm gotlose, nach dem die schnöden der menschen kind erhöcht werdend.

XII.

David carmen adhortatorium.

Longanimitatis oratio est.

Ein anrüeffen in langer widerwertigkeit, die doch von gott nit hat mögen abfüeren.

Quousque oblivisceris mei Domine? an ne in perpetuum? quousque abscondes vultum tuum a me?

Ach herr wie lang wiltu min so gar vergessen? ach wie lang verbirgst din angsicht von mir?

Quousque volutabo consilia in animo meo? quanto tempore exercebit labor cor meum? Quousque exaltabitur hostis super me?

Ach wie lang muos ich radtschlagen in miner sel? wie vil tag muoss ich schmertzen tragen in minem hertzen? ach wie lang sol sich min fygend erhöhen über mich?

Contemplare et auxiliare Domine Deus! illustra oculos meos ne morte obdormiam!

Sich und erhör mich, o herr min gott! erlücht mine ougen das ich nit in dem tod entschlaff!

Neque dicat hostis meus: superior illo factus sum. Ne, si loco movear, exultent, qui mihi infensi sunt.

Das min figend nit sage: ich hab inn übergwaltigot. Mine betrüeber wurdind frolocken wo ich entwegt wurd.

Ego enim tua bonitate nitor; gestit cor meum ad salutis tuae adventum, ut tibi canam cum eam mihi largitus eris.

Aber ich hab uff din gnad verhofft, min hertz frolocket in dinem heil. Ich wird dem herren singen, denn er mir guotz geton hatt.

[1]) Oder: vergonnen.

XIII.

David adhortatorium carmen.

Causatur omnes esse peccatores, et futurum ut impii metu exanimentur, piis autem dives gaudium a Zione coelesti usu venturum sit.

Dicunt vani in cordibus suis: non est Deus; corrupta et horrenda studia sectantur, nullus quod bonum est operatur.

Dominus cum aliquando de coelo prospiceret super filios hominum, ut videret an esset qui aut saperet, aut numinis curam gereret:

Hic omnes defecerant, omnes pariter corrupti erant, nullus quod rectum est faciebat, ne unus quidem.

Num enim saperent omnes qui sceleri addicti sunt? qui populum meum tanquam cibum devorant? quique Dominum non invocant?

Isthic ergo trepidabunt, cum Deus ad iustorum partem *stans dicet istis:*

Vos consilium inopis ludibrio exposuistis; sed Dominus spes eius est.

Quis dabit Israeli salutem de Zion? Quum reducet Dominus populum suum exultabit Iacob, et laetabitur Israël.

XIII.

Er durchgründt und findt das wir alle sünder sind, seyt ouch was forcht die gottlosen werdind haben, und wie das heil von sion allem Israel kumen wirt.

Der narrecht spricht in sinem hertzen: es ist ghein gott. Sy habend ir werck zerbrochen und grüwlich gemacht, gheiner ist der guots tüey.

Der herr hat von himel gsehen uff die menschen kinder, ze sehen ob ieman verstendig sye, der gott suoche.

Sy warend all abgewichen, mit einander unnütz worden, gheiner tät guots, ia nit einer.

Soltend die erkennen die all übels tuond? die min volck nit anderst fressend denn man brot isst? Die rüeffend den herren nit an.

Da werdend sy inen mit vorcht fürchten, dann gott ist by dem gschlecht des grechten.

Ir habend den rat des verkümreten geschendt, dann gott ist sin trost.

Wer wirt Israeln heil geben von zion? Wenn gott die gefencknus sines volcks bekeren wirt, so wirt Iacob sich fröwen und Israel frolocken.

XIV.

David carmen.

Piorum haereditas, et in hoc mundo vita.

Domine quis habitet in tabernaculo tuo? quis versetur in monte tuo sancto?

Qui innocenter vivit, quod iustum est operatur, et veritatem in corde suo meditatur.

Qui non circumvenit lingua sua, proximo suo malum non facit, et socio suo non intulit obprobrium.

XIV.

Der glöubigen oder gotzwörchtigen erb, und werck in disem zyt.

Herr wer wirt in diner hütten wonen? wer wirt sitzen in dinem heligen berg?

Der do wandlet mit gantzer trüw, und recht tuot, und redt die warheit in sym hertzen.

Der mit siner zungen nit vertreyt, sinem nechsten nit übels tuot, und wider sinen nechsten ghein schmach ufricht.

Qui nullius reputat impios, qui vero Dominum timent in pretio habet, qui quod proximo iuravit non facit irritum.

Pecunia sua non foeneravit, et munus super innocentem non accepit.

Qui facit haec non movetur in perpetuum.

XV.

David Michtham τῦτ' ἐςι χλίδων, hoc est, delitiae.

Animae pars Deus. Confessio est, perspectis totius mundi rebus nihil firmum esse; nihil autem sanctius ac certius quam omni fiducia Domino adhaerere.

Custodi me Deus, quoniam in te spero.

Confiteor Domino: Dominus meus es tu, bona mea ad te nihil sunt.

Totus aliquando incumbebam sanctis et praecipuis qui in terra sunt.

Sed cum increbrescerent incommoda eorum retrocedebant.

Non libabo sanguinaria libamina eorum, neque adsumam nomina eorum in labia mea.

Dominus autem pars haereditatis meae et calix meus. Tu sustines meam sortem.

Sors cecidit mihi in pulchra, et haereditas mea placet mihi.

Gratias ago Domino quod me admonet. Nam et noctu corrigit me conscientia mea.

Suspicio coram me Dominum iugiter: ad dexteram enim mihi adest ne movear.

Hinc est ut gaudeat cor meum, ut exultet magnitudo mea, ut denique caro mea secure quiescat.

Non enim derelinques animam meam ad inferos, nec dabis ut sanctus et amatus tuus videat corruptionem.

In welches ougen der schalck verachtet ist, der die gotzvörchtigen in eren hatt, sinem nechsten verpflicht ist und endrets nit.

Der sin gelt nit inn wuocher legt, und nit schencke nimpt über den unschuldigen.

Welcher die ding tuot der wirt nimmer me bewegt.

XV.

Gott ist das erbteil der sel. Wer sich zuo den kluogen dingen diser welt kert, erfindt das sy verr von gott sind und von gott zühend; darumm danckt er gott, das er im die gnad geton hatt, das er gheinem guot weder imm nachfragt.

Behüet mich o gott, dann ich vertruw in dich.

Ich sag zuo gott: du bist min herr, min guots ist nüts zuo dir.

Alles min gevallen stuond zuo den heligen und träffenlichen die uf erden sind.

So irer trüebsälen vil worden ist, habend sy hinder sich geylt.

Ich will ire tranck, die von bluot sind, nit trincken, und ire namen nit in mine leftzen nemen.

Du herr bist min stuck und teil und min tranck, du ufenthaltest minen teil.

Mine teilschnüer sind mir an lustbarliche ort gevallen, es ist ouch min erb kluog das mir ghört.

Ich wil dancksagen dem herren der mich beraten hatt. Das habend mich ouch mine nieren nachts gelert.

Ich hab den herren allweg vor ougen: dann er ist mir zur grechten das ich nit bewegt wird.

Darum fröwt sich min hertz, und alle min eer frolocket: dar zuo wirt min fleisch mit sicherheit ruowen.

Dann du wirst min sel nit verlassen zuo der hell, du wirst nit zuogeben das din heliger die gruoben sehe.

Notam facies mihi semitam vitae; exhilarabis me vultu tuo, laetitia in dextera tua est in perpetuum.

Du wirst mir kund machen den weg des lebens, din angsicht ist ein ersettigung der fröiden, zuo diner grechten lustbargheiten ewiklich.

XVI.

David oratio.

Veluti contendit cum Deo, quod innocentiae studentem graviter tentet. Atque orat ut a Domino protegatur ab adversariis.

Exaudi Domine innocentiam meam: attende clamori meo, ausculta orationi meae de labiis minime dolosis prodeunti.

Iudicium meum a te prodeat! oculi tui contemplentur aequitatem!

Proba cor meum, explora nocte, incende me, et nihil invenies: statui enim ne verbo quidem transgredi.

Ab operibus hominum, et a perversorum itineribus ego tempero propter verbum labiorum tuorum.

Serva gressus meos intra orbitas tuas, ne in transversum abeant vestigia mea.

Equidem clamo ad te ut succurras o Deus, praebe aurem tuam mihi et audi verba mea.

Destina bonitatem tuam, tu qui dextera tua servas ab insurgentibus, fidentes.

Custodi me sicut oculi pupilla custoditur, sub umbra alarum tuarum absconde me

Ab impiis, qui me adfligunt, ab hostibus meis qui animam meam circumvallant.

Qui opibus suis obruunt, et ore suo superbe intonant.

Itinera nostra obsident, et oculos suos ad terram vertunt.

XVI.

Im gebett strytet er mit gott, das er inn lasst mit so vil widerwertigheiten angefochten werden, so er sich doch allein der unschuld flysst. Und begert, das inn der herr von sinen widersecheren errette.

Herr hör die grechtigheit, merck uff min begeren, vernim min gebett, das nit us valschen leftzen kumpt.

Min gricht[1] gange us von dir! dine ougen sehind die grechten!

Du hast min hertz bewert, und nachts heimgsuocht, du hast mich geschmeltzt, und hast nütz funden. Ich hab für mich genomen, ich well nit übertretten in minem mund.[2]

Umm des menschen wercken willen hab ich in dem wort diner leftzen vergoumt die weg des mörders.

Behalt minen gang uff dinem fuossweg, das mine tritt nit entwegt werdind.

Ich rüeff zuo dir das du mich erhörist o gott, neig mir din or, hör min red.

Bewys dine wunderbarlichen güetinen, dů heiland der vertruwenden, vor denen die ufwütschend wider din grechten hand.

Behüet mich wie den schwartzen ougöpfel, verbirg mich under dem schatten diner flüglen

Vor den gotlosen die mich schedigend. Mine figend habend sich wider min sel umschlagen umm mich,

Sy habend ir marg beschlossen, ir mund hat in stöltze geredt.

Unsere weg habend sy ietz umgeben, ire ougen habend sy gesetzt, üns zuo der erd ze wenden.[3]

---

[1]) Oder: urteil. [2]) Oder: Uebernemen ist nit für minen mund usgangen. [3]) Oder: krümmen.

Similes sunt leoni praedae avido, iuveni leoni qui ex occulto insidiatur.

Surge Domine, occupa, et supinum sterne eum, et redime gladio tuo animam meam ab impio

Manu tua Domine a mortalibus, a mortalibus huius saeculi, qui in hac vita parte sua fruuntur.

Tu enim de penu tuo imples ventrem eorum, ut cum filiis saturi fiant, deinde reliquias quoque infantibus suis mittant.

Ego autem cum innocentia comparebo coram te, et satiabor cum adparebit gloria tua.

Sin gstalt ist wie eins löwen der uf den roub grimmet, wie ein iunger löw der in der hüle ligt.

Stand uf herr, kumm imm vor, buck inn, errett min sel vor dem gotlosen mit dinem schwert:

Von den tödlichen,[1] mit diner hand o herr, von den tödlichen, von der substantz ires erbs, das sy in disem läben besitzend.

Und du füllest inen iren buch mit dinem schatz, sy sind ersettigott mit iren kinden, und bhaltend ir übrigs iren iungen.

Aber ich wil in grechtigheit din angsicht sehen, ich wird ersettigot wenn din gstallt ufgericht wirt.

XVII.

David servi Domini carmen adhortatorium. Qui cecinit Domino res carminis huius, quum liberaret eum Dominus cum de manu omnium inimicorum suorum, tum de manu Sauli, et ait.

Gratias ait. Narrat quo periculorum venerit, ποιητικῶς divinam potentiam describit, et eius beneficia cantat.

Diligam te Domine robur meum.

Domine tu es praeruptum meum, munimentum meum, et refugium meum; deus meus et petra mea quo nitar; scutum meum, cornu salutis meae, et asylum meum.

Laudibus cum cano Dominum, ab inimicis meis salvus fio.

Circumdederant me funes mortis, torrentes Belialis intumuerant contra me.

Laquei inferorum circumvenerant me, mortis tendiculae me anteverterant.

At sic in angustia constitutus invocabam Dominum, et ad Deum meum clamabam.

XVII.

Er bekennt den herren, zellt zuo was gefaren er komen sye, beschrybt die almechtigheit gottes, und verkündet widrumm mit frolockung sine guotäten.

Ich wird dich liebhaben o gott min stercke,

O herr min fluo, min sicherheit, min frist, min gott, min fels in den ich truw, min schiltt und horn mines heils, min ufenthalt!

Ich wil lobende dem herren rüeffen, so wird ich heil von minen fygenden.

Die schmertzen des todes hattend mich umgeben, und die runsen des untrüwen erschracktend mich.

Die schmertzen der hellen umgabend mich, mir gegnetend die strick des todes.

Do mich angstet, do ruofft ich zuo minem herren, und zuo minem gott schrei ich.

[1]) Oder: menschen.

Exaudivit ergo de templo suo sancto vocem meam.

Do erhört er von sinem tempel min stimm.

Ut primum clamor meus ad aures eius pervenit, commoveri ac tremere tellus, fremere montium fundamenta et concuti: irascebatur enim ille.

Und min geschrey kam zuo imm in sine oren. Die erd ward bewegt und bidmet, und die grundveste der bergen sind erschütt und erwegt, do er zornig was.

Ascendebat fumus de nare eius, et de ore eius vorans ignis, ita ut de eo carbones incenderentur.

Es gieng ein rouch von siner nasen uf, und ein führ das verzert von sinem mund, kolen embrunnend von imm.

Flectebat coelos ac descendebat, sub pedibus eius erat caligo.

Er buckt den himel und kam harab, und dünckle was under sinen füessen.

Vehebatur autem super Cherubim ac volabat, volabat super alis ventorum.

Er fuor über cherub und flog, er flog über die flügel des winds.

Tenebras circumponebat sibi instar tabernaculi in quibus lateret, aquas denique atras et nubes imbrificas.

Er hatt zring umm sin zält finsternus gelegt zuo einer decke, finster wasser und wolcken des himels.

De fulgore conspectus eius nubes procedebant, grando et ignis radii.

Von dem glantz sines angsichts vergiengend sine wolcken, hagel und fürin kolen.

Tum intonabat superne Dominus, et excelsus vocem suam dabat. Hic grando et ignis radii.

Und der herr hatt dondrett im himel, und der höchst hatt sich lassen hören, hagel und fürin kolen.

Mittebat ac dissipabat spicula sua, fulgura multiplicabat ac disiiciebat ea.

Und schoss sine pfyl und zerstrowt sy, und blitzgen vil und erschrackt sy.

Aperiebantur fontium venae, retegebantur orbis fundamenta obiurgatione tua Domine, respiratione ac stomacho irae tuae.

Do sind gsehen worden die versamlungen der wasseren, und eröffnet die grundvestinen der wellt, von dinem beschelten o herr, von dem blasen des atems dines zorns.

Manum ergo mittebat ex alto, et arripiebat me, atque extrahebat de aquis vehementibus.

Er hatt gschickt von höhe und mich genomen, er hatt mich begriffen us grossen wasseren.

Eripiebat me de vi hostium meorum, et de osoribus meis qui me superaverant.

Er erlost mich von minen starcken fygenden, und von minen hasseren, dann die stercker warend weder ich.

Qui me tempore adversitatis occupaverant; Dominus autem ferebat auxilium mihi.

Sy habend mich überylt zuo der zyt mines trüebsals, und ist der herr min ufenthalt gsin.

Et educebat me in latum, liberabat me, quoniam elegerat me.

Und hatt mich uff die wyte gefüert, er hatt mich erlöst, dann er hatt ein willen zuo mir.

Reddebat mihi Dominus iuxta innocentiam meam, et iuxta mun-

Der herr wirt mir widergelten nach miner grechtigheit, er wirt

ditiam manuum mearum retribuebat mihi.

Observaveram enim vias Domini, neque defeceram a Deo meo.

Ante oculos enim teneo cunctas leges eius, et mores eius non amando a me.

Hinc est ut equidem integer sim erga ipsum, et me ipsum custodiam a scelere.

Dominus autem reddat mihi iuxta innocentiam meam et munditiam manuum mearum, pro sua liberalitate.

Erga sanctum sanctus es, et erga hominem integrum integer.

Erga electum electus es, et erga perversum perversus.

Tu enim populum humilem salvas, et supercilium fastuosorum humilias.

Tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus tu illustras tenebras meas.

Te duce cuneos perrumpo, in te Deo meo murum transilio.

Dei via immaculata est, Domini eloquium repurgatum. Ille scutum est omnium in se sperantium.

Quis enim est Deus praeter Dominum? aut quis omnipotens praeter Deum nostrum?

Deus est qui me accingit fortitudine, et viam meam integram servat.

Qui meos cervorum pedibus pares facit, et in editum constituit me.

Qui instruit manus meas ad pugnam, et brachia mea ut arcus aeneos confringam.

Tu protendis mihi salutarem clypeum tuum, dextera tua sustentas me, et familiaritate tua auges me.

Dilatas iter meum sub me, ne labantur tali mei.

mir nach der reinigheit miner henden widerkeren.

Dann ich hab gehalten die weg des herren, und nit gottloslich gevaren au minem gott.

Dann alle sine gricht sind vor mir, sine gebott tuon ich nit von mir.

Und ich wird grecht an (by) imm blyben, und mich vor miner sünd goumen.

Und so wirt mir der herr widerkeren nach miner grechtigheit, nach der reinigheit miner henden vor sinen ougen.

Mit dem heligen wirstu helig, mit eim trüwen man wirstu trüw.

Mit dem reinen wirstu rein, und mit dem verkerten wirstu verkert.

Dann du wirst dem verkümreten volck ze hilff kumen, und die ougen der hohen nidren.

Dann du wirst min liecht erlüchten, der herr min gott wirt min finsternus erlüchten.

Dann in dir wird ich die ordnung trennen, und in minem gott über die muren springen.

Der weg gottes ist grecht, die wort gottes sind gelütret. Er ist ein schilt aller deren die imm vertruwend.

Dann welcher ist ein gott weder der herr? und welcher ist ein fels weder üinser gott.

Er ist der gott der mich mit krafft umgürtet hatt, und hatt minen weg recht gemacht.

Der mine füess den hirtzen glycht, und stellt mich uff min höhe.

Er lert mine hend zum krieg, und ist der erin bogen mit minen armen gespannen.

Und du hast mir den schilt dines heils geben, und mit diner grechten hastu mich gevestet, und din senftmüetige hatt mich gross gemacht.

Du machst under mir wyt zuo minem gang, das mine knoden nit schwenckind.

Persequor hostes meos et assequor, neque redeo donec toti consumantur.

Concido eos quo minus resurgere possint, cadunt sub pedes meos.

Tu accingis me fortitudine ad praelium, et prosternis sub me qui in me insurgunt.

Tu praebes mihi iugulum hostium meorum, et inimicos meos dissipas.

Invocant, sed nemo exaudit; ad Dominum quoque, sed non fert eis opem.

Et comminuo eos tanquam pulverem qui vento rapitur, et contemtos reddo sicut lutum in plateis.

Tu eripis me de contentionibus populi, constituis me caput gentium; populi, quos non novi, serviunt mihi.

Ad primum auditum auris obtemperant mihi, noti vero deficiunt a me.

Notis pertaesum est et declinant a consueta semita sua.

Vivat Dominus, et benedictus sit qui est petra mea! altus evehatur Deus qui est salus mea,

Deus qui mihi ultionem sumere donat, et subiicit mihi populos!

Eripit me ab hoste, superiorem facit me his qui insurgunt in me, et de quovis malo liberat me.

Propterea canam te inter gentes Domine, et nomini tuo psallam.

Qui regem tuum salute multa ditas, beneficiis persequeris unctum tuum David, et semen eius usque in perpetuum.

So iag ich minen fygenden nach und ergryf sy, und ker nit wider bis das sy usgemacht sind.

Ich zerschlach sy das sy nit mögend ufston, sy vallend under mine füess.

Du gürtest mich mit stercke zum krieg, du vellst die under mir ufstond.

Du kerst mir miner figenden ruggen, so verderb ich die so mich hassend.

Sy rüeffend und da ist ghein helffer, zum herren und er gibt inen ghein antwurt.

Ich zertryb [1] sy wie der stoub vor dem wind ist, ich bring sy ze nüte wie das kaat an der gass.

Du erlösest mich von den zenggen des volcks, du machst mich zuo eim houbt der völckeren, volck das ich nit erkennt hab dienet mir.

So bald es mit den oren ghört hatt ist es mir ghorsam, die bekannten sün verleugnend min.

Die bekanten sün habend gealtet, [2] und sind inzogen worden [3] in der zwingen.

Gott lebt. Und hochgelobt sye min fels! und erhöcht sye gott min heiland!

Welcher gott mir raach gibt, [4] und mir die völcker underwirft.

Der mich erlöst von minen fygenden, dar zuo erhöchstu mich von denen die über mich ufwütschend, von dem boshaften erlöstu mich.

Darum wil ich dir o herr dancken under den völckeren, und dinem namen lobsingen.

Der do grosse heil bewysest dinem küng, und tuost barmhertzigheit dinem gesalbeten, Daviden und sinem somen ewiklich.

---

[1]) Oder: zerknütsch. [2]) Oder: gelammet. [3]) Oder: geschwinen. [4]) Oder: vertädinget.

XVIII.

David carmen adhortatorium.

Comparat illuminationem verbi Dei solis illuminationi, et salutarem virtutem eius explicat.

Omnipotentiam Dei narrant et exponunt quum coeli *ipsi* tum firmamentum, opus manuum illius.

Dies quisque idem praedicat, idem insinuant ut sciatur singulae noctes.

Non est sermo aut lingua, ubi non audiatur horum omnium vox.

In omnem terram exit oratio eorum, et verba eorum ad terminos orbis.

Soli posuit in eis tabernaculum, e quo velut sponsus e thalamo suo procedit, et velut gigas gestit ad percurrendum iter.

A termino coelorum egreditur uno, et ad alterum terminum eorum contendit, et nemo est qui se a calore eius abscondat.

Sic lex Domini perfecta est, restituit mentem: testimonium Domini verax, sapientiam docens pueros.

Castigationes sive mulctae Domini aequae sunt, cor exhilarantes, praeceptum Domini purum est, et oculos illuminat.

Timor Domini mundus et firmus in perpetuum, iudicia Domini simul aequa et iusta sunt.

Delicatiora quam aurum vel obryzum immensum, et dulciora quam aut mel aut favus.

Quae, qui servus tuus est, custodit, in illorum enim observantia multa merces est.

Quis avertit animum ad errores? ab his ergo quae me latent absolve me!

XVIII.

Er verglycht die erlüchtung des göttlichen worts und die sunnen einandren, und eroffnet die heilsamen krafft des gotsworts.

Die himel erzellend die grösse gottes, und das firmament [1] kündet us das werck siner henden.

Ein tag sagts dem andren, und ein nacht lerts die andren.

Es ist ghein sprach, es sind gheine ding, da man ir stimm nit höre.

Ir mess langt in alle erden, und ire red an die end der welt. Er hatt der sunnen ein hütten in inen gemacht,

und die gat har für wie ein brutgöum us siner kamer, frolocket wie ein held ze louffen den weg.

Ir usgang ist an eim ort der himmlen, und ir umgang zuo denselben enden, und vor irer hitz ist nütz verborgen.

(Also) ist das gsatzt des herren grecht, und widerbringt die selen. Die zügnus gottes ist gwüss, und macht die einvaltigen wys.

Die gesatzt des herren sind ufrecht, und erfröwend das hertz. Das gebott des herren ist luter, und erlüchtet die ougen.

Die forcht des herren ist rein, blybt ewiklich. Die grichtt des herren sind styff, sind alle miteinandren grecht.

Sy sind lustbarlicher weder gold, weder die menge des fynsten golds, und süesser dann honig und süess waben.

Darumm ist din diener gelert [2] darinn worden, wer sy halt dem wirt grosse widergeltung.

Wer merckt die irrungen? Mach mich rein von den heimlichen.

---

[1]) Oder: underschlacht. [2]) Oder: fürsichtig.

Tum ab his quoque quae per audaciam admisi, quo minus me sibi subigant: sic enim purgabor et absolvar ab ingenti transgressione.

Placeant oro verba oris mei, et meditatio cordis mei tibi o Domine petra mea et redemtor meus.

Ouch erlös dinen knecht von den stoltzen, das sy mich nit beherschind; so wird ich gantz grecht und unschuldig von grosser missetat.

O herr min fels und erlöser dir sygind gevellig die wort mines munds, und die betrachtung mines hertzens vor dir.

XIX.

David carmen adhortatorium.

Pollicetur veluti sub persona praeceptoris deum suis per omnia fore benignum.

Exaudiet te Dominus in articulo angustiae; proteget te maiestas Dei Iacob.

Mittet tibi auxilium de sancto, et de Zion tuebitur te.

Memor erit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum perlitabit. סלה.

Dabit tibi iuxta cor tuum, et omne consilium tuum perficiet.

Exultabimus super salute tua, et maiestati Dei nostri magnifice gratulabimur. Perficiet enim Dominus omnes petitiones tuas.

Nunc scio quod salvum faciet Dominus unctum suum: Dominus opem feret ei de coelo suo sancto, virtute salutaris dexterae suae.

Alii curribus, alii equis fidunt, nos autem nominis Domini Dei nostri recordabimur.

Isti supini cadent, nos autem surgemus et erecti stabimus.

Serva Domine, fer nobis auxilium o rex quum invocabimus.

XIX.

Er verheisst glych als ein lermeister den glöubigen, wie sy einen gnädigen gott in allen anligen haben werdind.

Der herr wirt dir zuosprechen in der zyt des trüebsals, der nam des gotts Iacob wirt dich stercken.

Er wirt dir hillff senden von siner heligen wonung, und von zion dich ufenthalten.

Er wirt alles dines spysopfers yngedenck sin, und din brandopfer feisst machen. סלה.

Er wirt dir geben nach dinem hertzen, und erfüllen allen dinen anschlag.

Wir wellend uns fröwen in dinem heil, und in dem namen ünsers gottes ünser zeichen usstecken; dann der herr wirt all ünser begird erfüllen.

Ich weiss ietz das der herr sinen gesalbeten heil macht, und erhört inn von sinen heligen himlen, in sinen sterckinen ist das heil siner grechten hand.

Die haltend sich des wagens, und dise der rossen, aber wir wellend yngedenck sin des namens des herren ünsers gots.

Sy sind gebuckt und gefellt, aber wir sind ufgestanden und ufgericht.

Herr mach üns heil, küng erhör üns in der zyt so wir dich anrüeffend.

XX.

David carmen adhortatorium.

Gratias agit Deo pro innumeris beneficiis quae partim recenset.

Domine in fortitudine tua rex ut laetatur? et in salute tua ut exultat praeter modum?

Desiderium cordis dedisti ei, et petita labiorum eius non negavisti. סלה.

Nam bonorum liberalitate etiam praevertisti eum, et capiti eius auream coronam imposuisti.

Vitam petiit a te, et dedisti ei longaevam aetatem, in sempiternum et ultra.

Immensa est gloria eius, sed per tuam opitulationem honorem et splendorem posuisti super eum.

Sed et perpetua felicitate donabis eum, laetificabis eum laetitia vultus tui.

Rex enim sperat in Dominum, et in altissimi bonitatem; hinc fit ut labi non possit.

Sentiant manum tuam omnes hostes tui, experiantur dexteram tuam inimici tui.

Incende eos velut clibanum in tempore indignationis tuae. Domine in ira tua deglutiat ac devoret eos ignis.

Germen eorum de terra perde, et semen eorum ex hominum numero.

Quoniam moliuntur adversum te malum, cogitant facinus quod non possunt.

Sed tu in fugam convertes eos, et nervo tuo in vultus eorum collimabis.

Evehere Domine cum fortitudine tua, ut canamus et celebremus potentiam tuam.

XX.

Er sagt gott danck umm die unzalbarlichen guotät, und zellt die selben in der gemeind.

Herr der küng fröwt sich in diner krafft, und in dinem heil frolocket er träffenlich.

Du hast imm die begird sines hertzens geben, und der red sines munds nit beroubet. סלה.

Dann du hast inn fürkomen mit guoten gaben, du hast uff sin hopt ein guldine kronen gelegt.

Er hatt von dir begert das läben, du hasts imm geben, lenge der tagen die immer und ewklich werend.

Sin er ist gross in dinem heil, lob und zier wirstu uff inn legen.

Dann du wirst inn in begabung setzen ewiklich, du wirst inn erfröwen in der fröid mit dinem angsicht.

Dann der küng hoffet uff den herren, und in der gnad des höchsten wirt er nit bewegt.

Din hand wirt alle dine fygend finden, din grechte hand wirt dine hasser finden.

Du machst sy wie einn gefürten bachofen uff die zyt dines angsichts. Der herr wirt sy in sinem zorn verderben, und 's fhür wirt sy fressen.

Du wirst ire frücht ab der erden verderben, und iren somen us den kinden der menschen.

Dann sy habend böses uff dich gelegt, und radtgschlaget das sy nit gemögen habend.

Aber du wendst sy umm, mit dinen pfylen haltestu in ir angsicht.

Erheb dich herr mit diner krafft, so wellend wir loben und singen din macht.

XXI.

David carmen adhortatorium super cerva indagata, sive aurorae.

Implorat auxilium Dei in ultima angustia constitutus, quam miris comparationibus exprimit. Sentit auxilium et gratias agit. Quibus omnibus typum Christi eleganter adumbrat, et de gentium vocatione subiungit vaticinium.

Deus meus Deus meus, cur me dereliquisti? aliena sunt a salute verba eiulatus mei.

Invoco tota die o Deus meus, veruntamen non exaudis; quin et tota nocte non taceo.

Tu vero qui in sancto habitas, o gloria Israel, spes patrum nostrum fuisti, in te sperabant et liberabas eos.

Ad te clamabant et eripiebantur, te fidebant et non confundebantur.

Ego autem vermis factus et non amplius homo sum, fabula hominum, et contumelia vulgi.

Omnes qui me vident contemnunt, retorquent labia, et capite nutant, *dicentes:*

Dominum suspexit; is redimat eum, liberet eum siquidem amat eum.

Tu vero excepisti me ab utero prodeuntem, et spes fuisti mihi ad ubera matris meae.

In te coniectus sum a partu, tu iam inde a materno utero deus meus es.

Ne ergo abeas a me dum angustia adpropinquat; neminem enim habeo qui opem ferat.

Circumdant me tauri multi, tauri pingues cingunt me.

Hiant super me ore suo, sicut leo discerpens et rugiens.

XXI.

Er schryet nach gottes hilff in der aller letsten oder grösten not, die er in vil weg ouch mit vil glychnussen ustruckt. Er wirt der hilff gewert, sagt gott danck. Mit welchem allem er die figur oder bedütung uff christum wunderbarlich uftuot.

Min gott, min gott, wie hastu mich verlassen? die wort mines klagens sind verr von minem heil.

Min gott, ich rüeff tags, und du antwurtest mir nit, ouch nachts, ich schwyg nit.

Und du heliger inwoner, du lob Israels, in dich habend vertruwt ünsere vätter, sy vertruwtend und du erlostest sy.

Sy habend zuo dir geschruwen und sind entschütt, sy habend in dich vertruwt und sind nit schamrot worden.

Aber ich bin ein wurm und nit ein man, ein spott der menschen und ein gläehter des volcks.

Alle die mich sehend verachtend mich, mupfend und schüttend den kopf:

Er hatt zuo gott gehoffet, der lös inn, er mache inn fry, dann er hatt ein gevallen an imm.

Und bist aber du der mich von muoter lyb gezogen hatt, min trost an den brüsten miner muoter.

Uff dich bin ich gelassen von miner geburt har, von dem lyb miner muoter bistu min gott.

Bis nit wyt von mir, dann angst ist mir näch, und ist gheiner der helffe.

Es habend mich vil pfarren umgeben, die starcken von Baschan habend mich umfangen.

Sy habend ir mul über mich ufgeton, wie ein ryssender und brüelender löw.

Ego vero sicut aqua effusus sum, dissociantur ossa mea, cor meum in medio ventre meo simile est liquenti cerae.

Exaruit instar testae robur meum, lingua mea faucibus adhaerescit, et ad mortuorum pulverem redegisti me.

Sed et canes circumdant me, concilium pessimorum frangit manus et pedes meos instar leonis.

Omnia ossa mea dinumerantem me inspiciunt et contemplantur.

Dividunt inter se vestem meam, et super indumentum meum sortem iaciunt.

Tu ergo Domine ne moreris, tu robur meum ad auxiliandum mihi festina.

Libera a gladio animam meam, et unicam meam a canibus.

Salva me de rictu leonis, et de cornibus unicornium exaudi me.

Et memorabo maiestatem tuam fratribus meis, in ipsa ecclesia collaudabo te.

Qui timetis Dominum laudate illum: Tu omne semen Iacobi magnifica eum, reverere ipsum omne semen Israelis.

Non enim spernit aut aversatur humilitatem adflicti, neque occultat vultum suum ab eo; sed dum clamat ad eum, exaudit.

De te laudem praedicabo coram tota ecclesia, et vota mea coram timentibus te persolvam.

Comedent humiles et saturabuntur, laudabunt Dominum et inquirent eum. Vivat anima eorum in perpetuum!

Ich bin usgeschütt wie wasser, und sind alle mine bein lass worden, min hertz ist wie weich wachs in mitz in minem lyb.

Min krafft ist yndorret wie ein scherb, und min zung klebt an minem rachen, und hast mich in den stoub des tods gebraacht.

Dann die hund habend mich umgeben, der boshafften rott hatt mich umfangen, sy habend durch graben min hend und füess. [1]

Ich kan alle mine gbein zellen, aber sy bsehend und bschowend mich.

Sy teilend mine kleider under sich, und über min kleid fellend sy das los.

Aber du herr bis nit ferr, du min stercke yl mir ze hilff ze kumen.

Erlös min sel vom schwert, von dem gwalt des hunds min einige.

Frist mich vor dem mul des löwen, und us den hornen der einhürnen erhör mich.

Ich wil dinen namen uskünden minen brüederen, ich wil dich in aller gemein loben.

Ir die den herren fürchtend lobend inn; aller som, Iaacobs machend inn gross, und vor imm förchte sich aller som Israëls.

Dann er hatt nit verachtet noch verschmecht das iamer des armen, und sin angsicht nit verborgen vor imm; sunder wenn er zuo imm schrygt so erhört er inn.

Min lob in der grossen menge ist von dir. Ich wird min glübd bezalen vor denen die inn fürchtend.

Da werdend die armen essen und ersettiget. Lobend den herren ir die imm nachfragend? [2] Uewer hertz läbe ewiklich!

---

[1]) Oder: die rott der boshaften hat mich zerrissen wie ein löw, min hend und füess. [2]) Oder: die uff inn haltend.

Convertentur ad Dominum, ac celebrabunt omnes termini terrae, et adorabunt coram eo universae cognationes gentium.

Regnum enim gentium Domini erit, et imperabit eis.

Comedent et divites omnes terrae, atque adorabunt, genua coram eo flectent omnesque ad pulverem descendent, aut non vivet anima eorum.

Hoc semen serviet ei, et laudem Domino canet in sempiternum.

Venient et narrabunt iustitiam eius, nasciturae genti quam Dominus creabit.

Es werdind yngedenck und kerind sich zuo dem herren [1] alle end der wellt, und anbettind vor sinem angsicht alle gschlecht der heiden.

Dann das rych ist des herren, und er herschet under den heiden,

Es werdend ouch alle feissten der wellt essen und anbetten, sich vor imm biegen all bis in den stoub sich hinab lassen; oder aber sin [2] sel lebt nit.

Der som wirt imm dienen, er wirt dem herren zuo eim gschlecht gezellt.

Sy werdend kumen und sin grechtigheit uskünden dem gebornen volck, das er geton hatt.

XXII.

Davidi carmen.

Cantat immensa dei beneficia sub pastoris ovium gregem fideliter pascentis similitudine.

Dominus pascit me; hinc est ut nullius egeam.

In speciosa pascua collocat me, et ad tranquillas aquas ducit.

Animam meam reficit, dirigit me in itinere iustitiae propter nomen suum.

Nam etsi aberravero ad vallem umbrae mortalis, mali nihil metuo, quia tu mecum es. Deinde virga tua et pedum tuum solantur me.

Adornas mihi mensam in conspectu adversariorum meorum, unguento imbuis caput meum, et calicem meum imples.

Prosequitur igitur me bonitas et benignitas tua per omnem vitam, ut habitem domi tuae in perpetuum.

XXII.

Er lobt die grossen guotaten gottes under der glychnus eins hirten, der sine schaff trülich weidet.

Der herr ist min hirt, ich wird nit manglen.

In schöner weyd ernert [3] er mich, zuo rüewigen wasseren trybt er mich.

Er bringt min sel wider, er trybt mich uf dem pfad der grechtigheit um sines namens willen.

Und ob ich schon vergienge [4] in dem tal [5] des schattens des tods, so wird ich übels nit fürchten, dann du bist by mir, din ruot und din stab tröstend mich.

Du bereitest in minem angsicht den tisch vor minen fygenden, du machst min houbt feisst mit öl, min trinckgschirr ist vol.

Darzuo werdend guots und gnad mir nach ylen alle tag myns läbens, und wird wonen in dem hus des herren den langen tag. [6]

---

[1]) Oder: Sy kömind an den herren. [2]) Oder: ir sel. [3]) Oder: alpet. [4]) Oder: wandlete. [5]) Oder: göw, heid. [6]) Oder: ewigklich.

XXIII.

Davidi carmen.

Deum omnium Dominum esse canit, sed solos innocentes apud eum habitaturos. Venturum autem ad nos esse regem gloriae.

Domini est terra et quicquid in ea est, orbis et habitatores eius.

Ille enim super mare fundavit eam, et super flumina constituit eam.

Quis ergo ascendat in montem Domini? aut quis permaneat in loco eius sancto?

Qui innoxius est manibus, et mundo corde; qui non elevat mentem suam ad vanas spes, nec dolose iurat.

Hic auferet liberalitatem a Domino, et iustitiam a Deo salvatore suo.

Haec est generatio adquirentium eum. Iacob est qui invenit vultum tuum.

Reserate o principes portas vestras, et aperiantur portae sempiternae, ut introeat rex magnus.

Quis est rex iste magnus? Dominus fortis et potens, Dominus robustus bellator.

Reserate o principes portas vestras, et aperiantur portae sempiternae, ut introeat rex magnus.

Quis est rex iste magnus? Dominus exercituum est rex ille magnus. סלה.

XXIII.

Er bsingt das gott ein herr aller dingen ist, des halb by imm nieman denn der unschuldig wonen mag, zuo dem kumpt gott. Und ist in christo klärer weder in david diser psalm.

Die erd ist des herren und was darinn ist, der umkreiss der welt und die darinn wonend.

Dann er hatt inn über das meer grundvestet, und über die flüss gebuwen.

Wer wirt ufstygen uff den berg des herren? und wer wirt hinuf komen in sin heliges ort?

Der unvermaasget hend hatt und ein rein hertz, der sin sel nit lichtverig erhebt hat, und nit schwert zuo betrug.

Der wirt guotåt vom herren hintragen, und billichs von gott sinem heiland.

Das ist das gschlecht das imm nachfragt. Iacob sind die dyn angsicht suochend.

Hebend üwre höpter uf ir tor, und erhebend üch ir tür der welt, so wirt kumen der küng der eren.

Wer ist der küng der eren? Es ist der starck und mechtig herr, der herr der imm krieg mechtig ist.

Hebend üwre höupter uf ir tor, und erhebend üch ir tür der welt, so wirt kumen der küng der eren.

Wer ist der selb küng der eren? Es ist der herr der herzügen, der ist der küng der eren.

XXIV.

Davidis.

Communis oratio et confessio est.

א Ad te o Domine mentem meam elevo.

ב In te o Deus meus confido, ne erubescam obsecro, neque insultent mihi hostes mei.

ג Omnes enim qui te fidunt non pudefiunt, sed pudefiunt vani praevaricatores.

XXIV.

Ein gemein gebett und verjehen, erinnrung oder erkantnus.

Herr ich erheb min sel zuo dir.

Min gott ich vertruw in dich, las mich nit ze schanden werden. noch mine fygend über mich fröwen.

Dann ouch alle die in dich vertruwend nit geschendt werdend, es werdend aber geschendt die lichtverigen verachter.

ד Vias tuas Domine ostende mihi, et semitas tuas doce me.

Herr mach mir kund dine weg, dine geng ler mich.

ה Induc et doce me veritatem tuam, quoniam tu es Deus et salus mea, in te spero omni tempore.

Füer mich in diner warheit und bericht mich, dann du bist gott min heiland, uff dich hab ich gehoffet all min tag.

ז Memor sis misericordiae et bonitatis tuae, quibus ab aeterno uteris.

Herr gedenck diner erbermd und diner güete, dann sy von ewigheit har sind.

ח At scelerum ac delictorum iuventutis meae ne sis memor, sed pro tua benignitate memento mei, et pro bonitate tua Domine.

Aber der sünden und übertrettungen miner iugend gedenck nit, sunder gedenck du min nach diner erbermd, umb diner güete willen.

ט Bonus et aequus est Dominus; ideo reducit peccatores in viam.

Der herr ist güetig und grecht, darumm wirt er die sünder an dem weg wysen.[1]

י Ducit humiles quomodo oportet cum iudicio, et adflictos docet viam suam.

Er füert die senften recht, er lert die senften sinen weg.

כ Omnes viae Domini sunt gratia et fides, his qui servant testamentum et foedus eius.

Alle weg des herren sind gnad und trüw, denen die do haltend sinen pundt und testament.

ל Propter nomen tuum Domine propitius sis peccato meo, Domine, quia magnum est.

Herr bis gnädig miner sünd um dines namens willen, dann ir ist vil.

מ Quisquis Dominum timet, eum dirigit in via quae sibi est grata.

Wer ist der den herren fürcht? Den wirt er leren den weg den er erwellt hatt.

נ Anima eius bonis fruitur, et posteritas eius terram possidebit.

Sin sel wirt in guotem ruowen, und sin som die erd besitzen.

ס Dominus docet secretum ac foedus suum eos qui se timent.

Die heimlicheit des herren und pundt berichtend die so inn fürchtend.[2]

ע Oculi mei perpetuo ad Dominum intenti sunt: ille enim explicat e reti pedes meos.

Mine ougen sehend stäts zum herren, dann er usfüert minen fuoss us dem netz.

פ Convertere ad me Domine et miserere mei, quoniam desolatus et adflictus sum.

Sich mich an und erbarm dich min, dann ich bin einig und verkümret.

צ Angustiae cordis mei crescunt! educ ergo me de necessitatibus meis.

Die trüebsäl mines hertzens sind vil worden, füer mich uss minen angsten.

ק Contemplare adflictionem meam, et laborem meum, et aufer omne peccatum meum.

Sich an min verkümmernus und iamer, und heb uf[3] all min sünd.

---

1) Oder: wyst er die etc. 2) Oder: Der herr ist die grundveste dero die inn fürchtend, und sin testament wirt sy leren. 3) Oder: nim hin.

ר Considera hostes meos, quia multi sunt, et scelerato odio persequuntur me.

ש Custodi animam meam, et libera me! ne quaeso pudefiam, quoniam in te spero.

ת Integritas et aequitas servent me, quoniam in te spero.

Redime Deus Israelem de omnibus angustiis eius.

Sich an mine fygend, dann ir ist vil, und hassend mich mit unbillichem hass.

Behüet min sel und erlös mich, lass mich nit geschendt werden, dann ich vertruw in dich.

Trüw und grechtigheit behüetind mich, dann ich sich uff dich.

O gott erlös Israel us allen sinen trüebsälen.

XXV.

Davidis.

Innocentia ex fide confitetur Domino, et ne pereat aut amittatur orat.

Vindica me Domine, quoniam innocenter ambulo! in te Domine spero, neque vacillo.

Proba me Domine, et explora; excoque renes meos et cor meum.

Quia bonitatem tuam ante oculos meos servo, et in veritate tua ambulo.

Non habito cum hominibus vanis, et ad socordes non ingredior.

Odi coetum malignorum, et inter impios non sedeo.

Abluo cum innocentia manus meas. Sic accedo ad aram tuam Domine,

Ut voce praedicem laudem tuam, et exponam omnia mirabilia tua.

Diligo Domine habitaculum aedis tuae et locum ubi manet gloria tua.

Ne iungas cum peccatoribus animam meam, neque vitam meam cum sanguinariis.

Quorum in manibus scelus invenitur: dextera eorum plena est muneribus;

Ego vero innocenter ambulo. Redime me, et misere mei.

Pes meus in recto constat. In coetibus laudabo Dominum.

XXV.

Er erzellt sin unschuld, die us dem glouben ist, lobt gott damit, und begert das er die nit verliere.

Herr schirm mich, dann ich wandel mit trüwen, ich hoff in den herren und wil nit schwancken.

Bewär mich herr und versuoch mich, probier mine nieren und min hertz.

Dann ich hab din güete vor minen ougen, und wandel in diner warheit.

Ich wonen nit by liederlichen[1] menschen, und gon nit mit den tüssleren.

Ich hass die gemeind der boshaften und sitz nit by den gotlosen.

Ich wil min hend in unschuld wäschen, und umgeben dinen altar o herr,

Das ich uskünde die stimm des lobs, und erzelle alle dine wunder.

Herr ich hab lieb die ynwonung dynes huses, und die statt der ruow diner eer.

Nit sammel min seel mit den sünderen, noch min läben mit den bluotdürstigen menschen,

In dero henden misstat sind, und ir grechte hand ist vol schencke.

Ich wil aber in miner trüw wandlen. Erlös mich und bis mir gnädig.

Min fuoss stat ufrecht. Ich wil dich loben in den versamlungen o herr.

[1]) Oder: ytelen.

XXVI.

Davidis.

Experimentum fidei est, quae imminente periculo se Dei patrocinio solatur.

Dominus lux et salus mea est, a quo metuam? Dominus robur vitae meae est, a quonam trepidem?

Dum prodeunt adversum me maligni, inimici, et hostes mei ut me totum devorent: corruunt et concidunt.

Dum castra figuntur contra me, non timeo; dum incitatur adversum me praelium, tunc maxime securus sum.

Unum enim ambio apud Dominum, unum quaero, ut habitem domi Domini in perpetuum, ut videam decorem Domini, et admirer templum eius.

Quoniam abscondit me in periculoso tempore, abstrusit me in intima tabernaculi sui, et in petram elevavit me.

Postremo autem exaltavit caput meum super hostes meos qui me circumdederant.

Idcirco sacrifico in tabernaculo eius sacrificium gratiarumactionis, cano et psallo Domino.

Exaudi Domine vocem meam qua te invoco, miserere mei et auxiliare mihi.

Tibi confitetur cor meum, requirit te vultus meus, faciem tuam Domine desidero.

Ne abscondas faciem tuam a me, ne averseris per iram servum tuum.

Robur meum tu es. Ne deseras me, neque derelinquas me o Deus salvator meus.

XXVI.

Es ist ein ergründen des gloubens, der sich in zuokunft der gevaar mit dem bystand gottes tröst.

Der herr ist min liecht und min heil, vor wemm wird ich mir fürchten? Der herr ist die krafft mynes läbens, ab wemm wird ich erschräcken?

Als die bosshaften uf mich nahetend, ouch mine widersächer und mine fygend, ze fressen min fleisch, sind sy geschlipft und gevallen.

Ob sich ein her wider mich legen wurd, sich min hertz nit fürchten; ob ein krieg wider mich entstüende, so verhoff ich daryn.

Eins hab ich begert vom herren, das selb wil ich fordren, das ich ynwone imm hus des herren alle tag mines läbens, das ich sähe den wollust des herren, und sinen tempel beschowe.

Dann er hatt mich in siner hütten verborgen in böser zyt, er verdeckt mich imm verborgnen ort siner zelt, und erhöcht mich uff dem felsen.

Und ietz erhöcht er min houpt über mine fygend die um mich sind.

Darumm wird ich in siner zelt opfer des schalles opfren, singen und lobsagen dem herren.

Herr hör min stimm, ich rüeff, bis mir gnädig und erhör mich.

Min hertz redt mit dir, min angsicht suocht dich, herr ich suoch din angsicht.

Nit verbirg din angsicht vor mir, nit wend dich in zorn von dinem knecht.

Du bist min hilff. Nit schupf mich, nit verlass mich gott min heiland.

Pater enim meus et mater mea deseruerunt me, Dominus autem suscipiet me.

Doce me Domine viam tuam, et duc me in semita recta propter eos qui mihi insidiantur.

Ne tradas me Domine desiderio hostium meorum, quoniam insurrexerunt in me testes periuri, et scelus cogitatur.

At hoc me solatur: certus sum me visurum esse bona Domini in terra viventium.

Spera igitur in Dominum *quisquis es*! ille confortabit et confirmabit cor tuum. Tu modo spera in Dominum.

XXVII.

Davidis.

Subito et anxie Dominum invocat, ut se a fraudulentis liberet. Exauditur ac gratias agit.

Ad te o Domine petra mea clamo, ne averseris me quaeso, aut dissimules, quo par fiam his qui in foveam descendunt.

Exaudi vocem supplicis qui ad te clamo, qui manus meas ad adytum tuum sanctum attollo.

Ne quaeso me inter impios reputes, aut inter facinorosos, qui cum proximis suis amice quidem loquuntur, sed malum meditantur in cordibus suis.

Da eis pro facinore et malitia cogitationum eorum, pro opere manuum eorum da illis! redde eis digna se!

Ut non advertunt animum ad opera Domini, neque ad facturam manuum eius, ita destruat eos ut nullatenus constent.

Gratias ago Domino, quoniam exaudivit vocem supplicis.

Dann min vatter und min muoter habend mich verlassen, aber der herr hatt mich uff genomen.

Ler mich herr dinen weg, und wys mich uf den rechten weg um miner fyenden willen.

Gib mich nit in den muotwillen miner figenden, dann es sind uferstanden über mich valsche zügen, und man nimpt umbill für.

Doch so gloub, ich, werde das guot des herren sehen in dem erdrych der läbendigen.

Harr uff den herren, sterck und vest din hertz, und vertruw in den herren.

XXVII.

Er rüeft gott gäch und engstlich an, das er inn von den betrognen erlöse. Er wirt erhört, und sagt gott danck darumm.

O herr min fels ich schry zuo dir, schwig nit gegen mir, dann wo du min nit achtetist, so wurd ich denen glych die in die gruob vallend.

Hör min erbermliche stimm, so ich zuo dir schry, so ich min hend ufheb zuo dinem heligen ort.

Fass [1] mich nit zuo den gottlosen, und zuo den übeltäteren, die fridlich mit iren nächsten redend, aber böses im hertzen.

Gib inen nach irer tat und nach der schalckheit irer anschlegen, nach dem werck irer henden gib inen, wider gilt inen nach irem verdienst.

Dann sy merckend nit uff die taten des herren, noch uff das werck siner henden; darumm werdend sy gebrochen und nit gebuwen.

Gelobt sye der herr, dann er hatt min klägliche stimm erhört.

---

[1]) Oder: Züch.

Dominus fortitudo mea et scutum meum; eo fidit cor meum, ab eo sensi opem. Hinc gestit cor meum, et carmen meum ipsum celebrat.

Dominus robur nostrum est, salutare robur Christi sui est.

Salva igitur populum tuum, et bonitate prosequere hereditatem tuam, pasce et fer eos usque in sempiternum.

Der herr ist min stercke und min schilt, uff inn hatt min hertz getruwet, und ist mir geholffen, und fröwt sich min hertz, und min gsang sagt imm danck.

Der herr ist die stercke der synen, und die stercke alles heils sines gesalbeten ist er.

Mach heil din volck, und begab din erb, und weyd sy und enthalt sy ewiklich.

XXVIII.

Davidi carmen.

Potentes invitat ad cultum unius atque omnipotentis Dei, cuius virtutem ac potentiam magnifice canit et adserit.

Tribuite Domino o principes, tribuite gloriam et virtutem.

Tribuite nomini Domini omnipotentiam, adorate sanctam maiestatem Domini.

Dominus enim aquas solo iussu regit. Deus omnipotens tonitrum parat, Dominus pelago imperat.

Iussus Domini efficax est, iussus Domini splendidus est.

Iussu confringit Dominus cedros, et certe confringet Dominus cedros Libani.

Instar tauri conculcabit Libanum, et Saron tanquam monoceros.

Iussus Domini dissipat flammas ignis.

Iussus Domini commovet desertum, commovet desertum Cades.

Iussus Domini cervas infirmat, extirpat saltus.

In eius ergo templo quisque dicit gloriam.

Dominus diluvium sedat; et regnum tenet in aeternum Dominus.

XXVIII.

Er berüeft die gwaltigen zuo der er des einigen allmechtigen gottes, von dem allein lert er mit vil gschichten hilff und heil zuo begeren sin.

Machend üch har zuo zum herren ir fürsten kind, machend üch zuo dem herren der eren und der stercke.

Machend üch zum herren des nam gros ist, ambettend den herren mit heliger zier.

Die stimm des herren über die wasser, der gwaltig gott donndret, der herr über die vile der wasseren.

Die stimm des herren ist mit kreften, die stimm des herren ist mit zier.

Die stimm des herren bricht die zeder, und der herr bricht die zeder Libanon.

Und sprengt sy [1] wie ein kalb, Libanon und schirion wie einn iungen einhorn.

Die stimm des herren zerteilt den flammen des fhürs.

Die stimm des herren erschütt die wüeste, ia der herr erschütt die wüeste kadesch.

Die stimm des herren erschreckt die hinden, und emplötzt die wäld.

Und in sinem tempel seyt imm alles das sin ist eer.

Der herr setze die güse und ruowt der herr ein küng ewiklich.

---

[1]) Oder: macht sy dantzen.

Dominus dat virtutem populo suo: Dominus prosequitur populum suum bonitate et pace.	Der herr wirt sinem volck kraft geben, der herr wirt sin volck begaben mit friden.
XXIX.	**XXIX.**
Davidi carmen gratiarum actionis pro fundatione domus.	
Gratiarum actio est. Qua docetur piis omnia in tuto fore apud Deum. Adparet autem scriptam esse post aegritudinem aliquam.	*Er sagt gott lob und danck, und lert das der mensch nienen sicher noch behüet ist weder by gott.*
Laudibus eveham te o Domine, quoniam erexisti me, neque laetificasti hostes meos super me.	Herr ich wil dich erhöhen, dann du hast mich ufgericht, und hast mine fygend nit erfröwt ob mir.
Domine Deus meus, ad te clamavi et sanavisti me.	O herr min gott, ich hab zuo dir geschruwen, und du hast mir geholffen.
Domine revocasti ab orco animam meam, restituisti me quo minus descenderem in foveam.	Herr du hast min sel von der hell gefüert, du hast min läben gefristet von denen die in die grueb farend.
Psallite Domino sancti eius, et gratias agite in sancta memoria eius.	Singend dem herren ir sine heligen, und dancksagend zuo gedechtnus siner heligheit.
Quoniam quum per momentum irascitur, per gratiam suam vita donat; ad vesperam divertat fletus licet, sub auroram tamen redit laetitia.	Ist er glych einen ougenblick zornig, so ist doch läben by siner gnad; ze abend wäret das weinen, und ze morgen fröid.
Equidem quum dicerem in felicitate mea: nihil patiar in aeternum	Ich hab etwan gedacht in minem glück: ich wird ewklich nit bewegt.
(Tu enim Domine tribueras pro tua bonitate robur monti meo): protinus ut abscondebas faciem tuam conturbabar.	Aber o herr du hast nach dinem gefallen die stercke mines bergs gevestet. Hastu denn din angsicht verborgen, so bin ich betrüebt worden.
Hic ad te Domine clamabam, tibi Domino meo supplicabam.	Ich schry o gott zuo dir, und zuo minem herren bitt ich.
Quis inquam usus est sanguinis mei, si abiero in perditionem? Num pulvis confitetur te? num laudat veritatem tuam?	Was nutzes ist in minem bluot, so ich zuo verderbnus kum? wirt dich ouch das kaat loben? wirt es ouch din trüw uskünden?
Exaudi ergo Domine et miserere mei, Domine fer opem mihi.	Herr erhör und bis mir gnädig, herr bis min helffer.
Tunc vertisti planctum meum in chorum, solvisti saccum meum, et laetitia me cinxisti.	Du hast min leyd in fröid verkert, du hast minen sack usgezogen, und mich mit fröid umgeben.
Propterea cantabitur gloria, neque tacebitur. Ego enim Domine Deus meus in perpetuum celebrabo te.	Das din eer besungen werd, und man nit schwyge. O herr min gott ich wird dir ewklich dancken.

XXX.

Davidi carmen adhortatorium.

Oratio est in magna tribulatione, exauditio, et gratiarum actio.

In te Domine spero, ne quaeso pudefiam in aeternum, sed per iustitiam tuam libera me.

Praebe mihi aurem tuam, propera ut eruas me, esto mihi fortis petra, et munita domus ubi me salves.

Tu enim es rupes mea et arx mea. Propter nomen ergo tuum dux et alumnus meus esto.

Educ me de reti quod absconderunt mihi! tu enim es propugnator meus.

In manus tuas spiritum meum commendo, redime me Domine Deus verax.

Ego enim odi, qui vanitatis funem tenent, sed in te Domine spero.

Exultem et gestiam propter bonitatem tuam, quoniam videbis adflictionem meam cum senties ut anima mea in angustiis est posita.

Et non dedes eam in hostis potestatem, sed in latum constitues pedes meos.

Miserere mei Domine quoniam tribulor! caligat prae moerore oculus meus, anima mea et venter meus.

Consumitur in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus: decidit in calamitatem robur meum, et ossa mea tabescunt.

Obprobrium factus sum apud omnes inimicos meos: vicinis autem et notis ingens pavor. Qui me vident foras fugiunt a me.

E corde oblivioni traditus sum velut mortuus; factus sum sicut fractum figulinum.

XXX.

Es ist ein ernstlich gebett in einer grossen anfechtung.

Herr ich truw in dich, lass mich nimmer me ze schanden werden, lös mich in diner grechtigheit.

Neig din or zuo mir, erlös mich ylends, bis min starcker fels, min wol bewart hus, min heiland.

Dann du bist min fels und min burg. Du wellist mich umm dines namens willen füeren und erhalten.

Du wellist mich us dem netz füeren, das sy mir gesetzt habend, dann du bist min stercke.

Ich befilch minen geist in din hand. Du hast mich erlöst herr du warhafter gott.

Ich hass, die uff ytelgheit haltend, aber ich hoff uff den herren.

Ich fröw mich und frolock in diner güete, das du gsehen hast minen kumber, und erkennt die trüebsäl miner sel.

Und hast mich nit gefangen mit dem gwalt des fygends, du hast mine füess uff die wyte gestelt.

Herr bis mir gnädig, dann ich bin betrüebt, min gsicht hatt in unmuot abgenomen, min sel und min lyb.

Dann sy habend abgenomen in dem trüebsal mines lebens, und miner iaren die ich in sünftzen läb; min kraft ist gkrancket in minem kumber, und mine bein sind geschwachet.

Ich bin ein grosse schmach worden minen fygenden und minen nachpuren, und ein schühen minen erkannten; welche mich gsehen habend, sind von mir ushin geflohen.

Minen ist im hertzen vergessen wie eins todten. Ich bin wie ein zerbrochen gschirr.

Ipse enim audivi contumeliam multitudinis circum me congregatae: in unum coëunt adversum me, ad capiendum animam meam coniurant.

Dann ich hab viler schmach gehört, die um mich harum wonend; da sy sich zemen verbunden wider mich, habend sy radtgeschlaget min sel hinzenemen.

Ego autem te fido Domine, ac dico: deus meus es tu. In manu tua fata mea sunt. Libera me de manu hostium et persecutorum meorum.

Aber ich herr hoff uf dich, und sag das du min gott bist. Min zyt stat in diner hand. Erlös mich von dem gwalt miner fygenden und durchächteren.

Ostende vultum tuum servo tuo et salva me per bonitatem tuam.

Glentz din angsicht über dinen diener, mach mich heil in diner gnad.

Domine non confundar, te enim invoco: sed confundantur impii, et in foveam consopiantur.

Herr lass mich nit ze schanden werden, dann ich rüeff dich an. Die gottlosen werdend ze schanden, und in die hell vertüscht.

Compescantur labia mendacia, quae veteratorie, superbe et contemtim loquuntur adversus iustum.

Die verlognen leftzen werdend geschweygt, die wider den frommen schwarlich redend in hochfart und schmach.

Quanta sunt bona quae reponis timentibus te, quae facis sperantibus in te coram filiis hominum.

O wie vil ist dines guoten, das du behalten hast denen die dich fürchtend; das hastu geton denen die in dich hoffend vor den menschen kinden.

Abscondis eos in adyta vultus tui ab elatis hominibus, occultas eos in tabernaculo tuo a vitilitigationibus linguarum.

Du wirst sy verbergen in der heimlicheit dines angesichts vor aller menschen hochmuot, du wirst sy verbergen in der hütten vor dem zangg der zungen.

Gratiae Domino pro admiranda eius in me bonitate, ex urbe munita.

Gelobt sye der herr, das er mir grosse guotat geton hatt mit einr wol bewarten statt.

Ego enim in desperatione mea dixeram: Proiectus sum a conspectu oculorum tuorum. Tu tamen exaudivisti supplicis vocem ad te clamantis.

Und sprach aber ich in miner gähe: ich bin verworffen vor dinen ougen. Darumm hastu min klägliche stimm erhört, do ich zuo dir schrey.

Idcirco diligite Dominum omnes sancti eius! fidos enim tuetur Dominus, et abunde retribuit his qui superbe agunt.

Ir heligen des herren habend inn alle lieb. Die warhaften behalt der herr, und widergilt rychlich dem der hochmuot trybt.

Constantes estote, et obfirmetis cor vestrum omnes qui speratis in Dominum.

Sind starck und vestend üwre hertzen ir alle die dem herren vertruwend.

XXXI.

Davidis admonitio.

Laetam rem esse a peccato levari, et contra miseram, pervicacem habere conscientiam. Docet denique, quo pacto remittantur peccata.

O felicem qui a transgressione levatur, cuius peccatum dissimulatur.

O felicem hominem cui Dominus peccatum non imputat, in cuius animo per dolum nihil celatur.

Ego enim quum tacerem languescebant ossa mea, cum quotidiano eiulatu meo.

Quoniam et die et nocte ingravescebat super me manus tua, vertebatur succus meus in siccitatem aestivam. סלה.

At peccatum meum posteaquam tibi notum feci, et facinus meum non celavi;

Quum dixi, meipsum adcusando: Fateor transgressionem meam Domino: protinus remisisti crimen peccati mei. סלה.

Idcirco oret ad te quisquis sanctus est, quum primum eandem angustiam senserit, et iam non tanget eum inundatio aquarum immanium.

Tu es refugium meum a tribulatione quae me circumdederat, et circundas nunc me gaudio liberationis. סלה.

Erudiam, inquis, te et ostendam qua via sit eundum tibi, figam in te oculos meos.

Modo ne sitis equis aut mulis pares, quibus nullus est intellectus.

Quorum os nisi lupatis et frenis temperes non gerunt morem tibi.

Multa sunt mala impii; qui autem Domino fidit, bonitate circundabitur.

XXXI.

Er zeigt an us selbs erfaren, wie ein trostlich ding es sye von sünden entschült sin, und harwidrumm wie arbeitsälig es sye ein verdorbne conscientz haben. Und lert daby, welchen weg die sünd verzigen werd.

Wol dem des übertretten hingenomen, des sünd bedeckt ist.

Wol dem menschen dem der herr die misstat nit rechnet, und in des geist ghein betrug ist.

Wolt ichs verschwygen, so verdurbend mine bein mit täglichem prüelen.

Dann din hand was tag und nacht schwer uff mir, verkert was min grüene in die dürre des summers. סלה.

Ich han aber dir min sünd veriehen, und min misstat nit verborgen.

Ich sprach: ich wil dem herren mine übertrettungen über mich veriehen. Von stund an vergäbtu (vergabst du) mir die schalckheit miner sünd. סלה.

Sölchs ze finden wirt ein ieder frommer zuo siner zyt zuo dir bitten, und so wirt die güse viler wasseren inn nit berüeren.

Du bist min schirm, behüetst mich vor trüebsal, umgibst mich mit fröid eins erlösten. סלה.

Ich wil dir verstand geben, und dich den weg leren den du wandlen wirst, ich wil mine ougen uff dich stellen.

Sind nit wie die ross und multier, die nit verstendig sind;

In dero mul zoum und biss, das man sy damit tringe, sust nachtind sy dir nit.

Des gotlosen streichen ist vil; welcher aber in gott hoffet, den wirt gnad umgeben.

Laetemini in Domino, et exultate iusti! gaudete qui estis recto corde!

Fröwend üch im herren und frolockend ir grechten! und sind frölich alle die eins grechten hertzens sind!

XXXII.

Hymnus est quo Dei omnipotentia canitur.

Exultate iusti in Domino; nam rectis ornamento est dum collaudant.

Collaudate igitur Dominum, cithara, cheli, decachordo, psallite ei.

Canite illi novo carmine, incendite organa cum clangore.

Verbum enim Domini sacrosanctum est, et omne opus illius firmum.

Iusti et aequi amans est, bonitate Domini plena est terra.

Verbo Domini coeli facti sunt, et spiritu oris eius omnis militia eorum.

Colligit aquas in tumultum, ac rursus in abyssi penetralia recondit.

Metuat Dominum omnis terra, mirentur eum omnes qui habitant orbem.

Ille enim quum iubet, sunt; quum praecipit, constant res.

Dominus dissipat consilium gentium, et populorum cogitationes irritat.

Consilium autem eius in perpetuum durat, cogitationes cordis eius ad omnes generationes.

O felicem gentem cuius Dominus est Deus, quam sibi elegit in hereditatem.

Dominus coelo prospicit ad considerandum omnes filios hominum, de firmo solio suo contemplatur omnes habitatores orbis.

Solus enim finxit corda eorum, solus cognoscit omnia opera eorum.

XXXII.

Es ist ein lobgsang, darinn die allmechtigheit gottes harfürbracht und gelobt wirt.

Frolockend imm herren ir frommen; den ufrechten gbürt das sy lobind.

Dancksagend dem herren mit harpfen, lobsingend imm uff dem psalter der zehen seyten.

Singend imm ein nüwes lied, machend guot gsangspil mit schalle.

Dann des herren wort ist ufrecht, und all sin werck mit trüwen. [1]

Er hatt lieb grechtigheit und gricht, die erd ist siner gnaden voll.

Mitt dem wort des herren sind die himel gemacht, und mit dem geist sines munds alles ir her.

Der die wasser zemen bringt wie ein mur, und verbirgt sy in die tieffinen.

Alle welt fürchte sich vor dem herren, vor imm schübind alle die uff dem erdboden wonend.

Dann so er redt, so beschichts; so er heisst, so staats da.

Der herr zerwirft den radt der heiden, und wendt die anschleg der völckeren.

Aber der rat des herren blybt ewiklich ston, die anschleg sines hertzen von welt ze welt.

Wol dem volck des herr gott ist, das volck hatt er imm zuo eim erb erwellet.

Der herr sicht von himel herab, er sicht alle menschen kinder.

Von dem sitz siner ruow bsicht er alle die uff erden wonend.

Er hatt ire hertzen, alle by eim, gemachet, und verstat all ire werck.

[1]) Oder statt „mit trüwen": trüw.

Non salvat regem innumerabilis exercitus, et gigas non liberatur magnitudine roboris.

Fallit salvando eques; nam multitudine equitatus nemo eripitur.

Ecce autem oculi Domini intendunt in eos qui se reverentur, et illius bonitate fidunt.

Ut liberet a pestilentia animas eorum, et alat eos in fame.

Anima igitur nostra Domino nitatur; ille enim est propugnator et clypeus noster.

Nam et cor nostrum in eo laetabitur, dummodo in nomen eius sanctum speraverimus.

Adsit nobis Domine bonitas tua, quemadmodum speramus in te.

Den küng wirt nit helffen grosse macht, der held wirt nit errettet in vile siner krafft.

Das ross fält am helffen, und in vile siner stercke wirt man nit errettet.

Aber sich, das oug des herren stat gegen denen die inn fürchtend, zuo denen die uff sin güete hoffend.

Das er ir sel vom tod erlöse, und ir leben friste in der thüre.

Unsere sel harret uff den herren; er ist üinser hilff und üinser schilt.

Dann in imm erfröwt sich üinser hertz, dann wir hoffend uff sinen heligen namen.

Herr din gnad halte ob üins, wie wir dir vertruwend.

XXXIII.

Davidi super immutatione oris coram Abimelecho a quo eiectus aufugit.

Gratiarum actio est, in qua testatur Deum suis nunquam deesse.

א Collaudabo Dominum omni tempore, laus eius semper erit in ore meo.

ב In laude Domini oblectat se anima mea. Audiant hoc humiles et laetentur.

ג Magnificate Dominum mecum, et nomen eius simul vehamus.

ד Consului enim Dominum, et responsum dedit mihi, et de omni pavore meo liberavit me.

ה Qui ad eum suspiciunt illustrantur, et vultus eorum non confunduntur.

ו Quicunque adflictus Dominum invocat, exaudit eum, et de omnibus angustiis eripit.

ז Castra figit angelus Domini circum eos qui ipsum timent, et eri-
eos.

XXXIII.

Er sagt gott danck, und kündet us wie der herr die sinen nimmer verlasst.

Ich wil den herren loben zuo aller zyt, sin lob sol immerdar in minem mund sin.

Min sel berüemt sich imm herren. Das hörend die verkümreten und fröwend sich.

Darumm brysend den herren mit mir, und lassend üns mit einander sinen namen erhöhen.

Ich hab den herren gesuocht, und er hatt mir antwurt ggeben, und mich us aller miner forcht erlöst.

Welche uff inn sehend werdend erlücht, und ire angsicht werdend nit ze schanden.

So der verkümret schryet, erhört inn der herr, und heilet inn von allen sinen trüebsälen.

Der engel des herren umlägret die inn fürchtend, und beschirmt sy.

ח Delibate et videte quam bonus sit Dominus! beatus est quisquis illo fidit.

ט Reveremini Dominum sancti eius, quoniam nihil deest reverentibus eum.

י Violenti egebunt et esurient, Dominum vero timentibus nihil deerit.

כ Adeste o filii et auscultate mihi! timorem Domini docebo vos.

ל Si quis est vitae cupidus, et eam beate ducere optat:

מ Prohibeat linguam suam a malo, et labia sua ne loquantur dolum.

נ Recedat a malo et faciat bonum, studeat paci et sectetur eam.

ס Oculi enim Domini ad innocentes intenti sunt, et aures eius ad preces eorum.

ע Supercilium autem eius in eos qui malum faciunt, ut excindat e terra memoriam eorum.

פ Illi dum clamant, exaudit Dominus et de omnibus angustiis eorum liberat eos.

צ Adest Dominus his qui contrito sunt corde, et qui deiecto sunt animo salvat.

ק Iustorum multa mala, sed ex eis omnibus liberat eos Dominus.

ר Custodit omnia ossa eorum, ut ne unum ex eis conteratur.

ש Mors vero impiorum est misera: qui enim iustum odio habent extirpantur.

ת Liberat Dominus animam servi sui, et non exterminantur omnes qui eo fidunt.

Erfarend und sehend das der herr fründlich ist, wol dem man der uff inn truwt.

Ir heligen des herren fürchtend inn, dann denen manglet nütz die inn fürchtend.

Die grimmen manglend und hungrend, aber die den herren suochend denen wirt gheines guoten manglen.

Kömend harzuo ir kinder losend mir, ich wil üch die forcht des herren leren.

Welcher ist der begert ze leben, und wünscht guot tag ze sehen?

Behüet din zungen vor üblem, und dine leftzen das sy nit betrug redind.

Wych vom bösen und tuo guotes, frag nach friden und yl imm nach.

Die ougen des herren merckend uff die frommen, und sine oren uff ir gschrey.

Das antlit aber des herren stat über die übeltäter, das er ir gedechtnus usrüte von der erd.

So die frommen schryend, erhört sy der herr, und erlöst sy uss allem irem trüebsal.

Der herr ist nach by denen die zerknists hertzens sind, und hilfft denen die eins demüetigen geists sind.

Der grecht muos vil übels lyden, aber der herr erlösst inn uss allem.

Er verhüet imm alle sine gbein, eins wirt uss inen nit gebrochen.

Bosheit tödt den gotlosen, und die den grechten hassend kumend umm.

Der herr erlöst die sel siner dieneren, und werdend nit verlorn alle die uff inn vertruwend.

XXXIV.

Davidis.

Invocatio est in gravi oppressione inimicorum, qui nos bene de ipsis meritos persequuntur.

Suscipe Domine litem meam, et pugna contra oppugnatores meos.

Corripe scutum et hastam, et surge ad auxilium meum.

Stringe mucronem, et urge ex adverso persecutores meos! dic animae meae: Adsum ego salus tua.

Pudefiant et confundantur qui imminent animae meae, terga vertant cum ignominia qui malum mihi cogitant.

Fiant sicut pulvis vento expositus, angelo Domini iactante illos.

Sint viae eorum obscurae et lubricae, angelus autem Domini urgeat eos.

Quoniam innocenti mihi absconderunt perniciosum rete suum, innocenti animae meae foderunt *lacum*.

Usu veniat eis de improviso calamitas, et reti suo, quod absconderant, capiantur, concidant in ea calamitate.

Anima vero mea laetetur in Domino, et gaudeat in salute sua.

Omnia ossa mea dicent: Domine, quis est similis tibi, qui liberas humilem a fortiore se, adflictum et egenum a diripientibus eum.

Insurrexerunt iniqui testes, qui mihi quae ignoro imputant.

Reddunt mihi pro bono malum, desolationem animae meae.

At ipsi quum aegrius haberent, vestis mea saccus erat, ieiunio adfligebam animam meam, et oratio mea in sinu meo versabatur.

XXXIV.

Es ist ein anrüeffen in eim grossen trang der fygenden, die üns wie wol wir guots um sy verdient hattend durächtend.

Kempf herr mit minen widersächeren, bkrieg die wider mich kriegend.

Ergryff schilt und waffen; und bis uf, mir ze helffen.

Zuck das spär und bschütz mich wider mine vervolger, sprich zuo miner sel: Ich bin din heil.

So werdend geschendt und schamrot die min sel suochend, sy werdend hinder sich gewendt und geschendt die böss über mich anschlahend.

Sy werdend wie der stoub vor dem wind, und der engel des herren wirt sy tryben.

Ir weg wirt finster und schlipfrig, und der engel des herren sy durächten.

Dann sy habend mir on ursach ir netz gesetzt ze verderben, und on ursach gruoben gemacht miner sel.

Es wirt unglück über inn kumen so ers nit weisst, und das netz das er gesetzt hatt wirt inn vahen, das unglück wirt über inn vallen.

Aber min sel wirt frolocken imm herren, und sich fröwen in sinem heil.

Alle mine gbein werdend reden: Herr wer ist dir glych, der do erlösest den verkümreten von dem der imm ze starck ist, den verhergten und armen von dem der imm gwalt tuot?

Es stuondend valsche zügen uf, die fragtend mich da von ich nütz wüsst.

Sy widergultend mir böss umm guotes, min sel trostlos ze machen.

Und leyt aber ich ein härin kleid an, wenn sy kranck warend, demüetiget min sel mit fasten, und min gebett was in minem buosen.

Incedebam sicut qui socium aut fratrem luget; tristis humiliabam meipsum tanquam in materno funere.

Ego vero quum peius habeo, laetantur, concursant vel claudi adversum me imprudentem etiam: vestem scindunt, neque a planctu abstinent,

Sed per hypocrisin; simulant subcinericium quoque, at interim frendunt in me dentibus suis.

Domine quando inspicis? restitue a contumelia ipsorum animam meam, et a tyrannis unicam meam.

Ut gratias tibi agam coram frequenti ecclesia, et in populo ingenti laudem te.

Neque gaudeant super me mendaces inimici mei, frustra annuant oculo qui me odio habent.

Nihil enim pacatum cogitant, sed cum terra in tranquillitate est, fraudulenta consilia capiunt.

Aperuerunt super me rictum suum, dicunt: Ohe ohe, nunc vidimus oculis nostris.

Tu Domine quoque vidisti; ne ergo cuncteris, Domine ne abeas longius a me.

Evigila et exurge ut vindices causam meam Domine Deus meus.

Vindica me pro tua iustitia Domine Deus meus, ut non gaudeant de me.

Neque dicant in cordibus suis: Euge anime mi! nec dicant: Vicimus eum.

Erubescant et confundantur pariter qui malo meo gaudent, induantur pudore et ignominia qui de me gloriantur.

Exultent et laetentur qui favent innocentiae meae, ita tamen ut

Ich wandlet als ob er min naher und bruoder wer, ich buckt mich trurig als einer der sich umb sin muoter klagt.

Wenn aber ich kranck was, so hattend sy fröid und lüffend zemen; die schlaher kamend über mich zemen, und wüsst ich nütz drumm, und hüwend und hortend nit uf.

Mit den glychsneren und schleckeren kirschtend sy ire zen über mich.

Herr wie lang wilts ansehen? bring wider min sel uss irem gfretz, min einige uss den iungen löwen.

Ich wil dir dancksagen in der grossen kilchen, under starckem volck wil ich dich rüemen.

Nit lass sich über mich fröwen die mir valschlich fyend sind, noch die so mich hassend und mit den ougen über mich zwinggend.

Dann sy redend nit ze friden, und über die rüewigen der erd erdenckend sy betrogne wort.

Und tuond ir mul wyt uf über mich, und sprechend: Da da, ünser oug hats gesehen.

Herr du hasts gsehen, verschwygs nit, herr bis nit verr von mir.

Erweck dich und wach uf zuo minem rechten und zuo miner sach min gott und herr.

Richt mich herr min gott nach diner grechtigheit, und lass sy sich nit über mich fröwen.

Das sy nit in irem hertzen sagind: da da, das gfallt üns, noch sagind: wir habend inn verschluckt.

Sy werdend geschendt und schamrot all miteinandren, die sich mines üblen fröwend; sy werdend mit schmach und schand bekleidt, die sich gross machend über mich.

Es werdend sich aber fröwen und frolocken die denen min grech-

semper dicant: Magnus est Dominus qui amat salutem servi sui.

tigheit gevallt, und werdend on underlass sprechen: der herr sy hochgelobt, der ein gevallen hatt an der woltat [1] sines knechts.

Lingua vero mea meditetur iustitiam tuam, et laudem tuam omni tempore.

Und min zung wirt täglich trachten nach diner grechtigheit und lob.

XXXV.

David servi Domini adhortatorium.

Impiorum ingenium et audacia describitur, simulque petitur ut pii Dei bonitate fruantur.

XXXV.

Er beschrybt der gotlosen ard und frävel, und bitt aber daby, das die gotsvörchtigen der güete gottes teilhaft werdind.

Sic sentit cor meum de audacia impii, quod non habeat Deum ante oculos suos.

Als mich in minem hertzen ansicht, so hatt sich der gottlos bosheit verwegen, und ist ghein gotzvorcht vor sinen ougen.

Etiamsi velut blandiatur ei ante oculos, a scelere tamen odii illius non abhorret.

Dann er tuot betruglich vor imm in sinen ougen, daran er sin schalckheit findt und inn hasst.

Verba oris eius dolus et flagitia mera, doceri renuit ut bene agat.

Die wort sines munds sind unrecht und valsch, er verachtet ze lernen das er recht tüey.

Scelus parat in cubili suo, sociat se cuicunque viae non bonae, malum autem non fugit.

In sinem gmach trachtet er ytelgheit, er stellt sich uff gheinen guoten weg, das bös mydet er nit.

Quum Domine bonitas tua usque ad coelos, et usque ad nubes veritas tua late pateat,

Herr din gnad langt bis ze himel, und din warheit bis an die wolcken.

Iustitia tua monti robusto, et immensae abysso aequitas tua similis sit; quum tu homines et iumenta serves Domine:

Din grechtigheit ist wie die berg starck, dine urteil sind ein träffenliche tieffe. Herr du erhaltest lüt und veh.

Quam pretiosa est bonitas tua o Deus, qua freti filii hominum alarum tuarum umbra fidunt.

O gott wie kostbar ist din güete, und die menschenkinder tröstend sich des schattens diner flüglen.

Saturantur ubertate domus tuae, et flumine deliciarum tuarum potantur.

Sy werdend überschütt von dem überfluss dines huses, du trenckst sy mit dem bach diner wollusten.

Apud te enim est fons vivus ac perennis, et in luce tua videmus lucem.

Dann by dir ist der brunn des lebens, in dinem liecht sehend wir das liecht.

Obtende bonitatem tuam his qui te cognoscunt, et iustitiam tuam rectis corde.

Vollstreck din güete denen die dich kennend, und din grechtigheit denen die do von hertzen ufrecht sind.

Non assequatur me pes superbiae! manus autem impiorum ne commoveat me!

Der fuoss der hochfart erlouffe [2] mich nit, und die hand der gotlosen wende mich nit ab.

---

[1]) Oder: wohlhab. [2]) Oder: erlange, ergange.

Sed cadant qui scelus operantur, deiiciantur ut non possint resurgere!

XXXVI.

Davidis.

Admonitio est, ne impiorum facinora propter felicitatem eorum imitemur. Depingit autem interim tum piorum tum impiorum et ngenium et exitum.

א Noli imitari malos, nec aemuleris qui quod iniquum est operantur.

ב Quoniam subito sicut foenum deciduntur, et sicut viride gramen marcescunt.

ג Tu vero in Dominum spera, et quod bonum est operare, ut terram inhabites et vere pascat te.

ד Et delectaberis in Domino, qui dabit tibi desideria cordis tui.

ה Expone coram Domino viam tuam, et fide illo: ipse enim efficiet ut velut aurora prodeat iustitia tua, et aequitas tua sicut meridies.

Intentus esto in Dominum, et suspice illum! noli aemulari eum cui omnia prospere succedunt, hominem qui scelerate vivit!

Remitte iram, desere indignationem, noli sic aemulari ut male agas! Qui enim male agunt, excinduntur; qui vero Dominum expectant, terram possidebunt.

ו Paululum sustine, et impius non supererit, quumque adverteris ad locum eius, nullus aderit. Humiles autem possidebunt terram, et multa pace fruentur.

ז Insidiatur impius iusto, et stridet super eum dentibus suis. Dominus autem ridet illum, quoniam videt quando tempus eius adfuturum sit.

ח Gladium stringunt impii, et arcum suum tendunt ad deiiciendum humilem et egenum, ad trucidandum

Dann da vallend die übeltäter sy vallend und mögend nit ufrecht blyben.

XXXVI.

Es ist ein warnung, das die gotsvörchtigen der gotlosen laster nit nachvolgind umm ires glücks willen. Es wirt ouch beider ard und end beschriben.

Nit yfer die bösen, schlach nit den übeltäteren nach.

Dann sy werdend bald abgehowen wie das gras, und hinvallen wie das grüen krut.

Hoff uff den herren und tuo recht, won uff der erd und halt glouben.

Erlust dich am herren, der wirt dir geben was din hertz begert.

Offembar dem herren dinen weg, und hoff uff inn, er wirts wol machen; und wirt din grechtigheit harfür bringen wie ein liecht, und dine urteil wie den mittag.

Schwyg dem herren und wart uff inn, nit yfer dem nach dem es wol gat, dem man der nach sinem muotwillen tuot.

Stand ab vom zorn, lass den grimm, nit yfer den gotlosen nach, das du übel tüegist. Dann die bösen werdend usgerütet, und die uff den herren hoffend werdend die erd erben.

Es ist noch um ein kleins ze tuon, so ist der gotlos nümmen; so du wirst sin statt betrachten, wirt er nit da sin. Aber die verkümreten werdend das land erben, und sich erlustigen in grossem frid.

Der gottlos hindergat den grechten, und kirschet mit den zenen über inn. Aber der herr lachet sin, dann er sicht das sin zyt kumpt.

Die gottlosen zuckend das schwert, spannend iren bogen, das sy den ellenden und armen fellind.

eos qui via recta incedunt. Gladius eorum penetrabit in cor eorum, et arcus eorum frangentur.	und metzgind [1] die des ufrechten wegs sind. Ir schwert wirt in ir hertz gon, und ir bogen werdend zerbrochen.
מ Pusillum iusti praestantius est ingenti impiorum copia.	Das wenig des grechten ist besser dann das gross guot viler gotlosen.
Quoniam brachia impiorum corrumpuntur, iustos autem firmat Dominus.	Dann die arm der gotlosen werdend gebrochen, aber die grechten vestnet gott.
י Novit Dominus innocentium quoque tempus: nam hereditas eorum erit sempiterna.	Der herr kennet die tag der grechten, und ir erb wirt ewig sin.
Non pudefient in periculoso tempore, et in fame saturabuntur.	Sy werdend nit ze schanden in böser zyt, und zuo der zyt des hungers werdend sy ersettigot.
כ Sed impii peribunt, et hostes Domini, perinde ac preciosi arietes in fumum rediguntur, consumentur.	Dann die gotlosen werdend umkomen, und die fygend des herren vergond glych wie die kostlichen wider imm rouch.
ל Foenerat impius et non donat; iustus autem cum benignitate donat.	Der gottlos entlicht und bezalt nit, aber der fromm ist danckbar und gibt.
Quibus autem hoc probabitur possidebunt terram, et qui hoc execrantur, extirpabuntur.	Dann sine gebenedyeten erbend [2] das land, aber sine verflüechten werdend usggrütet.
מ A Domino diriguntur gressus boni viri, et viam eius amat.	Die geng des mans werdend von gott gefüert, und er hatt ein wolgevallen an sinem weg.
Cum ruit, non corruit: Dominus enim sustinet manu sua.	Falt er so zerfallt er nit, dann der herr understützt sin hand.
נ Puer fui, et nunc senui, nunquam tamen vidi iustum derelinqui nec semen eius quaerere panem.	Ich bin iung gewesen und ietz alt worden, und hab nit gesehen das der fromm verlassen sye oder sinen somen nach brot gon.
Etiamsi nunquam non det per misericordiam mutuo. Hinc fit ut semen eius feliciter rebus fruatur.	Er ist zuo aller zyt güetig und lychet, und sin som wirt gesegnet sin.
ס Fugit malum, et sectatur bonum, et inhabitat in perpetuum.	Lass vom bösen und tuo guots, so wirstu ewklich ynwonen.
Dominus enim amat aequanimitatem, neque deserit sanctos suos, sed in perpetuum custodiuntur. Semen autem impiorum excindetur.	Dann der herr hatt das recht lieb, und verlasst sine heligen nit; sy werdend ewigklich verhüet, aber der gotlosen som wirt usgerütet.
ע Iusti vero possidebunt terram, et in perpetuum habitabunt super eam.	Die grechten erbend das land, und werdend immer ewiklich darinn wonen.

[1]) Oder: schlachtind. [2]) Oder: besitzend.

פ Os iusti meditatur sapientiam, et lingua eius aequitatem loquitur.

Der mund des grechten gat mit wysheit umm, und sin zung redt gricht.

Lex enim Dei sui in corde eius est, unde non falluntur viae eius.

Das gsatzt sines gots ist in sinem hertzen, sine tritt valend nit.

צ Observat impius iustum, et quaerit eum occidere.

Der gotlos spehet uff den frommen, und suocht inn ze töden.

Dominus autem non relinquit eum in potestatem istius, neque ut damnet eum cum iudicat illum.

Aber der herr lasst inn nit in sin hend, noch verdammet inn so er verurteilt wirt.

ק Spera in Dominum, et custodi viam eius, et exaltabit te ut possideas terram, et excidium impiorum videas.

Hoff uff den herren und halt sine weg, so wirt er dich erhöhen das du das land erben wirst, und sehen wenn die gotlosen usgerütet werdend.

ר Fuit quum viderem impium irroborescere et surgere sicut virentem laurum, sed ecce dicto citius nullus erat; quumque eum investigarem, non inveniebatur.

Ich hab gsehen das ein gotloser mechtig was und yngewurtzet wie ein gruonender lorboum; aber als man für gieng, sich da was er nit; ich fragt imm nach, aber er ward nit funden.

ש Custodi integritatem, et quod rectum est contemplare! haec enim postremo homini pacem conciliant,

Bewar das ufrecht und sich uff das styff, dann das ist das end dem fridsamen menschen.

Quum transgressores simul exterminati erunt: impiorum enim postrema sunt excidium.

Aber die übertretter werdend mit einander verderbt, das end der gotlosen ist umkomen,

ת Salus autem iustorum a Domino: hic enim est robur eorum in articulo angustiae. Dominus fert eis opem et eripit eos, eripit et salvat eos ab impiis, quoniam sperant in eum.

Das heil aber der frommen ist vom herren, der sy sterckt in der zyt der not. Und der herr kumt inen ze hilff und errettet sy, er errettet sy von den gottlosen und behalt sy, dann sy truwend uff inn.

XXXVII.

Davidis carmen quo mala sua memorat.

Fidelis exploratio sui ipsius est, et criminis confessio. Deserunt amici, adversantur hostes. In solo igitur Domino salus reponitur.

XXXVII.

Es ist ein lutre erfarnus syn selbs und bekennen der misstat. Es stellend sich fründ und fygend wider üns, und findend nit heil denn in dem einigen gott.

Domine ne quaeso in furore tuo arguas me, neque in fervore tuo me corripias!

Herr nit straff mich in dinem zorn, noch züchtig mich in dinem grimm.

Sagittae enim tuae infixae sunt mihi, fixa est super me manus tua.

Dann dine pfyl steckend in mir, und din hand truckt mich.

Nihil relinquitur integrum in carne mea ab indignatione tua, nihil integrum in ossibus meis a peccato meo.

Es ist nütz gantzes an minem fleisch vor diner ungnad, es ist ghein frid in minen gbeinen vor miner sünd.

Scelera enim mea transcendunt caput meum, et velut immane pondus graviora sunt quam ferendo sim.

Dann min bosheiten sind über min houpt ggangen, sy sind mir ze schwer worden wie ein schwärer last.

Putent ac tabescunt vomicae meae a stultitia mea.

Mine wunden sind stinckend und ful worden vor miner torheit.

Adflictus et humiliatus sum eo usque, ut omne tempus mihi fastidiosum sit.

Ich bin krümmt, ich buck mich träffenlich, alle tag gon ich truriklich.

Pleni sunt miseria lumbi mei, et in me toto nihil salvum est.

Dann mine lende sind voll schmach, und ist nütz gesunds in minem lyb.

Fractus et comminutus sum vehementer, eiulatum exprimit mihi fremitus cordis mei.

Ich bin zerrüttlet und zerstossen so träffenlich, das ich brüel vor unruow mines hertzens.

Domine notum est tibi omne desiderium meum, et gemitus meus non te latet.

Herr vor dir ist all min begird, und min süftzen ist dir nit verborgen.

Cor meum palpitat, reliquit me robur meum, et acies cum ipsis oculis non est mecum amplius.

Min hertz trümmlet, min krafft hatt mich verlassen, und das liecht miner ougen ist ouch nit by mir.

Amici et proximi mei e regione stabant quum percuterer; cognati vero longe aberant.

Mine lieben und fründ stond vorüber miner wunden, und mine nechsten stond von ferrnus.

Et irruerunt in me qui insidiantur vitae meae; et qui malum mihi concinnant, fraudes ac dolos omni tempore excogitant ac meditantur.

Und die min sel suochend tuond mir ufsatz, und die mir übels suochend redend ytelgheit, und betrug tichtend sy zuo aller zyt.

Ego autem velut surdus non audio, et sum sicut mutus qui os non aperit.

Aber ich hörs nit, glych sam ich tumm [1] sye, und bin wie ein stumm, der sinen mund nit uf tuot.

Sum sicut homo qui audit, et ob id redarguere nequit.

Und bin wie ein man der nit hört, und ghein widerred in sinem mund hatt.

In te enim o Domine spero, tu respondebis spei meae, Domine Deus meus.

Dann herr ich bin uff dich vertruwt, du herr min gott wirst mir antwurten.

Nam istud postulo, ne meo malo gaudeant, neque lapsu pedum meorum magnifice gratulentur.

Dann ich hab geredt: ach das sy sich nit fröwind ob mir, noch sich in bewegnus mines fuosses gross machind über mich.

Equidem ad flagrum paratus sum, et vibices meae nunquam excidunt mihi.

Dann ich bin der geislen gemacht, und min schmertz ist allweg vor mir.

Ipse enim scelus meum fateor, et peccatum meum me sollicitat.

Dann ich zeig min misstat, und bin sorgveltig für min sünd.

Sed hostes mei salvi sunt ac fortes, et crescunt qui me iniuria odio habent.

Aber mine figend lebend und sind mächtig, und ist dero vil die mich valschlich hassend.

---

[1]) Oder: ghörlos.

Quique reddunt malum pro bono, calumniantur me quod bonum sector.

Ne igitur deseras me, Domine Deus meus! ne longe abeas a me!

Propera ad auxiliandum mihi Domine, salus mea!

Und die so guots mit bösem widergeltend sind wider mich, darumm das ich dem guoten nachiag.

Verlass mich nit herr min gott, ferr dich nit von mir!

Yl mir ze helffen, du herr mines heils!

XXXVIII.

David carmen adhortatorium pro vice Idithum.

Communis oratio est, qua cum omnes propter quotidiana scelera dignos verberibus confessus est, misericordiam implorat.

Statueram custodire vias meas quo minus lingua mea peccarem, servabam freno os meum: impius enim observabat me.

Compescebar, silebam et obmutescebam, bono quidem consilio, sed exasperabatur dolor meus.

Incalescebat cor meum intra me, et meditando ignis magis incendebatur. Sic ergo lingua disserebam:

Indica mihi Domine finem meum, et modus dierum meorum quisnam sit! sciam quaeso, quando defecturus sim!

Ecce tu constituisti dies meos palmi longitudine, et aetas mea tanquam nihilum est coram te. Et certe tota vanitas est universus hominis status. סלה.

Nam imaginariam vitam ducit homo, temere tumultuatur, adcumulat et nescit cui ea congreget.

Nunc igitur quid expectem Domine? spes mea in te est sita.

Libera itaque me de omnibus transgressionibus meis, et opprobrium vanorum ne facias me!

Tacebo et non aperiam os meum, si tu istud feceris.

XXXVIII.

Es ist ein gemein gebett, das den menschen erinneret, und sich billich gestraft werden erkennende nach gnaden wirbt.

Ich hab mir fürgenomen, ich welle mine weg verhüeten, das ich nit sünde mit miner zungen, ich welle mine leftzen mit eim schloss verhüeten, so lang der gotlos wider mich stat.

Ich bin gar gestillet, ich hab des guoten geschwigen, und min schmertz ist erhebt.

Min hertz ist in mir heiss worden, in minem trachten ist das für anggangen, und hab geredt mit miner zungen.

Herr tuo mir kund min end, und welchs die mass miner tagen sye, bericht mich wenn es umm mich us sye.

Sich du hast mine tag handbreit gemacht, und all min leben ist grad wie nütz vor dir; noch ist es alles ytel was alle menschen fürnemend. סלה.

Noch so wandlet iederman in einer gstalt,[1] noch tummlend sy ytellich, er sammlet und weisst nit wers ynfüeren wirt.

Und nun herr wes wart ich? min hoffnung ist zuo dir.

Erlös mich von aller miner übertrettung, mach mich nit zuo einr schmach des torechten.

Ich bin verstummet und tuon minen mund nit uf, dann du hasts gemacht.

---

[1]) Oder: als ob er etwas sye.

Aufer a me verbera tua! nam ab ingravescente manu tua ego consumor.

Quum tu hominem propter scelus cum obiurgatione corripis, iam tabescit velut a tinea quantus quantus est; adeo frivola res est homo. סלה.

Exaudi Domine orationem meam, clamorem meum auribus cape, ne dissimules lacrimas meas, etiamsi apud te advena sim et peregrinus sicut omnes patres mei.

Dimitte me facta gratia, priusquam abeam et nullus fiam.

Wend von mir din plag; es macht mich us das din hand zuolegt.

Du züchtigest yederman mit den straffen der sünd, und entschöpfest syn zier wie die schaben tuond. Noch sind alle menschen ytel. סלה.

Hör min gebett herr und vernim min gschrey, schwyg nit zuo minen trähen, das ich ein frömbdling by dir bin und ein gast wie alle mine vordren.

Lass von mir das ich erstarche, ee und ich hingang und nit me sye.

XXXIX.

David carmen adhortatorium.

Confessio est, qua et laudatur deus, cum distinctione quo nam pacto recte colatur, et invocatur in tribulatione ex firma in eum spe.

Quum diu expectavissem Dominum, tandem attendit mihi, et exaudivit clamorem meum.

Extraxit me de profundo lacu, et de luto coeni; statuit in petram pedes meos, et dirigit iter meum.

Quare carmen novum ori meo inseruit, gratiarum videlicet actionem Deo nostro, ut universi considerent et metuant ac sperent in Dominum.

O felicem virum qui fiduciam suam in Dominum habet, qui ad fastum se non convertit, sed avertit a vanitate.

Tu enim Domine Deus meus admiranda facis innumera, et consilia tua apud nos exemplo carent. Memorare et narrare ea quum instituo plura sunt quam ut numerari possint.

Victimam et sacrificium non amas, at aurem mihi vellicas, holocaustum et expiationis hostiam non requiris; dixi ergo: en ipse veniam.

XXXIX.

Es ist ein uskünden, darinn gott gelobt wirt, mit underricht, womit doch gott recht vereret wird. Er wirt ouch in eim trüebsal angerüeft mit one ungezwyflete hoffnung.

Ich wartet uff den herren, und er neigt sich zuo mir, und hort min schryen.

Und fuort mich us der gruob des geriischs, von dem wuost des kaats, und hat min füess uff den felsen gestellt, er hatt mine geng gericht.

Und hatt mir ein nüw gsang in minen mund ggeben, das lob ünsers gottes; das sehend vil und fürchtend und hoffend zuo gott.

Wol dem man der sin hoffnung zuo gott gesetzt hatt, und sich nit wendt zuo den hochfertigen und lugneren.

O herr min gott du hast vil geton, dinen wundren und dinen anschlegen gegen üns ist nütz glych. Ich habs wellen uskünden und ussprechen, aber sy sind mir ze starck worden ze erzellen.

Opfer und spysopfer gefallend dir nit, aber die oren hastu mir ufgeton, du forschest dem brand und sünd opfer nit nach.

In prima pagina libri scriptum est de me, ut faciam quod tibi placitum est, o Deus meus, quod et mihi probatur: nam et lex tua in medio viscerum meorum scripta est.

Denn so gedenck ich: Sich ich kumm, wie im buoch über mich geschriben ist. Min gott ich han lust dinen willen ze tuon, und din gsatzt innwendig.

Praedico iustitiam coram tota ecclesia. En labia mea non cessant Domine, ut vides.

Ich predgen grechtigheit in der vile der gmeind; sich ich verheb mine leftzen nit, herr das weistu.

Iustitiam tuam de medio cordis mei non celo, veritatem et salutem tuam dico, non dissimulo bonitatem et fidem tuam coram universa ecclesia.

Din grechtigheit verbirg ich nit in minem hertzen, din warheit und din heil sag ich, ich verhäl din güete und trüw nit in der vile der gemein.

Tu ergo Domine miserando ne cesses a me, bonitas et fides tua semper defendant me.

Aber du herr wellist din gnad von mir nit verheben, din gnad und trüw behüetind mich allweg.

Quoniam obruerunt me mala quorum non est numerus, comprehenderunt me scelera mea ut nequeam dispicere: plura enim sunt quam pili capitis mei, et cor meum dereliquit me.

Dann übels hatt mich umgeben on zal, mine misstaten habend mich ergriffen das ich nit sehen kan; iro ist me denn haren uff minem houpt, und min hertz hatt mich verlassen.

Festina Domine ut liberes me Domine, et ad auxiliandum mihi propera.

Herr lass dirs gevallen das du mich rettist, yl mir ze helffen.

Erubescant et confundantur cito, qui quaerunt animam meam ad perdendum eam! retro cedant et afficiantur ignominia qui mea calamitate gaudent!

Es werdend sich schemen müessen und zuo schanden werden mit ein andren, die min sel suochend umzebringen; sy werdend ze rugg vallen und schamrot werden, denen min übels wol gefallt.

Vastentur denique post confusionem suam, qui ogganniunt mihi ohe ohe!

Sy werdend ze lon ummkomen in irer schand, die über mich sprechend ä ja ä ja.[1]

Gaudeant autem et laetentur in te, omnes qui quaerunt te, et qui salutem tuam amant iugiter dicant: magnificetur Dominus!

Es werdend aber frolocken und fröid haben in dir alle die dir nachfragend, und werdend on underlass sprechen die din heil lieb habend: Der herr sye hochgelobt!

Ego autem humilis et pauper sum, Domine consule auxilio meo: tu enim es liberator meus. Deus meus ne moreris!

Aber ich bin ellend und arm, doch hatt der herr min acht; du bist min helffer und entschütter, min gott sum dich nit.

---

[1]) Oder: da, da.

XL.

David carmen adhortatorium.

In aegritudine sive animi sive corporis orat Dominum ut sui miscreatur, quoniam et ipsum commisertum sit pauperum.

Beatus est qui pauperis rationem habet, quoniam in periculi tempore liberabit eum Dominus.

Dominus custodiet eum, salvum et beatum faciet eum in terra neque tradet eum in manus hostium eius.

Dominus restituet eum quum decubuerit; tu Domine commutas omnem aegritudinem eius.

Hinc ego quoque dico o Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi adversum te.

Inimici mei dicunt male de me: Quando morietur? ut pereat nomen eius.

Et sive ingrediatur ad inspiciendum, sive egrediatur, sic loquitur cor eius, et scelus sibi adcumulat.

Adversum me concursant simul omnes inimici mei, et malum consilium adversum me capiunt.

Hostile verbum iactatur inter eos: qui iacet non resurget.

Sed et sodalis meus, quo unice fidebam quique panem meum edebat, strenue insidiatus est mihi.

Tu igitur Domine miserere mei, et restitue me, ut reddam eis.

Isto sciam quod me ames, si hostis meus non insultet mihi.

Me propter innocentiam meam quaeso fulcias, et constituas coram te in sempiternum.

Collaudatus sit Dominus Deus Israel ab aeterno in aeternum. Amen Amen.

XL.

Er vermanet gott in kranckheit des lybs oder der sel, das er sich sin erbarme, dann er habe sich ouch über die armen erbarmt.

Wol dem der den armen bedenckt, den wirt der herr zuo böser zyt erretten.

Der herr wirt sin hüeten und bim läben bhalten, es wirt imm wol gon uff erden, und wirst inn nit hingeben in den muotwillen siner fygenden.

Der herr wirt inn stercken so er zbett kranck ligt, du wendst sin gantz läger in siner kranckheit.

Darumm sprich ich: herr bis mir gnädig, heil min sel, dann ich hab an dir gesündet.

Mine fygend redend mir übels zuo: wenn wirt er sterben und sin nam vergon?

Und so er kam ze sähen, so redt er unnütz, sin hertz samlet imm unrechts, und gieng hinus das ers seyte.

Alle die mich hassend runend mit einander wider mich, sy erdenckend mir böses wider mich.

Es ist imm ein bös wort empfallen: welcher ligt der wirt nit widrumm ufston.

Ouch min fridsamer, dem ich vertruwt, der min brot aass, hatt grossen hindergang wider mich gebrucht.

Aber du herr bis mir gnädig, und richt mich uf, so wil ichs inen widergelten.

Daran erkenn ich das du gunst zuo mir hast, so min fygend über mich nit iuchtzen wirt.

Mich aber hastu in miner grechte enthalten, und mich gestelt für din angsicht ewklich.

Hochgelobt sye der herr gott Israels von ewen zuo ewen! Amen. Amen.

XLI.

Filiorum Chore admonitio sive praeitio adhortatoria.

Querimonia est apud Deum de inimicorum contumelia et animi perturbatione isthinc orta; immota tamen spes sese solatur.

Quemadmodum cervus mugit ad rivos aquarum, sic clamat anima mea ad te o Deus.

Sitit anima mea ad Deum, ad Deum vivum. Quando quaeso veniam et adparebo vultui Dei?

Vertuntur mihi lacrimae meae, quas nocte et die fundo, in cibum, quum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?

Haec mecum reputo et animi mei mecum aestus effundo.

Quando delibutus proficiscar, ut cum sociis eam in domum Domini cum exultanti voce et gratulatione, cum festivo ac celebri coetu.

Quam deiecta es anima mea et conturbas me? spera in Deum, quoniam futurum est ut pro salute reddita gratias agam coram conspectu eius!

Deiicit se apud me anima mea o deus, quum subinde recordor tui, a terra Iordanis et pusillo monte Hermonim.

Abyssus abyssum invitavit, catarrhactae tuae vocem dederunt, omnes, nimbi et fluctus tui super me transierunt.

Quotidie commendat Dominus bonitatem suam; ideo omni nocte laudem Dei vivi canam.

Et dicam Deo petrae meae: cur oblitus es mei? cur tristis incedo dum hostes me adfligunt? dum ossa mea perdunt?

XLI.

Es ist ein vorgsang der sünen chore, welchem das volck nach gedacht, klagende vor gott die schmach der fygenden, und iren kumber der darus kam, und tröst sy die ungezwyflet hoffnung.

Wie der hirtz schryet nach den wasserbechen, also schryet min sel zuo dir o gott.

Min sel dürstet nach gott, der der läbendig gott ist. Wenn wird ich hinyn kumen und anschowen das angsicht gottes?

Mine trähen sind tag und nacht min spys, so man täglich zuo mir spricht: wo ist din gott?

So ich daran gedenck, so schütt ich min gmüet us,[1]

Das ich in die hütten gon well, und sy fliehen bis zuo dem hus gottes, mit frölicher stimm und dancksagung des fyrenden volcks.

Was krümpstu mich min sel und worumm gestattest mir unruow? hoff zuo gott das ich inn wyter veriehen wird, dess angsicht das heil ist.

O min gott min sel krümpt mich, darumm gedenck ich din von dem land des Iordans und Hermonim, von dem kleinen berg.

Ein tieffe hatt der andren gerüeft mit der stimm diner kennlen, alle dine wasserbrüch und dyne wellen sind über mich gangen.

Tags hatt der herr sin güete empfolhen, aber nachts ist sin gsang by mir, das gebett zuo gott mines läbens.

Ich wil zuo gott der min fels ist sagen: warumm vergissest min? warumm wandlen ich trurig in dem trang des fygends?

---

[1]) Oder: so nim ich mir für.

Calumniantur me inimici mei quotidie ad me dicendo: ubi est Deus tuus?

Tu vero anima mea cito deiecta es, et cur conturbas me? spera in Deum: nam futurum est ut Deo meo iterum pro reddita salute gratias agam.

Mine fygend schmähend mich, welchs mich in minen gbeinen mürdt, so sy täglich zuo mir sprechend: wo ist din gott?

Warumm krümbstu mich min sel, und warumm gestattest mir unruow? hoff in gott, dann ich inn wyter verjehen wird, der das heil mines angsichts ist und min gott.

XLII.

Eiusdem argumenti est cum antecedente. Aut imitatio alicuius.

Vindica me Deus et defende causam meam de gente non saucta, ab homine doloso et scelerato libera me!

Tu enim es o Deus robur meum. Cur me repellis? cur tristis incedo hostibus me adfligentibus?

Emitte lucem et veritatem tuam! istae me ducant et collocent in sanctum montem tuum, et in habitaculum tuum.

Ut adeam aram Dei, ad Deum laetitiam et exultationem meam, et gratias tibi agam cum cithara, o Deus, Deus meus!

Cur vero anima mea deiecta es, et cur me molestas? spera in Deum, quoniam futurum est ut iterum pro salute mihi reddita gratias agam Deo meo.

XLII.

Ist eins sinnes mit dem vordrigen psalmen.

Rich mich herr und kempf minen kampf von dem unheligen volck, entschütt mich von den valschen und bösen menschen.

Dann du gott bist min stercke. Worumm schupffestu mich? worumm lassestu mich so trurig gon in dem trang des fygends?

Send din liecht und din warheit, die werdend mich leyten und füeren zuo dinem heligen berg, und zuo diner wonung.

Das ich hinyn komen wird zum altar gottes, zuo gott der fröid mines frolockens, und dich uf der harpfen loben o gott min gott.

Worumm krümbstu mich min sel, und warumm gestattest mir unruow? hoff in gott, dann ich inn wyter verjehen wird, der das heil mines angsichts ist und min gott.

XLIII.

Filiorum Chore admonitio vel praeitio adhortatoria.

Pia expostulatio cum Deo, qua petitur ut iuxta foedus cum patribus initum auxilium ferat: satis enim ipsos adflictos esse.

Auribus nostris audivimus o Deus, memorantibus patribus nostris, opera, quae quum ipsi viverent, retro temporibus operatus es.

XLIII.

Es ist ein gotzförchtig ufheben, darinn begert wirt, das er nach innhalt des pundts, mit den vätteren getroffen, inen ze hilff kum, dann sy lang gnuog verkümret sygind.

O gott wir habend mit ünseren oren ghört, ünsere vätter habends üns erzelt, das so du geton hast by iren tagen in der zyt vorhar.

Tu enim manu tua, eliminatis gentibus, consevisti eos; tu perdidisti et abiecisti populos.

Du hast mit diner hand die heiden usgerütet, und sy gepflantzet; du hast die völcker verderbt, und sy dar geordnet.

Non enim gladio suo comparaverunt terram neque brachium suum salvavit eos, sed dextera tua, brachium tuum et lux vultus tui, quoniam gratia tua prosequebaris eos.

Dann sy habend das land nit mit irem schwert überkomen, und ir arm hatt sy nit geholffen; sunder din rechte hand din arm und das liecht dines angsichts, dann du liesst dir sy gevallen.

Tu enim es ille rex et Deus noster qui mittis Iacobo salutem.

Du bist o gott min küng, der Iacob hilff tuost.

Te duce hostes nostros velut cornu ventilavimus, virtute tua fulti spernebamus qui insurgebant in nos.

Durch dich habend wir ünsere fygend mit den hornen pallet, in dinem namen habend wir zertretten die sich wider üns embortend.

Non enim speravimus in arcum nostrum, neque gladius noster salvavit nos.

Dann ich hab mich nit uff minen bogen verlassen, und min schwert hatt mir nit geholffen.

Sed tu salvasti nos de hostibus nostris, et inimicos nostros confudisti.

Sunder du hast üns geheilet von ünseren fygenden, und hast ze schanden gmacht die üns hassend.

Te Deum nostrum collaudemus omni tempore, et maiestati tuae in perpetuum gratias agamus. סלה.

Wir habend den herren täglich gelobt und sinen [1] namen on underlas gebrisen. סלה.

Nunc autem deseris, et obiicis contumeliae, neque proficisceris cum exercitibus nostris.

Nun aber verlassestu üns, und machst üns ze schanden, und züchst nit us mit ünserem heer.

In fugam vertis nos coram hoste, et inimici nostri conculcant nos.

Du machst üns flüchtig von ünseren fygenden, und die üns hassend beroubend üns.

Fecisti nos gregi qui laniatur similes, et inter gentes dispersisti nos.

Du machst üns wie die schaff die man isst, und zerströwst üns under die heiden.

Vendidisti populum tuum in frequente mercatu, neque tenaciter contendisti de pretio eorum.

Du verkoufst din volck wolfeil, und bist nit tür in irem hingeben.

Exposuisti nos ludibrio vicinorum nostrorum, risui et cachinno his qui circum nos sunt.

Du machst üns zuo einer schmach ünseren nachpuren, zuo eim gspött und mupfen denen die umm üns harumm sind.

Fecisti nos fabulam in gentibus, et sannam in populis.

Du machst üns zuo eim byspil under den heiden, zuo eim kopfschütlen under den völckeren.

Omni tempore ignominia nostra ante oculos nostros est, et pudor vultus nostri operit nos.

Min schmach ist täglich vor mir, und die scham mines angsichts verbirgt mich

[1]) Oder: dinen.

Propter vocem contumeliantis et convitiantis, propter inimicos grassantes.

Haec omnia usu veniunt nobis; attamen non obliviscimur tui et foedus tuum non violamus.

Cor nostrum non vertitur retro, sed tu declinasti gressus nostros de semita tua.

Comminuisti nos in pulverem ubi draconum sunt cubilia, et letali umbra operuisti nos.

Si obliti fuissemus nominis Dei nostri, et manus nostras ad peregrinum Deum expandissemus:

Iure inquireret super isto Deus: ipse enim novit abdita cordis.

Sed propter te trucidamur omni tempore, aestimamur sicut oves macello destinatae.

Exurge igitur! cur stertis Domine? expergiscere, et ne prorsus deseras!

Cur vultum tuum abscondis? cur oblivisceris nostrae tum adflictionis tum expugnationis?

Quoniam depressa est ad pulverem anima nostra, humi defixus est venter noster.

Exurge igitur fer opem nobis, et libera nos per bonitatem tuam.

Vor der stimm des schenders und lestrers, vor dem fygend und raachgirigen.

Diss alles ist über üns komen; noch habend wir din nitt vergessen, noch valschlich an dinem pundt gefaren.

Unser hertz ist nit hinder sich gwichen, noch üinser gang von diner straas abgewendt;

Das du üns also verhergtist bis zuo dem ort der dracken, und deckst über üns die finsternus des tods.

Hettind wir des namens ünsers gottes vergessen, und ünser hend zuo eim frömden gott usgestreckt;

Wurde gott das nit erfaren, so doch er erkennt die heimlicheit des hertzens?

Noch so werdend wir täglich umm dinetwillen getödt, wir werdend gschetzt als die schlacht schaaff.

Erwach herr! warumm schlafstu? wach uf und verstoss üns nit gar.

Warumm verbirgstu din angsicht? vergissest ünserer verkümernus und trangs?

Dann ünsere sel ist in das kat gebogen, ünser lyb klebt am erdboden.

Stand uf üns ze helffen, und erlös üns umm diner güete willen.

XLIV.

Filiorum Chore adhortatorium, carmen amatorium super Scoscamim, id est, liliis canendum, Maschil, id est, admonitorium sive praeitorium, sive praeconium.

Laus est sub encomio regis et reginae, veri regis Christi ac sponsae eius ecclesiae.

Profundat cor meum orationem luculentam, ut regi recenseam opus meum. Tu lingua mea prompti scribae stilus esto!

XLIV.

Es ist ein lobgsang, under der glychnus eins küngs und küngine, des waren küngs gottes und der kilchen sines gmahels.

Min hertz bringt etwas guots, offnende das ich dem küng gemacht hab. Min zung sye wie ein griffel eins fertigen schrybers.

Pulcherrimus hominum es, gratia diffusa est per labia tua; adde quod Deus beatum te fecit in perpetuum.

Du bist der schönst über alle menschen kinder, gnad ist in dine leftzen ggossen; darumm hatt dich gott für und für in huot.

Accinge renes tuos o heros gladio tuo! honore, gloria et magnificentia tua perrumpe!

Gürt umm din schwert über dine lende du mechtiger, sampt dinem prys und zier.

Inscende et vehere his rebus velut quadriga, veritate, fide, mansuetudine et iustitia, et per omnia diriget te miranda dextera tua.

Well gott das diner zier gelinge, far da har uff der warheit, senfte und grechtigheit, so wirt dich din grechte hand durch alle vorchten wysen.

Sagittae tuae acutae corda hostium regis penetrent; populi abs te sternantur.

Dine pfyl sind scharpf, die völcker werdend under dir vallen; dine pfyl werdend in das hertz des küngs fygenden vallen.

Solium tuum o Deus, in perpetuum et si quid ultra est durat; sceptrum regni tui aequitatis sceptrum est.

Din stuol blybt immer und ewig o gott, der stab dines rychs ist ein grader stab.

Amas iustitiam et iniuriam odisti; idcirco unxit te Deus, Deus tuus unguento laetitiae prae sodalibus tuis.

Du hast grechtigheit lieb und hassest gottlose, darumm hatt dich gott din gott gesalbet mit dem öl der fröiden, me denn dine xellen.

Myrrham, stacten, et casiam redolet vestis tua, de domiciliis eburneis, in quibus iucunde victitas, *prodis*.

Alle dine kleider sind wie mirrhen, aloes und cassia, dine palest sind von helffenbein, erfröwend dich träffenlich.

Regum quoque filiae ambitiosa ista tua inhabitant. Consistit regina ad dexteram tuam in mundo auri nobilissimi.

Der küngen dochtren sind in dinen kostlichen geschmücken, din frow stat zuo diner grechten in aller kostlichostem gold.

Eam si alloquor: Ausculta o filia, inspice, et aurem tuam praebe, atque obliviscere populum tuum, et domum patris tui!

Los dochter und sich uf, und neig dyne oren, und vergiss dines volcks und dines vatters hus.

Rex enim deamat venustatem tuam, quia ipse est dominus tuus, et adorabis eum.

Dann der küng hatt begird nach diner schöne; er ist din herr, darumm soltu dich vor imm bucken.

Filiae autem Tyri et divites populi allatis muneribus vultum tuum deprecabuntur.

Es wirt ouch die dochter Tyri mit schencke und die rychen des volcks din angsicht bitten.

Omnis decor reginae usque ad intima, et phrygio opere omnis vestis eius deaurata et acu picta.

Des küngs dochter gantze herlicheit ist innwendig, ir kleid ist mit guldinen lysten.

Ducitur ad regem, et cognatae virgines post eam tibi veniunt, o rex!

Sy wirt in gestickten kleideren zum küng gefüert werden, und ire nechsten dochtren ir nach, werdend dir zuobracht.

Adducuntur cum laetitia et exultatione; adducuntur in regiam tuam.

Pro relictis parentibus tuis o regina erunt tibi filii, quos principes praepones universo orbi.

Memorabo nomen tuum universae posteritati, ut et populi te canant in aeternum, et si quid ultra est.

Sy werdend mit fröid und wunne bracht, sy werdend in den palast des küngs kummen.

An statt diner eltren hastu kinder überkomen, die wirstu zuo fürsten machen in aller welt.

Ich wil dinen namen in gedechtnus bringen von nachkomen zuo nachkomen, darumm werdend dich die völcker immer und ewklich loben.

XLV.

Filiorum Chore adhortatorium carmen ad Almoth canendum.

Ecclesiae, per allegoriam munitae urbis, noceri non posse docetur: Dominum enim ei adesse.

Deus refugium nostrum et robur, auxilium quoque ineffabile in tribulatione repertus est.

Propterea non timemus, etiamsi moveatur terra et devolvantur montes in abyssum maris;

Si tumultuentur et insurgant aquae eius; si frendant montes per superbiam suam. סלה.

Flumen enim est quod cum rivis suis laetificat civitatem Dei, sanctum tabernaculum altissimi.

Deus in medio eius est; nihil patietur: Deus enim tempestive opem feret ei.

Tumultuentur gentes, motus concitent regna, et tellus dato fragore contremiscat!

Dominus tamen exercituum nobiscum est, et refugium nostrum Deus Iacobi. סלה.

Venite, contemplemini opera Domini, quasnam solitudines fecerit in terra!

Bella sustulit usque ad terminos terrae, arcum confregit, hastam concidit, quadrigas autem combussit igne.

XLV.

Die so vestglöubig sind, mögind nit geschedigot werden, glych als ein unüberwintliche statt; dann gott ist mit inen.

Gott ist ünser trost und stercke, ein träffenliche hilff wirt er funden in nöten.

Darumm werdend wir üns nit fürchten, ob sich glych das erdrich umkeren wurd, und die berg in die tiefe des mers gewalet.

Ob glych sine wasser ufruortind und zemen fielind, das die berg erschräckind vor sinem erheben. סלה.

Die bech des flusses erfröwendt die statt gottes, die heligen wonungen des höchsten.

Gott ist in mitz in ir, sy wirt nit bewegt; gott wirt iro helffen am morgen früe.

Die völcker ufruorend, die rych erwegend sich; so er aber sin stimm hören lasst, so zerschmiltzt die erd.

Der herr der herzügen ist mit üns, der gott Iacob ist ünser enthalter. סלה.

Kumend und sehend die werck gottes, der die zerstörung uff erden geton hatt.

Er macht ruow von kriegen an allen enden der welt, er bricht den bogen, zerhowt den spiess, und verbrent die wägen im fhür.

Adquiescite igitur et cognoscite, quod ego sum Deus sublimis inter gentes, sublimis in universa terra.

Nemend üch der wil und erkennend das ich gott bin, ich bin hoch under den heiden und bin hoch imm land.

Dominus exercituum nobiscum est, et refugium nostrum Deus Iacobi. סלה.

Der herr der herzügen ist mit üns, der gott Iacob ist ünser enthalter.

XLVI.

Filiorum Chore adhortatorium carmen.

Gratulatio est super aliqua victoria, quae typus Christi rerum est.

Omnes populi plaudite manibus, iubilate Deo exultanti voce!

Quoniam Dominus excelsus, mirabilis et rex magnus est super universam terram.

Subiecit nobis populos et gentes sub pedes nostros.

Elegit hereditatem nostram, decorem Iacobi, quem diligit. סלה.

Ascendit Deus cum clangore, Dominus cum voce tubae.

Psallite Deo, psallite! psallite regi nostro, psallite,

Quoniam rex universae terrae Deus! psallite cum industria!

Deus gentibus imperat, Deus quoque sedet in solio suo sancto.

Principes populorum collecti sunt ad Deum Abrahami, quoniam super deos, terrae protectores, ultra modum altior factus est.

XLVI.

Es ist ein frolockung von eins sigs wegen, der ein vorbedütung christi gewesen ist.

Klopfend mit den henden alle völcker, schallend dem herren mit frölicher stimm!

Dann der herr der aller höchst ist erschrockenlich, ein grosser küng über alls erdrich.

Er schlecht die völcker under üns, und die lüt under ünsere füess.

Er hatt üns zuo sinem erb erwellt, die herlicheit Iacobs den er hat lieb gehebt. סלה.

Gott ist ufgefaren mit schalle, der herr mit der stimm des hornes.

Lobsingend lobsingend gott, lobsingend ünserem küng lobsingend.

Dann gott ist ein küng der gantzen welt, lobsingend wyslich.

Gott herschet über die heiden, gott sitzt uff sinem heligen stuol.

Die fürsten der völckeren sind zemen gsamlet zuo dem volck des gots Abraham, dann er ist träffenlich erhöcht über die gött schirmer der welt.

XLVII.

Filiorum Chore carmen laudatorium.

Encomium est Hierosolymae, quae typus est ecclesiae et cuiuslibet fidelis animae.

Magnificetur et summopere laudetur Dominus propter civitatem Dei nostri, montem eius sanctum!

XLVII.

Es ist ein brys der statt Hierusalem, durch die man die kilchen Christi und ein iede glöubige sel verston mag.

Der herr ist gross und hochgelobt in der statt ünsers gottes in sinem heligen berg.

Mons Zion in cuius aquilonari latere urbs magni regis, speciosa nympha est et decus universae terrae.

Ein hüpschs schoss das die gantzen welt erfröwt, sy ligt am berg zion an der syten gegen mitternacht die statt des grossen küngs.

Deus protectione aedium in ea notus est.

Gott ist in iren palästen erkannt für einn schirmer.

Nam ecce quum reges aut isthic colliguntur aut praetereunt;

Dann sich die küng habend sich zemen verbunden, sind über ein komen.

Quum contemplantur modo, sic consternantur: attoniti fiunt ac stupent.

Sy hands gsehen und darab verwundret, sind schüch worden und gestürtzt.

Sic corripit eos isthic pavor et dolor parientium;

Zittren hatt sy da ergriffen, wee, glych wie ein gebärerinen.

Quomodo quum Noti procella marinas naves comminuit.

Glych als so die merschiff von dem fönen brechend.

Haec audivimus et vidimus in civitate Domini exercituum, in civitate Dei nostri. Deus servet éam in perpetuum! סלה.

Wie man von ir hört, also findt mans in der statt des herren der herzügen in der statt ünsers gottes, gott wirt sy ewklich bewaren. סלה.

Exprimimus Deus bonitatem tuam in medio templi tui.

Gott wir wartend diner güete in dynem tempel.

Ut maiestas tua, ita et laus tua usque ad terminos terrae perveniat! dextera enim tua plena est iustitia.

Gott wie din nam ist, also ist ouch din lob bis an die end der welt, din rechte hand ist voll grechtigheit.

Laetetur mons Zion; exultent filiae Iuda propter iudicia tua!

Es fröwt sich der berg Zion, es frolockend die dochtren Iuda umm diner grichten willen.

Obambulate et circumite Zion; numerate turres eius!

Umgebend Zion und umvahend sy, zellend ire türn.

Commendate cordi vestro muros eius et aedes eius extruite, ut narrentur posteris!

Kerend üwre hertzen zuo iren muren, erhöhend ire türn, das sy von den nachkomen gezelt werdind.

Hic enim Deus Deus noster est in perpetuum, et si quid ultra est; ipse dux noster erit in sempiternum.

Dann der ist ünser gott immer und ewklich, der welle ünsere iugend wysen.

XLVIII.

Filiorum Chore carmen adhortatorium.

Rerum contemtus.

XLVIII.

Es ist ein grosse verachtung der irdischen dingen.

Audite istud omnes populi, aurem praebete omnes qui habitatis orbem,

Hörend das alle völcker, merckend uf alle die in disem zyt wonend.

Imi et summi, dives aeque et pauper!

Bede hoch und nider geborn, rych und arm mit einander.

Os meum disseret de sapientia et cor meum intelligentiam meditabitur.

Min mund wirt wysheit reden, und die trachtung mines hertzen verstentnus.

Divertam ad parabolam et aenigma meum carmine proponam.

Ich wil min or zuo glychnus worten neigen, und min räterschen uff der harpfen fürlegen.

Qui fit, ut diem malum metuam, ut iniquitas calcanei mei me circumstet?

Worumm sol ich mir fürchten in böser zyt? Die misstat miner betrügen wirt mich umgeben.

Quia ex his, qui rebus suis fidunt et in multitudine divitiarum suarum sese iactant, nemo fratrem suum ulla ratione potest redimere, neque pro eo redemtionem Deo dare;

Die sich verlassend uff ir guot,[1] und sich übernemend der vile irer rychtagen, dero erlöst gheiner sinen bruoder, gibt ouch gott nit versüenung sin,

Neque pretium liberationis animae eius, ut in perpetuum vivat, et non sentiat corruptionem. Sed in perpetuum hoc negatum est.

Noch die summ der losung irer sel, sunder er manglet ewklich. Und lebt (der rych in sinem sinn) ewklich, er sicht die gruob nit.

Videre enim est ut sapientes aeque moriantur et pereant ac stulti et stupidi, et opes suas alienis relinquant.

Man wirt sehen das die wysen sterben werdend, mit einandren werdend die torechten und narren umkomen, und ir guot andren verlassen.

Quamvis penetralia sua, aedes et domicilia in perpetuum habitare decreverint, et nomina sua magna fecerint super terram, ut ad posteros durent.

Sy werdend die gmach irer hüsren ewklich bsitzen (in irem sinn), und ire wonungen von gschlecht zuo gschlecht, man nempt ire namen uff erden.

Quum homini haud detur ut cum opulentia sua quiescat, sed iumentis hac in re similis fiat:

Aber der mensch blybt nit in sölchem werd, sunder sy werdend glych den vihen vertüscht.

Tale est stultorum iter, et posteri eorum idem ingrediuntur. סלה.

Das sind die weg irer torheit, und ire nachkomen louffend glych wie sy. סלה.

Quos in foveam redactos mors velut gregem depascit ac subigit.

Sy ligend in der hell wie schaaff, der tod wirt sy weiden und sy beherschen,

Recti vero in luce erunt; at istorum thesaurus veterascet, et habitaculum eorum erit fovea.

Die grechten aber im liecht sin. Und iener hordt veraltet, und ist die hell sin wonung.

Verumtamen animam meam redimet Deus de potestate inferorum, et consolabitur me. סלה.

Aber gott wirt min sel erlösen uss dem gwalt der hellen, dann er wirt mich annemen. סלה.

---

[1]) Oder: macht.

Ne paveas quum ditescit homo, et quum augescit gloria domus eius!

Quoniam in morte sua omnium nihil accipiet neque sequetur eum gloria eius.

Sed dum vivit, anima eius beata dicitur; laudatur quum ei bene est.

Quum vero ad genus patrum suorum abierit, in perpetuum non videbit lucem.

Homo quum in pretio est, non reputat, sed iumentis comparatur et similatur.

Nit fürcht dir so einer rych wirt, so die herlicheit sines huses zuonimpt.

Dann er wirts alles nit mit imm nemen so er stirbt, sin macht wirt nit nach imm hinab faren.

Er tuot imm selbs in sinem läben güetlich, und rüempt dich so du dir selbs guots tuost: [1]

Du werdist zuo dem gschlecht siner vätter komen, da man nimmer me das liecht sicht. [2]

Der mensch ist tür und verstats nit, sy werdend vertüscht [3] glychsam die vich.

XLIX.

Asaphi carmen.

Comminatur Deum venturum et iniustitiam nostram increpaturum, qua iis eum colimus quibus minime vult, et quibus maxime amat coli isthic cessamus.

Dominus Deus fortis advocata terra ab ortu et occasu solis et a pulcherrima Zion loquetur cum maiestate veniens.

Veniet enim Deus noster, et non cunctabitur; vorax ignis ante ipsum incedet et circum eum vehemens turbo.

Advocabit superne coelum et inferne terram, ut iudicio contendat cum populo suo.

Congregemini mihi, inquit, sancti mei, socii foederis mei, quod super sacrificiis!

Hic coeli iustitiam eius praedicabunt: nam Deus ipse iudex erit. סלה.

Audi popule mihi! nam loquar, Israël: nam te contestabor ego Deus, Deus tuus.

XLIX.

Es ist ein tröwen, das gott kumen werd und unser bosheit straffen, das wir inn erend mit den dingen denen er nit nachfragt, und mit denen er wil geeret sin erend wir inn nit.

Der herr der mechtig gott hatt geredt, und dem land gerüefft von ufgang der sunnen bis zuo nidergang. Von Zion ist die volkomne schöne gottes erscheinet.

Unser gott wirt kumen und nit schwygen, das für frisst vor imm hin, und umm inn ein gross wätter.

Er wirt dem himel oben har rüeffen, und der erden, sin volck ze richten.

Versamlend mir mine heligen, die minen pundt über die opfer haltend.

Und die himel werdend sin grechtigheit usskünden, dann gott ist der richter. סלה.

Hör min volck ich wil dir sagen, Israel ich wil mich uff dich zügen, ich gott din gott:

---

[1]) Oder: Dann er bryst sin sel in sinem leben, und lobt dich so es dir wol gat. [2]) Oder: Du wirst zuo dem gschlecht siner vätter kumen, da etc. [3]) Oder: gestillet.

Num sacrificiorum causa redargui te, aut iugis holocausti coram me offerendi?

Das ich dich dines opfers halb nit straff, und dine brandopfer sind on underlas vor mir.

Num a domo tua taurum postulavi, aut de caulis tuis hircos?

Ich wil von dinem hus nit stier nemen, noch von dinen hütten böck.

Meae enim sunt omnes bestiae nemorum, et millia iumentorum in montibus.

Dann alle tier imm wald sind min, die tusend hopt veh in den bergen.

Notae sunt mihi volucres montium, et aviculae agri me non latent.

Ich kenn alles gflügel der bergen, und das gwild im feld ist by mir erkannt.

Si esuriero, non est ut tibi indicem: meus enim est orbis et quicquid in eo est.

Wo mich hungerte dörft ich dirs nit sagen, denn das gantz erdrich ist min und was darinn ist.

Num bubula carne vescor, aut hircorum sanguinem bibo?

Meinstu das ich ochsen fleisch esse, und bocks bluot trincke?

Macta Domino gratiarum actionem, et redde altissimo vota tua!

Opfer gott lob und danck, und bezal dem höchsten dine glübd.

Deinde invoca me in tempore tribulationis et eripiam te ut me magnifices.

Und rüeff mich an in der zyt der angst, so wil ich dich entschütten das du er von mir brysen wirst.

Contra vero impium sic adfatur Deus: Quamobrem praedicas legem meam, et foedus meum sumis in os tuum?

Aber zum gotlosen spricht gott: was gatt es dich an das du mine brüch erzellest, und nimbst minen pundt in dinen mund;

Quum tamen odio habeas disciplinam, et post tergum tuum verba mea abiicias?

So du zucht hassest, und wirfst min wort hinder dich?

Quum furem nactus es curris cum eo, et sors tua cum adulteris est.

Sichstu einen dieb so loufstu mit imm, und din teil ist mit den eebrecheren.

Os tuum laxas ad malum et lingua tua dolos concinnat.

Dinen mund lastu mit bösem an, und din zung flichtet trugnery.

Sedes et loqueris in fratrem tuum, et in filium matris tuae profers calumniam.

Du sitzst und redst wider dinen bruoder, den sun diner muoter verlümdest.

Haec facis dum dissimulo. Adde quod me tui similem putas. Sed redarguam te et me ob oculos tuos statuam.

Das tuostu, und ich hab dar zuo gschwigen; so meinstu ich sye glych wie du; aber ich wil dich straffen, und mich dir under ougen stellen.

Considerate ista quaeso, quibus numinis mentio excidit, ne quum rapiam desit vobis qui eripiat.

Merckend nun das ir die gottes vergessend, das ich nit etwa hinrysse, da wirt ghein retter sin.

Qui laudem et gratiarum actionem mactat, me magnificat, et hac via ostendam ei salutem Dei.

Das opfer der dancksagung lobt mich, und da ist der weg da ich imm zeig das heil gottes.

L.

David carmen adhortatorium super eo, quod Nathan propheta venerat ad eum, quum consuetudinem habuisset cum Bathsaba.

Mens adulterii et homicidii sibi conscia anxie orat, ut Dominus pristinam fiduciam et animi tranquillitatem restituat.

Miserere mei Deus pro bonitate tua; pro multitudine miserationum tuarum dele transgressiones meas!

Magis ac magis ablue me a scelere meo et a peccato meo munda me!

Nam transgressiones meas scio et peccatum meum nunquam excidit mihi.

In te solum peccavisse dolet et malum in oculis tuis fecisse. Quapropter iustifica secundum verbum tuum et munda secundum aequitatem tuam!

Ecce cum dolore natus sum et cum peccato concepit me mater mea.

Ecce vero tu fiduciae firmitate ita delectaris, ut abstrusa sapientiae docueris me.

Lustra me hyssopo et mundabor; lava me et supra nivem dealbabor.

Nuncia mihi gaudium et laetitiam, et exultabunt ossa quae comminuisti.

Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnia scelera mea dele!

Cor mundum crea mihi Deus, et spiritum integrum intra me renova!

Ne abiicias me de conspectu tuo et spiritum tuum sanctum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutis tuae, et spiritu liberali fulcias me.

L.

Er bättet engstlich, dann er sich selbs im eebrach und todschlag schuldig weisst, das imm gott verzich und den vordrigen trost und ruow der sel widergeb.

O gott bis mir gnädig nach diner güete, nach der vile diner erbermden vertilgg min überträtten.

Wäsch mich fast von miner misstat, und reinig mich von miner sünd.

Dann ich erkenn min überträttung, und min sünd ist vor mir on underlass.

Ich hab wider dich allein gesündet, und böss vor dinen ougen geton; das du rechtmachist nach dinem wort, und reingist mit dinem urteil.

Sich ich bin in bosheit geborn, und in sünden hatt mich min muoter empfangen.

Sich du hast die warheit lieb imm innwendigen, und im verborgnen lerstu mich wysheit. [1]

Entsündig mich mit Isopen so wird ich rein, wäsch mich so wird ich wysser denn der schnee.

Lass mich hören fröid und wunne, das die gbein frolockind die du zerschlagen hast.

Verbirg din angsicht von miner sünd, und vertilgg all min misstat.

O gott schöpf mir ein rein hertz, und ernüwer einn rechten geist in mir.

Verwirff mich nit von dinem angsicht, und dinen heligen geist nimm nit von mir.

Bring mir wider die fröid dines heils, und erhalt mich mit dem frygebigen geist.

---

[1]) Oder: und mit verborgner wysheit lerstu mich.

Et dirigam transgressores in viam tuam, et peccatores ad te redibunt.

Libera me de cruento scelere Deus, o Deus salus mea, ut celebret lingua mea iustitiam tuam!

Aperi Domine labia mea, ut os meum exponat laudem tuam!

Quoniam si amares victimam, redderem; sed holocausta non oblectant te.

Victimae Dei spiritus contritus, cor fractum et comminutum. Haec tu Deus non contemnis.

Bonitate ergo tua prosequere Zionem, ut serventur muri Ierusalem.

Sic enim gratum tibi fiet victimis iustitiae, sacrificio et holocausto; sic in aram tuam tauri imponentur.

Ich wil die überträtter dine weg leren, und die sünder werdend sich zuo dir wenden.

Erlös mich von den bluoten gott o gott mines heils, so wirt min zung din grechtigheit brysen.

Du herr wirst mine leftzen uftuon, und min mund wirt din lob uskünden.

Dann du hast nit lust zum opfer, dann ich gäbs, und brandopfer gevallend dir nit.

Die opfer gottes sind ein zerknister geist. Gott du verachtest ein zerknist und zerschlagen hertz nit.

Tuo Zion guots nach dinem guoten willen, erbuw die muren zuo Hierusalem.

Denn so wirstu lust haben an den opfren der grechtigheit, an den brandopfren und gantzen opfren, denn wirt man die stier uff dinen altar legen.

LI.

David adhortatorii generis Maschil; id est admonitio super eo, quum Doeg Idumaeus detulit ad Saulum, quod David venisset domum Abimelechi.

Obiurgat linguae temeritatem ac docet eam excidii vindictam manere.

Quid te, o dii boni, magnificas omni tempore, o facinorose gigas?

Cur perniciem molitur lingua tua, perinde ac novacula acuta quae dolum facit?

Cur malitiam potius amas quam honestatem, mendacium magis quam loqui veritatem? סלה.

Amas enim omnes sermones perniciosos, o lingua fraudulenta!

Quamobrem et Deus funditus te extirpabit, perdet ac e tabernaculo demolietur, et radicem tuam e terra vivorum. סלה.

LI.

Er beschiltet die frävenheit der zungen, und zeigt was raach über sy gon werd.

Was rüemstu dich du gwaltiger in bosheit (o güete gottes) den gantzen tag?

Die zung trachtet schalckheit, du trybst trugnery wie ein scharpf schermesser.

Du hast das bös lieber dann das guot, die luge lieber weder grechtigheit ze reden. סלה.

Du hast alle verderbliche wort lieb du betrogne zung.

Gott wirt dich ouch gantz und gar schleytzen, brechen und uss der hütten usrüten, und din wurtzen uss dem land der läbendigen. סלה.

Quod quum videbunt iusti stupebunt, et super eo cum risu dicent:

En gigantem qui non fecit Deum robur suum, sed in multitudinem opum suarnm spem posuit ac scelere fidit.

Ego autem e familia Dei, velut virens oliva, sperabo in bonitatem Dei in aeternum et si quid ultra est.

Gratias agam tibi sempiternas pro his quae fecisti, et colam nomen tuum, quoniam gratum est apud sanctos tuos.

Das werdend die grechten sehen, und inen fürchten, und inn verspotten:

Sich der man hielt gott nit für sin stercke, sunder verliess sich uff die vile sines rychtums, er was mechtig in siner schalckheit.

Ich aber bin wie ein gruonender ölboum in dem hus gottes, verlass mich uff die güete gottes immer ewklich.

Ich wil dir ewklich dancken dann du hasts geton, und hoffen uff dinen namen, dann das ist guot vor dinen heligen.

LII.

David, adhortatorii generis, super haereditate admonitio.

Peccatores atque adeo impios omnes esse; impios Dei metum simulare potius quam habere. Salutem piorum esse a Domino.

Vani dicunt in cordibus suis: non est Deus: sceleribus enim corrupti et abominabiles facti sunt; nullus est qui bonum operetur.

Deus coelo prospexit ad filios hominum, ut videret an esset qui saperet ac Deum quaereret.

Hic defecerat quisque, simul corrupti erant; nullus bonum operabatur, ne unus quidem.

Nonne manifestum est ut scelera faciunt? ut populum meum velut cibum devorent; deum autem non invocent?

Ut metuunt non metuenda? Sed Deus dissipabit ossa eorum qui te oppugnant; confundes eos: nam Deus abhorret ab eis.

Quis dabit de Zione salutem Israëli? ut quum restituat Deus captivitatem populi sui, exultet Iacob et laetetur Israël.

LII.

Es sind alle menschen sünder. Gottlos glychsnend sich sam sy ouch gott fürchtind; ist doch nit. Der glöibigen heil ist von gott.

Der tor spricht in synem hertzen: es ist ghein gott. Sy sind zerbrochen und grülich worden in bosheit, gheiner tuot guots.

Gott schowet von himel über die menschen kinder, das er sähe ob ieman verstendig wäre der gott nachfragte.

Sy warend all abgewichen und mit einander ful, da tät gheiner guots ia nit einer.

Wellend das ouch die übeltäter kennen? Nein. Sy fressend min volck als so man brot isst, [1] aber gott rüeffend sy nit an.

Da fürchtend sy inen da ghein forcht ist, dann gott zerströwt die gbein der glychsneren; du wirst sy gschenden, dann gott verachtet sy.

Der [2] wirt Israel heil geben von Zion. So gott sins volck gefencknus bekeren, wirt sich Iacob fröwen und Israel frolocken.

[1]) Oder: die min volck fressend das nun sy ze essen habind. [2]) Oder: Wer.

LIII.

Davidis, adhortatorii generis ad organa, admonitio, super eo quod Ziphaei abibant et dicebant Saulo, Davidem latere apud ipsos.

Invocatio est in magna necessitate, et beneficiorum agnitio.

Deus, per nomen tuum salva me, et tua virtute vindica me!

Audi Deus orationem meam, aurem praebe verbis oris mei!

Quoniam hostes insurgunt adversum me, et violenti, qui deum pro oculis suis non ponunt, quaerunt vitam meam. סלה.

Sed ecce Deus auxilium tulit mihi, Dominus sustentat animam meam.

Reddet malum inimicis meis, et pro fide sua diminuet eos.

Liberaliter ergo sacrificabo tibi, et collaudabo nomen tuum Domine, quoniam bonum est.

Nam eripuit me ex omni tribulatione, ut hostes meos oculus meus despiciat.

LIII.

Es ist ein anrüeffen in grosser not, und erkantnus der guotäten gottes.

Behalt mich o gott mit dinem namen, und richt mich mit diner stercke.

Gott erhör min gebätt, vernim die red mines munds.

Dann es wütschend untrüwe über mich uf, und die tyrannen suochend min sel, die gott nit vor ougen habend. סלה.

Aber sich gott hilft mir, der herr errett min sel.

Er wirt minen verräteren das bös widergelten. In diner warheit zerstör sy.

So wil ich dir mit fryem willen opfren, und dinen namen o herr loben, dann er ist guot.

Dann du rettest mich von allen minen widerwertigen, und min oug hats an minen fygenden gsehen.

LIV.

David adhortatorii generis ad organa admonitio.

Anxia oratio est dum amici a nobis alienati atrocius in nos saeviunt quam hostes.

Exaudi Deus orationem meam, et deprecationem meam ne averseris!

Attende mihi et exaudi me cum strepitu ordientem ac tumultuantem

Prae vociferatione hostium, prae infestatione impiorum, qui mihi crimina obtrudunt et irati imminent mihi.

Labascit cor meum intra me, et mortis formidines irruerunt in me.

LIV.

Es ist ein engstig gebett, so üsere fründ von üns abgewendt wirsch über üns wüetend weder die figend.

Erhör gott min gebett, und verbirg dich nit vor minem begeren.

Merck uff mich und gib mir antwurt, ich sterck min gebätt und schry

Ab der stimm des fygends, ab dem trang des gotlosen; dann sy wellend ein misstat an mir begon, und sind zornwüetig über mich.

Min hertz zittret in mir, und die schräcken des tods sind uff mich gevallen.

Timor et tremor ceciderunt in me, et horror operuit me.

Forcht und zittren ist mich angangen, und grüwen hatt mich überdeckt.

Et reputo mecum: o si dentur mihi alae columbinae, ut avolare et quiescere possim!

Und ich sprach: verlich mir etwas flügel wie die tuben hand, das ich hinflug und mich etwa niederliess.

En longissime profugerem atque ad eremum diverterem. סלה.

Sych so wölt ich verr hinweg fliehen, und in der wüeste blyben. סלה.

Properarem ad evadendum, vento ocius rapido ac turbine.

Ich wölt ylen das ich endrunn, vor dem ungestüemen wind und wetter.

Dissipa Domine et scinde linguas eorum! quoniam vidi urbem plenam esse iniuria et convitiis,

Zerströw o herr und trenn ire zungen, dann ich sich frävel und hader in der statt.

Quae nocte et die in muris eius obambulant; in medio autem eius labor et dolor,

Das gat tag und nacht zring umm in iren muren, bosheit und schalckheit ist in iro.

In medio eius nequitia: non facessit e plateis eius foenus et fraus.

Untrüw ist in iro, bschiss und btrug kumpt nit ab irer gass.

Quod si hostis meus me calumniaretur, ferendum ducerem; si osores mei supra me eveherentur, declinarem ab eis.

Dann der fygend schendt mich nit, dann ich lidts; nit der mich hasst erhöcht sich über mich, dann ich verbärg mich vor imm.

Sed tu, o collega, commilito, et note mihi, cui secreta mea suaviter credidi, quocum domum Dei cum exultatione adii!

Sunder du min mitxell, min füerer, und min erkanter, mit dem ich min heimlicheit früntlich gmein macht, imm hus gottes komend wir in allem huffen zemen.

Irrue in eos o mors, ac vivi ad foveam abeant, quoniam malitia in domiciliis et penetralibus eorum regnat.

Der tod yle über sy, und varind läbendig in die hell; dann bosheit ist in irer herberg, in mitz under inen.

Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvavit me.

Aber ich wil zuo gott rüeffen, und der herr wirt mir helffen.

Vespere, mane et meridie locutus sum ac institi, et exaudivit vocem meam.

Zabend zmorgen und ze mittag wil ich bitten und schryen, so wirt er min stimm hören,

Redemit vere animam meam ab his qui mihi imminebant, quoniam cum multitudine adversum me aderant.

Und min sel imm friden erlösen von dem der uff mich ylt, dann sy sind mit der vile wider mich.

Exaudivit inquam Deus, qui ab aeterno usque in sempiternum regnat, et humiliavit illos, quia non erat spes quod mutarentur: non enim reverentur Deum.

Gott wirts hören und sy demüetigen, der ewklich blybt, סלה; dann sy endrend sich nit, und fürchtend gott nit.

Misit ergo manum suam in eos qui peculium suum erant, et irritum fecit foedus suum.

Os illorum mitius est butyro, aeque cor eorum simulant; lentiora sunt verba eorum oleo, quum sint gladii.

Domino igitur commenda curam tui: is enim enutriet te neque permittet, ut iustus unquam loco moveatur.

Tu vero Deus detrahes in puteum interitus homines sanguinarios; dolosi non pervenient ad dimidium dierum suorum. Ego autem in te sperabo.

Sy legend ir hand an sine fridsamen, und verwüestend sinen pundt. [1]

Ir mundt ist senfter denn ancken, und widerstryt aber ir hertz; ire wort sind linder dann öl, und sind aber sy schwert.

Wirff din anligen uff den herren, der wirt dich erhalten, und nit ewklich den frommen lassen gewagget werden.

Und du gott wirst sy hinab stossen in die gruob des verderbens. Die bluotdürstigen und betrognen werdend nit zuo halben tagen kumen, aber ich hab in dich vertruwt.

LV.

Davidis adhortatorii generis, super muta et peregrina columba, χλιδών, id est deliciae, quum scilicet comprehendissent eum Palaestini in Geth.

Queritur se innocentem peti; orat ut Dominus adsit.

Miserere mei Deus! est enim qui me conculcat, et sine intermissione oppugnando adfligit.

Conculcant me inimici mei omni tempore: multi enim sunt qui me superbe oppugnant.

Quocunque autem momento metus mihi intentatur, in te Domine spero.

In Dei verbo glorior, in Deum spero, neque metuo quid mihi faciat caro.

Omni tempore adfligunt res meas, omnia consilia sua malo meo capiunt.

Alienant et abstrudunt se, vestigia mea observant, quomodo animam meam capiant.

Sed frustra! elabetur enim ab eis: nam tu Deus in ira populos deiicis.

LV.

Es ist ein gebet in trüebsal, darinn er klagt das man inn durächte, und bitt gott umm hilff.

O gott erbarm dich min, dann der mensch zertritt mich, und trüebt mich mit täglichem stryten.

Mine fygend zertrettend mich täglich, dann fil strytend wider mich übermüetiklich.

Welchs tags ich mir fürcht, so hoff ich zuo dir.

Ich rüem gottes wort, ich hoff in gott und fürcht mir nit; was wolt mir das fleisch tuon?

Sy kestigend mine wort täglich, all ir gedancken sind wider mich zuo bösem.

Sy samlend, sy verbergend sich, sy spechend uff min versinen, wie sy min sel erwartind.

Aber inen hilft man umm ir bosheit willen us. O gott stoss die völcker in dinem zorn underhin!

[1] Am Rande: Aliter vertendum erit.

Fugas meas dinumeras, lacrimas meas in utrem tuum reponis: nonne in rationibus tuis sunt?

Quocunque die invoco, protinus terga vertunt hostes mei, quo certus fio te Deum meum esse.

In Dei verbo glorior, in Domini verbo glorior,

In Deum spero: non metuam quid mihi faciat homo.

Ad te Deus vota mea feram, tibi gratias agam.

Eripuisti enim animam meam a morte, sed et pedes meos a lapsu, ut incedam coram Deo, in luce vivorum.

Min klag zellst du, mine trehen vassestu in dinem schluch, ists nit das du weist wie vil iro ist?

An welchem tag ich dich anrüeffen wird, denn so werdend mine fygend hindersich kert, das ich erkenn das du min gott bist.

Ich wil loben gottes wort, das wort des herren wil ich loben.

Ich hoff zuo gott und fürcht mir nit, was wirt mir der mensch tuon?

Es ligend o gott dine glübd uff mir, die ich bezalen wil, dine lob.

Dann du hast min sel vom tod erlöst, mine füess vom val, das ich wandle vor gott in dem liecht der läbendigen.

LVI.

Davidis adhortatorii generis Al thasch heth, id est *ne perdas*, adpellatum, *χλιδὼν*, id est, deliciae, super eo scilicet quum Saulum fugeret in speluncam.

Gratiarum actio est super liberationis de ingentibus periculis beneficio.

Miserere mei Deus, miserere mei! te enim fidit anima mea, et in umbram alarum tuarum spero donec praetereat malitia.

Clamo ad Deum excelsum, ad Deum qui me undique perficit.

Is coelo mittet et liberabit me opprobrio conculcantis me perpetuo, mittet inquam per bonitatem et veritatem suam.

Liberabit animam meam in medio furentium leonum iacentem, nempe inter filios hominum quorum dentes hastae et spicula sunt, lingua vero gladius acutus.

Exalta Deus super coelos et super omnem terram gloriam ac maiestatem tuam.

Rete enim paraverunt pedibus meis ad capiendum animam meam,

LVI.

Es ist ein dancksagung über die erlösung, da inn gott uss grosser gevar entschütt hatt.

Erbarm dich min o gott erbarm dich min, dann min sel truwt uff dich, und under dem schatten diner flüglen tröst ich mich, bis die schalckheit überhin kumpt.

Ich rüeff zuo gott dem aller höchsten, zuo gott der mich ufenthalt.

Er hatt von himel gesendt, und die schmach mines zerträtters verheilet, סלה, gott hatt sin güete und warheit gesendt.

Min sel was in mits under den löwen; wolt ich schlaffen, so brantend mich die menschen kinder; ire zen sind spiess und pfyl, und ir zungen scharpfe schwerter.

Erheb dich gott über die himel, und din eer über das gantz erdrich.

Sy habend minem gang netz zuo gericht, und min sel nidergetruckt;

foderunt ante me foveam, in quam ipsi incident. סלה.

Paratum est cor meum Deus, paratum cor meum, ut canam et psallam.

Expergiscere quicquid possum, expergiscere chelis et cithara; expergiscar ipse quam maturrime

Ut in populis te celebrem Domine, ut in gentibus te canam.

Bonitatis enim tuae magnitudo usque ad coelos pertingit, et fides tua usque ad nubes.

Exalta Deus super coelos et super omnem terram gloriam ac maiestatem tuam.

sy habend vor mir ein gruoben ggraben, und sind in mitten in sy gevallen.

Min hertz ist gerüst o gott, min hertz ist gerüst das ich singe und rüeme.

Wach uf min macht, wach uf psalter und harpfen, ich wil früe ufwachen.

Ich wil dir danck sagen under den völckeren o herr, ich wil dir lobsingen under den lüten.

Dann din gnad ist so grooss das sy die himel erlangt, und din trüw bis an die wolcken.

Erheb dich gott über die himel, und din eer über das gantz erdrich.

LVII.

Davidis adhortatorii generis, Al thasch heth, id est *ne perdas*, χλιδών, id est deliciae.

Impiorum audacia describitur a teneris, et quis eos maneat exitus.

Si vere iustitiam meditamini, quod aequum est iudicate filii hominum!

Sed in corde nequitiam concinnatis, in terra manus vestrae ad rapinam extenduntur.

Alienantur impii ab utero, errant a ventre, loquentes mendacium.

Furor eorum par est anguium furori, et sicut aspis surda obturant aures suas.

Quae non exaudit vocem incantatorum, quantumcunque docta sint carmina.

Contere o Deus dentes eorum in ore ipsorum! molares catulorum leonum confringe Domine!

Liqueant sicut aquae et sic defluant, sagittas suas quum dirigunt, sicut illae confringantur!

LVII.

Es wirt der gottlosen frävel von iugend uf beschriben, und was it end sye.

Trachtend ir ye warlich der grechtigheit nach, so richtend ufrecht ir menschen kinder.

Aber imm hertzen tuond ir böss im land, üwer hend erwegend frävel.

Die gottlosen wendend sich ab von der gburt har, irrend von muoter lyb lugen redende.

Ir wüeten ist glych wie das wüeten der schlangen, glych wie die ghörlos nater die ir or verschoppet,

Das sy nit ghöre die stimm des beschwerenden, noch des aller wysesten zoubrers.

O gott zerschlach inen ire zen in irem mul, zerbrich herr die stockzen der iungen löwen.

Sy werdend ze nüt, sy werdend vergon wie wasser; sy varend mit iren pfylen, also fälend sy.

Diffluant velut limax, et sicut abortivum foeminae, priusquam solem videt.

Wie ein zerschmoltzner schnegg werdend sy zergon, wie ein unzytige frucht eins wybs werdend sy die sunnen nit sehen.

Priusquam spinae eorum adolescant in rhamnum, repente vivos sicut acerrimo furore tollat eos turbo!

Ee das üwer törn stechen könnend, wie frisch ioch ieder wie zornig er sye, wirt er glych als von der windsbrut hingenomen.

Sic iustus laetabitur quum videbit ultionem, et pedes suos lavabit in sanguine impii.

Der grecht wirt sich fröwen, wenn er die rach sicht, und sine füess in dem bluot des gotlosen waschen. [1]

Et dicet homo: profecto merces manet iustum, profecto est Deus qui vindicat terram.

Und wirt der mensch sprechen: frylich es wirt dem frommen sin lon, frylich ist gott richter uff erden.

LVIII.

Davidis adhortatorii generis Al thasch heth, id est *ne perdas*, χλιδὼν, id est deliciae, super ea re, quando misit Saul ut vallaretur domus eius et occideretur.

Gratiarum actio et oratio est, qua obsecrat ut tam impudenter peccantes et insidiantes extirpentur.

Es ist ein dancksagung und gebett, das die so unverschampt sündend und ufsätzig sind usgerüt werdind.

Libera me de inimicis meis Deus meus, et ab his qui insurgunt in me protege me!

Erlös mich o gott min von minen fygenden, und schirm mich vor denen die über mich ufwütschend.

Libera ab his qui scelerate agunt, et a sanguinariis hominibus salva me.

Erlös mich von den übeltäteren, und hilff mir von den bluotdürstigen.

Nam ecce insidiantur animae meae, horribiliter irruunt in me, nihil transgressum aut peccantem, Domine.

Dann sich, sy lussend [2] uff min sel, sy samlend sich starck wider mich, herr on all min misstat und schuld.

Citra crimen properant et accinguntur. Exurge et vide ad auxiliandum mihi!

Sy louffend on min schuld und rüstend sich, wach uf mir zu gegnen und sich uf.

Quin tu Domine Deus exercituum Deus Israël, exurge ad mulctandum omnes gentes, neque misereat te omnium scelerate praevaricantium. סלה.

Und du herr ein gott der herzügen, du got Israels, wach uf heimzesuochen alle völcker, bis nit gnädig allen die boslich übertrettend. סלה.

Pervagentur et circumeant urbem usque ad vesperam, et instar canis murmurent! Ecce ore suo obruunt,

Des abends wendend sy sich hin und wider, sy russend wie die hund, und gond in der statt harumm.

---

1) Oder: im bluot watten. 2) Oder: spehend.

gladii sunt in labiis eorum. Quis enim animadvertit in eos?

Nisi tu Domine rides eos et contemnis omnes gentes.

Robur meum tibi acceptum fero: tu enim Deus propugnator meus es.

Deus, bonitas tua antevertit me. Deus, quomodo cum hostibus meis agendum mihi sit, docet me.

Ne trucides eos, *ait*, ne populus meus negligens fiat. Dissipa igitur eos tua virtute, ac deiice illos, o scutum nostrum Domine!

Propter peccatum oris eorum, propter sermonem labiorum atque superbiam eorum capiantur. Propter periuria et mendacia singuli ducantur.

Consume in fervore, consume ut non sint, quo videant usque ad fines terrae, Dominum esse qui regnum teneat in Iacobo.

Pervagentur et circumeant urbem usque ad vesperam, et instar canis murmurent!

Sic isti ad edendum dissipentur, sed inanes dormiant!

Ego autem cantem fortitudinem tuam, et ocius depraedicem bonitatem tuam: tu enim fuisti protector meus et refugium meum in tempore angustiae meae.

Tibi, o robur meum, psallam. Tu enim Deus protector meus es, Deus thesaurus meus.

Sych sy redend als ob schwerter in iren leftzen sygind, dann wer loset uff sy?

Aber du herr wirst sy verlachen, du wirst alle völcker vermupfen.

Sin kraft empfil ich dir, dann du gott bist min beschirmer.

Die gnad mines gots fürkumpt mich, gott zeigt mir mine fygend.

Nit töd sy, das min volck iro nit vergesse,[1] aber vertryb sy in diner kraft, und tuo sy underhin o min herr ünser schilt.

Die red irer leftzen und munds ist nütz dann sünd, sy werdend gfangen in irer hochfart, sy erzellend flüech und lüg.

Mach sy us in grimme, mach sy us das sy nit sygind, und erkennind das gott in Iacob herschet und an die end der welt. סלה.

Des abends kerend sy sich hin und wider, sy russend wie ein hund, und gond in der statt harumm.

Sy teilend sich umm der spys willen, und so sy nit ersettigott werdend murrend sy.

Aber ich wil din stercke singen, und früe din güete rüemen, dann du bist min schirmer, und min zuoflucht in der zyt miner not.

Du min stercke dir wil ich singen, dann du gott bist min schirmer o gott miner güete.

---

[1]) Oder: Wiltu sy nit töden, das min volck nit vergesslich werd.

LIX.

Davidis adhortatorii generis, super flore testimonii χλιδών, id est deliciae, quibus exponitur, quomodo, quum profectus esset adversus Syros Mesopotamiae et adversus Syros Zobae Ioas, rediret et Idumaeorum caederet in valle Salinarum supra duodecim millia.

Post adflictionem a Palaestinis irrogatam orat Dominum lege testamenti, ut regnum et restituat et redintegret.

Deus, repulisti et fregisti nos, indignaris nobis et aversaris. Concussisti et rupisti terram nostram. Refice rupturas eius: nam vacillat.

Ostendisti populo tuo gravia, potasti nos vino pavoris pleno.

Sed da quaeso timentibus te signum, ut sese erigant sub adventum aequi et recti. סלה.

Ut liberentur dilecti tui, exaudi et salva nos dextera tua.

Deus locutus est in sancto suo, quod me exhilarat. Dividam Sichem, et vallem Suchot dimetiar.

Meus est Galaad, et meus est Manasses, Ephraim robur capitis mei, Iuda dux meus.

Moab angusta olla mea, ad Idumaeam extendam calceos meos, Palaestini cum plausu ad me venient.

Quis direxit me ad urbem munitam? quis duxit me ad Idumaeam?

Nonne tu Deus, qui dereliqueras nos, neque proficiscebaris cum exercitu nostro?

Qui nobis opem fers in angustia: vana enim est humana salus.

LIX.

Nach der Philistiner beschwerd bitt er gott us kraft des testaments, das er das rych widerbringen und gantz machen welle, als ouch beschehen ist.

O gott der üns verstossen und gebrochen hast, der zornig bist, ker dich zuo üns. Du der die erd bewegt und zerrissen hast, heil ire brüch, dann sy ist zerrütt.

Du hast dinem volck ein herttes zeigt, du hast üns mit dem win des zittrens trenckt.

Und gibst aber du denen die dich fürchtend ein zeichen, das sy sich ufrichtind umm des rechten willen.[1]

Das dine fründ erlöst werdind. Hilff mit diner rechten und erhör mich.

Gott hatt in sinem heiligtuom geredt, das ich mich fröw. Ich wil sichem nemen, und das tal sükot zuomessen.

Min ist Gilead, min ist Mnaschä, Ephraim ist die macht mines houpts, Iuda ist min gsatzthalter.

Moab ist min wäschkessel, über Edom wil ich minen schuoch strecken, Palestina wirt mit mir schallen.

Wer füert mich in die vesten statt? wer beleitet mich bis gen Edom?

Wirst nit du es tuon o gott der üns verstossen hast? und wirstu nit usziehen o gott mit ünserem her?

Send üns hilff us trüebsal, dann menschen hilff ist unnütz.

---

[1]) Oder: wie recht ist, oder: gegen dem rechten, oder: nach dem rechten.

Sed Dei virtute recte geremus rem: ille enim conculcat hostes nostros.

Mit gott wellend wir taten tuon, der wirt ünsere fygend zertretten.

LX.

Davidis adhortatorii generis ad instrumenta.

Ex fidei fontibus oratio est, et gratiarum actio pro Messiae promissione.

Exaudi Deus clamorem meum, attende orationi meae!

De quibuscunque finibus terrae in angustia cordis mei ad te clamo; in petram editiorem, quam ego conscendere queam, collocas me.

Tu enim es spes mea, robusta turris ab hoste.

Habitem in tabernaculo tuo in sempiternum, securus sim tegumento alarum tuarum! סלה.

Tu enim Deus exaudis vota mea, et haereditatem tribuis metuentibus nomen tuum.

Tempus regi protelabis, ut anni eius per singulas generationes durent,

Ut in perpetuum habitet coram Deo, bonitas et fides custodiant eum.

Sic psallam nomini tuo in aeternum, ut reddam quotidie vota mea.

LX.

Es ist ein gebett mit grossem vertruwen.

Hör gott min anligen, und merck uff min gebett.

Ich rüeff zuo dir von end der welt, wenn min hertz in angst ist: du wellist mich füeren, so sich etwas erhebt das mir ze starck ist.

Denn du bist min trost, ein starcker turn für mine figend.

Ich wil in diner hütten ewklich wonen, ich hoff in den deckel diner flüglen. סלה.

Dann du gott erhörst mine glübdt, du gibst das erb denen die dinen namen fürchtend.

Du wirst dem küng langes läben geben, sine iar werdend also von gschlecht ze gschlecht wären.

Er wirt ewklich vor gott sitzen, güete und trüw werdend synen hüeten.

Darumm wil ich dynen namen ewklich singen, damit ich mine glübd täglich bezal.

LXI.

Davidis adhortatorii generis carmen pro vice Idithum.

Spiritualis insultatio est, quae ex fidei penetralibus proficiscitur.

Attamen Deum unice observabit anima mea: ab eo enim pendet salus mea.

Attamen ille solus rupes et salus mea est, fulcrum meum ut non magnopere nutem.

Quousque insidias struitis cuique vos omnes ac trucidatis, perinde

LXI.

Es ist ein geistlicher trutz, der us tieffem glouben kumpt.

Noch so trachtet min sel zuo gott, von imm kumpt min heil.

Noch ist er min fels und min heil, min schirmer, ich wird mich nit vil lassen bewegen.

Wie lang sind ir imm all samen ufsätzig das ir inn tödind, als ob

ut quum paries inclinatus aut septum divulsum *deiicitur*?

Duntaxat initis consilium de statu eius ad deiiciendum, mendacio delectamini, ore laudatis et corde execramini. סלה.

Attamen Deum unice observabit anima mea: ab ipso enim pendet expectatio mea.

Attamen ille solus rupes et salus mea est, fulcrum meum ut non nutem.

Deo nititur salus mea et omnia mea; firmamentum meum, robur meum et spes mea in Deo est.

Sperate in eum populi omni tempore, effundite coram eo corda vestra! Deus spes nostra sempiterna.

Attamen filii hominum vani sunt, mendaces sunt eousque, ut si in bilancem contra vanitatem ponas istos cunctos simul propendeat.

Nolite spem locare in iniuria et rapina, nolite vanitati vos dedere, divitiae si affluant, nolite cor adfigere!

Semel locutus est Deus, quod ego iterum atque iterum audivi, Domini esse robur,

Tibi Domine bonitatem adesse, ac te Domine reddere cuique iuxta opera sua.

er ein hangende wand sye und ein zerstossner zun.

Sy ratschlagend sin höhe umm ze stossen, das fürnemends mit lügen. Sy lobend mit dem mund, aber innwendig fluochend sy.

Noch sol min sel nach gott trachten, dann von imm ist all min trost.

Noch ist er min vels und min heil, min schirmer, ich wird mich nit lassen bewegen.

By gott ist min heil und min summ, die stercke miner kraft, min hoffnung ist by gott.

Hoffend zuo imm zuo aller zyt, schüttend üwre hertzen vor imm us ir völcker, dann gott ist ünser zuoversicht. סלה.

Noch sind die menschen kinder ytel, die lüt sind valsch; so du sy uff die wag legst, sind sy mit einander lichter dann ytelgheit.

Nit hoffend uff frävel und roub, machend üwer wolfart nit ytel. Wachst üch richtag, so setzend das hertz nit dar zuo.

Eins hatt gott geredt, das hab ich zweymal gehört, das die macht gottes ist.

Und by dir o herr güete, das du eim yeden widergeltist nach verdienst.

LXII.

Davidis carmen quum esset in deserto Iuda.

Gratias agit Deo quod se nunquam deserat.

Deus Deus meus es tu, ad te maturo: adeo vehementer sitit te quum anima tum corpus meum.

LXII.

Er seyt gott danck, das er inn nimmer verlasse.

O gott du min gott, ich mach mich früe zuo dir, min sel dürstet nach dir, min lyb verlangt nach dir, in dem dürren und durstigen land da ghein wasser ist.

In terra deserta et siticulosa propter aquae penuriam perinde adpareo coram te atque in sacra aede, ad contemplandum fortitudinem et gloriam tuam.

Nam bonitatem tuam hac luce praestantiorem duco, et labia mea te collaudant.

Idcirco per omnem vitam meam te celebro, et in nomine tuo elevo manus meas.

Anima mea saturatur, velut adipe et pinguedine, quum os meum exultantibus labiis collaudat.

In cubili meo memor tui sum, in vigiliis te meditor.

Tu enim fers opem mihi, et in umbra alarum tuarum exulto.

Adhaerescit tibi anima mea, fulcit me dextera tua.

Frustra igitur quaerunt isti animam meam: subter terram enim abibunt;

Abibunt ad eam partem ubi gladius vastat, sors vulpibus erunt.

Rex autem in Deo laetabitur, exultabunt omnes qui per eum iurant, sed obstruetur os loquentium mendacia.

Also hab ich dich imm heligtuom gsehen,[1] ze beschowen din macht und eer.

Dann din güete ist besser denn das läben, mine leftzen brysend dich.

Also wil ich dich loben min leben lang, und mine hend in dinem namen ufheben.

Min sel wirt ersettigot glych als mit marg und feisste, so min mund dich mit frölichen leftzen loben wirt.

Dann ich wird sicher din gedencken an minem bett, ich wird nach dir trachten an der wacht.

Dann du bist min helffer, under dem schatten diner flüglen wird ich frolocken.

Min sel hanget dir nach, din grechte hand halt ob mir.

Aber sy suochend min sel umzebringen; sy werdend under die erden faren.

Sy werdend ins schwertz gwalt hinggeben, und den füchsen ze teil werden.

Aber der küng wirt sich in gott fröwen. Wer by imm schwert wirt gerüembt, dann der mund der valsch redenden wirt verschoppet.

LXIII.

Davidis adhortatorii generis carmen.

Orat ut se Dominus ab insidiis inimicorum liberet. Comminatur etiam illis sua mala.

Exaudi Deus vocem meam, quum nunc oro, ut vitam meam hostis metu liberes.

Tuere me ab occultis artibus malignorum et a fremitu eorum qui scelera operantur.

LXIII.

Er bitt, das inn gott von dem ufsatz und frävel siner fygenden erlöse.

Hör o gott min stimm in minem gebett, behüet min läben vor der forcht des fygends.

Verbirg mich vor dem raadt der bösen, vor dem ufruor der übeltäteren.

[1]) Oder: funden.

Qui linguam suam acuunt sicut gladium, intendunt sagittam suam in rem tristem.

Ut clam petant innocentem ac subito tangant eum: nulla enim est apud eos religio.

Constituerunt inter se rem iniquam, collocuti sunt ut laqueos clam tendant, dicentes: Quis videbit eos?

Inquirunt prava consilia, toti sunt in inveniendo quisque in sinu et pectore suo.

Sed petet eos Deus sagitta de improviso, qua plagis adficientur.

Tunc corruent in eos linguae eorum, ut contremiscat quisquis eos viderit.

Tunc intelliget et narrabit opus Dei omnis homo, et prudenter factum esse dicent.

Iustus interim laetabitur in Domino et sperabit in eum, et exultabunt omnes qui recto sunt corde.

Die ir zungen schlyffend wie ein schwert, die mit irem pfyl úff ein bitter ding vaarend.

Das sy im gheim den frommen schiessind. Phend wellend sy inn schiessen, und fürchtend inen nit.

Sy sterckend sich in eim bösen ding, sy schlahend an wie sy strick verbergen wellind, und sprechend: wer wirt sy sehen?

Sy erdichtend schalckheit, sy verbruchend allen flyss mit dichten, drumm das der mensch innwendig imm hertzen tieff ist.

Aber gott wirt sy mit phenden pfylen schiessen, sy werdend wund.

Ir eigne zung wirt sy vellen, und werdend von inen wychen alle die sy sehend.

Und werdend inen alle menschen fürchten, und uskünden gottes tat, und sin werck verston.

Der grecht wirt sich imm herren fröwen und in inn hoffen, und werdend got loben alle die do sind eins rechten hertzen.

LXIV.

Davidis adhortatorii generis carmen gratiarum actionis.

Obtestatur Dei misericordiam per omnipotentiam ac providentiam, quas interim celebrat, ut remittat peccata nostra.

Tibi ó Deus tribuitur laus in Zione, tibi redduntur vota.

Tu exaudis orationem; hinc omnis caro ad te venit.

Ratio scelerum nostrorum superaret nos, nisi tu Domine veniam dares transgressionibus nostris.

O beatum quem elegeris et tibi sociaveris ut habitet in atriis tuis, ut saturetur bonis domus tuae, sancti templi tui.

LXIV.

Er ermant die barmhertzigheit gottes, das die ünsre sünd verzyhe, durch sin allmechtigheit und fürsichtigheit, mit welchen er alle ding vermag und ordnet, und bringt da mit sine wunderwerck.

O gott in Zion zuo dir wirt die stille des gebets gericht, und dir bzalt man die glübd.

Du der gebett erhörst, zuo dir kumpt alles fleisch.

Uenser misstat ist träffenlich starck worden; verzych aber du ünser übertrettung.

Wol demm den du erwellst und zuo dir nächest, der wirt in dinen höfen wonen, der wirt ersettigott mit dem guoten dines huses und dines heligen tempels.

Per admirabilem iustitiam exaudi nos Deus salus nostra, spes omnium finium, et terrae et maris immensi!

By der grechtigheit der wunderwercken gib üns antwurt o gott ünser heiland, du hoffnung aller enden den welt und des wyten meres.

Qui fortitudine accinctus montes sua virtute format.

Der die berg vestet in siner krafft, umgürt mit stercke.

Compescit aquarum fremitum, sonitum undarum earum, et tumultum populorum.

Du der stillest das getös des meres, das getös siner wällen, und das toben der völckeren.

Qui in ultimis terrae finibus habitant, metuunt a signis tuis. Quae vespere aut mane prodeunt, laeta reddis ad laudandum.

Den da fürchtend die so an den enden diner zeichen wonend, mit dero usgang früe und spat du frölich machst.

Visitas tellurem, irrigas eam et abunde ditas eam.

Du heimsuochst die erden und wesserst sy, du machst sy träffenlich rych.

Alveus tuus o Deus aquis exuberat, quo frumentum hominibus paras: sic enim ipsa tellus paratur.

Der fluss gottes ist voll wassers, du breittest ir kürn, namlich also rüstestu es zuo.

Sulcos eius inebrias, frangis contumaces glebas eius; quum subtilissimis imbribus eam maceras et germen eius amplificas.

Du füechtest sine furhen; du senftest sine rühe, du flötzest sy mit tropfen, und vilest sin gewächse.

Coronas annum tuis bonis, et orbitae currus tui pinguedine stillant.

Du begabst das iar mit dinem guoten, und din deckel touwet feisste.

Stillant pinguedine speciosa pascua, et colles exultatione accinguntur.

Die schönen wüestinen die tropfend, und din büehel sind mit lust umgeben.

Vestitae ovium caulae et valles tritico onustae iubilant et canunt.

Die värrich der schaaffen sind bekleidet, und die teler sind überdeckt mit korn, dass frolockend und singend.

LXV.

Adhortatorii generis carmen gratiarum actionis.

Generalis gratulatio Israëlis, qua usus esse videtur in solennibus festis quum adhuc carnales hostiae et vota offerrentur.

LXV.

Es ist ein gmeine frolockung des volcks Israel, die sy gebrucht hand zuo hochzytlichen festen, do noch lypliche opfer und glübd ufgeopfret wurdend.

Iubilate Deo omnes terrae cultores, psallite magnitudini nominis eius, reddite ei gloriam et laudem.

Frolockend gott alle land, singend die eer sines namens, machend sin lob gros.

Dicite Deo: Quam stupenda sunt opera tua, magnitudine roboris tui frustrantur hostes tui.

Sprechend zuo gott: wie wunderbarlich sind dine werck? In der vile diner kraft werdend dine fygend schwachen.

Omnis terra adoret te et psallat tibi, canat nomen tuum! סלה.

Venite et contemplemini opera Dei et admirabilia consilia eius supra filios hominum.

Qui mare mutabat in aridam, et flumen pedibus transibant; tunc laetabamur in eo.

Qui virtute sua ab aeterno imperat, oculi eius in gentes despiciunt. Qui ab eo deficiunt, non exaltabunt se ipsos. סלה.

Laudate populi Deum nostrum, et exerite vocem laudis eius!

Qui vita donat nos, et non dat ut moveantur pedes nostri,

Etiamsi probes nos Deus et explores, quemadmodum argentum excoquitur.

Inducis nos in nervum, et catenam circumponis lumbis nostris;

Imponis velut iumento homines capitibus nostris; transimus per ignem et aquam, sed educis in refrigerium.

Venio igitur domum tuam cum holocaustis ut solvam tibi vota mea, quorum me damnant labia mea, quaeque nuncupavit os meum quum in angustia essem.

Offero tibi holocausta pinguia, et victimas arietum bove et hircis facio. סלה.

Adeste et audite, omnes qui metuitis Deum, dum narro quaenam fecit animae meae.

Ad ipsum ore meo clamare soleo, et intra illud lingua mea ipsum evehit.

Perfidiae si mihi conscius sum, non exaudit Dominus.

Alles erdrych bette dich an und lobsinge dir, lobsinge dinem namen. סהל.

Kumend har und sehend die werck gottes, der wunderbarer anschlegen ist über die menschen kinder.

Er verkert das mer in trucken land, den fluss durchgatt man mit den füessen, da frowtend wir uns in imm.

Er herschet mit siner kraft ewklich, sine ougen schowend uff die völcker, die abtrünnigen werdend sich nit erhöhen. סלה.

Ir völcker lobend ünseren gott, lassend hören die stimm sines lobs.

Der ünser selen imm leben bhalt, und lasst ünser füess nit bewegt werden.

Dann o gott du hast üns bewärt, du hast üns gelütret, wie das silber gelütret wirt.

Du hast üns inn strick bracht, du hast üns trüebsal uff den ruggen gelegt.

Du hast die lüt über ünser houpt us gefüert, wir sind in für und wasser ggangen; darnach hast üns in labung gefüert.

Darumm wil ich in din hus kumen mit brandopfer, und dir mine glübd bezalen. Die mine leftzen bestimpt habend, und min mund geredt hatt in miner not.

Ich wil dir feisste brandopfer ufopfren mit angezündten widren, ich wil rinder und böck opfren. סלה.

Kumend har hörend zuo ir alle die gott fürchtend, ich wil üch erzellen, was er miner sel geton hatt.

Ich hab zuo imm geschruwen mit minem mund, und hoch gerüeft mit miner zungen.

Hab ich mit minem hertzen uff unrechts gesehen, so hatt mich der herr nit erhört.

Idcirco exaudivit Deus et attendit voci orationis meae.

Gratiae Deo qui non avertit neque orationem meam neque misericordiam suam a me.

Aber gott hatt mich erhört, und gemerckt uff die stimm mines gebettes.

Hochgelobt sye gott, der min gebett nit abwendt, noch sin güete von mir.

LXVI.

Adhortatorii generis carmen gratiarum actionis ad organa musica.

Orat ut se Dominus cunctis gentibus manifestet: sic enim omnes sub officium venturos.

Deus misereatur nostri, et benignus sit nobis, ostendat vultum suum nobis! סלה.

Ut nota sit per orbem via tua, et salus tua per omnes gentes.

Ut collaudent te populi o Deus, ut populi omnes collaudent te.

Ut laetentur et exultent populi, propterea quod aequitate regas eos, et nationes per orbem temperes.

Ut collaudent te populi o Deus, ut populi omnes collaudent te.

Benignus sit nobis Deus Deus noster, ut terra det annonam suam.

Benignus sit nobis Deus, ut metuant eum omnes termini terrae.

LXVI.

Er bittet, das sich gott allen völckeren offne; dann also werde man tuon, das gott gevellig ist.

O gott bis üns gnädig und tuo üns wol, lass din angsicht an üns lüchten. סלה.

Das wir uff erden dinen weg erkennind, in allen völckeren din heil.

So werdend dich o gott die völcker veriehen, dich werdend alle völcker loben.

Sy werdend sich fröwen und frolocken die völcker, das du der lüten grechter richter bist und sy füerst uff erden.

Es werdend dich o gott die völcker veriehen, dich werdend alle völcker loben.

Die erd wirt ire frucht geben, und wirt üns gott ünser gott wol tuon. [1]

Gott wirt üns segnen, und werdend inn alle end der welt fürchten.

LXVII.

Davidis adhortatorii generis gratulatorium carmen.

Gloriatio fidei est, quae se super Deo suo iactat, illius facta canit, et fore comminatur gentibus ut manus dent ei deo. Quod Christo per orbem praedicato factum esse dignoscitur.

Sine exurgat Deus! iam dispergentur hostes eius et osores eius conspectum eius fugient.

Disiicientur quomodo fumus disiicit: nam sicut cera liquescit ab

LXVII.

Es ist ein gebett, das gott von den fygenden erretten welle. Es wirt ouch hie mit das verheissen land beschriben; und ist ein vorbild Christi.

So gott uferston wirt, werdend sine fygend zerströwt, und vor imm fliehen die inn hassend.

Du wirst sy vertryben, wie der rouch vertriben wirt; glych wie

---

1) Oder: segnen, oder: gunnen.

igne, sic pereunt impii a conspectu Dei.

Iusti vero laetabuntur et exultabunt sub adventum Dei, et prae gaudio gestient.

Canent Deo, psallent nomini eius, iter munient ei qui, sicut sol ad occasum, ad nos devehitur, cui nomen est Domino, et exultabunt coram eo.

Futurus enim est pater orphanorum et viduarum vindex, Deus qui sanctum suum inhabitat.

Deus qui unanimes et domi collocat, et vinctos commode educit, quum interim perfidi in rerum omnium inopia teneantur.

Deus quum proficiscereris ante populum tuum, quum incederes in deserto: סלה.

Terra movebatur, coeli defluebant a facie tua Deus, qui in Sinai adparuisti, a facie tua Deus qui es Deus Israëlis,

Deus qui ex liberalitate tua destinas imbrem hereditati tuae, quumque languet reficis.

Deinde armentum tuum in ea errat, quod tu Deus bonitate tua pauperi comparas.

Domine tu commendas his, quae de magno exercitu nunciant mandatum,

Quod reges cum exercitibus fugiant et elabantur quodque domestici spolia dividant.

Tunc quiescetis perinde ac flumen inter ripas, inter alas columbae supra argentum candidae, cuius dorsum auri nitorem vincit quaeque in aëre pendet.

Quum omnipotens, qui regibus imperat, sic terram constituerit, ut Zalmon lacte velut nive albescat,

das wachs vom für zertriben wirt, also werdend die gotlosen umkomen vor gott.

Aber die frommen werdend sich wunnenklich fröwen vor gott, sy werdend sich fröwen und frolocken.

Singend gott lobsingend sinem namen, machend ban dem der in der ebne fart, sin nam ist gott frolockend vor imm.

Der ein vatter ist der weisen und ein richter der witwen, er ist gott in siner heligen wonung.

Gott der die einigen [1] ze hus setzt, der die gefangnen hüpschlich usfüert; aber die widerbeſtzenden blybend in der dürre.

O gott do du vor dinem volck hinzugt, do du innhar trätt in der wüeste. סלה.

Do erbidmet die erd, und die himel tropfſtend, von gott der in sinai was, von gott der ein gott Israels ist.

O gott du wellist fruchtbaren regen geben dinem erbteil, dann es ist verderbt, du wellists widerbringen.

Die menge wonet darinn. Du gott bereitests dem armen in diner güete.

Der herr gibt mitt einem wort narung einer grossen menge. [2]

Die küng der herzügen fliehend, sy fliehend und das schön xind wirt [3] den roub teilen.

So ir in denen enden wonen werdend, so sind ir under tuben flüglen, dero fetchen silbrin sind und ir rugg goldgel.

Die küng sind in dem land nach bescheidung des allmechtigen. In Zalmon findstu schnee.

---

[1]) Oder: verlasnen. [2]) Oder: Der herr gibt das wort den verkünderen des grossen zügs. [3]) Oder: teilt.

Basan vero mons Dei sit, Basan mons, qui casei abundantia palleat.

Cur invidetis, montes, caseis abundanti? quum Deus amet habitare in eo monte? nam Dominus in perpetuum habitabit in eo.

Currus tui o Deus myriadum ac infinitorum millium sunt, quibus tu Domine ad Sinai ac rursum ad sanctūm tuum veheris.

Ascendis in altum, captivitate capta, receptis inter homines muneribus atque adeo hostibus, ut habitent cum Domino Deo.

Gratiae Domino per omnem aevum, Deo qui nos salutaribus beneficiis obruit, סלה.

Deo qui nobis salvator est, Domino Deo per quem mortem evadimus,

Deo qui e diverso hostes suos caedit, capillosumque verticem eius qui per facinora sua vadit.

Dixit enim Dominus: restituam a Basan, restituam a profundo mari,

Ita ut pes tuus et lingua canum tuorum tingatur sanguine hostium tuorum.

Spectabunt universi pompam triumphi tui Deus, incessum Dei mei et regis mei, qui in sancto es.

Occurrent cantores cum musicis cumque puellis tympanistriis.

Quin et in ipsa ecclesia collaudabunt Deum, et apud fontes te, Domine Israëlis.

Hic parvulus Beniamin principibus Iuda, Zabulon et Nephthali praeerit ac iudicabit eos.

Sic statuit Deus tuus, robur tuum. Confirma Deus quod fecisti nobis,

Der berg baschan ist der berg gottes, Baschan ist ein käs berg.

Warum erhebend ir berg üwre bühel? Gott hatt lust disen berg ynzewonen, der herr wirt och da blyben us und us.

Der wägnen gottes ist ein unzalbarliche menge, der herr der im heligtuom in sinai wonet ist under inen.

Du bist in die höhe gstigen, o herr gott du hast die gefencknus gefangen, du hast gaben empfangen den menschen, ouch die abtrünnigen sy ze stillen.

Hochgelobt sye der herr von tag ze tag, gott der üns mit ünserem heil ladet. סלה.

Der gott ist üns ein gott des heils, ein herr und gott der usfüerungen des tods.

Der gott wirt ouch den kopf siner fygenden zerschlahen, oben uff den schopf den der in sinen sünden wandlet.

Der herr hatt geredt: Ich wils von baschan har umwenden, ich wils vom tieffen mer har umwenden.

Das din fuoss imm bluot der fygenden geferwt wirt, und die zung diner hunden von imm.

O gott man wirt din geng sehen, min gott min küng der imm heligtuom bist.

Die senger werdend vor hin gon, darnach die gsangspiler, in mitz der dochtren die do harpfend und trummend.

In den versamlungen wirt man gott loben, den herren umm die brunnen Israels.

Da wirt der klein Beniamin sin mit sinen herren, die fürsten Iuda mit irem huffen, die fürsten Zabulon, die fürsten Naphthali.

Din gott hatt dir din stercke gsendt. O gott bevest das du üns

super templo tuo et super Ierusalem. Tibi adferent reges munera.

geton hast von dinem tempel über Hierusalem. Dir werdend die küng schencke zuobringen,

Ages iumenta harundino, armentum cum vitulis, hoc est, gentes calcitrantes atque opibus deditas, dissipabis populos quibus praelia placent.

Das veh mit dem ror tryben. Die versamlung starcker völckeren werdend mit kelbren kumen, etlichen gfalt gelt ze bringen. Zerströw die völcker denen kriegen gfalt.

Venient legati de Aegypto, ingens Aethiopiae vis ad Deum curret.

Es werdend botten us Egypto kumen, der mor wirt mit sinen henden zuo gott louffen.

Regna terrae cantabunt Deo, psallent Domino. סלה.

Ir küngrych der welt singend gott, lobsingend dem herren. סלה.

Qui coelis ab aeterno insidet et vocem suam dat, vocem potentem.

Der uff allen himmlen sitzt von anfang har, sich er macht sin stimm starck.

Tribuite Deo Israëlis fortitudinem, cuius magnificentia et virtus usque ad nubes portendit.

Gebend in Israel gott die krafft, sin herlicheit und kraft ist in den wolcken. [1]

Metuendus est Deus de sanctuario suo, Deus Israëlis, qui dat populo virtutem ac robur. Deo gloria.

Gott du bist wunderbar von dinem heligtuom. Der gott Israels ist der do kraft und stercke gibt dem volck, gelobt sye gott!

LXVIII.

Davidis adhortatorii generis super liliis, rosis aut violis adpellatum.

Oratio est in summa diuturnaque angustia, quae Christi passionum et membrorum eius typus est.

LXVIII.

Es ist ein gebett in grosser und langwiriger not, darinn ein hälle figur christi und siner glidren ustruckt wirt.

Salva me Deus quoniam aquae penetrant ad animam.

Hilff mir o gott, dann das wasser ist bis an dseel ggangen.

Haereo in profundo luto, ubi solum nullum est; veni in altum pelagus, et undae obruunt me.

Ich stäck in tieffem lätt, und ist ghein grund; ich bin in tieffe wasser komen, und die wällen ertrenckend mich.

Clamando laboro, raucessit guttur meum, deficiunt oculi mei suspiciendo ad Deum meum.

Ich bin müed worden mit schryen, min käl ist heiser, mine ougen nemend ab, von harren uff minen gott.

Qui me odio habent plures sunt capillis capitis mei.

Dero die mich on ursach hassend ist me denn der haren mines houpts,

Sine causa, imo mendaciter invalescunt et opprimunt me inimici mei, et quae non sustuli nunc reddere cogor.

Mine valschen fygend die mir gwalt tuond sind starck worden, da muos ich bzalen das ich nit genomen hab.

---

[1]) Oder: Gebend gott die kraft; in Israel ist sin herlicheit, und sin kraft in den wolcken.

Deus! nota est tibi simplicitas mea, et delicta mea non te latent.	O gott du kennst min torheit, und mine misstaten sind dir unverborgen.
Ne quaeso pudefiant per me, qui in te sperant, Domine Deus exercituum! ne quaeso adspergantur ignominia per me, qui te quaerunt o Deus Israëlis.	Lass nit schamrot an mir werden die in dich truwend, o herr ein herr der herzügen; las nit an mir ze schanden werden die dich suochend, o gott Israels.
Tua enim causa et opprobrium fero, et pudor vultum meum operit.	Dann um dinetwillen trag ich schmach, scham hatt min angsicht überdeckt.
Alienus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae.	Ich bin minen brüederen frömd worden, und miner muoter kinden unbekant.
Quoniam aemulatio domus tuae torquebat me, et obprobria calumniantium te irruebant in me.	Dann der yfer dines huses hatt mich fressen, und die schmaben diner schmäheren sind uff mich gevallen.
Flebam ac ieiunio me adfligebam, et omnia cedebant in obprobrium meum.	Und hatt min sel mit vasten geweinet, und das ist mir zuo spott gemachet.
Induebam saccum; sed fabula istis fiebam.	Ich hab härin gwand angeleyt, und bin ir spriichwort worden.
Iactabant in me dicteria qui sedebant in porta, et carmina qui ad vinum perpotant.	Es redend wider mich die bim tor sassend,[1] und bin ein lied den sufferen.
Hic ego bonis avibus orationem meam ad te Domine Deus fundo: fer opem mihi, per immensam bonitatem tuam, certa salute tua.	Aber ich bitt herr zuo dir: Es sye ein guote stund, o gott in der vile diner güete gib mir din trüwe hilff.
Eripe me e luto ne amplius haerescam in eo, da ut liberer ab osoribus meis et de profunditatibus pelagi.	Erlös mich us dem kat das ich nit versincke, das ich erlöst wird von denen die mich hassend, und von den tieffinen der wassren.
Ne quaeso aquarum undae obruant me, ne deglutiat me vorago, neque constringat super me puteus os suum!	Das mich die wällen des wassers nit ertrenckind, und die tieffe nit verschlucke, noch der wag sin mul ob mir zemen züch.
Exaudi me Domine pro bonitate et suavitate tua, pro immensa misericordia tua respice in me!	Erhör mich herr, dann din erbermd ist güetig, wend dich gegen mir nach der vile diner barmhertzigheit.
Et ne avertas faciem tuam a servo tuo! in angustia enim sum. Propera ut auxilium mihi feras.	Und verbirg din angsicht nit vor dinem knecht, dann mir ist angst, yl mir ze antwurten.
Adpropinqua ad redimendum animam meam, propter inimicos meos libera me!	Näch dich zuo miner seel und erlös sy, erlös von miner fygenden wegen.

[1]) Oder: sitzend.

Nota sunt tibi obprobrium meum, contumelia et ignominia mea; coram te sunt omnes hostes mei.

Du weist min schmach, min scham und schand vor dir sind alle die mich betrüebend.

Obprobriis contritum est cor meum ac superatum. Expecto commiserescentem, at nemo est; consolatores, at non invenio. Posuerunt in cibum meum fel, quumque sitio aceto potant. Vertatur mensa eorum ante eos in laqueum, in retributionem et scandalum.

Die schmach bricht mir das hertz und bin blöd. Ich wartet ob ieman mitlyden mit mir hett, aber da was nieman, uff tröster, und fands nit. Sy habend mir gallen in min spys geton, und in minem turst habend sy mich mit essich getrenckt. Ir tisch wirt vor inen zuo eim strick, zuo widergeltungen und zuo eim val.

Hebetes fiant oculi eorum quo minus videant, et lumbi eorum perpetuo labantur!

Ire ougen werdend finster das sy nit sehend, und iren ruggen zerknütsch on underlass.

Effunde in eos indignationem tuam, et furor irae tuae comprehendat eos!

Güss din ungnad uff sy, und die grimme dines zorns ergryffe sy.

Fiat domicilium eorum desertum, et in tabernaculis eorum non sit habitator!

Ir wonung werde einöd, und sye nieman der in iren hütten wone.

Quoniam quem tu percussisti ultra persequuntur, et ad plagas quas inflixisti admetiuntur.

Dann den du geschlagen hast durächtend sy, und zuo dem schmertzen diner wunden habend sy me gezellt.

Repone eis scelera eorum in acervum, neve utantur iustitia tua.

Tuo ir bosheit zemen, das sy zuo diner grechtigheit nit kömind.

Deleantur e libro vivorum et inter iustos ne scribantur!

Sy werdind usgetillgget us dem buoch der läbenden, und werdind mit den frommen nit geschriben.

Me autem tenuem atque dolentem protegat salus tua, Deus!

Ich bin aber arm und kranck; din heil o gott köm mir ze hilff.

Ut carmine celebrem nomen Dei, et magnifice gratias agam.

So wil ich den namen gottes mit eim gsang loben, und imm grossen danck sagen.

Quo Dominus magis delectatur, quam cornutis et ungulatis tauro ac vitulo.

Das wirt dem herren gfallen über stier und pfarren die ghürnt und kläwt sind.

Huc respicite humiles et laetemini, quaerite Deum et vivet anima vestra.

Sehend ir verkümmreten und fröwend üch, suochend gott so wirt üwer hertz läben.

Quoniam exaudit pauperes Dominus, et vinctos suos non despicit.

Dann der herr erhört die verkümreten, und veracht sine gefangnen nit.

Laudent illum coeli et terra, mare et quicquid serpit in eo!

Es lobind inn himmel erd meer, und alles was sich darinnen regt.

Quia Deus Zionem salvabit, et urbes Iuda servabuntur, habitabuntur ac possidebuntur.

Nam semen servorum eius possidebit eam, et qui amant nomen eius habitabunt in ea.

Dann gott wirt Zion behalten, und die stett Iuda buwen, das man da wone und sy besitze.

Und der som siner dieneren werdend sy erben, und die sinen namen lieb habend werdend in iro blyben.

LXIX.

Davidis adhortatorii generis commonefactio.

Eiusdem argumenti est cum superiore Psalmo.

Deus ad liberandum me, Domine ad opitulandum mihi festina!

Erubescant et confundantur qui quaerunt animam meam, retro vertantur et pudefiant qui male cupiunt mihi.

Retrovertantur in hoc, ut erubescant qui oggarniunt mihi ohe ohe.

Gaudeant autem et laetentur in te universi qui te quaerunt; quique amant salutem, quae ex te est, perpetuo dicant: Magnifice cantetur Deus!

Equidem humilis sum ac tenuis o Deus, sed tu Domine ad opitulandum ac liberandum me festina, et ne cesses!

LXIX.

Yl o gott mich ze erlösen, herr mir ze helffen.

Das schamrot und geschendt werdind die min sel suochend, das sy hindersich kert und geschmecht werdind die mir übels wünschend.

Das sy eins wegs ze schanden werdind die do sprechend: da da.

Es fröwind und frolockind in dir alle die dich suochend, und sagind on underlass die so din heil lieb habend: hochgelobt sye gott!

Ich aber bin ellend und arm o gott, yl zuo mir; min helffer und entschütter bistu, herr verzüch nit.

LXX.

ἀνεπίγραφος.[1]

Oratio et gratiarum actio est ut Dominus per omne senium perinde adsit ac per iuveniles annos: nullam enim aetatem a tribulationibus vacare.

In te Domine spero, non confundar in aeternum: per iustitiam enim tuam liberas et eripis me, praebes mihi aurem tuam et salvas me.

Es mihi robusta rupes in quam semper confugio; constituisti salvare me: tu enim es petra mea et munimentum meum.

LXX.

Es ist ein gebett, das üns gott durch alles leben hin nit verlasse sunder bystande; dann ghein alter fry ist vor trüebsal und widerwertigkeit. Es ist ouch dancksagung darby.

Herr ich truw uff dich, lass mich nimmer mer ze schanden werden. Erlös mich durch din grechtigheit und hilff mir darvon, neig dine oren zuo mir und hilff mir.

Bis min fels der stercke, da hin ich allweg fliehe; erwig dich mir ze helffen, dann du bist min veste und min burg.

---

[1]) Davidis venam resipit.

Deus meus libera me de manu impii, de manu iniusti et violenti.

Min gott entschütt mich uss der hand des gotlosen, von der hand des umbillichen und fräfnen.

Tu enim Domine Deus, expectatio et spes mea es a iuventute mea.

Dann du herr bist min verlangen, herr du bist min hoffnung von miner iugend har.

Te nitor ab utero: tu de visceribus matris meae secrevisti me; hinc omnem laudem meam de te consumo.

Uff dich bin ich grundvestet von der gburt har, du bist der mich erzücht von muoter lyb har, min lob ist on underlass zuo dir.

Velut portentum factus sum multitudini; tu vero firma fiducia mea es.

Ich bin vilen glych wie ein wunder, aber du bist min starcke zuoflucht.

Plenum igitur est os meum laude tua, omni tempore gloria tua.

Min mund wirt dines lobs voll sin, und diner er täglich.

Ne abiicias me senili tempore; quum iam virtus mea me deficit, tu me ne deficias.

Nit wirff mich hin in minem alter, nit verlass mich so min krafft ab nimpt.

Quoniam hostes mei adversum me cogitant, et qui insidiantur animae meae simul consultant dicentes:

Dann mine fygend redend uff mich, und die uff min sel haltend beratend sich mit einander,

Deus deseruit eum. Persequamini ac comprehendite, quoniam non est qui liberet eum.

Sprechende: Gott hatt inn verlassen, iagend inn, vahend inn, dann da ist ghein retter.

Deus ne longe abeas a me, Deus meus ad auxilium meum propera.

O gott nit ferr dich von mir, min gott yl mir ze helffen.

Erubescant et deficiant qui adversantur animae meae; operiantur obprobrio et ignominia qui quaerunt mihi malum;

Es werdend gschendt und usgemacht die miner sel wider sind, sy werdend überdeckt mit schand und schmach die min übels suochend.

Ego autem semper constem, et augeam omnem laudem tuam;

Aber ich harr für und für, und tuon zuo allem dinem lob.

Os meum celebret iustitiam tuam et omni tempore salutem tuam, quarum ego modum ignoro;

Min mund will erzellen din grechtigheit, din tägliche hilff, dero zal ich nit weiss.

Introeam Domine Deus ad commemorandum potentiam et iustitiam tuam solius.

Ich wil gon in die macht des herren, herr ich wil allein din grechtigheit erzellen.

Tu enim Deus a puero usque ad hanc aetatem doces me praedicare miracula tua.

O gott du hast mich von iugend uf gelert, das ich noch ietz dine wunder verkünden.

Ne igitur senem et canum deseras o Deus, quo minus adnuntiem posteritati brachium tuum, et omni qui nasciturus est potentiam tuam;

Darumm verlass mich o gott ouch nit imm alter so ich graw bin, bis ich dinen arm und din macht allem nachkomenden geschlecht verkünde,

Deinde et iustitiam tuam Deus, qua res magnas perfecisti, in altum extollam. Deus, quis similis tibi?

Und din grechtigheit o gott erhöhe, der grosse ding tuost. Gott wer ist dir glych?

Qui ostendisti mihi tribulationes ac mala multa; rursus autem restituisti me, et de infimo terrae iterum erexisti me.

Der mir vil und bös trüebsäl zeigst, und machst mich widrumm läbendig, und erhöchst mich widrumm von den tieffinen der erden.

Auxisti honoribus, ac vicissim consolatus es me.

Du merest min grösse, du umgibst mich, du tröstest mich.

Quapropter et ego, chelyos organo te tuamque veritatem celebro, deus meus. Tibi psallo cum cithara, o sancte Israëlis.

Darumm ich dir diner trüw o gott dancksag uff dem psalter spil, ich lobsing dir uff der harpfen o heliger Israels.

Gestiunt labia mea ut tibi canam, aeque et anima mea quam redemisti.

Es frolockend mine läftzen, so ich dir singen wil, und min sel die du erlöst hast.

Lingua mea omni tempore meditabitur iustitiam tuam, quoniam confusi et pudefacti sunt qui malum mihi quaesierunt.

Es tichtet ouch min zung täglich din grechtigheit, dann zuo scham und schanden worden sind die mir böses suochend.

LXXI.

Solomonis.

Solomonis oratio est, pro se ac populo. Quibus Christus et ecclesia significantur.

LXXI.

Es ist ein gebett uff Salomon und das volck, durch die christus und die kilch bedüt wirt.

Deus aequitate tua regem dona, et iustitia tua filium regis,

O gott gib dine gricht dem küng, und din grechtigheit des küngs sun.

Ut praesit populo cum iustitia, et humilibus tuis cum aequitate.

Das er din volck in grechtigheit richte, und dine verkümreten mit gricht.

Ferant montes pacem populo, et colles iustitiam!

Lass die berg dem volck friden bringen, und die bühel grechtigheit.

Ut iudicium reddat humillimis de populo, ut servet filios pauperum; violentum autem comminuat.

Das er die verkümreten des volcks räche, und den armen helffe, und den fräfnen temme.

Quo magis te timeant per omnes generationes, quam diu sol et luna obambulant.

Es werdind dich die kinds kinder [1] fürchten als vor sunn und mon.

Descendat aequitas et iustitia ad terram sicut pluvia in desectum fundum, et sicut rorulentus imber;

Er werde sich herab lassen wie der regen uff ein väll, wie die tropfen die das erdrich füechtend.

Floreat temporibus eius iustitia, et multa pax duret donec luna cursum suum tenet;

Der grecht werde zuo siner zyt blüeyen, und vil fridens, so lang der mon blybt.

Et imperet a mari ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis!

Er werde herschen von einem mer zum andren, und von dem fluss hin bis an die end der welt. [2]

---

[1]) Oder: alle gschlecht. [2]) Oder: des lands.

Coram eo procidant Aethiopes et hostes eius terram lingant.

Vor im biegind sich die in den wildinen wonend, und sine fygend leckind den stoub.

Reges maris et insularum adducent munera; reges Arabiae et Sabaeorum dona adferent.

Die küng am mer und der insulen kerind gaben zuo, die küng Arabie und Saba bringind schencke.

Adorent eum omnes reges, omnes gentes serviant ei.

Alle küng anbettind inn, alle völcker dienind imm.

Ut liberet querulum inopem et adflictum, cui nemo fert auxilium.

So er den armen der schryt erlösen wirt, und den verkümreten der ghein helffer hatt.

Ut misereatur pauperum ac tenuium, ut animas egenorum salvet,

So er schonen wirt der schlechten und armen, und den selen der armen helffen wirt.

Redimendo animas eorum a foenore et violentia, et sanguinem eorum pretiosum existimando.

So er ir selen us dem wuocher und roub erlösen wirt, und ir bluot tür geacht wirt vor imm.

Vivat et detur ei de auro Arabiae, adoretur sine fine, et omni tempore celebretur.

So wirt er leben, und wirt man imm arabisch gold geben, und lob von imm sagen on underlas, und inn täglich prysen.

Tanta fiat in terra per montium vertices tritici vis, ut instar Libani fragorem reddat. In urbe germinent sicut foenum terrae.

Es wirt im land korns gnuog zobrest uff den bergen, sine frücht werdend ze kuffen gmacht wie Libanus ist, und in der statt blüeyen wie das gras der erden.

Duret nomen eius in perpetuum, instar solis iuvenescat nomen eius; beatae fiant in eo beatumque praedicent eum omnes gentes.

Sin nam wirt ewig sin, nebend der sunnen wirt sin nam iung blyben, und man wirt glückhaftig in imm, alle völcker werdend inn rüemen.

Benedictus Dominus Deus, Deus Israëlis qui solus admiranda facit.

Hochgelobt sye der herr gott der gott Israels, der allein die wunder tuot.

Et benedictum sit nomen maiestatis eius in sempiternum, et maiestate eius impleatur universa terra. Amen Amen.

Und hochgelobt sye der nam siner allmechtigheit ewklich, und alles erdrich werde siner allmechtigheit voll! Amen. Amen.

Finis orationum Davidis filii Iesse.

LXXII.

Asaphi carmen.

Fidei exercitium est, quae impiorum felicitate non nihil offenditur; at ubi ad se redit, piorum impiorumque exitu se solatur.

LXXII.

Es ist ein üebung des gloubens, der etwa vil verletzt wirt, so er sicht das es den gotlosen on underlas wol gat. Aber nach dem er sich widrumm erinneret, sicht er was ends den gotlosen und glöibigen nachvolgt.

Quam suavis est Deus Israëlis his qui mundo sunt corde. Mei vero

Wie guot ist der gott Israels, denen die reins hertzens sind. Und

pedes ferme declinaverant, ferme effusi fuerant gressus mei.

hett aber ich schier mit minen füessen abtretten, mine geng wärind gar nach usgeschlagen.

Quum in stultam aemulationem incido, videndo impiis omnia esse salva.

Dann mich verdross von der boshaften wegen, do ich sach dass den gotlosen wol gieng.

Nulla sunt onera sub quibus occumbant, sed simul magna opulentia.

Dann es sind gheine püntel die sy tödind, sunder voller palast.

In hominum aerumnis non sunt, nec cum hominibus vapulant.

Sy sind nit in der müey der menschen, und werdend mit den menschen nit geschlagen.

Ex quo fit ut per superbiam efferantur, ut violentia et iniuria operti sint.

Darum beladend sy sich mit hochfart, und sündend überschwencklich.

Ut per opulentiam omni cupiditati indulgeant, et cordis desideria sectentur.

Der usgang irer ougen ist us derfeisste, sie wandlend nach des hertzen lust.

Sordent eis omnia quam quae ipsi per malitiam et audaciam loquuntur, id autem fastuosissime.

Sy zerschmeltzend und redend böss, sy redend unbill schmächlich da har.

In coelum protendunt os suum et per orbem lingua eorum vagatur.

Sy erhebend iren mund inn himmel, und ir zung wandlet imm land.

Idcirco et grex assectantium eos hic versatur; hic quaestus istis uberrimus provenit.

Darumm kert sich ir volck da har, und findend wasser völle by inen.

Quin et dicere audent, quomodo sciret Deus et quomodo scientia in excelso esset? Sic ergo mecum reputabam: Ecce impii ac divites isti perpetuo possident opes.

Und sprechend: wie wils gott wüssen? und: ist ouch wüssen by dem höchsten? Sich das sind die gotlosen und die säligen diss zyts, die haltend die rychtag inn.

Frustra igitur purifico cor meum, frustra manus meas innocentia abluo.

Desshalb ich vergeben min hertz gereiniget, und min hend in unschuld geweschen hett,

Frustra totum diem vapulo, ac totam noctem castigor.

Und täglich vergeben geschlagen wär, und so bhend gestraft.

Cum ad hunc inquam modum mecum reputarem: tantum non sodalitatem filiorum tuorum reprobabam.

Ia wenn ich gedacht hab, ich wells also rechnen, sich so hab ich das gschlecht diner kinden verschupft.

Constituebam hoc scire quod mihi admodum molestum videbatur;

Noch meint ich, ich wölt es wüssen. Das was ein müey über mich. [1]

Donec penetrarem in sacra adyta Dei, et considerarem finem eorum.

Bis das ich in die heligtuom gottes gieng, do marckt ich uff iren usgang.

---

1) Oder: über mine ougen.

Nempe quod in lubrico locavisti eos atque praecipitas.

Vah quam subito exterminantur, pereimuntur et consumuntur variis perditionibus!

Non aliter quam somnium posteaquam quis evigilaverit. Sic enim Domine imaginem ipsorum ex urbe deles.

Hoc pacto veluti fermentabatur cor meum, et renes meos immutabar.

Hoc pacto imprudens aestuabam, et bestia coram te eram.

Quum tu mihi nunquam desis, atque dexteram manum meam teneas;

Consilio tuo me ducas, ac deinde honorifice suscipias.

Quanta mihi oro reposita sunt in coelis? nam quae in terra sunt, tecum comparata, contemno.

Nihil est mihi et caro mea et cor meum: nam robur cordis mei et pars mea Deus in aeternum.

Ecce enim, qui longius a te abeunt, pereunt; perdis omnes qui te contemto adulterant.

Mihi vero optimum esto Deo adhaerere, Domino Deo fidere et praedicare universa opera eius.

Namlich das du ir ding uff die häle setzest, du wirfst sy nider und schleytzest sy.

Wie sind sy so bald wüest gelegt, verderbt, usgemacht umm irer ungschickte willen?

O herr wie ein troum so einer erwacht, also wirstu ir bildnus in der statt ze nüte richten.

So min hertz verheblet ist, und mine nieren gescherpft.

Und bin ich so torecht das ichs nit merck, ich bin ein tier by dir.

Und bin aber stäts by dir, du haltst mich by miner grechten hand.

Und leitest mich mit dinem rat, und nimpst mich demnach mit eren.

Wen hab ich imm himel? so ich by dir bin, so gefalt mir nütz uff erden.

Min fleisch und min hertz sind verzert. Gott ist der fels mines hertzens und min teil ewiklich.

Dann sich, die sich von dir ferrend die kumend umm, du verderbst alle die von dir huorend.

Aber min bester hort ist, das ich gott anhange, das ich zuo gott dem herren all min hoffnung setz, das ich alle dine werck usskünde.

LXXIII.

Asaphi admonitorium.

Oratio est ex Babylonica captivitate ad Deum, ne perpetuo sinat suos adfligi.

Cur Deus in perpetuum repudias? cur stomachatur ira tua in gregem pascui tui?

Memento coetus tui quem iam olim comparavisti, sceptri hereditatis tuae quam adseruisti, montis huius Zionis quem habitas.

LXXIII.

Es ist ein gebett in der babylonischen gefencknus zuo gott gemacht, das er die synen nit also ewklich lasse verkümret werden.

O gott warumm verschupfstu so gar, es rücht[1] din zorn wider die schaaff diner weide.

Gedenck der gemeind die din anfencklich bar gewesen ist, dines erbs das du mit dem stab errett hast, des bergs Zion in dem du wonest.

---

[1]) Oder: blaasst.

Leva incunctanter gressus tuos contra vastationes: omnia enim perdidit hostis in sanctuario.

Inimici tui in festivitate tua reboant, signa sua pinnis imposuerunt.

Audiri creditur securis superne e silva tonantis veniens fragor.

Simul bipennibus ac runcinis quassantur sculpta opera eius.

Igni inceditur sanctuarium tuum, humi profanatur domicilium nominis tui.

Dicunt in cordibus suis: Diripiamus eos subito; aboleantur omnes celebritates Dei e terra.

Signa quae patribus nostris olim ostendisti non videmus; nullus ultra est propheta, nullus qui quicquam vel tantillum videat.

Quousque o Deus contumeliabitur hostis? an in perpetuum proscindet nomen tuum hostis?

Cur omnino retraxisti manum tuam, et dexteram tuam in sinum tuum?

O Deus et rex meus ab ipso exordio, quique, quicquid in orbe salutis est, operaris!

Tu dissipas virtute tua mare; tu conteris thynnorum, qui in aquis habitant, capita.

Tu comminuis testam Leviathani, et in cibum tribuis eum populo Aethiopum.

Tu incidis fontem et flumen, tu exiccas fluvios immanes.

Tuus est dies, tua est nox; tu adornasti lucem ac solem.

Zuck dine streich das du sy gantz und gar verderbist. Der fygend hatt alles böss geton im heligtuom.

Dine widerwertigen brüelend in mitz dines tempels, und habend ire zeichen zuo zeichen ufgericht.

Man kennts,[1] als ob man von eim hohen wald har die axen hört.

Ia alles gschnitz mit ein andren zerhowend sy mit tweraxen und barten.

Sy habend die heligtuom der gantzen welt ins für gworffen, sy habend die wonung dynes namens enteret.

Sy sprechend in irem hertzen: wir wellends mit einander blündren; sy verbrennend alles imm land, das gott zuo ghört.

Unsere zeichen sehend wir nit, es ist ghein prophet me, und ghein wüssenhafter me under üns.

Wie lang o gott sol doch der widerwertig schmehen, und der fygend dinen namen so gar schelcken?

Warumm wendst du din hand ab, ia din grechten? gantz und gar hastus im buosen.

Und bist aber du gott, min küng anfencklich har, der hilff in mitz vor aller welt tuost.

Du teilst mit diner krafft das mer, du brichst die köpf der mertieren imm wasser.

Du hast die köpf Leviathan zerschlagen, du hast inn zuo eyr spys ggeben dem volck das in der wilde wonet.

Du ryssest brunnen und flüss uf, du tröchnest den chenel der flüssen.

Din ist der tag, und din ist die nacht, du hast das liecht und sunnen zuogerüst.

---

[1]) Oder: Man sichts darfür an.

Tu constituisti terminos terrae, aestatem et hiemem tu formasti.

Idcirco memineris o Domine contumeliarum hostis et stupidi populi qui blasphemat nomen tuum.

Ne tradas ferae turturem tuum, ne obliviscaris humilium tuorum in perpetuum.

Respice foedus, quoniam tenebrosa terrae domicilia scelere repleta sunt.

Ne repellatur contritus et ignominia adfectus humilis et pauper, qui nomen tuum laudant.

Exurge Deus, defende causam tuam, memento opprobrii quo te nullo non tempore stultus adficit.

Noli oblivisci vocis inimicorum tuorum: fastus enim insurgentium in te vehementer crescit.

Du hast alle marchen der welt gesetzt, du hast sumer und winter gmacht.

Darumm so gedenck dess. Der fygend schmächt den herren, und das narrecht volck lestret dinen namen.

Nit gib dem tier die sel dines turturtüblis, nit vergiss gar der sel diner verhergten.

Sich den pundt an, dann die finstrer der welt haben die schönen ding mit wuost gfüllt.

Nit lass den armen gschendt widerkeren, dann die verkümreten und armen werdend dinen namen loben.

Stand uf gott, und rich din sach; bis yngedenck der schmach, die dir von den narren täglich bschicht.

Nit vergiss der stimm diner widerwertigen; der unrat dero die über dich ufwütschend nimpt zuo für und für.

LXXIV.

Asaphi, adhortatorii generis Al thasch heth, id est, ne perdas, hymnus gratiarum actionis.

Orat qui negligens aut cunctatus fuit, ut functioni restituatur, ac pollicetur se pro dignitate res gesturum esse. Futurum enim ut Dominus orbem adfligat.

Confitebimur tibi, o Deus! confitebimur praesenti nomini tuo, et egregia facta tua narrabimus.

Ego quum statutum tempus nactus ero, quod aequum et rectum est, iudicabo.

Langueat tellus licet et universi qui habitant in ea: ego fulciam columnas eius. סלה.

Dicam stultis: Nolite stulte agere; et impiis: Nolite exaltare cornu.

Nolite in altum erigere cornu vestrum, ut contumaciter cogitetis perversa.

LXXIV.

Es ist ein gebätt uss der gfencknus, und verheisst ders gmacht hatt, wie er wider die laster fechten welle; zeigt ouch an, das iren figenden glych gegnen mög, das iets inen gegne.

Wir bekennend dich o gott, wir bekennend dich, und dinem namen nahende erzellend wir dine wunder.

So es mich zyt duncken wirt, wil ich recht richten.

Die erd und alle die darinn wonend sind weich worden; ich wil sine sül vestnen. סלה.

Ich wil zuo den boshaften sprechen: sind nit boshaft, und zuo den gotlosen: erhöhend das ghürn nit.

Nit embörend üwre horn hoch ze tragen, das ir redind mit verlognem halls.

Quoniam neque ab ortu, neque ab occasu, non a deserto aut a montibus aderit qui defendat.

Sed Deus vindex est: hunc deiicit, istum autem erigit.

Nam crater, vino meraco plenus et adornatus, in manu Domini est, de quo fundetur; et feces eius sugent ac ebibent omnes impii terrae.

Ego autem in perpetuum praedicabo et collaudabo Deum Iacobi.

Et omnia cornua impiorum confringam; cornua vero iusti exaltabuntur.

Dann weder von ufgang der sunnen noch nidergang, noch von der wüeste des gbirgs har (sind ir mechtig)!

Sunder gott ist der richter; den undertruckt er, und den erhöcht er.

Dann in der hand des herren ist ein becher mit starckem win, der ist voll gemischlets, davon güsst er us, ouch werdend die häff nit usgossen, das trinkend alle gotlosen imm land.

Ich aber wil ewklich verkünden, und lobsingen dem gott Iakob.

Und wil alle hörner der gotlosen zerbrechen, und werdend die horn des grechten erhöcht.

LXXV.

Adhortatorii generis Psalmus, Asaphi gratulatorius ad organa.

Magnae alicuius victoriae gratulatio est. Epinicion.

Notus est in Iuda Deus, magnum est in Israël nomen eius.

Est enim in Salemo tabernaculum eius, et habitatio eius in Zione.

Isthic confregit volucres sagittas, arcus, scuta, gladios, et totum bellum. סלה.

Clarior et magnificentior es tu quam montes praedonum.

In praedam enim abeunt audaces corde, dormiunt somnum suum, et in nihilum rediguntur cum opibus suis omnes potentes.

Te obiurgante o Deus Iacobi sopore obruuntur et currus et equites.

Tu formidabilis es: quis enim constet in conspectu tuo quum irasceris?

Quum de coelo iudicium pronuncias, iam tellus timet ac tacet.

LXXV.

Es ist ein grossen sigs und fridens ein frolockung.

Gott ist in Iuda bekannt, sin nam ist gross in Israel.

Und ist zuo Schalem sin leger, und sin wonung in Zion.

Daselbst hatt er die pfyl zerbrochen, den bogen, den schilt, schwertt und krieg. סלה.

Du bist klüeger und herlicher dann die berg des roubs.

Die freyens hertzens sind hingenomen, sy schlaffend iren schlaaff, und aller kriegschen menner hend sind [1] nümmen.

Von dinem bschelten o gott Iacobs sind entschläft ross und wagen.

Du bist erschrockenlich du; wer kan vor dir ston so du zornig bist?

Du hast din gricht von himel ghören lassen, das erdrich hatt dich gfürcht und ruow gehebt.

---

1) Oder: habend.

Quum scilicet ad iudicandum exurgit Deus, ut adserat omnes adflictos in terra. סלה.

Ob eam vindictam homines confitentur tibi, ut iterum accingaris ad vindicandum.

Vovete ac reddite Domino Deo vestro omnes qui in hoc coetu adestis, adferte formidabili munera,

Qui intercipit spiritum principum, formidabili regibus terrae.

Do du gott zum gricht uf stüendt, das du heiltist alle verkümreten der erden. סלה.

Darumm seyt dir der mensch danck des zorns. Umgürt ouch die übrigen zörn.

Globend gaben und bezalends dem herren üwrem gott, ir alle die umm in sind, bringend schencke dem erschrockenlichen.

Der den herzogen den muot nimpt, und den küngen der welt erschrockenlich ist.

LXXVI.

Asaphi adhortatorii generis pro vice Idithum Hymnus.

Tentatur fides, illa se tuetur Dei contemplatione atque gestis. Attamen adhuc tentatur, sed tandem superat quum se in omnipotentiae ac providentiae eius considerationem recipit.

Voce mea quum clamarem ad Deum, ad Deum quum clamarem voce mea, aurem praebuit mihi.

Quum tribularer, Dominum quaerebam, vacillabat totas noctes virtus mea et non quiescebat; renuebat consolationem recipere anima mea.

Dei memoriam quum repeterem fremebam, quum ordirer deficiebat me spiritus meus. סלה.

Tenebas palpebras oculorum meorum, attonitus eram ut loqui non possem.

Tunc reputabam mecum retro tempora et annos seculorum.

Reputabam nocte carmina mea, cum corde meo colloquebar et excutiebam spiritum meum.

Num in perpetuum repudiabit Dominus? num nunquam placidus fiet ultra?

Num usque ad finem abhorrebit a bonitate sua, et posteris loqui desinet?

LXXVI.

Hie wirt der gloub angfochten; der schirmt sich mit byspilen und aller macht, und wirt denocht angefochten. Aber zeletst überwindt der gloub, so er sich in die betrachtung der allmechtigheit gottes laest.

Ich schree mit miner stimm zuo gott, ia zuo gott mit miner stimm, und er erhört mich.

In der zyt miner not suocht ich den herren, min wund embran nachts und lies nit nach, min sel wolt sich nit trösten lassen.

Gedacht ich an gott so schree ich, wolt ich reden so nam min atem ab. סלה.

Du hüebt mine ougen ze wachen, ich ward schüch und redt nit.

Ich gedacht der zyt vorhar, der ewigen iaren.

Ich gedacht nachts an min gsangspil, ich redt mit minem hertzen und erfündtelet minen geist. [1]

Wirt der herr ewklich verstossen, und imm nit mer lassen gfallen?

Wirt er sin güete gar enden? hatt er das reden usgemacht zuo allen gburten?

[1]) Oder: und grüblet min geist.

Num miserendi oblitus est Deus? Num per iram reprimet clementiam suam? סלה.

Tandem huc veniebam ut dicerem: Satin' sanus es? Dextera excelsi vices mutat.

Memorabo opera Domini; nam libens recensebo vetera miracula tua,

Et omnia opera tua praedicabo, deque consiliis tuis disseram.

Deus, via tua in sancto est. Quis est tam magnus deus sicut Deus?

Tu es deus qui admiranda facis, qui notum facis robur tuum in populis,

Qui manu redemisti populum tuum, filios Iacobi et Iosephi. סלה.

Aquae cognoscunt te Deus, cognoscunt aquae ac reverentur te, abyssi contremiscunt.

Fundunt nebulae aquas, fragorem reddunt nubes, deinde et sagittae tuae discurrunt.

Vox tonitrus tui in sphaera *reboat*, fulgura in orbem emicant, tremit ac movet tellus.

In mari via tua est, et semita tua in pelago, ut vestigia tua non deprehendantur.

Deduxisti velut gregem populum tuum, sub imperio Mosis et Aaronis.

LXXVII.

Asaphi admonitorium.

Oratio est ad populum, admonens ut exemplis maiorum docti in viam redeant.

Audi popule mi legem meam, praebete aurem sermoni oris mei.

Hatt gott des erbarmens vergessen? und hatt im zorn sin barmhertzigheit verschlossen? סלה.

Und demnach gedacht ich: das ist min schwachheit; es sind verendrungen der grechten hand des höchsten.

Ich gedacht der taten des herren, dann ich bin yngedenck diner wundren vorhar.

Und betrachtet alle dine werck, und erspràchet mich in dinen anschlegen.

O gott din weg ist in der heligheit, welcher gott ist gross wie gott?

Du bist der gott der wunder tuot, du machst din macht under den völckeren kund.

Du hast mit dinem arm din volck erlösst, die sün Iacobs und Ioseph. סלה.

Die wasser habend dich gsehen o gott, die wasser habend dich gsehen und sind erschrocken, die tieffinen sind erbidmet.

Die vilvaltigen wasser tosetend, die wolcken dondretend, und giengend dine pfyl.

Die stimm dines donders was im luft, die blitzg erluchtend den erdboden, es erzitret und erbidmet die erd.

Din weg ist im mer, und din fuosspfad in grossen wassren; noch kennt man dine fuosstritt nit.

Du hast din volck triben wie ein chüt schaffen under Mosen und Aharon.

LXXVII.

Es ist ein red an das volck Israels, darinn sy gemanet werdend, das sy, angesehen ire vätter, recht vor gott wandlind.

Hör min volck min gsatzt, neigend üwre oren zuo den worten mines munds.

Aperiam ad parabolas os meum, eruam priscarum rerum aenigmata.

Quae audivimus et perspecta habemus ex narratione patrum nostrorum,

Ne celemus futuris seculis posteros eorum, praedicando gloriam Domini, robur eius, et stupenda opera eius quae gessit.

Constituit enim foedus cum Iacobo, et legem Israëli tulit, de qua praecepit patribus nostris, ut eam filiis suis traderent,

Ut posteri, filii qui nascituri et orituri erant, et scirent et filiis suis exponerent.

Quo magis spem suam in Deum locarent, consiliorum eius non obliviscerentur et praecepta eius custodirent.

Et non fierent quemadmodum patres ipsorum, natio defectrix et perfida, natio quae non muniret cor suum, cuius spiritus non esset verax erga Deum.

Quomodo filii Ephraimi, qui armati arcuque iaculantes tempore conflictus fusi sunt.

Non enim servaverunt foedus Dei, et in lege eius noluerunt ambulare.

Oblivioni tradiderunt consilia eius atque magnifica opera quae ostendit eis.

Coram patribus eorum admiranda fecit in terra Aegypti in campo Taneos.

Scidit mare et traduxit eos, et constituit aquas tanquam acervum.

Nube duxit illos interdiu, et tota nocte lumine ignis.

Ich wil minen mund mit sprüchen uftuon, und die alten heimlicheiten ussprechen,

Die wir ghört habend und wüssend, und ünser vätter üns erzelt habend.

Dass nit verholen ist vor iren kinden dem nach komenden gschlecht, damit sy verkündind das lob des herren, syn stercke und wunder die er geton hatt.

Er hatt ein zücknus ufgericht in Iacob, und das gsatz gsetzt in Israel, das er unseren vätteren gebotten hatt ire kind ze leren.

Da mitt es die nachkomen wüssind, die kind die für und für geborn werdend, ouch ufrichtind und erzellind iren kinden.

Das sy ir hoffnung in gott setzind, und der taten gottes nit vergessind, und sine gbott haltind.

Und nit werdind wie ire vätter ein abtrünnigs unghorsams gschlecht, ein gschlecht des hertz nit recht gschickt was, und dess geist gott nit vertruwt was.

Wie die kinder Ephraim bewaffnet mit dem bogen schiessende sich umkartend zuo der zyt des stryts.

Sy hieltend den pundt gottes nit, und in synem gsatzt woltend sy nit wandlen,

Und vergaassend syner taten und der wundren die er inen zeigt hatt.

Vor iren vätteren tätt er wunder in Egypten land in der gegne Zoan.

Er teilt das mer und fuort sy hin durch, und stallt das wasser wie ein mur.

Und leytet sy tags mit der wolcken, und alle nächt mit dem fürinen liecht.

Scidit et rupes in eremo, et potavit tanquam in abysso magna.

Er zerreiss den felsen in der wüeste, und tranckt sy mit vil wassers.

Latices elicuit e petra, ut instar fluminum proruerent aquae.

Er fuort bech us dem felsen, und gieng das wasser hin wie die flüss.

Et supra haec peccaverunt adversus eum, et exasperaverunt excelsum in solitudine.

Noch sündetend sy wyter wider inn, und wurdend unghorsam dem höchsten in der wüeste.

Tentando Deum ex cordibus suis, et exigendo cibum pro sua libidine.

Und versuochtend gott in irem hertzen, das sy spys begertend nach irem lust.

Locuti enim sunt contra deum atque dixerunt: An non potest Deus parare commeatum in eremo?

Und redtend wider gott und sprachend: vermag gott nit ein tisch zuo rüsten in der wüeste?

En petram percussit et profluxerunt aquae, ut iusta in flumina inundaverint. Num non et cibum dare, et carnes parare populo suo poterit?

Sich er hatt wol den felsen gschlagen, und ist wasser gflossen und die bech überggangen; mag er aber ouch brot geben und fleisch zuo rüsten sinem volck?

His auditis irascebatur Dominus, ac velut ignis incendebatur contra Iacobo, et crescebat indignatio adversus Israëlem.

Darum der herr als er das hort sich entrust, und ward das für wider Iacob anzündt, und zorn kam über Israel.

Quod non servassent fidem Deo, neque speravissent in salutarem opitulationem eius.

Darumm das sy an gott nit gloubtend, und hofftend nit uff sin heyl.

Mandaverat et nubibus superne, et ianuas coelorum aperuerat.

Er gebott den wolcken doben, und tet die türen des himels uf.

Ut deplueret in eos man ad edendum, ac coeleste triticum praeberet eis.

Und liess das Man uff sy regnen zuo einr spys, und gab inen das himel brot.

Hic cibum heroum quisque comedebat: mittebat enim eis commeatum ad satietatem.

Yederman aass das brot der englen, er sandt inen spys nach der gnüege.

Coelo movebat Eurum, et fortitudine sua Africum inducebat.

Er tät den morgen wind am himel dennen, und bracht mit siner krafft den mittägigen.

Et depluebat in eos carnes, pulveris multitudine, et volucres aves pro copia arenae maris.

Und liess fleisch uff sy regnen wie stoub, und gfider vogel wie das sand amm mer.

Quas iaciebat in media castra eorum et circum tabernacula eorum.

Und vallt sy in ir läger, zring umm ire wonungen.

Vorabant igitur atque implebantur super modum: desideria enim ipsorum tribuebat eis.

Da assend sy und wurdend treffenlich satt, nach irem lust bracht er inen.

Nihil deerat desideriis eorum; sed quum cibus etiamnunc esset in ore ipsorum:

An irem lust gebrast inen nütz, die spys was nach irem mund.

Ecce ira Dei effervescebat in eos, et trucidabat pinguiculos eorum, et electos Israëlis succidebat.

Do kam der zorn gottes über sy, und todt die feististen under inen, und demüetigott die userwelten Israels.

Inter haec omnia iterum peccabant in eum, nec credebant tot miraculis eius.

Und über das alles sundetend sy wyter, und gloubtend nit an sine wunder.

Temere ergo finiebat dies eorum et annos eorum subito.

Darumm giengend ire tag liederlich hin, und ire iar mit yl.

Quum trucidaret eos, quaerebant eum, ac subito redibant ad Deum.

Wenn er sy todt, so suochtend sy inn, und kartend widrumm, kamend früey zuo gott.

Et memores erant quod Deus petra eorum esset, et vindex eorum Deus excelsus.

Und gedachtend das gott ir vels ist, und gott der höchst ir erlöser ist.

Quamvis ore suo blandirentur ei, lingua tamen mentiebantur.

Und törletend inn mit irem mund, und mit irer zungen lugend sy imm.

Cor enim eorum non erat integrum erga ipsum, neque fidem foederis eius servabant.

Aber ir hertz was nicht grecht mit imm, und warend nit trüw in sinem pundt.

Ipse vero ultro ignoscebat eis quo minus perderet, ac saepenumero revocavit iram suam, quo minus totam incenderet.

Und was aber er barmhertzig, und verzech inen ir misstat, und verdarbt sy nit, und wandt offt synen zorn ab, und hatt nit allen sinen zorn erweckt.

Sed commeminit quod caro essent, et ventus qui abit et nunquam redit.

Dann er gedacht: sy sind fleisch, ein wind der hinfart und nit widerkumbt.

Quoties exasperarunt eum in eremo, et irritarunt in solitudine?

Wie dick sind sy von imm abgevallen in der wüeste, erzurntend inn in der einöde?

Ut aversi tentaverint Deum, et sanctum Israëlis ludibrio habuerint?

Sy kartend sich umm und versuochtend gott, und den heligen Israels reitztend sy.

Immemores virtutis eius, atque temporis quo liberaverat eos ab oppressore.

Sy gedachtend nit an sin hand, des tags da er sy erlost vom fygend,

Quomodo signa sua in Aegyptios ediderit, et miracula sua in agro Taneos.

Noch der zeichen die er in Egypten geton hatt, noch der wundren im land Zoan.

Quomodo flumina eorum in cruorem mutaverit, atque rivos eorum quominus esset quod biberent.

Er verkart ire wasser und bech, das sy nit trincken kondend.

Quomodo cynomyiam in eos miserit ad exedendum, et ranas ad perdendum eos.

Er schickt die hundsmuggen under sy, die sy frassend, und frösch die sy verdarbtend.

Annonam ipsorum bruchis, et laborem eorum locustis dederit.

Er gab ire frücht den rupen, und ir arbeit den höwstofflen.

Vineas eorum grandine et sycaminos pruina perdiderit.

Er erschluog ir wingärten mit dem hagel, und ir mulberböum mit dem ryffen.

Ut iumenta eorum grandine et greges eorum contagionis iaculis confecerit.

Er verschloss ir veh inn hagel, und ire chütt ins führ.

Mittebat enim in eos, furore ac fremitu irae et indignationis suae correptus, tribulationem et cacodaemonum incursiones.

Er sandt under sy den grimm sines zorns, ungnad tröwung und angst, botschaften böser englen.

Irae suae iter faciebat, ut pestilentia quum ipsos homines tum iumenta eorum invaderet.

Er machet sinem zorn weg, er schont nit das er inen ir leben nem, und verschloss ire tier in der pestilentz.

Et percutiebat omnem primogenitum Aegypti, prima quaeque opera in tabernaculis Hami.

Er erschluog alle erstgebornen in Egypten, die fürnemsten und sterckof sten in den hütten Ham.

Populum autem suum educebat tanquam gregem, ac velut armentum in desertum agebat.

Und treib sin volck hin glych wie schaaff, und leitet sy glych wie ein chütt in der wüeste.

Ducebat eos secure ut nihil metuerent; hostes autem eorum mari obruebat.

Und fuort sy trülich [1] das sy inen nit forchtend, und ire fygend bedackt das mer.

Et adducebat eos in fines sanctuarii sui, ad montem istum quem dextera sua comparavit.

Und bracht sy in die gegne synes heligtuoms, an disen berg den er mit syner grechten überkomen hatt.

Expellebat gentes ante eos, fune dividebat eis hereditatem, et in hostium tabernaculis locabat tribus Israëlis.

Und vertreib vor inen die völcker, und fallt inen das erb nach der schnuor, und macht die kinder Israels wonbar in iren hütten.

Sed tentaverunt et irritaverunt Deum excelsum, et testamentum eius non custodierunt.

Noch so versuochtend und erzurntend sy den höchsten gott, und hieltend sin kundschafft nit.

Retrorsum aversi defecerunt haud secus quam patres eorum, rebellarunt sicut arcus vitiosus.

Sunder sy wandtend sich umm und übertratend wie ire vätter, sy wandtend sich wie ein valscher bog.

Provocarunt eum excelsis suis, et idolis suis ad iram incitaverunt.

Sy reitztend inn mit iren höhinen, und erzurntend inn mit iren götzen.

His auditis, indignatus est Deus, atque Israëlem vehementer detestatus.

Das hort gott und entrust sich, und verschupft Israel träffenlich.

Et reliquit tabernaculum Siluntem, tabernaculum ubi inter homines habitaverat.

Und verliess die wonung Sylo, die wonung in dero er under den menschen wonet.

Et tradidit in captivitatem fortitudinem eorum, et splendorem eorum in manum hostis.

Und gab ir stercke in gefencknus, und ir herlicheit in die hand des fygends.

[1]) Oder: sicher.

Obiecit gladio populum suum, iratus hereditati suae.

Iuvenes eius devoravit ignis, et virgines ipsius nemo deplanxit.

Occubuerunt ferro sacerdotes eius, et viduae eius non sunt comploratae.

Excitatus est sicut dormiens dominus, et sicut miles vino exhilaratus.

Atque cecidit terga hostium suorum, et opprobrio sempiterno adfecit eos.

Tentoria Iosephi aversatus est, et repudiavit Ephraimum tribum.

Tribum vero Iuda elegit, montemque Zionem quem amat.

Isthic extruxit, quantum ambitiosissime fieri potuit, sanctuarium suum, ac, velut ipsam terram, fundavit ut in perpetuum duraret.

Elegit et Davidem servum suum, ac de gregum caulis abstulit.

Post foetas euntem abduxit eum, ut pasceret Iacobum populum eius, et Israëlem hereditatem eius.

Pavit igitur eos pro integritate cordis sui, et pro industria virtutis suae duxit.

Und verschloss sin volck ins schwert, und über sin erbvolck ward er entzündt. [1]

Ire iüngling fraass das führ, und ire dochtren wurdend nit geklagt.

Ire priester vielend ins schwert, und ire witwen wurdend nit beweinet.

Demnach ist der herr erwachet wie ein schlaffender, wie ein starcker der vom win frölich ist.

Und schluog hinden in sine fygend, und gab inen ewige schand.

Und verschupft die hütten Iosephs, und das gschlecht Ephraims erwallt er nit.

Sunder erwallt er das gschlecht Iuda, den berg Zion den er lieb hatt.

Und buwt da sin heligtuom zum höchsten, er grundvestnet es wie den erdboden den er ewklich ggründt hatt.

Er erwallt ouch sinen knecht David, und nam inn von den värrichen der schaaffen.

Hinder den entladnen ouwen reicht er inn, das er sin volck Iakob weidete und sin erbvolck Israel.

Also weidet er sy nach der trüw syns hertzens, und leitet sy nach dem verstand siner henden.

LXXVIII.

Asaphi carmen.

Querimonia est super excidio Hierosolymae et captivitatis aerumna.

Deus, invaserunt gentes hereditatem tuam, polluerunt templum tuum sanctum, et Hierosolyma in acervos redegerunt.

Fecerunt cadavera servorum tuorum escam volucribus coeli, carnem sanctorum tuorum cibum bestiis terrae.

LXXVIII.

Es ist ein grosse klag über das groß iamer, namlich der zerstörung Hierusalem.

O gott es sind heiden in din erb komen, die habend dinen heligen tempel vermaasget, und uss Hierusalem steinhuffen gemacht.

Sy habend die lychnam diner dieneren zuo einr spys den voglen des lufts ggeben, und das fleisch diner heligen den tieren der erden.

[1]) Oder: entrüst.

Fuderunt sanguinem eorum velut aquam per universam Hierosolymam, et nemo sepeliebat.

Obprobrium sumus vicinis nostris, ludibrium et risus his qui circum nos sunt.

Quousque indignaberis Domine? anne penitus incendes velut ignem aemulationem tuam?

Effunde iram in gentes quae non noverunt te, et in regna quae nomen tuum non invocant.

Quae Iacobum devoraverunt, et habitaculum eius exciderunt.

Noli meminisse nostrorum retro peccatorum, sed subito antevertant nos misericordiae tuae: valde enim pauperes facti sumus.

Adiuva nos Deus salvator noster propter gloriam nominis tui, libera nos, et placare super sceleribus nostris propter nomen tuum.

Cur dicerent gentes: Ubi est Deus eorum? Vulgetur, inspicientibus oculis nostris, in gentes ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est!

Introeat sub conspectum tuum gemitus nervo addictorum! pro amplitudine brachii tui reliquos fac caedi destinatos!

His autem, inter quos versamur, in sinum redde contumeliam qua te adfecerunt septupliciter!

Et nos populus tuus, et grex pascui tui gratias agemus tibi in perpetuum, et laudem tuam in omne aevum praedicabimus.

Sy habend ir bluot vergossen zring umm Hierusalem wie das wasser, und was nieman der vergrüeb.

Wir sind ein schmach ünseren nachpuren worden, ein vermupfen und gspött denen die um üns harumm sind.

Wie lang wiltu herr so gar zornig sin, und dinen yfer wie ein fhür anzünden?

Schütt dynn grimmen uff die heiden die dich nit kennend, und uff die küngrych die dynen namen nit anrüeffend.

Dann sy habend Iacob fressen, und sin wonung verwüestet.

Nit gedenck üns der vorigen [1] taten, yl lass üns dine erbermden gegnen, dann wir sind träffenlich arm.

Hilff üns gott ünser heiland umm dynes namens er willen, und erlös üns und vergib üns ünser sünd umm dines namens willen.

Warumm sprechend die heiden: wo ist ir gott? Mach under den heiden kund vor ünseren ougen, die rach des bluots diner dieneren das vergossen ist.

Lass für dich kumen das süftzen des gefangnen, umm der grösse dines arms willen lass überblyben die kinder des todes.

Und widergilt ünseren nachpuren sibenvaltig in ir schooss ir schmach, damit sy dich o herr geschmächt habend.

So wellend wir din volck und schaaff diner weyd dir dancksagen, und din lob uskünden von gschlecht ze gschlecht.

---

[1]) Oder: alten.

LXXIX.

Adhortatorii generis ad Schoschanim, id est ad modum Violarum, Rosarum aut Liliorum, coetus Asaphi carmen.

Oratio est ex ipsa captivitate ad Deum facta, liberationem exemplo Aegyptiacae postulans.

O pastor Israelis attende! qui Iosephum tanquam gregem ducis quique Cherubim insides, te ipsum exhibe!

Coram Ephraimum, Beniaminum et Manassen excita fortitudinem tuam, et veni ad salvandum nos.

Redi ad nos Deus, ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Domine Deus exercituum quousque dedignaberis orationem populi tui?

Lacrimis velut pane cibasti eos, lacrimis abunde potasti eos.

Fecisti nos iurgium vicinis nostris, et hostes nostri apud se vili pendunt.

Redi ad nos Deus exercituum, ostende faciem tuam et salvi erimus.

Vineam ex Aegypto arcessitam eliminatis gentibus plantavisti.

Scrobem praeparasti ei, et sparsis radicibus suis regionem totam occupavit.

Umbra eius tegebantur montes: nam rami eius fortes cedros aequabant.

Extendebat ad mare palmites suos, et propagines suas usque ad flumen.

Cur ergo rupisti septa eius, ut omnes, qui isthac praetereunt, eam vindemient?

Silvestris aper vastat eam, et fera in agro depascit.

LXXIX.

Es ist ein gebett uss der Babylonischen gfencknus, begert da erlöst werden wie vor mal uss Ägypten.

Merck uf du der Israel weidest, und Ioseph hüetest wie die schaff; erschyn du der uff Cherubim sitzest.

Erweck dynn gwalt vor Ephraim Beniamin und Manasse, und kum üns zhillff.

O gott ker üns wider umm, erlücht din angsicht, so werdend wir heil

O herr gott der herzügen, wie lang wiltu erzürnt sin wider das gebätt dines volcks?

Du spysest sy mit dem brot der trähen, und trenckst sy mit trähen überflüssig.

Du gibst üns in den hader ünserer nachpüren, und ünsere fygend vermupfend üns.

O gott der herzügen ker üns widrumm, und erlücht din angsicht, so werdend wir heil.

Du hast ein winreben uss Egypten bracht, du hast die heiden vertriben und sy gepflantzet.

Du hast vor iro gesübret, und iro wurtzen gepflantzet, das sy das land gefüllt hatt.

Ir schatt hatt die berg überdeckt, und ire schoss die cedren gottes.

Sy hatt ire gerten usgestreckt bis ans mer, und ire zwy bis ans wasser.

Warumm hastu iren zun zerbrochen, und erwimmend sy alle die da für gond.

Das wild schwin us dem wald hatt sy verwüescht, und das veh im feld hatt sy abgeweidet.

Deus exercituum redi obsecro, coelo prospice, contemplare et considera vineam istam

Ac plantam, quae dextera tua plantata est; hoc est filium, quem tibi magnificasti.

Igni enim succensa et eversa iacet. Pereant, *qui hoc fecerunt*, virtutis tuae obiurgatione!

Adsit manus tua viro dexterae tuae, filio hominis quem tibi magnificasti,

Et non recedemus a te. Restitue nos ut nomen tuum invocemus.

Redi ad nos Domine Deus exercituum, ostende faciem tuam et salvi erimus.

O gott der herzügen lieber beker dich, sich von himel und luog, und heimsuoch dise winreben,

Und pflantz die din grechte hand gepflantzet hatt, und über den sun den du dir hast starck gemacht.

Sy ist mit dem fhür verbrennt und abghowen, sy sind von dem schelten dynes angsichts umkomen.

Din hand sye über den man diner grechten hand, über das menschen kind das du dir hast starck gemacht.

So wellend wir nit von dir wychen; mach üns läbendig, [1] so wellend wir dinen namen anrüeffen.

O herr gott der herzügen, ker üns widrumm; erlücht din angsicht, so werdend wir heil.

LXXX.

Adhortatorii generis, pro torculari, Asaphi.

Torcularis gratulatio est, qua monetur Deum omnia abunde suppeditaturum, si nos ad eius voluntatem componamus.

Exultate Deo robori nostro, iubilate Deo Iacobi!

Hymnis concinite, reddite tympanum laetamque tum chelyn tum citharam.

Clangite neomeniaca tuba, in die isto solenni!

Hic enim ritus est Israelis, et ius a Deo Iacobi profectum.

Testimonium quod dignatus est ponere, quum pugnavisset adversus Aegyptios, quum labium peregrinum audiremus;

Quum onere levarentur humeri vestri, et manus vestrae ollis renuntiarent.

Qui quum in tribulatione invocares me, ego eripui te, locutus sum

LXXX.

Es ist ein dancksagung der früchten, die do lert, das gott alle ding werde überflüssigklich tuodienen, so wir in sinem willen wandlen werdind.

Frolockend gott der ünser stercke ist, schallend dem gott Iakob.

Erhebend das lobgsang, und gebend trummen, die süessen harpfen mit dem psalter.

Schallend mit der posunen des nüwmons am fest, an ünserem hochzytlichen tag.

Denn das ist der bruch in Israel, und das recht des gotts Iacob.

Dise zügknus hatt er in Ioseph gsetzt in dem usfüeren, das über Egypten gschach; da hatt er sprach gehört, die er nit verstuond.

Er tett sin achsel vom last, und sine hend giengend vom kessel hin.

Do du mich in der angst anruoft erlosst ich dich, ich erhort dich

[1]) Oder: frist üns.

tibi sub tonitru latens, et probavi te ad aquas contentionis. סלה.

O popule meus, audi! nam contestabor te o Israel.

Si mihi obtemperabis: non erit apud te Deus peregrinus, nec adorabis Deum alienum.

Ego enim sum Dominus Deus tuus qui e terra Aegypti eduxi te. Aperi os tuum et satiabo illud.

Sed non recepit populus meus vocem meam, et Israel renuit me.

Reliqui ergo eos malignitati cordis eorum et secuti sunt consilia sua.

Utinam populus meus me audiat, et Israel ambulet in viis meis!

Ad paucos redigerem hostes eorum, et in adversarios eorum converterem manum meam;

Osores Domini in Israele frustrarentur, et esset tempus eorum aeternitas;

Et cibaret eos simila tritici, et vel e petra melle saturet eos.

im heimlichen gmürmel, und bewert dich by dem wasser des zangs. סלה.

Hör min volck ich wil mich mit dir verzügnussen: Wiltu mich o Israel hören,

So wirt ghein frömder gott under dir sin, und wirst gheinen frömden gott eren.

Ich bin der herr din gott, der dich us Egypten haruf gefüert hatt; tuo dinen mund wyt uf, so wil ich inn füllen.

Aber min volck hört min stimm nit, und Israel wil min nütz.

Also hab ich inn hingelassen in der bosheit ires hertzens, sy wandlend nach irem radt.

O horte mich min volck, und wandlete Israel in minen wegen.

So wölt ich inen ire fygend bald ghorsam machen, und min hand über ire beleidiger wenden.

Die hasser des herren müestind an inen välen, und ir zyt wurd ewklich wären.

Er wurd sy mit dem besten korn spysen, und us dem felsen sy mit hung ersettigen.

LXXXI.

Carmen Asaphi.

Increpatio est principum ac iudicum ultionisque divinae comminatio.

Deus constitit in coetu potentium et in medio iudicum, ut iudicio contendat.

Usquequo, inquit, quod iniquum est, iudicabitis, et personam impiorum suscipietis? סלה.

Ius reddite tenui ac pupillo, adflicto et pauperi iuste iudicate.

Adserite inopem et egenum, ac [illegible]e vi impiorum liberate.

LXXXI.

Es ist ein bescheltung der fürsten und richteren und ein tröwung der götlichen rach.

Gott statt in der gemein des starcken, und wil in mitz der richteren rechten.

Wie lang wellend ir unrecht richten, und die angsicht der gotlosen gelten lassen? סלה.

Richtend dem armen und dem weysen, helffend dem armen und verkümreten zuo recht.

Fristend den schlechten und armen, erlösend inn von dem gwalt des gotlosen.

At nihil vel sentiunt vel vident, sed in tenebris ambulant. Movebuntur ergo omnia fundamenta terrae.

Equidem dixeram: Vos dii estis, vos filii altissimi estis omnes.

Veruntamen hominum more moriemini, et sicut aliquis tyrannorum cadetis.

Exurge Deus et vindica terram! tibi enim universae gentes haereditario iure debentur.

Aber sy wellends nit wüssen und nit mercken, sy wandlend in der finsternus; darumm müessend alle grundvestinen der erden bewegt werden.

Ich hatt geredt: ir sind gött, und sün des höchsten all miteinander.

Aber ir müessend sterben wie die menschen, und hinvallen wie einer der fürsten.

Stand uf o gott und richt die welt, dann du bist der erbherr in allen völckeren.

LXXXII.

Asaphi hymnus gratulatorius.

Invocatio est divini auxilii, hostibus coniuratis ac bellum instruentibus.

Deus ne taceas, ne cesses, et ne cuncteris Deus!

Ecce enim hostes tui tumultuantur et osores tui efferunt caput.

Adversus populum tuum occultas sutelas struunt et coniurant adversus arcana tua.

Dicunt: Adeste, extirpemus eos e gentium numero, ut nominis Israëlitici nulla memoria reliqua fiat.

Conspirarunt enim ex corde, et foedus in te coniurarunt.

Tabernacula Idumaeorum et Ismaelitae, Moabitae et Hagareni,

Gebal, Amon et Amalec, Palaestini cum Tyri civibus.

His adhaeret Assyrius, perpetuus commilito filiorum Loti. סלה.

Fac eis sicut Madianitis et Sisarae, sicut Iabino ad flumen Chison.

Qui fracti sunt in Endore et sterquilinium terrae facti.

LXXXII.

Es ist ein anrüeffen götlicher hilff, so sich die fygend zemen rottend, und sich zuo krieg rüstend.

O gott nit schwyg du, bis nit ghörlos, gott hab nit ruow.

Dann sich dine figend tobend, und die dich hassend richtend den kopf uf.

Sy tuond bös heimlich radtschleg wider din volck, sy beratend sich wider dine heimlichheiten.

Sy sprechend: woluf wir wellend us den völckeren usrüten, das man des namens Israel nit me gedencke.

Dann es habend sich von hertzen mit einander beraten, und wider dich einn pundt gemacht,

Die hütten der Edomiten und Ismaeler, die Moabiten und die Hagarener,

Gebaliter, Ammoniten und Amaleckiter, Philistiner mit denen die zuo Tyro wonend.

Assur ist inen ouch ankleybt, sy sind ein arm der sünen Lot. סלה.

Tuo inen wie den Madianiten, wie Sisra, wie Iabin am wasser Kischon,

Die vertilgget sind in Endor, und zuo mist der erden worden.

Duces autem eorum similes fac Orebo, Zebo, Zebaeae et Zalmanae, omnes duces eorum.

Mach ire fürsten wie Oreb und Zeeb und Säbah, und wie Zalmunah alle ire obresten.

Qui dixerunt: occupemus nobis habitaculum Dei!

Die do sagend: wir wellend ynnemen die schönen ding gottes,

Deus meus redde eos rotae similes, et stipulae quae vento exposita est!

O gott mach sy wie ein rad, wie stupflen vor dem wind.

Sicut ignis nemora incendit, et sicut montes flamma inflammat:

Wie das führ das einn wald verbrennt, und wie einn flammen der die berg anzündt,

Sic persequere illos procella tua et turbine tuo obrue.

Also durächt sy mit dinem sturmwätter, und mit dinem wirbel verwirr sy.

Perfunde vultus eorum pudore, ut requirant nomen tuum, Domine.

Füll ir angsicht mit schanden, das sy herr dinem namen nachfragind.

Erubescant et conturbentur usque in sempiternum, confundantur et pereant.

Sy werdind schamrot und verwirrt immer und ewklich, sy werdind gschendt und kömind umm,

Ut experiantur te Dominum solum esse, nomen tuum solum, te solum altissimum super omnem terram.

Und erkennind das du und din nam herr allein din ist, du höchster über alle erden.

LXXXIII.

Adhortatorii generis super torculari filiorum Cores hymnus.

Comparatione carnalis laetitiae horum, qui in celebritatibus frequentes conveniunt, animorum Deo viventium tranquillitas adumbratur.

LXXXIII.

Er gibt under der glychnus dero, die im tempel wontend und alle ding vollbrachtend, ze verston die zier und ruow dero, die in gott vertruwend.

Quam amabilia sunt habitacula tua, Domine exercituum!

Wie lieblich sind dyne wonungen o herr der herzügen.

Concupiscit et deperit anima mea atria domini, cor et caro mea gestiunt ad deum vivum.

Min sel begert und blanget nach den höfen des herren, min hertz und fleisch frolockend über den läbendigen gott.

Ubi et passer domicilium sibi invenit, et turtur nidum quo foetus suos reponat, aram videlicet tuam Domine, exercituum rex meus et Deus meus.

Ouch hat der spar ein hus funden, und die turturtub ir nest, da sy ire iungen hinleg, namlich dine altar o herr der herzügen, du min küng und min gott.

O beatos quum qui domi tuae habitant, tum qui te laudant! סלה.

Wol denen die in dym hus wonend, die lobend dich für und für. סלה.

O beatos quorum robur tu es, in quorum cordibus laudes tuae sunt!

Wol dem menschen dess stercke in dir ist, in dero hertzen eben ist.

Quum enim in lacrimarum valle proficiscuntur, vice fontis eis utuntur, et dux ipse gratulationibus ornatur.

Transeunt de opulentia in opulentiam; deinde videtur eis Deus in Zione.

Domine Deus exercituum exaudi orationem meam, aurem praebe Deus Iacobi! סלה.

Inspice scutum nostrum Deus, et intuere vultum Christi tui.

Quia suavior est una dies in atriis tuis quam alias mille. Malo ostiarius esse domi Dei mei quam versari in tabernaculis impiorum.

Lux enim et securitas est Dominus deus, gratiam et gloriam dabit Dominus, nullo bono destituit eos qui integre vivunt.

O beatos, Domine deus exercituum! qui in te sperant!

LXXXIV.

Adhortatorii generis filiorum Core hymnus.

Anxia oratio pro liberatione captivitatis tam Babylonicae quam scelerum quae per Christum deleta sunt.

Propitius sis Domine terrae tuae, restitue captivitatem Iacobi!

Tolle scelus populi tui, et operi omne peccatum eorum! סלה.

Tolle omnem indignationem tuam, redi a furore irae tuae!

Redi ad nos Deus salvator noster, solve tuam erga nos indignationem!

Num in perpetuum succensebis nobis, aut protelabis iram tuam a generatione ad generationem?

So sy in dem tal der trähen wandlend, so haltend sy es für ir wonung; ouch so der gsatztgeber sy mit güete umgibt. [1]

Sy gond von einer wolhab zuo der andren, und erschynt inen gott der gott Zion.

Herr gott der herzügen erhör min gebätt, vernims o gott Iaacob. סלה.

Bsich o gott ünser schiltt, und sich an dinen Messiah.

Dann ein tag in dinen höfen ist besser denn tusend; ich wil mich lieber des türhüetens vernüegen in dem hus mines gottes, dann in des gotlosen zelten wonen.

Dann gott der herr ist sunn und schilt, gnad und macht gibt der herr, er wirt ghein guots entziehen denen die ufrecht wandlend.

O herr der herzügen, wol dem menschen der in dich vertruwt.

LXXXIV.

Es ist ein engstig verlangen der Babylonischen erlösung, und gottes anrüeffen und reitzen darzuo.

O herr der ein wolgevallen hast ghebt an dynem land, und widerkert die gefencknus Iaacobs.

Der hin nimpst die misstat dynes volcks, und verdeckst all ir sünd. סלה.

Der allen dinen zorn miltest, und dinen zorn von wüeten abwendst.

Bring üns wider o gott ünser heil, und tuo ab die ungnad die du gegen üns hast.

Wiltu ewklich über üns zürnen, und dinen zorn strecken über alle nachkomen?

---

[1]) Oder: dann der gsatztgeber gibt ouch gnad.

Nonne redibis potius ac restitues nos, ut populus tuus laetetur in te?

Wiltu dich nit wenden und üns erquicken, das sich din volck in dir fröwe?

Ostende nobis Domine bonitatem tuam, et salute tua nos dona!

Zeig üns herr din güete, und gib üns din heil.

Auscultabo quid mandaturus sit Dominus Deus: mandabit enim pacem populo suo et sanctis suis, quo minus ad stultitiam convertantur.

O das ich horte was gott der herr reden wirt, so er friden zuo sinem volck reden wirt, und zuo sinen heligen, das sy sich nit zur torheit kerind.

Nam propinqua est salus eius metuentibus eius, et gloria eius ut habitet in terra nostra.

Dann sin heil ist nach denen die inn fürchtend, das eer in unserem land wone.

Bonitas et fides occurrent sibi mutuo; mutuo sese osculabuntur iustitia et pax.

Güete und trüw werdend einandren begegnen, grechtigheit und friden werdend einander küssen.

Veritas de terra germinabit et iustitia de coelo orietur.

Trüw wirt uss der erden wachsen, und grechtigheit von himel herab gsehen werden.

Dominus donabit bonitatem, et terra nostra reddet annonam suam.

Der herr wirt ouch guotes geben, und ünser land wirt sine frücht geben.

Iustitia praeambulabit coram eo, ut viam muniat ingressui eius.

Grechtigheit wirt vor imm wandlen, und sine tritt uff den weg richten.

LXXXV.

Davidis oratio.

Communis oratio est, petens ab hostium insidiis et adversitatibus liberari.

Es ist ein gmein gebett, das begert von ufsats der fyenden und widerwertigheit erlöst werden.

Praebe mihi Domine aurem tuam, et responde mihi: adflictus enim et pauper sum.

Herr neig din or und erhör mich, dann ich bin ellend und arm.

Serva animam meam, quoniam innocens sum! salva servum tuum Deus meus sperantem in te!

Behüet min sel, dann ich bin heilig; hilff dinem knecht du min gott, der sich verlasst uff dich.

Miserere mei Domine ad te sine intermissione clamantis!

Bis mir gnädig herr, dann ich rüeff täglich zuo dir.

Laetifica animam servi tui: ad te enim Domine mentem meam tollo.

Erfröw die seel dines knechts, dann herr zuo dir erheb ich min sel.

Quoniam tu Domine suavis et mitis es, ac misericordiae dives omnibus invocantibus te.

Dann du herr bist güetig und erbittlich, und viler gnad allen die dich anrüeffend.

Da aurem Domine orationi meae, et attende voci precationum mearum!

Vass min gbett ze oren herr, und vernim die stimm miner klagen.

Tempore tribulationis meae te invoco: nam tu exaudis me.

Zuo der zyt miner not rüeff ich dich an, und du erhörst mich.

Nullus est inter Deos tibi similis, Domine; nullus tibi rebus gerendis par est.

Omnes ergo gentes, quas fecisti, veniant, et adorent coram te Domine, et magnificent nomen tuum!

Quoniam tu es magnus, et magna facis: tu solus es Deus.

Duc me Domine viam tuam ut ambulem in veritate tua, castiga pectus meum ut unice metuat nomen tuum.

Gratias ago tibi Domine Deus meus ex toto corde meo, et nomen tuum in aeternum magnificabo.

Quia bonitas tua grandia mihi fecit: eruisti enim animam meam de fovea quae subter me erat.

Deus, violenti insurrexerunt in me, et coetus audacium quaerunt animam meam, neque habent te prae oculis suis.

Tu ergo Domine Deus clemens et misericors, qui tardus es ad irascendum, sed propensus ad benignitatem et fidem,

Convertere ad me et miserere mei! da robur tuum servo tuo, et salutem filio ancillae tuae!

Fac mecum signum ad bonum, ut eo viso pudefiant osores mei, quod tu Domine auxilium et consolationem tuleris mihi.

Herr gheiner under den götten ist dir glych, und tuot gheiner taten wie du.

Alle völcker die du gmacht hast werdend kumen, und vor dir ambätten herr, und dinen namen eren.

Dann du bist grooss und tuost wunder, du bist der einig gott.

Ler mich herr dinen weg, das ich in diner warheit wandle, und sich min hertz fröwe dinen namen ze fürchten.

So wil ich dich o herr min gott loben uss gantzem hertzen, und dinen namen ewklich eren.

Dann din gnad ist grösslich mit mir, du hast min sel von der tieffen hell errettet.

O gott es wütschend die hochfertigen über mich uf, und die rott der mechtigen suochend min seel, und habend dich nit vor ougen.

Du aber herr ein barmhertziger und güetiger gott, langsam zuo zorn, aber gnaden und trüw voll.

Ker dich zuo mir und erbarm dich min, gib din kraft dinem knecht, und hilff dem sun diner dienerin.

Tuo an mir ein zeichen der güete, so werdends die mich hassend sehen und sich schemen, so du herr mir gholffen und mich tröst hast.

LXXXVI.

Filiorum Cores hymnus gratulatorius.

Hierosolymae encomium, quae fuit ecclesiae typus.

Dominus amat portas Zionis, cuius fundamenta in monte sancto sunt, super omnia tabernacula Iacobi. סלה.

Magnifica sunt quae in te dicuntur, o urbs Dei! סלה.

Memorabo Rahab Babyloni, notis mihi urbibus Palaestinae, denique

LXXXVI.

Es ist ein lobliche usbreitung der statt Hierusalem, die ein figur der christlichen kilchen ist.

Der herr hatt die tor Zion, dero grundveste in den heligen bergen ist, lieber denn alle wonungen Iacobs.

Herliche ding seyt man von dir du statt gottes. סלה.

Ich erinner mich der Egypter und Babilonier das ichs kenne, sich

Tyro et Aethiopiae: ecce ille natus est isthic.

Philistiner Tyrer mit den Moren die sind da selbst geborn.

Nam in Zionis gloriam dicetur passim apud omnes: excelsus ille, qui condidit eam, natus est in ea.

Man wirt von Zion sagen, das allerley lüten in iro geborn werdind, und der sy gebuwen hab sy der höchst.

Quin et Dominus ipse in annales populorum referet, quod ille natus sit in ea. סלה.

Der herr wirt die völcker in gschrifft zellen, die da geboren sind. סלה.

Hinc cantorum et saltantium omnium habitatio in te est.

In dir ist aller ursprung der sengeren und gsangspileren.

LXXXVII.

Adhortatorii generis gratulatorius hymnus filiorum Cores, alternis ad buccinas cantandus. Admonitorius denique, Hemanis Aezraitae.

Miserabilis gemitus est supra modum adflicti.

LXXXVII.

Es ist ein träffenliche klag eines der übel verkümret ist.

Domine Deus salvator meus, veniat oratio mea, nocte et die coram te clamantis, in conspectum tuum, praebe aurem tuam suspiriis meis!

Herr gott mines heils, ich schry tag und nacht vor dir. Min gebätt köme für dich, neig din or zuo minem anligen.

Satiata enim est malis anima mea, et vita mea ad inferos adpropinquat.

Dann min sel ist voll betrüebnuss, und min läben ist dem tod nach.

Quin iam inter eos numeror qui in foveam subeunt, similis existimor homini quem virtus defecit.

Ich bin zuo denen grechnet die in dgruob farend, ich bin wie ein man der ghein krafft hatt,

Inter mortuos invenior velut inter interfectos, inter eos qui in sepulcro dormiunt, quorum non meminit ultra quisquam, qui potentia tua sunt abscissi.

Fry under den todten, glich wie die erschlagnen die im grab ligend, dero du nümmen gedenckst, die von diner hand abgeschnitten sind.

Detrusisti me ad puteum infernum, in tenebras impermeabiles.

Du hast mich zum tieffesten in die gruob gelegt, in die finstren tieffe.

Fixisti furorem tuum in me, et omnibus nimbis tuis deiecisti. סלה.

Din grimm lyt ob mir, und mit allem dinem gwill undertruckstu mich. סלה.

Amovisti a me notos meos, reddidisti me eis abominabilem; ego autem ita teneor ut exire nequeam.

Du hast mir mine erkannten ferr geton, du hast mich inen zuo eim grüwen gemacht, gfangen das ich nit us komen mag.

Deficit prae adflictione oculus meus. Invoco te Domine omni tempore, et manus meas ad te extollo.

Min oug lydt schmertzen vor kumber, herr ich rüeff dich täglich an, ich streck min hand zuo dir (sprechende):

Num defunctis magnifica facta tua ostendis? num exangues ita vivunt ut te confiteantur? סלה.

Num praedicabitur in tumulo bonitas tua, et veritas tua apud interitum?

Num in tenebris cognoscuntur magnifica tua gesta, aut iustitia tua apud rerum omnium oblivionem?

Ad te Domine, inquam, clamo, et oratio mea ad occurrendum tibi maturat.

Cur Domine derelinquis animam meam et occultas vultum tuum a me?

quum ego prae adflictione anhelus et amens iaceam? quum tremens onera tua feram?

Super me transeunt furores tui; indignationes tuae opprimunt me.

Aquarum instar stagnant circum me sine intermissione; simul irruunt in me.

Sustulisti a me amicos et cognatos; noti mei ignoti sunt.

Wirst du den todten wunder tuon, oder werdend die gstorbenen erweekt und dich loben? סלה.

Wirt din güete in den grebren erzellt, und din trüw in der verdärbnuss?

Mag din wunderwerck in der finsternus erkennt werden, und din grechtigheit imm land des vergessens?

Darumm schry ich herr zuo dir, und min gebett kumpt früé für dich.

Herr worumm verschupfstu min sel, und verbirgst din angsicht vor mir?

Ich bin ellend und onmechtig von pin, ich trag dine schrecken und bin schüch.

Dine grimmen sind über mich ggangen, dine schräcken habend mich ertruckt.

Sy umgebend mich täglich wie die wasser, sy umvallend mich eins maals.

Du hast minen fründ und nachpuren mir ferr gemacht, mine erkannten sind unerkant.

LXXXVIII.

Admonitorium Ethanis Aezraitae.

Canitur magnificentia et gloria Dei; requiritur eius misericordia, virtute foederis cum David initi.

Misericordias Domini in aeternum cantabo, ad omnem posteritatem notam faciam ore meo veritatem eius.

Scio enim bonitatem tuam perpetuo duraturam esse, veritatem autem et fidem tuam cum coelis ipsis adfuisse quum conderentur. *Quo sic es locutus:*

Incidi foedus cum electo meo, iuravi Davidi servo meo.

LXXXVIII.

Es ist ein lob der grossmechtigheit und der eren gottes, und ein erfordrung by dem pundt Davids, das er barmhertzigheit erzöigen well.

Ich wil die erbermden des herren ewklich singen, und von gschlecht ze gschlecht din trüw uskünden mit minem mund.

Dann ich weis das die erbermd ewklich wären wirt, din trüw hastu mit den himmlen gbuwen.

Ich hab einen pundt verpunden mit minem userwelten, ich hab David minem knecht geschworen:

Firmabo semen tuum in perpetuum, et stabiliam solium tuum ad omnem posteritatem. סלה.

Celebrant itaque coeli fortia facta tua Domine, et ecclesia sanctorum fidem ac veritatem tuam.

Quis enim vel in nubibus est qui comparetur Domino, aut inter deos qui Domino comparetur?

Deus formidabilis est in magno sanctorum concilio, et venerabilis supra omnes qui circum eum sunt.

Domine Deus exercituum quis similis tibi maiestate, fide ac veritate, quibus latus tuum stipatur?

Tu imperas fastuoso mari, tu premis quum efferuntur fluctus eius.

Tu contundis tanquam vulneribus superbum, brachio tuo robusto dissipas hostes tuos.

Tui sunt coeli, tua tellus, orbis denique et quicquid in eo est: tu enim fundasti ea.

Aquilonem et meridiem tu creasti, Thabor et Hermon de nomine tuo gloriantur.

Brachium tuum ter robustissimum est, manus tua fortissima et altissima dextera tua.

Iustitia et aequitate instructum est solium tuum, bonitas et veritas anteambulones tui sunt.

O beatum populum, tibi iubilandi peritum o Domine, qui in luce vultus tui ambulant!

qui in nomine tuo exultant omni tempore, et ad iustitiam tuam gestiunt!

Tu enim es splendor fortitudinis eorum, et gratia tua exaltatur cornu nostrum.

Tu Domine scutum nostrum es et, sancte Israëlis, rex noster.

Tu locutus es olim nuntiando sanctis tuis atque dixisti: Dabo

Ich wil dinen somen ewklich buwen, und dinen stuol von gschlecht ze gschlecht vestnen. סלה.

Und die himel werdend herr dine wunder brysen, und din trüw in der gmein der heligen.

Dann wer wirt in den wolcken dem herren zuo gezellt, wer ist dem herren glych under den götten kinderen?

Gott ist vast erschrockenlich in der versamlung der heligen, und vorchtsam allen die umm inn sind.

O herr ein gott der herzügen wer ist wie du ein starcker gott? und din trüw ist zring um dich.

Du meistrest die hochfart des meers, so sich sine wellen erhebend so miltestu sy.

Du brichst den hochfertigen wie einn erschlagnen, mit dinem starcken arm zerströwstu dine fyend.

Din ist himel und erd, du hast den erdboden ggründt und was darinn ist.

Du hast mitnacht und mittag gschaffen, Thabor und Hermon frolockend in dinem namen.

Din arm ist gwaltig, din hand ist starck, und din grechte ufrecht.

Grechtigheit und gricht ist der sitz dines stuols, gnad und trüw stond vor dir.

Wol dem volck das frolocken kan; herr sy werdend im liecht dines angsichts wandlen.

Sy werdend in dinem namen allzyt frölich sin, und in diner grechtigheit erhöcht werden.

Dann du bist die zier irer krafft, du wirst mit diner gnad ünser horn erhöhen.

Dann der herr ist ünser schilt, und der helig Israels ünser küng.

Du hast etwan mit erschynen zuo dinen heligen geredt und gsprochen:

heroi robur, eveham electum super populum.

Ich wil hilff tuon den helden, und minen userwelten uss dem volck erhöhen.

Comparabo Davidem servum mihi, oleo meo sancto ungam eum.

Ich hab funden minen knecht David, ich hab inn gsalbet mit minem heligen öl.

Fulciet eum manus mea, et brachium meum corroborabit.

Mit welchem min hand stät blyben wirt, und min arm wirt inn stercken.

Non superabit ipsum hostis, et sceleratus non opprimet eum.

Der fygend wirt inn nit tringen, und der sun der bosheit wirt inn nit bemüeyen.

Concidam ante eum hostes ipsius et osores eius percutiam.

Ich wil ouch sine widersächer zerknisten vor imm, und die inn hassend schlahen.

Veritas vero et bonitas mea ipsum prosequentur, et potentia mea exaltabitur cornu eius.

Und min trüw und gnad wirt by imm sin, und in minem namen wirt sin horn ufgericht.

Portendam maiestatem eius ad mare, et imperium eius usque ad Euphratem.

Ich wil sin hand bis ans mer tuon, und sin grechte an das wasser.

Ipse me adpellabit: O pater mi, Deus meus et petra salutis meae!

Er wirt mich anrüeffen: du bist min vatter min gott, und der vels mines heils.

Ego autem primarium faciam eum ac superiorem regibus terrae.

Ich wil inn ouch mynn ersten sun machen, den höchsten der küngen uff erden.

Servabo ei bonitatem meam in perpetuum, et foedus meum firmum permanebit ei.

Ich wil imm min güete ewklich, und minen pundt trülich halten.

Semen eius in perpetuum propagabo, et solium eius secundum dies qui coelo oriuntur.

Ich wil sinen somen für und für setzen, und sinen stuol wie die tag des himmels.

Quod si filii eius legem meam deseruerint, et in iustis meis non ambulaverint;

Ob sine kind min gsatzt verlassen werdend, und in minen grichten nit wandlen,

Si mores meos contaminaverint, et mandata mea non custodierint:

Ob sy mine sitten [1] entheligen, [2] und mine gbott nit halten werdend;

Iam virga visitabo transgressiones eorum, et verberibus scelera eorum.

So wil ich ire überträttung mit der ruoten heimsuochen, und ir misstat mit streichen.

At bonitatem meam non auferam ab eo, neque fidem meam fallam;

Aber min erbermd wird ich nit von imm ryssen, und an miner trüw nit välen.

Non faciam irritum foedus meum, quaeque ex ore meo prodierunt non immutabo.

Minen pundt wird ich nit verwüesten, und was us minen leftzen gat nit endren.

---

[1]) Oder: brüch. [2]) Oder: verwüestend.

Quis habet rationem potentis irae tuae, aeque excandescentiae ac furoris?

Instrue nos, ut dies nostros numeremus et sapienti corde consideremus!

Redi Domine nunc tandem et propitius esto servis tuis!

Satiemur cito bonitate tua, ut exultemus et laetemur cunctis diebus nostris!

Laetemur pro ratione dierum quibus nos adflixisti, pro annis quibus malum experti sumus!

Impartire servis tuis egregia facta tua et amplitudinem tuam filiis eorum!

Et sit splendor Domini Dei nostri nobiscum; opus quoque manuum nostrarum nobis perficiat, opus manuum nostrarum ille absolvat!

Wer kennt die krafft dines zorns, und diner erschrockenliche und grimmens?

Ler üns ünser tag also schicken, das wir mit wysem hertzen wandlind.

Herr ker dich doch nach langem umm, und bis erbittlich gegen dinen knechten.

Spys uns bald mit dyner güete, so wellend wir frolocken und üns fröwen ünser leben lang.

Erfröw üns nach dem zyt du üns gedemüetiget hast, nach den iaren in denen wir übels erlidten habend.

Zeig dinen knechten din werck, und din eer über ire kinder.

Und der herr ünser gott sye früntlich gegen üns, und rüste das werck ünserer henden mit üns, und das werck ünserer henden rüste är.

XC.

ἀνεπίγραφος.

Fideles ab omni metu liberos esse.

Qui habitat in penetralibus altissimi, et sub umbra omnipotentis versatur,

dicit ad Dominum: Spes mea et securitas mea deus meus est eoque fidam.

Is enim liberabit te de laqueo venatoris et a peste pessima.

Alis suis operiet te, ut sub pennis eius tutus sis; veritas et fides eius clypeus et umbo tuus erit,

ut neque nocte metuendum sit tibi a terroribus neque die a volante sagitta,

Non a peste quae in obscuro grassatur, non a noxa quae meridie vastat.

XC.

Das die glöubigen von aller vorcht und gevaar fry sygind.

Welcher in dem heimlichen ort des höchsten sitzt, wirt under dem schatten des allmechtigen wonen

Und zum herren sprechen: du bist min beschirmer und min veste, min gott in den ich hoff.

Dann er erlöst dich vom strick des iegers und vom bösen ding.

Er wirt dich mit sinen flüglen decken, und under synem gfider schirmen, sin trüw ist schilt und buggler.

Das du dir nit fürchten wirst vor grusen der nacht, noch tags vor dem fliegenden pfyl,

Vor dem ding das in der finsternus gat, vor der kranckheit die im tag verderbt.

Millia cadent ad latus tuum sinistrum et myriades ad dexterum, quo minus ad te adpropinquetur.

Es werdend tusend an diner syten vallen, und zehen tusend an diner grechten syten, noch mag man dir nit nahen.

At impiorum mulctam videbis et inspicies tuis ipsius oculis.

Du wirst mit dinen ougen sehen, und die widergeltung der gottlosen schowen.

Tu enim Domine securitas mea es, in edito constituisti asylum habitaculi tui.

Dann du herr bist min schirm, din heimen hastu ins allerhöchst gsetzt.

Non temere veniet ad te malum; plaga non accedet ad tabernaculum tuum.

Uebels mag dir nit nähen, noch die plag zuo diner hütten kumen.

Angelis enim suis tua causa praecipiet, ut in omnibus viis tuis te custodiant,

Dann er hatt sinen englen von dinetwegen empfolhen, das sy dich behüetind in allen dinen wegen.

Ut manibus te baiulent quo minus ad lapides adlidas pedes tuos.

Sy werdend dich uff den henden tragen, das du dinen fuoss nit an eim stein verletzist.

Super pardos et aspides incedes, calcabis leonem et draconem.

Du wirst uff löwen und natren gon, iung löwen und dracken tretten.

Me enim deperit, *ait Dominus;* ego quoque liberabo eum ac protegam, quia nomen meum agnoscit.

Dann er hatt sin begird zuo mir ghebt, darumm wil ich inn erretten; ich wil inn bschirmen, dann er kennt minen namen.

Quum me invocabit, exaudiam eum; in angustia adero illi, eximam eum ac magnificabo.

So er zuo mir schryen wirt, wil ich inn erhören; by imm wil ich sin in trüebsal, inn darus nemen und ersam machen.

Longaeva aetate saturabo eum ac postremo salutem meam ostendam ei.

Ich wil inn ersettigen mit langem läben, und imm min heil zeigen.

XCI.

Ode gratulatoria pro die Sabbathi.

Generalis et communis collaudatio populi est, ac fidei confessio.

Es ist ein gmein lob des gantzen volcks und ein veriehen des gloubens.

Pulcherrimum est celebrare Dominum, et canere nomini tuo, altissime!

Guot ist es dem herren veriehen, und dinem namen lobsingen, o aller höchster.

Praedicare bonitatem tuam sub auroram, et veritatem tuam noctibus,

Das man din güete usküinde zmorgen, und din trüw znacht.

Decachordo et chelye, carmine et cithara.

Uff den zehen seiten und uff dem psalter, mit gedicht uff der harpfen.

Tu enim Domine laetificas me operibus tuis, et propter facta manuum tuarum exulto.

Dann du herr erfröwst mich mit dinen wercken, in den taten diner henden frolock ich.

Quam praeclara sunt opera tua, Domine? extra modum profunda sunt consilia tua.

Homo imprudens non capit neque stultus intelligit istud,

Quod, quum scelerati, sicut foenum, germinant, in hoc floreant omnes facinorosi, ut in perpetuum excindantur.

Tu autem summus permanes in aeternum, Domine!

Ecce enim hostes tui, Domine, hostes inquam tui pereunt ac dissipantur omnes scelerati,

Meum vero cornu redascendet sicut monocerotis et senium meum prae succo virescet,

Quod hostium meorum et insurgentium in me malignorum malum inspiciet oculus meus, et auris mea percipiet.

Iusti vero germinabunt instar palmae, et sicut cedrus Libani frondescent;

Plantati domi Domini, in atriis Dei nostri florebunt.

Quin in senectute germinabunt, succulenti et floridi facti,

Quo palam fiat quam aequus est Dominus petra mea et iniquum nihil est apud eum.

Herr wie sind dine werck so grooss? dine gedancken sind träffenlich tieff.

Ein torechter mensch weists nit, und der narr verstaat das nit.

So die gotlosen gruonend wie das gras, und blüegend alle übeltäter; (beschicht) das sy immer und ewklich vertillgget werdind.

Du aber herr bist der hoch ewiklich.

Dann sich dine fygend herr, sich dine figend werdend ummkumen, und alle übeltäter zerströwt werden.

Aber min horn wirstu erhöhen wie eins einhürns, min alter wirt in gnüege gruonen.

Und min oug wirt sehen, das minen fygenden wider ist; und mine oren hören, das wider die bösen ist die über mich ufwütschend.

Der grecht wirt blüeyen wie ein dattelboum, und wachsen wie ein ceder in Libanon.

Die gpflantzt sind imm hus des herren, in den höfen ünsers gottes, die werdend gruonen.

Sy werdend ouch imm alter zuonemen, sy werdend feisst und grüen blyben.

Ze verkünden das der herr ufrecht ist, min fels, und das ghein unrechts in imm ist.

XCII.

ἀνεπίγραφος.

Dei fidem non fallere aut frustrari, utcunque magna pericula immineant.

Domine rex, qui magnifice indutus es, amictus Domine ac fortitudine cinctus! orbem sic firmasti ut moveri nequeat.

Iam inde ab exordio constitutum est solium tuum; ab aeterno tu es.

XCII.

Es ist ein byspiliche underrichtung der göttlichen trüw, genomen von den dingen die man sicht.

Der herr der herschet hatt sich mit macht bekleidt, der herr hatt sich bekleidt und mit stercke ummgürtet; und demnach den erdboden gerüstet, das er nit mag bewegt werden.

Do ist din stuol gmacht, du bist von ewig har.

Ecce extollunt flumina, Domine, extollunt flumina vocem suam, attollunt flumina fluctus suos;

At sonitu aquarum immanium, nimbis aquarum vehementissimis potentior est Dominus qui in excelso habitat.

Quae tu enim testatus es super domo tua pulchra et sancta, vera et firma permanebunt Domine usque in aeternum.

Herr die wasserflüss erhebend sich, die wasserflüss erhebend iren ton, die wasserflüss erhebend ire wällen.

Nach den gtöseu viler wassren sind die wasserbrüch wundergross, aber der herr in der höhe ist ouch wundergrooss.

Dine püundt sind träffenlich trüw, heligheit ziert din hus herr ewiklich.

XCIII.

ἀνεπίγραφος.

Summa fiducia provocatur Deus in magna oppressione ad vindicandum, quoniam semper tulerit auxilium.

Domine Deus vindex, Deus ultor, honorificare!

Evehere o iudex orbis, et redde superbis digna!

Quousque impii, Domine, quousque impii triumphant?

Quousque loquuntur, fabulantur atque disserunt frivola omnes flagitiosi?

Quousque populum tuum commolunt, et hereditatem tuam adfligunt?

Viduam et advenam occident, et pupillum trucidabunt,

Et dicunt: non novit Dominus, et Deus Iacobi nihil horum intelligit!

Accipite igitur imprudentes de populo, et stulti tandem sapite!

Num is qui aurem consevit non auditurus est? aut qui oculum finxit non visurus?

Num qui gentes erudit non corripiat? quique homines docet scientiam?

Domino itaque perspecta sunt humana consilia, nempe quod vana sunt.

XCIII.

Es ist ein berüeffung der götlichen raach, so man undertruckt wirt.

Herr gott dess die rach ist, o gott der raach erschyn.

Erheb dich du richter der erde, widergilt den hochfertigen nach irem verdienst.

Herr wie lang werdend die gotlosen, wie lang werdend die gotlosen frolocken?

Usbrechen und lüg reden? und schwätzen alle übeltäter?

Din volck herr zerknisten, und din erb verkümren?

Die witwen und den frömdling erwürgen, und den weysen töden?

Und sagen: der herr sichts nit, und der gott Iacobs merckts nit?

Merckend ir torechten imm volck; und ir narren wenn wellend ir witzig werden?

Wirts der das or gepflantzt hatt nit hören? und der das oug dichtet hatt nit sehen?

Der die völcker züchtiget wirt er nit straffen? der den menschen des wüssens bericht.

Der herr weisst die gedancken des menschen, das sy ytel sind.

O felicem virum quem tu doces Domine, et quem lege tua formas,

Wol dem man den du herr züchtigest, den du us dynem gsatzt lerst.

Ut securus sit a periculoso tempore, dum interim lacus impio fodiatur.

Das er ruow hatt zuo böser zyt, bis das dem gotlosen die gruob wirt zuogerüst.

Non enim repellet Dominus populum suum et hereditatem suam non deseret;

Dann der herr verstost sin volck nit, und verlast sin erb nit.

Sed ad iustitiae normam restituet iudicium, atque eum sectabuntur omnes qui recto sunt corde.

Er wirt noch grechtigheit und gricht widerbringen, und werdend imm naach volgen alle die eins ufrechten hertzens sind.

Quis auxilium ferat mihi adversus malignos; aut quis consistat mecum adversus sceleratos?

Wer stat zuo mir uf wider die boshafften, wer stellt sich zuo mir wider die übeltäter?

Nisi Dominus auxiliator meus esset, iam pridem habitaret apud inferos anima mea.

Wenn mir der herr nit hulffe, so wurd min leben bald in der gruob wonen.

Nam si quando dicerem: lapsus est pes meus, sustentabat me bonitas tua, Domine!

Wenn ich gedacht: min fuoss ist gschlipft, herr so kam mir din güete zhilff.

In multitudine cruciatuum meorum internorum solatia tua reficiebant animam meam.

In der vile miner innerlichen sorgen habend dyne trostungen min sel ergetzt.

Num tibi quicquam commune est cum solio scelerati, qui adflictionem fingit praetextu legis?

Wirt ouch dinem tron untrüw anhangen, machestu imm gbott beschwerd?

Concursant adversus animam iusti et sanguinem innocentem damnant.

Sy rüstend sich über die sel des grechten, und wellend das unschuldig bluot verwüesten.

Refugium vero meum Dominus erit, et Deus meus petra fiduciae meae.

Aber der herr wirt min schirm sin, und min gott der fels miner hoffnung.

Et retorquebit in eos malitiam eorum, et propter nequitiam eorum disperdet illos, disperdet illos Dominus Deus noster.

Der wirt inen ir bosheit widergelten, und in irer bosheit zerstören, der herr ünser gott wirt sy zerstören.

XCIV.

ἀνεπίγραφος.

Excitatio est fidelis populi ad vere laudandum Deum.

XCIV.

Es ist ein erwecken des glöubigen volcks zuo warem lob gottes, und ein vorbedütnus der berüeffung der heiden.

Adeste exultemus Domino, iubilemus petrae salutis nostrae!

Kumend lassend üns dem herren frolocken, und schallen dem felsen ünsers heils.

Compareamus coram eo cum gratulatione, et psalmis canamus ei!

Dominus enim et Deus et rex maximus est super omnes deos.

In manu illius telluris penetralia sunt et montium robur.

Eius est mare: ipse enim condidit illud continens: manus enim eius formavit eam.

Adeste adoremus, flectamus genua et supplicemus coram Domino factore nostro!

Ille enim est Deus noster; nos autem populus pascui eius et grex manus eius, dummodo voci eius omni tempore pareamus.

Nolite obdurare cordibus vestris sicut in iurgio, sicut in rebellione illa, in solitudine facta,

Ubi me excutiebant patres vestri, probabant me et videbant opera mea.

Quadraginta annis pertaesum est me nationis huius, ita ut dicerem: Populus iste toto corde errat: non enim agnoscebant vias meas.

Per iram ergo meam iuravi super eis, quod non ingressuri essent in requiem meam.

Lassend üns mit dancksagung für inn kumen, und imm schallen mit lobgsang.

Dann der herr ist ein grosser gott, und ein grosser küng über alle gött.

In dess hand die tieffinen der erde sind, und die höhinen der bergen sind syn.

Dess das mer ist, dann er hats gmachet; und sine hend habend das trochen ertrich gstaltet.

Kumend lassend üns ambätten neigen und knüwen, vor dem herren der üns gemacht hatt.

Dann er ist ünser gott, wir aber sind das volck siner weid und die schaaff syner hand, stät so ir sin stimm hören werdend.

Verhertend üwer hertz nit als im hader, als am tag der versuochung in der wüeste.

Da mich üwre vätter versuochtend, sy probiertend mich und sahend mine werck.

Viertzig iar hatt mich an dem gschlecht verdrossen, dann ich sach dass ein volck was das imm hertzen irrt, dann sy kanntend mine weg nit.

Darumm ich schwuor in minem zorn: sy werdend in min ruow nit komen.

XCV.

ἀνεπίγραφος.

Omnia extimulantur, etiam gentes ad laudandum Deum, qui venturus est ad iudicandum.

Canite Domino carmen novum, cane Domino universa terra!

Canite Domino et collaudate nomen eius, praedicate omni tempore salutem eius!

Memorate apud gentes gloriam eius, apud omnes populos miracula eius!

XCV.

Es ist ein lobgsang, das alle ding zum lob gottes vermanet; hatt ouch etwas bedütnus uff die zuokunft Christi und des gmeinen grichts.

Singend dem herren ein nüws gsang, singend dem herren alle land.

Singend dem herren und lobend sinen namen, predgend täglich sin heil.

Erzellend under den heiden syn eer, under allen völckeren sine wunder.

Quoniam magnus est Dominus, et supra omnem laudem; formidabilis etiam est supra omnes deos.

Dann der herr ist träffenlich hochgelobt, forchtlich ist er über alle gött.

Omnes enim dii gentium statuae sunt; Dominus autem coelos condidit.

Dann alle gött der völckeren sind götzen, aber der herr ist der die himel gemacht hatt.

Gratulatio et magnificentia apud eum sunt, potentia et maiestas in sanctuario eius.

Zier und eer sind by imm, macht [1] und herlicheit sind in sym heligtuom.

Tribuite Domino tribus gentium, tribuite Domino potentiam et fortitudinem!

Bringend dem herren ir gschlecht der völckeren, bringend dem herren eer und macht.

Tribuite omnipotentiam nomini Domini; corripite munus, et venite in atria eius!

Bringend eer dem namen des herren, nemend gaaben und kumend in sine höff.

Adorate Dominum pompa sancta; revereatur faciem eius universa terra!

Ambättend den herren in der zier des heligtuoms, vor imm erschräcke die gantz wält.

Evulgate in gentes: Dominus regnat, Dominus qui firmavit orbem, ut moveri nequeat; Dominus qui per aequitatem iudicat populos *omnes*.

Sagend under den heiden: der herr ist küng; von dem ouch der erdboden gerüst ist, das er nit bewegt wirt, der die völcker ufrecht richtet.

Laetentur coeli, gestiat terra, reboet mare, et quicquid in eo est!

Die himel fröwind sich, und das erdrich frolocke; das mer töse, und alles das darinn ist.

Exultet ager et quicquid in eo est; exultet omnis arbor silvarum

Das feld sye frölich und alles das druff ist, denn werdend alle höltzer imm wald brysen.

Ante Dominum quum veniet: veniet enim ad iudicandum terram, ad iudicandum orbem cum iustitia et populos cum veritate.

Vor dem herren so er kumpt, dann er kumt die erd ze richten; er wirt die erd richten mit grechtigheit, und die völcker in siner warheit.

XCVI.

ἀνεπίγραφος.

Verum ac omnipotentem esse Deum qui colitur in Israële, reliquos non esse deos; illius cultores iustitiam colere.

XCVI.

Das der gott den Israel ert der war allmechtig gott sye, aber die andren nit gött sygind; und welche den gott erind, flyssind sich des guoten und hassind das arg.

Dominus regnat. Gaudeat tellus et insularum multitudo laetetur!

Der herr ist küng, dess frolocket die erd, und ist die menge der insulen frölich.

Nubes et caligo circum eum sunt; iustitia et aequitas sunt fulcra solii eius.

Umm inn sind wolcken und dünckle, grechtigheit und gricht sind das grüst sines stuols.

---

[1]) Oder: krafft.

Ignis ante ipsum praecedit, ut inflammet circumquaque hostes eius.

Fulgura eius orbem illustrant, pavet ac movet terra.

Montes instar cerae diffluunt a praesentia Domini, a conspectu Domini universae terrae.

Annunciant coeli iustitiam eius et videbunt omnes populi maiestatem eius.

Erubescant autem omnes qui idolis serviunt inque diis suis gloriantur, et adorent eum omnes dii!

Haec quum audiet laetabitur Zion, et exultabunt filiae Iuda propter iudicia tua, Domine.

Quoniam tu Domine altissimus es super omnem terram; in immensum erectus es supra omnes deos.

Qui diligitis Dominum odio habete malitiam! ille enim custodit animas servorum suorum et de manu impiorum liberat eos.

Per illum lux innocenti inseritur, et gaudium, qui integro sunt corde.

Laetemini iusti in Domino, et gratulemini in commemoratione sanctitatis eius!

Fhür wandlet vor imm, und zündt zringharumb sine fygend an.

Sine blitzgen erlüchtend den erdboden; so das das erdrich sicht erschrickt es.

Die berg schmältzend wie das wachs vor dem herren, vor dem herren der gantzen welt.

Die himel kündend sin grechtigheit us, und sehend alle völcker sin groossmächtigheit.

Es werdind gschendt alle die den bilden dienend, die sich der götzen rüemend. Bättend inn an alle gött.

Das hatt Zion ghört und sich gfröwt, und die dochtren Iuda frolockend herr umm diner grichten willen.

Dann du herr bist der allerhöchst über alle erd, du bist träffenlich erhöcht über alle gött.

Ir die den herren lieb habend, hassend das arg. Er behüet die seelen siner heligen und erlöst sy von dem gwalt der gotlosen.

Das liecht entspringt dem grechten, und fröid denen die eins grechten hertzens sind.

Fröwend üch im herren ir frommen, und lobsingend zuo gedechtnus siner heligheit.

XCVII.

Ode מזמור

Omnia excitantur ad laudandum Deum, quoniam ipse iudex sit orbis. Christo competit sicut et Psalmus XCV.

Canite Domino carmen novum, quia admiranda fecit salutari dextera sua, et brachio suo sancto!

Notam fecit Dominus salutem suam, et in gentium oculis revelavit iustitiam suam.

Memor fuit bonitatis ac veritatis suae erga domum Israëlis, ut omnes

XCVII.

Es ist ein lobgsang, darinn alle ding zum lob gottes ermanet werdend; dann er sye der richter und herr der welt.

Singend dem herren ein nüws gsang, dann er hatt wunder gewürckt; er hatt heil gemacht mit siner grechten, und mit sinem heligen arm.

Der herr hatt sin heil kund gmacht, sin grechtigheit hatt er vor den ougen der heiden geoffnet.

Er ist yngedenck worden siner gnad und siner warheit gegen dem

fines terrae videant salutem Dei nostri.

hus Israels, alle egg der welt sehend das heil ünsers gottes.

Iubilet Domino universa terra, plaudat, exultet ac psallat!

Schallend dem herren alle land, fröwend üch frolockend und singend.

Psallite Domino cithara, citharae vocem psalmi iungite!

Singend dem herren mit der harpfen, mit der harpfen und stimm des gsangs.

Psallite tubis et voce buccinae, iubilate coram rege Domino!

Mit trummeten und stimm des zinggen schallend vor dem herren dem küng.

Reboet mare et quicquid in eo est, orbis cum habitatoribus suis!

Das mer töse und was darinn ist, die welt und die drinn wonend.

Flumina plaudant manibus, simulque montes exultent

Die wasser klopfind mit den henden, die berg frolockind mit einander.

Coram Dominó quum veniet ad iudicandum terram: iudicabit enim orbem consultrice iustitia et populos comite aequitate.

Vor dem herren, dann er kumpt die erd ze richten; er wirt die welt mit grechtigheit richten, und die völcker in ufrechter billicheit.

XCVIII.

Laudatur a bonitate Deus, quod suos semper exaudiat.

XCVIII.

Es ist ein lob des güetigen gottes, das er die sinen allweg erhör.

Dominus regnat, et populos conturbat, insidet Cherubimis et movet terram.

Der herr ist küng, und fürchtend inn die völcker; er sitzt uff cherubim, und das erdrich wirt bewegt.

Dominus, qui in Zione colitur, magnus est, et sublimis super omnes populos.

Der herr in Zion ist grooss, und hoch über alle völcker.

Evehant nomen tuum magnum, formidabile et sanctum!

Sy lobend dinen namen, der grooss forchtlich und helig ist.

Regia fortitudo aequitatis quoque amans est; tu manu tenes bonum, tu quod iustum et rectum est facis in Iacobo.

Die macht des küngs hatt das gricht lieb; du hast billicheit gebuwen, gricht und grechtigheit in Iacob hastu gemachet.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum eius! sanctus enim est.

Erhebend den herren ünseren gott, und bättend an vor dem schemel siner füessen der helig ist.

Moses et Aaron e sacerdotum eius ordine, et Samuel ex eorum numero qui nomen eius invocant, invocabant Dominum, et ille respondebat eis.

Moses und Aharon mit sinen priestren, und Samuel mit denen die sinen namen anrüeffend, die ruofftend zum herren, und er antwurt inen.

E columna nubis alloquebatur eos: servabant enim contestationem et legem quam dederat eis.

Er redt mit inen in der stud der wolcken; sy hieltend sinen pundt, und das gsatzt das er inen ggeben hatt.

Domine Deus noster, tu exaudiebas eos, tu eras eis et Deus indulgens et vindicans consilia eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto eius! sanctus enim est Dominus Deus noster.

O herr ünser gott du erhortest sy; gott du wärt inen gnädig, so du sy umm ir taten straafftest.

Erhebend den herren ünseren gott, und bättend by sym heligen berg, dann helig ist der herr ünser gott.

XCIX.

Ode gratiarum actionis.

Hymnus est quem adparet in celebritatibus cani solitum fuisse.

Iubilate Domino per universam terram! Colite Dominum cum laetitia, venite in conspectum eius cum exultatione!

Agnoscite quod Dominus est Deus: ipse fecit nos, et non nos ipsi, qui sumus populus eius et oves pascui ipsius.

Ingrediamini portas eius cum gratulatione et atria eius cum celebratione, laudate et praedicate nomen eius!

Quoniam benignus est Dominus, sempiterna est misericordia eius; veritas autem eius ad omnes generationes durat.

XCIX.

Es ist ein lobgsang.

Schallend dem herren alle land, dienend dem herren mit fröiden, kumend für inn mit frolocken.

Erkennend das der herr gott ist; er hatt üns zuo sym volck gemacht, und zuo schaaffen syner weide, und wir üns selbs nit.

Gond zuo sinen toren in mit dancksagung, und in sine höf mit lob; veriehend imm, und brysend synen namen.

Dann der herr ist guot, und sin gnad ewig, und sin trüw von gschlecht zuo gschlecht.

C.

Davidis Ode.

Principis et magistratus formula depingitur, quomodo et apud se et erga alios animatus esse debeat.

Misericordiae et aequitati tuae canam et psallam, Domine!

Attentus ero in viam innocentiae; donec occurras mihi, ambulabo cum integritate cordis mei intra domum meam.

Non proponam mihi ipsi calumniosum consilium, scelus praevaricationis sic odio habebo ut non temere adhaerescat mihi.

Mens nequitiosi abhorreat a me, hoc solum ignorem quod malum est!

C.

Es ist ein kurtze form, wie ein obrer by imm selbs und sinem gsind ein sölle.

Gnad und gricht wil ich singen, dir herr wil ichs singen.

Ich wil mich flyssen des grechten wegs, bis das du zuo mir kumpst; ich wil wandlen mit ufrechtem hertzen in mym hus.

Ich wil ghein unghorsame sach für mich nemen, dann ich hass den abvelligen, er wirt mir nit ankleib sin.

Ein bös hertz muos von mir wychen, den bösen wil ich nit kennen.

Qui clam detrahit proximo suo, eum opprimam; fastuosi et arrogantis patiens esse non possim!

Welcher heimlich synen nechsten vertreyt den durächt ich; des hochfertigen ougen und des ungemässen hertzens vermag ich mich nit.

Oculus meus in hoc mundo ad veri studiosos intentus sit, ut mecum versentur, et qui in via innocentiae ambulat, ministret mihi!

Mine ougen sehend uff die warhaften uff erden, das sy by mir wonind; der ufrecht wandlet, den wil ich mir lassen dienen.

Non habitet domi meae qui dolum facit; mendax non moretur in conspectu meo!

Welcher mit triegery ummgat, der muoss in myn hus nit wonen; welcher luginen redt, wirt vor mir nit blyben.

Tempestive eliminem omnes scelestos e terra, ut excindantur de civitate Domini omnes flagitiosi!

Bhend wil ich usdilggen alle gotlosen im land, da mit ich uss der statt des herren usrüte alle die übel tuond.

CI.

Oratio adflicti, quum cruciatur et coram Domino effundit querimoniam suam.

Titulus ipse argumentum est, non titulus, nisi quod adparet poetam propter Zionem tantopere contristatum esse, ut sic quisque pro ecclesia contristetur. Quis scandalisetur, ut ego non urar?

CI.

Es ist ein gbätt eins verkümreten, so er in angst ist, und vor dem herren sin gschrey usgüsst.

Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te perveniat!

Herr hör min gebätt, und min gschrey köme zuo dir.

Ne celes me vultum tuum quum mihi angustia imminet, sed praebe mihi aurem tuam quum invoco, et festina ut mihi opem feras!

Verbirg din angsicht nit von mir zuo der zyt der not, neig din or zuo mir; so ich dich anrüeff, so erhör mich bald.

Evanescunt enim sicut fumus dies mei, et ossa mea consumuntur sicut torris ab igne.

Dann mine tag sind vergangen wie ein rouch, und min gbein ist verbrennt wie ein brand.

Adustum et arefactum est cor meum tanquam foenum, quoniam et cibum capere meum oblitus sum.

Min hertz ist abghowen und gdorret wie das gras, dann ich hab vergessen min spys ze essen.

Prae voce gemituum meorum aegre adhaerescunt ossa mea carni meae.

Min gbein hangt an minem fleisch von dem gschrey mines sünftzes.

Similis sum pelecano in solitudine, factus sum sicut noctua in ruderibus.

Ich bin glych wie ein pelican in der wüeste, ich bin wie ein üwel in der zerstörten wonung.

Pervigilo et par sum passerculo qui viduus in tecto sedet.

Ich wach und bin wie ein verlasner spar uffem dach.

Iugiter adficiunt me contumeliis inimici mei, et qui me ludibrio habent in caput meum coniurant.

Mine fygend schmehend mich täglich, die über mich wüetend schwerend wider mich.

Sed et cinerem cum pane comedo, et tempero poculum meum fletu.

Id autem propter indignationem et iram tuam: sustulisti enim et abiecisti me.

Dies mei similes sunt umbrae serotinae; ipse vero tanquam foenum exarui.

Tu autem Domine in perpetuum duras et mentio tua per omnes generationes.

Tu igitur exurgas et miserearis Zionis! Tempus enim est eius miserendi: nam definitus terminus adest,

Quoniam servi tui depereunt lapides eius et pulveris eius miseret ipsos;

Ut gentes timeant nomen tuum, Domine, et omnes reges orbis maiestatem tuam,

Quum scilicet servabis Zionem, Domine, quum appares cum potestate tua,

Quum advertis ad orationem destituti et non contemnis preces eius.

Mandabitur enim istud posteris ut futurus populus collaudet Dominum,

Quod de sublimi sanctuario suo prospexerit, quod e coelo in terram inspexerit,

Ad audiendum gemitum vincti, ad absolvendum neci addictos.

Quo in Zione praedicetur nomen Domini, et gloria eius Hierosolymis,

In frequenti populorum coetu, quum regna isthic convenient ad colendum Dominum.

Quanquam in ipso itinere adflixit robur meum et praecidit dies meos,

Wie wol ich [1] äschen wie brot iss, und min tranck mit trähen misch.

Vor diner ungnad und zorn, dann du mich genomen hast und hingworffen.

Mine tag sind wie ein spaater schatt, und ich bin erdorret wie das höw.

Du aber herr blybst ewklich, und din gedechtnus von gschlecht ze gschlecht.

Du wellist uf sin und dich Zion erbarmen; dann es ist zyt das du dich ir erbarmist, dann die stund ist hie.

Dann ire muren gevallend dynen dieneren, und ir grund ist inen gnem.

Da mit die heiden dinen namen fürchtind herr, und alle küng der erden din grosse macht.

So der herr Zion ufenthalt, und erschynt mit siner grossen macht.

So er sich kert gegen dem gbätt des verlasnen, und verschmächt ir gbätt nit.

So wirt das den nachkomen verschriben, und wirt das volck das geschaffen wirt den herren loben.

Das er von sym hohen heligtuom gsehen, das der herr uff die erden gschowet hatt.

Das er das sünftzen des gfangnen horte, und usliesse die kinder des tods.

Da mit man den namen des herren in Zion uskünde, und sin lob zuo Hierusalem.

So die völcker da zemen versamlet werdend, und die küngrych das sy dem herren dienind.

Er hatt min krafft uff dem weg müed gemacht, und mine tag kürtzt.

---

[1]) Oder: So ich doch.

Orantis etiam: o Deus meus ne tollas me in medio cursu aetatis meae: anni enim tui sempiterni sunt.

Noch sprich ich: min gott nit end mich in der mitte miner tagen; die iar sind din von gschlecht zuo gschlecht.

Tu fundasti olim terram, et coeli opus manuum tuarum sunt.

Du hast von anfang har die erd ggründt, und die himel sind das werch diner henden.

Ipsa peribunt, tu vero constabis, et omnia velut vestimentum veterascent: tu mutabis eos tanquam vestem atque mutabuntur;

Sy werdend vergon, aber du bstaast, sy werdend alle alten wie ein gwand, du wirst sy verwandlen wie ein kleid, und sy werdend verwandlet.

Tu autem idem eris, et anni tui non invenient finem.

Aber du bist der selbs ist, und dine iar werdend nit ufhören.

Filii servorum tuorum, et semen eorum cohabitabunt et consistent tecum.

Die kinder diner dieneren werdend ynwonen, und ir som wirt vor dir stät blyben. [1]

CII.

Davidis.

Laus Dei est in qua eius beneficia in hominem commemorantur.

Es ist ein lobgsang, darinn den guottäten gottes gegen dem menschen gedancket wirt.

Collauda Dominum, anime mi, et omnia cordis mei penetralia nomen eius sanctum!

O min seel lob den herren, und alles das in mir ist sinen heligen namen.

Mi anime, Dominum collauda, et ne excidant tibi universa beneficia eius!

Lob min seel den herren, und vergiss nit aller siner guottaten.

Qui veniam dat omnibus delictis tuis, et restituit universas imbecillitates tuas;

Der aller diner misstaat gnadig ist, und all din kranckheiten gsund macht.

Qui vindicat ab interitu vitam tuam et ornat te benigniter et humaniter;

Der din läben von der gruob erlöst, der dich ummgibt mit güete und gnaden.

Qui bonis desiderium tuum satiat et floridam servat velut aquilae iuventutem tuam.

Der dinen mund ersettiget mit guotem, das din iugend widrumm nüw wirt wie des adlers.

Ius reddit ac vindicat Dominus omnes qui patiuntur iniuriam;

Der herr ist der grechtigheit tuot und gricht allen die begwaltigot werdend.

Mosi ostendit viam suam et filiis Israëlis consilia sua.

Er hatt Mosen ze wissen ton sine weg, den kinden Israels sine fürnemen.

Humanus et placidus est Dominus; cunctanter irascitur, at impendio indulget.

Der herr ist güetig und barmhertzig, langsam zuo zorn und viler gnaden.

[1]) Oder: Verlych das die kinder diner knechten ynwonind, und ir som stät vor dir blybe.

Non iurgatur in perpetuum, neque in perpetuum succenset.	Er hadret nit für und für, und ist nit ewig zornig.
Non facit nobis iuxta peccata nostra, et iuxta scelera nostra non retribuit nobis:	Er tuot üns nit nach ünseren sünden, und widergilt üns nit nach ünseren misstaten.
Nam iuxta sublimitatem coelorum ad terram augusta est bonitas eius erga cultores suos.	Dann wie hoch der himel ob der erd ist, also grooss ist sin gnad über die inn fürchtend.
Removet a nobis crimina nostra, quam remotus est ortus ab occasu.	So wyt es ist vom ufgang bis zum nidergang, so wyt tuot er ünsre überträttungen von üns.
Quam mitis est parens in liberos, tam mitis est Dominus erga cultores suos.	Wie ein vatter über sine kind güetig ist, also ist er güetig über die inn fürchtend.
Ipse enim novit facturam nostram, memor quod e puluere sumus;	Dann er weist was wir für ein gmächt sind, er ist yndenck das wir kaat sind.
Quod mortalium aetas tanquam foenum est, instar florum agri florens.	Das des menschen tag sind wie höw, er blüeyt wie der bluom uff dem veld.
Protinus ut ventus austerior in eum invexerit nullus est, neque amplius in loco suo invenitur.	So der wind über inn gat so ist er nümmen, und sin ort kennt inn nümmen.
Sed bonitas Domini ab aeterno in aeternum servat cultores suos, et filiis filiorum ipsorum iustitia sua adest;	Noch ist die gnad gottes von ewig zuo ewig über die inn fürchtend, und sin grechtigheit über ire kindskind.
Dummodo custodiunt foedus eius, et mandatorum eius memores sunt ut faciant ea.	Denen die do haltend sinen pundt, und siner gbotten yngedenck sind das sys tüegind.
Dominus in coelo firmavit solium suum et imperio suo universa regit.	Der herr ist der synen stuol imm himel gevestnet hatt, und sin rych herschet in allen dingen.
Collaudate Dominum angeli eius, qui virtute polletis ut impleatis iussa eius, qui paretis voci verbi illius!	Lobend den herren ir syne engel, die starcken von krafft, die sin wort usrichtend, das man die stimm synes worts höre.
Collaudate Dominum universi exercitus eius, ministri eius, ut qui facitis placita illius!	Lobend den herren alle syne herzüg, ir sine diener die syn wolgevallen tuond.
Collaudent Dominum cuncta opera eius, in omni loco imperii illius! Collauda Dominum, anime mi!	Lobend den herren alle sine werck, an allen orten siner herschaft. O min seel lob den herren.

CIII.

ἀνεπίγραφος.

Laus Dei est qua celebratur a sapientia et rpudentia, a bonitate et facultate, adscitis pulcherrimis exemplis.

Collauda Dominum, anime mi! Domine Deus meus, inenarrabiles sunt quum magnitudo tua, tum laus et decor quibus amictus es.

Amictus es luce tanquam indumento. Tu explicas coelos instar cortinae.

Tu contabulas in aquis fornices tuos, nubes in currum tuum aptas, et alis ventorum aurigaris.

Tu facis ventos nuncios tuos et flammas ignis clientes tuos.

Tu iecisti terrae fundamenta super bases eius, ut in perpetuum et si quid ultra est non moveatur.

Tu lates in abysso tanquam in veste; supra montes quum ascendunt aquae, ab increpatione tua fugiunt, a voce tonitrui tui praecipites feruntur.

Tum surgunt montes, descendunt valles ad locum istum quem firmasti eis.

Terminum constituisti aquis, ut non transgrediantur neque redeant ad operiendum terram.

Tu elicis fontes in vallibus qui inter medios montes incedunt,

Ut potentur omnes bestiae tuae quae in agro sunt, ut onagri frangant sitim suam;

Supra montes autem volucres coeli habitent ac de medio frondium dent vocem.

Tu irrigas montes e supernis tuis; opera tua tellus annona impletur.

CIII.

Es ist ein lob gottes, darinn er gelobt und usgebreit wirt siner wysheit und fürsichtigkeit siner güete und macht, mit mengerley exemplen.

O min sel lob den herren. Herr min gott du bist träffenlich grooss, du bist mit lob und zier angeleyt.

Du bist mit liecht glych als mit eim kleid bedeckt, du tennst den himel us wie ein zelt.

Du welbst in den wasseren dine säl, du machst dir die wolcken zuo eim wagen, du farst uff den flüglen der winden.

Du machst dine engel wie die wind, und dine diener wie den fhür flammen.

Du gründst das erdrich uff synen boden, das es nimmer me bewegt wirt.

Du deckst es mit der tieffe wie mit eim kleid, das wasser staat ob den bergen. Von dinem bschelten flücht es, von der stimm dines donders vellt es harab.

Die berg richtend sich uf, die veld lassend sich herab, an das ort das du inen ggründt hast.

Du hast imm zil gsetzt, dass nit übergange, dass nit widerköm und das erdrich überdecke.

Du sendst brunnen [1] in den teleren, zwüschend den bergen gond sy har.

Da trinckend alle dyne tier im feld, die waldesel löschend iren durst.

Uf welchen bergen die vogel des himels wonend, und singend in mitten der esten.

Du füechtest das gbirg von dinen wonungen her, die erd wirt voll von früchten die du machst.

---

[1]) Oder: zuo wasserflüssen.

Germinas foenum iumentis et olera, ut homini serviant. Producis e terra quum panem ut vires hominis reficiat, tum vinum quoque ut humanum cor laetificet; tum oleum, ut vultus exporrigat.

Te Domino arbores saginantur, et cedri Libani quas plantavisti, ut volucres isthic nidulentur, ciconiae domicilium abies praebeat;

Ut montes editi damis, petrae vero sint asylum cuniculis.

Lunam fecisti ad constitutum suum, sol novit occasum suum.

Fecisti et tenebras e quibus nox est, in qua prorepunt omnes bestiae nemorum;

Leunculi quoque rugientes ad praedam, ut quaerant cibum a Deo sibi destinatum.

At orto Sole sese proripiunt et in cubilia sua recubant.

Tum vero prodit homo ad opus suum, et ad agriculturam suam usque ad vesperam.

Quanta sunt opera tua Domine, quae tu omnia sapienter fecisti; plena est terra rebus tuis.

Aeque pelagus magnum et spatiosum quaque versum, in quo reptilia numero carentia; beluae quoque et mediocres et inusitatae magnitudinis;

Ubi et naves transeunt et leviathan ille, quem in hoc finxisti ut in eo ludat.

Cuncta ista ad te suspiciunt, ut des illis cibum suum tempore suo.

Dante te illis, capiunt; aperiente te manum tuam, bonis saturantur,

Du machst das höw wachsen für das veh, und was gruonet zuo dienst dem menschen, das du brot us der erd bringist. Und der win des menschen hertz erfröwe, das er das angsicht mit öl frölich mach, und das brot des menschen hertz stercke.

Die böum des herren sind voll,[1] die cedren libanon die er gepflanzt hatt. Da selbst nistend die vogel, der reigel hatt sin hus uf der tannen.

Die hohen berg sind der gempsen zuoflucht, und die felsen der hasen.

Du machst den mon zuo gwüssen zyten, die sunn weisst iren undergang.

Du tuost die finsternus dar, so wirt es nacht, darinn regend sich alle tier des walds.

Die iungen löwen brüelend das sy niderryssind, und ir spys von gott suochind.

So aber die sunn ufgat, samlend sy sich widrumm, und legend sich in ire wonung.

Denn gat der mensch an sin werck, und an sinen buw bis ze abend.

Herr wie ist diner wercken so vil, du hast sy alle wyslich gemacht, die erd ist diner hab vol.

Da ist das mer das beide gros und wyt ist, da ist das sich regt on zal von kleinen und grossen tieren.

Da gond die schiff, da ist der leviathan, den du gdicht hast das er darinn schimpfe.

Die alle wartend uff dich, das du inen spys gebist zuo siner zyt.

So dus inen gibst samlend sys, so du din hand uftuost werdend sy mit guotem gesettigot.

---

[1]) Oder: ersettigend.

Te vero vultum tuum abscondente, turbantur; te spiritum eorum tollente, exanimantur et in pulverem suum redeunt.

Et contra, quum spiritum tuum mittis, recreantur et renovas faciem terrae.

Regnet divina maiestas in perpetuum, et laetetur Dominus in operibus suis!

A cuius aspectu terra contremiscit; quum montes attingit, fumant.

Cantabo Domino quoad vivam, et quoad fuero Deo meo psallam.

Iucunda sit coram ipso oratio mea: ego enim Domino laetor.

Consumantur peccatores e terra et impii non sint ultra! Tu vero anime mi collauda Dominum! הללויה.

Verbirgstu aber din angsicht so verzagend sy; nimstu inen iren geist so verderbends, und kerend wider zuo irem stoub.

So du dinen atem uslassest, so werdend sy geschaffen, und ernüwrest das angsicht der erde.

Dem herren sye eer ind ewigheit, dann der herr fröwt sich in sinen wercken.

Sicht er die erd an so erbidmets, rüert er die berg an so rüchend sy.

Ich wil dem herren singen min läben lang, und minem gott lobsingen so lang ich bin.

Min red gevalle imm, dann ich fröw mich imm herren.

Die sünder müessind us sin von der erd, und die gotlosen sygind nümmen. O min sel lob den herren! הללויה.

CIV.

ἀνεπίγραφος.

Gratulatio est super foedere a Deo cum Abrahamo icto, qua commemorantur primitiva patrum suorum.

Gratias agite Domino! celebrate nomen eius, et in populis consilia illius praedicate!

Canite illi, psallite illi, disserite de egregie gestis eius!

Collaudate sanctum nomen eius, laetetur cor quaerentium Dominum!

Quaerite Dominum et ne cessetis! quaerite vultum eius sine intermissione!

Mementote ingentium factorum eius, miraculorum quae fecit, et iudiciorum quae ore suo pronunciavit,

O semen Abrahami servi eius, o filii Iaacobi electi eius!

Ille est Dominus Deus noster, cuius exempla per universum orbem nota sunt.

CIV.

Es ist ein dancksagung oder frolockung über den pundt, den gott mit Abraham getroffen hat, darinn die erstlichen anfang irer vätteren erzellt werdend.

Danckend dem herren und rüeffend synen namen an, machend kund under den völckeren sine anschleg.

Singend imm und lobend inn, redend von allen sinen wundren.

Rüemend üch sines heligen namens; es fröwt sich das hertz deren die den herren suochend.

Suochend den herren sampt siner stercke, suochend sin angsicht on underlaass.

Gedenckend siner wundren die er geton hatt, siner seltzamen taten und urteilen sines munds.

Som Abrahams du sin diener, ir sün Iacobs sine userwelten.

Er ist der herr ünser gott, sine gricht sind in allen landen.

Memor est in perpetuum foederis sui, et promissionis quam nuntiavit ad infinitas generationes;

Er gedenckt ewklich synes pundts, des worts das er verheissen hatt uff tusend glid.

Foederis quod pepigit cum Abrahamo, et iurisiurandi cum Isaaco;

Den er gemacht hatt mit Abraham, und des eyds mit Isaac.

Quod lege constituit cum Iacobo, et cum Israële foedere sempiterno,

Den er ouch bestät hatt mit Iacob zuo eim recht, mit Israel zuo eim ewigen pundt.

Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, ut sit sors hereditatis vestrae.

Sprechende: dir wil ich das land Chanaan geben, die schnuor üwers erbs.

Quum essent numero pauci, et advenae in ea;

Do sy noch gar in kleiner zal und achtung warend und frömdling darinnen.

Quum proficiscerentur ex gente in gentem, de regno uno ad populum alterum:

Und zugend von volck ze volck, von eim küngrych zuo eim andren volck.

Non permittebat eis quemquam nocere, sed corripiebat propter ipsos reges.

Er liess gheinen menschen sy beleidigen, und bschalt die küng um irotwillen.

Nolite, inquiens, attrectare christos meos, et prophetis meis nolite quidquam mali facere.

Nit rüerend mine gesalbeten an, und tuond minen propheten nit übels.

Deinde, quum famem in orbem arcessivisset, et confregisset panis universam vim:

Demnach beruoft er einen hunger über die welt, und zerstort alle hab des brots.

Mittebat ante eos hominem, qui in servum erat venumdatus, Iosephum,

Er sandt einen vor inn hin, Ioseph ward zuo eim knecht verkoufft.

Cuius pedes pedicis adfligebant, ferrum penetrabat mentem eius.

Sy muoytend sine füess imm stock, isen durchgieng sin sel.

Consilio Domini probabatur usque dum tempus, quod ille constituerat, veniret.

Bis zuo der zyt das sin wort kam, das wort des herren lütrett inn.

Tum mittebat rex et solvi iubebat eum; princeps populorum liberari mandabat eum.

Do sandt der küng und liess inn ledig machen, der herr des volcks liess imm uftuon.

Dominum constituebat eum domus suae et herum omnium rerum suarum,

Er satzt inn zuo eim herren über sin hus, zuo eim verwalter aller siner hab.

Ut erudiret principes eius pro suo magisterio, et senatores eius prudentia imbueret.

Das er sine fürsten bezwunge nach sinem willen, und sine alten wysheit larte.

Tandem et Israël in Aegyptum venit, et Iacobus advena fuit in terra Hami,

Demnach kam Israel in Egypten, und Iaacob ward ein frömdling imm land Cham.

Et sobolescere faciebat populum suum, adeo ut iam superior fieret adversariis suis.

Er macht sin volck treffenlich fruchtbar, und mechtiger denn ire fygend.

Mutato deinde corde Aegyptii odio persequebantur populum eius, et servis eius insidiabantur.

Er verkart dero hertzen das sy sin volck hasstend, und sich untrüwlich hieltend mit sinen knechten.

Mittebat ergo Mosen servum suum, et Aaronem electum suum;

Demnach sandt er sinen knecht Mosen, Aharon den er erwellt hatt.

Potestatem signorum suorum dabat eis ac miraculorum in terra Hami perficiendorum.

Die tatend sine zeichen under inen, und wunder imm land Cham.

Mittebat tenebras et atra nocte implebat omnia: non enim detrectabant iussum eius.

Er sandt finsternuss und macht dunckel, und fielend sy nit ab von sinen worten.

Vertebat aquas eorum in sanguinem, et pisces eorum occidebat.

Er kart ire wasser in bluot, und todt ire visch.

Scaturiebat tellus eorum ranis, imo regum quoque penetralia.

Ir land bracht läbendig frösch in den kamren irer küngen.

Iubebat, et prodibant omnis generis muscae et cynomyiae in cunctis finibus eorum.

Er sprach und es kamend die hundsmuggen und geltzen [1] an allen enden irs lands.

Dabat eis pro imbre grandinem et ignis flammas in terram ipsorum,

Er macht iren regen ze hagel, fhür flammen in irem land.

Quibus percutiebat vites et ficus eorum, et arbores per fines eorum corrumpebat.

Und schluog ir wynräben und ir fygböum, und zerbrach die böum in allem irem land.

Iubebat, et aderant locustae ac bruchi supra numerum,

Er sprach und es kamend höwstoffel und käfer on zal.

Et exedebant omne quod viresceret in terra ipsorum, omnem fructum telluris ipsorum.

Und die fraassend alles das gruonet in irem land, und die frücht irs erdrichs.

Percutiebat et omne primogenitum in terra ipsorum et prima quaeque de rebus eorum.

Er schluog ouch alls erstgeborn in irem land, die erstling aller irer stercke.

Deinde educebat eos cum argento et auro, nec erat in cunctis tribubus eorum languidus.

Und fuort sy us mit silber und gold, und was ghein schwacher under iren stammen.

Laetabatur Aegyptus de profectione eorum: inciderat enim pavor ipsorum in eos.

Egyptus frowt sich an irem usziehen, dann ir vorcht was uff sy gevallen.

Hic extendebat Dominus nubem ut esset operimentum, et ignem qui noctu luceret.

Er spannt die wolcken us zuo einr decke, und fhür nachts ze lüchten.

Quum peterent: ingruebant coturnices et pane coelitus demisso saturabat eos.

Man batt und es kamend wachtlen, und mit himelbrot ersettiget er sy.

---

[1]) Oder: schnaaggen.

Aperiebat petram, et profluebant aquae, ut iam in arido loco inveherentur flumina.

Haec autem omnia ista causa, quod memor esset sacrosanctae promissionis suae quam Abraamo servo suo fecerat.

Eduxit ergo populum suum cum laetitia, et electos suos cum exultatione.

Et tradidit eis provincias gentium, et quae populi labore suo coluissent possederunt,

Ut servarent iusta eius et legem ipsius custodirent. הללויה.

Er tet den felsen uf da floss wasser us, das der bach in der dürren wüeste hinflooss.

Dann er was yngedenck synes heligen worts mit Abraham sinem knecht geton.

Also fuort er sin volck us mit fröiden, und sine userwelten mit frolockung.

Und gab inen die lender der heiden, und die arbeit der völckeren besaassend sy.

Das sy sine recht haltind, und sin gsatz bhüetind. הללויה.

CV.

ἀνεπίγραφος

Gratiarum actio est, qua et res veteres praedicantur, et Dei misericordia quae patres nunquam destituerit imploratur.

הללויה. Gratias agite Domino, quoniam in perpetuum benignus et mitis est.

Quis digne disseret de fortibus factis eius et praedicet omnem laudem eius?

O beatos qui servata aequitate, quod iustum est, faciunt omni tempore!

Memento nostri Domine per gratiam, qua prosequeris populum tuum, et visita nos cum salute tua!

Ut bonitatem tuam videant electi tui, ut gentes tuae laetentur, et plaudat populus tuus ille peculiaris.

Deliquimus cum patribus nostris, peccavimus ac scelerate egimus.

Patres nostri mox in Aegypto non ponderabant mirifica gesta tua, non reputabant in animo magnitudinem bonitatis tuae, sed rebellabant ad mare rubrum.

CV.

Es ist ein offen bekennen der sünd, und anrüeffen der gnad gottes, die iren vätteren allweg verzigen hab.

Dancksagend [1] dem herren dann er ist güetig, und sin gnad ewig.

Wer wirt die macht des herren ussprechen, und lut machen alle sine lob?

Wol denen die das gricht bhaltend, und grechtigheit tuond zuo aller zyt.

Herr gedenck min by dem wolgevallen dines volcks, heimsuoch mich mit dynem heil.

Das man das guot diner userwelten sehe, und sich din volck träffenlich fröwe, und ich mit dinem erbteil rüeme.

Wir habend gsündet mit ünseren vätteren, wir habend unrecht geton und sind gotlos gewesen.

Uensere vätter habend dine wunder in Egypten nit betrachtet, sy warend nit yngedenck diner grossen güete, sunder wurdend abtrünnig glych am roten mer.

[1]) Oder: Bekennend.

Dominus autem salvabat eos propter nomen suum, ut commendaret fortitudinem suam:

Noch halff er inen umm sines namens willen, das er sin macht offnete.

Protinus enim obiurgatum mare rubrum inarescebat; ille autem traducebat eos per abyssum tanquam per desertum,

Er bschalt das rot mer und es ward trocken, und fuort sy durch die tieffe wie in der wüeste.

Et liberabat eos de manu osorum et de hostili manu adserebat.

Und erlost sy von der hand des hassers, und von der hand des fygends entschutt er sy.

Aquae vero hostes eorum obruebant, ut ne unus fieret reliquus.

Er verdackt ire fygend mit wasser, das nit einer uss inen überbleib.

Tum quidem habebant fidem verbis eius et canebant gloriam illius;

Da gloubtend sy an syne wort, und sungend sin lob.

Sed subito obliti erant operum eius, neque expectabant eius consilia,

Bald vergassend sy syner wercken, sy wartetend sines radtschlags nit.

et procaci concupiscentia offendebant in deserto, et in solitudine Deum irritabant.

Sunder wurdend glustig in der wüeste, und versuochtend gott in der einöde.

Ille vero dabat eis desiderium eorum, et ablegabat penuriam, cuius illos tantopere pertaesum erat.

Und er gab inen das sy batend, und sandt inen gnuog nach irem willen.

Tum Mosen quoque in castris aemulabantur et Aaronem sanctum Domini;

Do bemuoytend sy Mosen im läger, Aaron den heligen des herren.

Sed hians tellus deglutiebat Dathanem, et ecclesiam Abirami operiebat,

Do tätt sich die erd uf und verschluckt Dathan, und verdackt die rott Abiram.

Incenso prius igne in coetu eorum, et impiorum magna parte flamma exustis.

S'fhür zundt ir rott an, der flamm verbrandt die gotlosen.

Fecerant et vitulum in Horebo et adoraverant sculptile,

Sy machtend ein kalb in Horeb, und bättetend das ggossen bild an.

Et permutaverant gloriam suam imagine vituli foenum comedentis,

Und verwandletend ir grösse [1] in ein glychnus eins ochsen der höw isst.

Obliti Dei salvatoris sui qui magnifica in Aegypto fecerat,

Sy vergaassend dess der sy erlösst, der die grossen ding in Egypten gton hatt,

Admiranda in terra Hami, formidabilia in mari rubro.

Wunder imm land Ham, und erschrockenliche ding am roten mer.

Statuebat ergo Dominus perdere illos, ni Moses electus eius in ipso procinctu obstitisset in conspectu eius, et sustinuisset furorem eius quo minus perderet ipsos.

Do sprach er das er sy verdilggete, wo nit Moses sin userwelter vor imm gstanden wär am usbruch, das er sinen zorn abgewendt hette von verderben.

---

[1]) Oder: sine er.

Quin et cupitam terram aliquando aspernabantur, ita ut non crederent verbis eius.

Sed tumultuarentur in tabernaculis suis, neque morem gererent imperio Domini.

Stringebat igitur manum suam in eos, ut sterneret eos in deserto;

Ut dissiparet semen eorum in gentes et in nationes dispergeret eos.

Quin et Baalpeorem initiabantur, et edebant sacrificia mortuis oblata,

Et coeptis suis offendebant. Irruebat ergo in eos pestis.

At Pinhas protinus vindex aderat, et pestis remittebat:

Id quod ei ad iustitiam imputatum est apud posteros usque in perpetuum.

Exasperaverunt ad fontes iurgii quoque: id quod Mosen pessime habebat propter ipsos,

Quoniam spiritum Dei exasperaverant, ut labiis suis effaretur:

Non extirpaturos eos gentes, quas Dominus eis promiserat.

Commixti ergo inter gentes didicerunt opera eorum,

Et coluerunt simulacra ipsorum (id quod eos ad casum traxit),

Ut tam filios suos quam filias daemonibus mactarent,

Ut innoxium filiorum suorum et filiarum sanguinem funderent, quos simulacris Chananaeorum offerebant, et terra sanguine pollueretur;

Ipsi quoque operibus suis profanarentur et consiliis ac coeptis suis scortarentur.

Dann sy verschmachtend das lustig land, und gloubtend sinem wort nit.

Sunder murmletend in iren hütten, und achtetend der stimm des herren nütz.

Darumm huob er sin hand uf über sy, das er sy niderschlüeg in der wüeste.

Das er iren somen under die heiden zerwurffe, und sy im land hin und wider zersäyte.

Sy hattend sich ouch dem Baal Peor angewätten, und der todten opfer geessen.

Ouch machtend sy inn zornig mit iren anfengen, das die plag in sy brach.

Do stuond Pinhas dar, und mitlet das die plag ufhort.

Das ward imm zuo einr grechtigheit gerechnet von gschlecht zuo gschecht ewklich.

Ouch machtend sy inn zornig von des zanggwassers wegen, und gieng Mosen übel umm irotwillen.

Das sy sinen geist abtrünnig machtend, und schnallt mit sinen läftzen:

Das sy nit verdilggen wurdind die völcker, von denen inen der herr gseit hatt.

Also sind sy under die heiden gemischt, und habend ire werck gelernet.

Sy habend iren götzen gdienet, die sind inen zuo eim anstoss worden.

Sy opfretend ire sün und ire dochtren den tüflen.

Sy vergussend das unschuldig bluot, das bluot irer sünen und irer dochtren, die sy den götzen Canaan opfretend, dass land mit den bluoten vermaasget ward.

Sy vermasgetend sich mit iren wercken, und huortend mit iren anschlegen.

Incendebatur itaque Dominus ira in populum suum et abominabatur hereditatem suam.

Tradebat eos in potestatem gentium et qui odio habebant eos, imperabant eis.

Opprimebant eos hostes ipsorum, et sub manus eorum subdebantur.

Saepenumero liberabat eos, ipsi autem saepenumero consiliis suis rebellabant; propter scelera igitur sua opprimebantur.

Perspecta vero angustia eorum, et querimoniis ipsorum auditis,

Memor fuit erga eos foederis sui, ac pertaesum est enim ipsorum pro magnitudine bonitatis suae;

Gratiam dedit eis coram omnibus qui ceperant eos.

Salvos fac nos, Domine Deus noster, et collige nos ex gentibus, ut laudemus nomen tuum sanctum, et gloriam tuam celebremus.

Beatus Dominus Deus Israelis ab aeterno usque in sempiternum. Et dicat universus populus Amen. הללויה.

Darumm ward gott über sin volck grimm erzürnt, und schoch ab sinem erbvolck.

Und gab sy in die hend der heiden, und die sy hasstend beherschtend sy.

Und ire fygend trangtend sy, und wurdend under ire hend getruckt.

Er hat sy offt erlöst, aber sy wurdend abtrünnig mit irem fürnemen, und arm umm ir misstat willen.

Noch sach er ir not an, so bald er ir gschrey hort.

Und was inen sines pundts yndenck, und verzech inen nach der vile siner güete.

Und satzt sy in gnad in angsicht aller, die sy gfangen hattend.

Erlös üns herr ünser gott, und sammel üns us den heiden, das wir danckind dinem heligen namen, und din lob singind.

Hochgelobt sye der herr gott Israels von ewig zuo ewig, und alles volck spreche: Amen! Haleluiah!

CVI.

ἀνεπίγραφος

Laus est, qua docetur Deum sic suis adesse, ut omnia potius mutet quam suos deserat, si modo ipsum et invocent et innocentiae studeant. Commendatur etiam providentia.

Gratias agite Domino, quoniam in perpetuum benignus et mitis est!

Agant gratias redemti Domini quos de hostili manu redemit,

Ac de nationibus collegit ab ortu et occasu, ab aquilone et austro:

Quum errarent in deserto, in via non trita, neque urbem sedi suae invenissent,

Famelici et sitibundi, ut anima eos deficeret.

CVI.

Es ist ein lobgsang, darinn geoffnet wirt, wie gott den sinen hilft; das er alle ding meistret, damit er sy nit verlasse, so verr und offt sy inn anrüeffend.

Danckend dem herren, dann er ist güetig, und sin gnad ewig.

Sagends ir erlösten des herren, die er von der hand des fygends erlöst hatt,

Und von den landen zemen gsamlet hatt, vom ufgang und nidergang, von mittnacht und meer,

Die in der wüeste irrtend an ungebautem weg, und ghein statt zuo wonung hattend,

Hungrig und durstig, dero sel verzagt was.

a Clamaverant enim ad Dominum quum in angustia essent, et de necessitatibus eorum liberavit eos,

Do sy aber schruwend zum herren in irer not, entschutt er sy us iren engsten.

a Et reduxit eos in viam rectam, ut venirent ad urbem quam habitarent.

Und fuort sy im rechten weg, das sy zuo der statt irs heimens kemind.

b Canant bonitatem Domini, et magnifica opera eius filiis hominum!

Danckend dem herren siner gliete, und siner wundren die er den menschen kinden geton hat.

b Ipse enim saturat animam inanem, et animam esuribundam bonis implet.

Dann er ersettiget die mangelhaften sel, und die hungrigen sel füllt er mit guotem.

c Quum enim sederent in tenebris mortalis umbrae, vincti et adflicti essent ferro,

Die da sitzend in der finsternuss und dünckle, die gfangen sind in müey und ysen,

c Propterea quod repudiassent mandata Dei, et consilium altissimi irritavissent;

Drumm das sy der red gottes nit truwtend, und den radt des höchsten verachtetend,

c Quum laboribus cor eorum humiliasset, quum iacerent et nemo opitularetur:

Dero hertz er mit arbeit genidret hatt, die gevallen sind und gheinen helffer habend;

a Clamaverunt ad Dominum, quum in angustia essent, et de necessitatibus eorum liberavit eos;

Do sy aber zum herren gerüeft hand in irer not, hatt er inen us iren engsten gholffen,

a Eduxit eos e tenebris mortalis umbrae et vincula eorum dirupit.

Und sy us der finsternus und dunckel gefüert, und ire band zerrissen.

b Canant bonitatem Domini, et magnifica opera eius filiis hominum!

Danckend dem herren siner gliete, und siner wundren die er den menschen kinden geton hatt.

b Ipse enim comminuit portas aeneas et vectes ferreos confregit.

Dann er zerbricht die erinen tür, er zerbricht den ysinen rigel.

c Quum enim imprudentes in transversum abiissent et propter scelera sua adfligerentur;

Die narren werdend umm irer übertrettung und mistat willen verkümret.

c Quum omnem cibum abhorreret adpetitus eorum et iam ad orci portas adpeterent:

Alle spys verachtet ir sel, und kumend bis an die tor des todes.

a Clamabant ad Dominum, quum in angustia essent; et de necessitatibus eorum liberavit eos.

So sy aber zum herren rüeffend in irer not, hilfft er inen uss iren engsten.

a Misit iustum suum et sanavit eos, et liberavit ab interitu eorum.

Er sendt sin wort und macht sy gsund, und erret sy von irem verderben.

b Canant bonitatem Domini, et magnifica opera eius filiis hominum;

Danckend dem herren siner güete, und siner wundren vor den menschen kinden.

Et sacrificent sacrificia gratiarum actionis, et praedicent opera eius cum exultatione!

Qui mare navibus conscendunt, quique negotia in pelago expediunt,

His nota sunt opera Domini, et mirifica facta quae in abysso gerit.

c Illo enim iubente surgit venti procella, atque fluctus suos attollit.

Iam ad coelum elevantur, iam in abyssum descendunt, quo malo animus eorum adfligitur.

Nutant et vacillant velut ebrius, et omnis sapientia eorum cessat.

a Sed quum ad Dominum clamant in angustia constituti, liberat eos de necessitatibus eorum:

Sedat turbinem et infert tranquillitatem, posteaquam fluctus compescuit.

Tum vero laetantur ob redditam quietem; deinde ad optatum portum quoque deducit.

Canant bonitatem Domini et magnifica opera eius filiis hominum!

Vehant illum, in concione populi et in senatorum consessu laudent eum!

Qui vertit fluminibus irrigua in desertum et aquarum venas in siticulosam,

Regionem feracem in sterilem propter habitatorum malitiam;

Qui contra quoque vertit solitudinem in stagna aquarum, et terram siccitate contumacem in aquosam et scaturigines,

Et collocat isthic esuribundos, ut aedificent urbes ad habitandum,

Ut agris semina credant et vineas conserant, quae uberem annonam praebeant.

Opfrend imm opfer der dancksagung, und erzellend sine werck mit frolockung.

Ir die üch inn schiffen ufs mer lassend, und üweren gwerb in der wasseren vile tribend,

Die sehend die werck des herren, und sine wunder in der tieffe.

Wenn er redt so ist die windsbrut hie, und erhebend sich ire wällen.

Denn farends obsich zhimel, bald stygends herab ind tieffe. Ir seel zerschmiltzt vor übel.

Sy werdend doll und schwanckend wie ein trunckner, und all ir wysheit wirt verschlunden.

So sy aber zum herren rüeffend in irer not, füert er sy us iren engsten.

Und stellt stille für die windsbrut, das ire wällen schwygend.

Denn fröwend sy sich das sy gestillet sind; und füert sy an das land das sy begerend.

Danckend dem herren siner güete, und siner wundren die er den menschen kinden geton hatt.

Und erhebend inn under der gmein des volcks, und by den sitzen der alten lobend inn.

Der die wasser zuo einr wüeste macht, und die wasser geng zuo einr dürre,

Ein fruchtbar erdrich zuo einr ägerten, umm der bosheit willen die darinn wonend.

Er macht die wüeste zuo eim see, und ein dürr erdrich das wasser da gond.

Und setzt dahin die hungrigen, das sy ein statt buwind zuo wonen.

Da säyend sy denn die äcker, und pflantzend die winreben, und erarbeitend die iärlichen frücht.

Fovet illos atque multiplicat supra modum, et non patitur iumenta eorum pauca esse.

Und bsegnet sy und vilet sy träffenlich, und ir fhe mindret er nit.

Quum vero imminuuntur et humiliantur, vi, adflictione et labore;

Widrumm macht er sy wenig, und werdend getrengt mit bösem und schmertzlichem zwang.

Quum eos praedae principum obnoxios facit; quum eos per inania loca circumducit, ubi nullum est iter:

Er güsst verachtung uff die herlichen, und verwyst sy mit ytelem nebend den weg.

Tandem levat inopia pauperem et familiam tanquam gregem constituit.

Er erhebt den armen von der müey, er ordnet die stammen wie chütt.

Haec contemplentur iusti et gaudeant; omnis autem malitia obstruat os suum!

Das sehind die grechten und fröwind sich, und alle bosheit bschliesse iren mund.

Quicunque es, qui sapis, observa ista, ut intelligantur divina beneficia!

Welcher wys sye der bhalte die ding, so wirt er die gnaden gottes verston.

CVII.

David Ode gratulatoria.

Petitur ut Dominus ab eis gentibus redimat, quae intra definitos terrae terminos habitabant. Similis est hic Psalmo LIX.

CVII.

Es ist ein gebett, das gott von denen völckeren entschütten welle, die in iren marchen woutend.

Paratum est cor meum, Deus, ad canendum et laudandum pro omni virili mea.

Gott min hertz ist bereit, ich wil singen und loben min eer.

Tu mea chelys expergiscere, tu quoque cithara, ut quam maturrime exordiar,

Stand uf psalter und harpfen, ich wil früe uf sin.

Et canam te in populis Domine, et laudem inter gentes,

Herr ich wil dich bekennen under den völckeren, under den völckeren wil ich dir lobsingen.

Quod bonitas tua coelis est altior et veritas ac fides tua nubibus.

Dann din güete ist grooss bis ann himel, und din trüw bis and wolcken.

Evehere supra coelos o Deus, et supra universam terram maiestate tua!

Erheb dich o gott über die himel, und din eer über alle land.

Ut liberentur dilecti tui: salvos fac dextera tua et opem nobis adfer!

Das dine geliebten erlöst werdind; hilff mit diner grechten und erhör mich.

Deus locutus est in sanctuario suo, quod me interim beat: Dividam Sichemum et vallem Suchoth dimetiar.

Gott hatt in sym heligtuom geredt: Ich fröw mich, das ich Sychem teilen wil, und das tal Süchoth messen.

Meus est Galaad, meus est Manasses, Ephraim caput roboris mei est, porro Iudas dux meus.

Moab singularis olla mea est, ad Idumaeam porrigam calceos meos, super Palaestinam clangam tuba.

Quis vero deducit me ad urbes munitas? quis dirigit in Idumaeam?

Nonne tu Deus qui repuleras nos ut non proficiscereris cum exercitibus nostris.

Tulisti nobis opem in angustia: vana est enim salus quae de homine speratur.

In Deo parabimus victoriam: ille enim conculcat hostes nostros.

Min ist Gilead, min ist Manasse, und Ephraim ist die stercke mines houpts, Iuda min obrester.

Moab ist min wäschkessel, über Edom wil ich minen schuoch werffen, überd Philister wil ich schallen.

Wer wirt mich in die vesten statt füeren? wer wirt mich gen Edom leiten?

Nit du gott der üns verstossen hast? der nit uszüchst mit ünsren herzügen?

Schick üns hilff us der not, dann menschen hilff ist ytel.

Aber mit gott wellend wir redlich handlen, und der wirt ünsere fygend zertretten.

CVIII.

David adhortatorii generis carmen.

Ultio divina provocatur in eos qui benefactores suos violenter opprimunt. Aguntur gratiae Deo, qui a vi ipsorum suos liberat.

Deus gloria mea, ne dissimules!

Quoniam os impii et os dolosi adversum me aperta sunt, et mendaci lingua loquuntur contra me.

Sermonibus, ex odio confictis, circumveniunt me, et oppugnant me sine causa.

Pro amore, quo illos prosecutus sum, adversantur mihi, quum ego aequitati studeam.

Reddunt ergo mihi damnum pro beneficio, et odium pro amore meo.

Impone ei carnificem praefectum, et hostis statuatur ad dexteram eius!

Quum iudicio sistitur, damnetur, et defensio eius degravet crimen illius!

Dies eius ad paucitatem cogantur, et officium eius accipiat alter!

Orbi fiant liberi eius, et uxor sua!

CVIII.

Er berüeft die rach gottes über die, so ire guotäter unbillich undertruckend.

O gott überhör min gebätt nit.

Dann der gotlos und der trugner habend das mul über mich ufgeton, sy redend mit mir mit valscher zungen.

Sy ummgebend mich mit hässlichen worten, und bstrytend mich on ursach.

Für das das ich sy lieb hab sind sy wider mich, ich aber bitt für sy.

Aber sy tuond mir böss umm guots, und hass umm liebe.

Richt den gotlosen über inn, und der widersächer stand imm an der rechten syten.

So er gericht wirt müesse er verurteilt usbar gon, und sin gbätt sye sünd.

Syner tagen werdind wenig, und sin ampt empfach ein andrer.

Syne kind werdind weisly, und sin wyb ein witwen.

Incertis vagentur sedibus filii eius, mendicent et cibum quaerant postquam in exilium relegati erunt!

Syne kind müessind ummherwandlen und höischen, und suochen um das sy zerstört sind.

Manum iniiciat fenerator omnibus rebus eius, et hostes laborem eius diripiant!

Der wuochrer verpfende imm alles das er hatt, und die frömden roubind sin arbeit.

Ne sit qui misericordia ducatur erga illum, aut qui gratiam impertiat pupillis eius!

Es sye nieman der imm gnad zöige, und nieman der sich siner weysen erbarme.

Ultima eius desinant in interitum, et proxima generatione deleatur nomen eius!

Syne nachkomen werdind usgerütet, imm nechsten glid werde ir nam verdilgget.

Scelera vero patris eius apud Dominum in numerato habeantur, et peccatum matris eius non deleatur!

Die misstat siner vordren werde vor dem herren harfürzogen, und die sünd siner muoter sye unverdilgget.

Vigeant in conspectu Domini semper, at memoria ipsorum e terra extirpetur!

Sy sygind on underlaass vor dem herren, und ir gedechtnus werde von der erden usgerütet.

Eo quod immemor fuit misericordiam faciendi, et persecutus est hominem deiectum, inopem et ex corde moerentem, ad occidendum.

Darumm das er nit gedacht hatt guottat ze würcken, sunder er hatt den ellenden und armen durächt, ouch den hertzlich verkümreten ze töden.

Amavit execrationem, et usu veniat ei; gratiam non quaesivit, idcirco longissime absit ab eo!

Er hatt den fluoch liebghebt, der ist imm gegnet; er hatt nit gfallen an wolreden, und so ists imm verr gnuog worden.

Execratione velut vestimento amictus est, ea velut aqua in eum penetret, et in ossa eius tanquam oleum!

Er hatt den fluoch angelegt wie ein hemd, der ist in inn komen wie wasser, und wie das öl in sin gbein.

Adhaerescat ei sicut pallium quo operitur, et sicut zona qua semper praecingitur!

Der wirt imm sin wie ein kleid das er anhatt, und wie der gürtel damit er allweg ggürt ist.

Hoc opus hostibus meis usu veniat a Domino, et his qui perniciem moliuntur vitae meae!

Das gschehe minen widerwertigen vom herren, und denen die übels über min sel redend.

Tu autem, Domine Deus agito mecum propter nomen tuum: propensa enim est bonitas tua, ut liberes me.

Aber du herr herr tuo mit mir umm dines namens willen, (dann din gnad ist güetig) und erlös mich.

Humilis enim ac pauper sum, et vulneratum est cor meum intra me.

Dann ich bin ellend und arm, und min hertz ist schwach in mir.

Incedo velut umbra serotina, et auferor sicut locustae.

Ich wird hingfüert wie ein schatt der geneigt ist, und hingsprengt wie ein höwstoffel.

Genua mea labuntur prae ieiunio, et caro mea exaruit ut succus nullus supersit.

Ego autem opprobrium eis factus sum; quum me vident, capita sua movent.

Opem fer mihi Domine Deus meus, et per bonitatem tuam salva me,

Ut cognoscant hanc esse manum tuam, quodque istud feceris.

Execrentur isti! tu modo benignus sis. Insurgant et confundantur! servus autem tuus laetus erit.

Induantur adversarii mei ignominia, et confusione sua tanquam pallio operiantur!

Gratias pro virili ore meo agam Domino, et in media multitudine laudabo eum.

Ille enim adstat ad dexteram pauperis, ut liberet a condemnantibus animam eius.

CIX.

Ode Davidis.

Vaticinium est de Christo nascituro, et regno eius tam in ecclesia quam in coelis.

Dominus dixit Domino meo: sede ad dexteram meam, donec faciam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Sceptrum potentiae tuae emittet Dominus de Zione, ut imperes in medio hostium tuorum;

Populus autem tuus in die triumphi tui vota offeret cum sancta pompa.

Ros enim nativitatis tuae ex utero aurorae est.

Dominus iuravit, neque poenitentia ducetur: Tu es sacerdos in aeternum iuxta ritum Melchizedeci.

Dominus ad dexteram tuam adest, qui cum irascitur, reges percutit.

Mine knüw sind schwach von vasten, und min fleisch ist verdorret, von der feisste. [1]

Dess bin ich ir spott, so sy mich sehend schüttend sy iren kopf.

Hilff mir herr min gott, mach mich gsund nach diner güete.

So werdends erkennen das diss din hand ist, das du es geton hast.

Sy werdend fluochen und du wirst wolsprechen, sy werdend ufwütschen und geschendt werden, aber din diener wirt sich fröwen.

Mine widersächer legind schmach an, und werdind mit irer schand bekleydet als mit eim rock.

Ich wil dem herren träffenlich dancken mit minem mund, und inn under der menge rüemen.

Dann er stat dem armen an der rechten syten, das er sin sel von den durächteren erlöse.

CIX.

Es ist ein vorsag von dem werdenden heiland und von sinem rych im himel und uff erd.

Der herr hatt zuo minem herren geredt: Sitz zuo miner grechten, bis das ich dyne fygend zuo eim schemel diner füessen mach.

Der herr wirt die ruoten diner stercke senden us Zion. Hersch mitten under dinen figenden.

Die willigen opfer dines volcks (werdend sin) am tag dines heils mit heliger zier.

Das tow diner gburt ist von dem lyb des morgensternens.

Der herr hatt geschworen und wirt inn nit gerüwen: Du bist priester ewiklich nach der ordnung Malchizädeck.

Der herr ist zuo diner grechten, der bricht zur zyt sines zorns die küng.

---

[1]) Oder: on feisste.

Ultionem capit ex gentibus et cadaveribus implet, qui totius orbis capita caedit.

De torrente in itinere bibet; deinde caput sublimabit.

CX.

הללויה.

Laus est et gratiarum actio.

Collaudabo Dominum ex toto corde, quum privatim apud sanctos tum pro tota concione.

Magna sunt opera Domini, et exoptata omnibus qui amplectuntur ea.

Opus eius est laude et gloria dignum, et iustitia eius in perpetuum durat.

Magnifica facta sua ita gessit, ut sint memoria digna, misericors et mitis Dominus.

Escam dat sese metuentibus, memor foederis sui in aeternum.

Robur factorum suorum ostendit populo suo, quum dedit eis gentium possessiones.

Opera manuum eius firma et recta, rata et vera sunt omnia praecepta eius.

Confirmata in omne seculum, ut quae ex vero et recto constant.

Redemtionem misit populo suo; foedus suum praecepit in perpetuum: sanctum et venerandum est nomen eius.

Caput sapientiae timor Domini est. O sanam mentem quae secundum eum opera sua moderatur: laus eorum in perpetuum durabit.

Er wirt richten under den heiden, er wirts todter lychnamen füllen, er wirt die köpf in vil landen zerschlahen.

Er wirt vom bach am weg trincken, darumb wirt er das houpt erheben.

CX.

Es ist ein dancksagung und lob gottes.

Herr ich wil dir dancken mit allem hertzen, im radt der ufrechten und in der gmeind.

Gros sind die werck des herren, und userlesen allen die lust an inen hand.

Sin werck ist lobs und zier wert, dann sin grechtigheit blybt ewig.

Er ist yngedenck siner wundren, der barmhertzig güetig herr.

Er gibt spys denen die inn fürchtend, er gedenckt ewklich sines pundts.

Er macht kund sinem volck die krafft siner wercken, so er inen das guot der heiden gibt.

Die werck siner hend sin war und grecht, und alle sine gbott trüw.

Sy sind gevestnet immer und ewklich, dann sy sind gmacht in der warheit und rechten.

Er hatt sinem volck erlösung gsendt, und sinen pundt ewig gmacht, dess nam helig und erschrockenlich ist.

Anfang der wysheit ist vorcht des herren, ein guote underrichtung allen die darnach tuond, dero lob bstat ewklich.

CXI.
הללויה.

Bono viro neque animi constantiam neque iustam substantiam deesse.

O beatum qui Deum timet, qui praeceptis eius supra omnia delectatur.

Potens fit posteritas eius in terra; familia rectorum beata est.

Honos et res in huiusmodi viri domo et iustitia eius permanet in aeternum.

Oriens, sol et lux in tenebris est rectis, misericors, mitis et iustus.

Commodus est vir qui miseretur et mutuo dat, quique verba sua cum iudicio expendit.

Nam in perpetuum immotus manet; iusti memoria in aeternum durat.

A rumoribus malis nihil timet: firmum enim est cor eius fide in Dominum.

Firmum est cor eius ut nihil formidet usque dum videat hostium suorum interitum.

Dividit ac donat pauperibus, iustitia eius in aeternum durat, cornu illius cum gloria evehetur.

Impius haec videns invidia torquebitur, dentibus frendet ac tabescet; et quod impii cupiunt, irritum fiet.

CXI.

Das den gotsvörchtigen weder an lyb noch an sel ützid gegnen mag.

Wol dem der den herren fürcht, der hat grossen lust an syuen gebotten.

Syn som wirt gwaltig sin uff erden, das gschlecht der ufrechten wirt gesegnet werden.

Hab und rychtag in sinem hus, und sin grechtigheit bstat ewklich.

Das liecht bringt in der finsternus den grechten der barmhertzig güetig und fromm.

Ein guoter man ist barmhertzig und licht, er schickt sine wort recht.

Dann er wirt ewklich nit bewegt, der grecht wirt in ewiger gedechtnus sin.

Vor bösem gschrey fürcht er imm nit, dann sin hertz ist erbuwen in den herren ze hoffen.

Sin hertz ist gevestnet und fürcht imm nit, bis das er sine fygend bschowen wirt.

Er ströwt us und gibt den armen, sin grechtigheit bstat ewklich, sin horn wirt mit eren erhöcht.

Der gotlos wirts sehen und zornig werden, mit den zenen wetzen und zerschmeltzen; die begird der gotlosen wirt verlorn werden.

CXII.
הללויה.

Laudat Deum ab omnipotentia.

Laudate, o servi Domini, laudate nomen Domini!

Sit nomen Domini collaudatum hinc usque in sempiternum!

Ab ortu solis usque ad occasum collaudetur nomen Domini!

CXII.

Es ist ein gmein lob der allmechtigheit gottes.

Lobend ir diener des herren, lobend den namen des herren.

Gelobt sye der nam des herren von ietz bis ind ewigheit.

Von ufgang der sunnen bis zuo irem nidergang ist hochgelopt der nam des herren.

Sublimis est Dominus super omnes gentes et gloria eius super omnes coelos.

Quis est sicut Dominus Deus noster, qui sese in sublime ad habitandum collocat, ac rursum sese demittit, ut contempletur quae in coelo et in terra fiunt?

Elevat de pulvere egenum et de stercore pauperem erigit,

Ut collocet eum inter principes, inter principes populi sui.

Sterilem matremfamilias cum filiis domi laetantem facit. הללויה.

Ueber alle völcker ist der herr erhöcht, und sin eer über die himel.

Wer ist nun wie der herr ünser gott, der so hoch sitzt? Und harnider ist, ze sehen in himel und erden?

Der den schlechten ufrichtet us dem stoub, und erhebt den armen us dem kaat.

Das er inn setze mit den fürsten, mit den fürsten sines volcks.

Der da macht die unfruchtbaren des huses zuo einer muoter die mit kinden erfröwt wirt. Halleluiah!

CXIII.

ἀνεπίγραφος.

Laus et gratulatio est, qua fidelium spes fulcitur.

Quum exiret Israel de Aegypto, et domus Iacobi de populo peregrino:

Fuisti (o Deus) Iudae sacrosanctus eius, et Israel imperator eius.

Quod cum vidisset mare, fugit et Iordanes retrorsum cessit.

Montes exilierunt sicut arietes et colles sicut agni de grege.

Quid tibi mare est, quod fugisti? et tibi Iordanes, quod retro cessisti?

Quid quod vos montes saltavistis tanquam arietes, et colles tanquam agni de grege?

A conspectu Domini contremiscis, o terra, a conspectu Dei Iacobi,

Qui petram in aquae stagnum convertit, et rupem in aquarum fontem.

Hebraeis CXIV. Psalmus est.

Ne enim nobis Domine, ne nobis, sed nomini tuo des gloriam bonitatis ac fidei tuae nobis ostensae!

CXIII.

Es ist ein lob gottes, darinn die hoffnung der glöubigen bevestnot wirt.

Als Israel us Egypten zoch, das hus Iacob vom frömden volck.

Do bistu (herr) das heligtuom Iuda gwesen, und das regiment Israels.

Das meer sachs und floch, der Iordan kart sich hindersich.

Die berg sprungend wie die wider, die bühel wie die schaaff.

Was gbrast dir mer das du flucht? und du Iordan das du dich hindersich kartest?

Ir berg das ir sprungend wie die wider? und ir bühel wie die schaaff?

Vor dem herren dantzet die erd, vor dem gott Iacobs.

Der den felsen verkert zuo eim wassersee, und den schrofen zuo wasser brunnen.

Nit üns herr nit üns sunder dinem namen gib eer, umm diner güete und trüw willen.

Ne ergo committas ut gentes dicant: Ubi quaeso est Deus eorum?

Warumm redend die heiden: wo ist nun ir gott?

Quum Deus noster sit qui in coelis, et universa pro sua voluntate dispensat.

Und ist aber ünser gott der in den himlen ist, und tuot alles das imm gevallt.

Istorum autem simulacra argentum sunt et aurum, opus manuum humanarum.

Aber jener götzen sind silber und gold, werck der menschen henden.

Os habent et non loquuntur, oculos habent et non vident.

Sy habend münd und könnend nit reden, ougen und sehend nit.

Aures habent et non audiunt, nares et non odorantur.

Sy habend oren und hörend nit, sy habend nasen und schmeckend nit.

Manus habent et non contrectant, pedes et non incedunt, neque gutture suo vocem temperant.

Sy habend hend und gryffend nit, füess und gond nit, und dönend nit in irem hals.

Similes his sunt, et qui ea faciunt et qui eis fidunt.

Also werdend die sy machend, und alle die in sy hoffend.

Tu vero Israel in Dominum spera! ille enim auxiliator ac propugnator tuus est.

Israel hofft in den herren, der ist ir hilff und schilt.

O familia Aaron, sperate in Domino! ille enim auxiliator ac propugnator vester est.

Das hus Aaron hofft uff den herren, der ist ir hilff und schiltt.

Qui colitis Dominum sperate in Dominum! auxiliator enim ac propugnator vester est.

Die gott fürchtend hoffend uff den herren, der ist ir hilff und schilt.

Dominus meminerit nostri, et foveat nos; foveat domum Israel, et foveat domum Aaronis!

Der herr ist ünser indenck und wirt üns segnen, er wirt das hus Israels segnen, er wirt das hus Aharons segnen.

Foveat eos qui timent Dominum, tam iuvenes quam senes!

Er wirt segnen die den herren fürchtend, die kleinen mit den groossen.

Augeat Dominus numerum quum vestrum tum filiorum vestrorum.

Das wirt der herr tuon über üch, und über üwre kind.

Vos enim sancti Domini estis, qui coelos condidit et terram.

Ir sind die gsegneten des herren, der himel und erden gmacht hatt.

Coeli universi Domini sunt; terram autem dedit filiis hominum.

Alle himmel sind des herren, und die erd hatt er den menschen kinden ggeben.

Non laudant te mortui Domine, neque universi qui in oblivionem abeunt;

Die todten werdend dich herr nit loben, noch alle die in das schwygen underhin varend.

Nos autem laudabimus Dominum hinc usque in aeternum. הללויה.

Aber wir werdend dem herren lobsagen von ietz bis ind ewigheit.

CXIV.

ἀνεπίγραφος.

Gratiarum actio est pro liberatione ex angustiis.

Aequo animo sum, quoniam exaudivit Dominus vocem precum mearum,

Quoniam praebuit aurem suam mihi, quum in periculo meo clamarem.

Circumdederant me funes mortis, et angustiae inferorum adprehenderant me: in adflictionem et dolorem incideram.

Quumque nomen Domini invocarem: Oro, Domine, liberes animam meam!

(Mitis enim ac iustus est Dominus, et deus noster misericors;

Humilium custos est Dominus): tum omni ope destitutum salvavit me.

Redi ergo anime mi in requiem tuam, quia Dominus praestitit tibi quod petivisti!

Tu enim liberasti animam meam a morte, oculos meos a lacrimis et pedes meos a lapsu,

Ut recte ambulem coram Domino, inter vivos.

CXIV.

Es ist ein dancksagung umm erlösung uss trüebsal.

Ich bin zfriden, dann der herr hört min erbermliche stimm.

Dann er neygt mir sin or, darum ich inn min läben lang wil anrüeffen.

Die band des todes hattend mich ummgeben, und angst der helle hattend mich ergriffen, angst und not hatt ich funden.

Aber ich ruoft an den namen des herren: Lieber herr errett min sel.

Du gnädiger herr und grechter, du barmhertziger ünser gott.

Der herr ist der hirt der einvaltigen; ich was verderbt, und er ist mir ze hilff komen.

Ker wider min sel an din ruow, dann der herr hatt dich widerbracht.

Dann du hast min sel vom tod erlöst, min oug vom trähen, und minen fuoss von schlipfen.

Ich wil recht vorm herren wandlen in den landen der läbenden.

CXV.

Idem cum superiore est apud Hebraeos.

Gratiarum actio est, quae Christo maxime congruit.

Verum dixi, quum loquerer in vehementi adflictione mea; quum dicerem in ecstasi: Omnis homo mendax.

Quid autem retribuam Domino pro cunctis in me beneficiis?

Calicem enim salutis accepi, quum nomen Domini invocassem.

Hinc vota mea Domino solvo coram universo populo eius: pretiosa est in oculis Domini mors sanctorum suorum.

CXV.

Es ist ein dancksagung. Die ist ein komliche vorbedütung Christi.

Ich vertruw darumm red ich, ich bin seer gedemüetigot. Ich gedenck in miner noott, alle menschen sind lugenhafft.

Was wird ich dem herren widergelten für alle guotat mir geton.

Ich wil den kelch des heils tragen, und den namen des herren anrüeffen.

Ich wil dem herren ietz mine glübd bezalen vor allem sinem volck. Tür ist in den ougen des herren der tod siner heligen.

Gratias ago, Domine, quod mei famuli tui, mei servi tui et filii ancillae tuae vincula dirupisti.

Idcirco macto tibi victimam collaudationis, et nomen tuum, Domine, celebro.

Vota mea Domino solvo coram toto populo eius, in atriis domus Domini, in medio Ierusalem. הללויה.

Ach lieber herr ich bin din knecht, ich bin din knecht und sun diner dienerin, du hast mine band ufgeton.

Dir wil ich opfren das opfer der dancksagung, und den namen des herren anrüeffen.

Mine glübd wil ich dem herren bezalen ietz vor allem sinem volck, in den höfen des huses des herren, in dir o Hierusalem. הללויה.

CXVI.

ἀνεπίγραφος.

Hymnus est in quo gentium vocationis ad ecclesiam Dei vaticinium continetur.

Laudate Dominum omnes gentes, omnes quoque populi laudate eum!

Quoniam bonitas eius erga nos magis ac magis adolescit, et fides eius in perpetuum durat. הללויה.

CXVI.

Es ist ein lob, darinn die vereinung der kilchen Christi us heiden und iuden bedütet wirt.

Lobend den herren alle heyden, lobend inn alle völcker.

Dann sin gnad ist gros gegen üns, und die warheit des herren wäret ewklich. הללויה.

CXVII.

Publica gratiarum actio est pro aliqua liberatione. Qui typus est nostrae eucharistiae pro morte et liberatione Christi.

Gratias agite Domino pro sempiterna bonitate et misericordia sua!

Praedicet quaeso, Israel, sempiternam bonitatem eius!

Praedicet et familia Aaronis sempiternam bonitatem eius!

Praedicent, qui Dominum colunt sempiternam bonitatem eius!

De angustia invocavi Dominum, et respondit mihi latitudine Dominus.

Dominus mecum est; non timebo quid homo mihi faciat.

Dominus auxiliator meus est, et ego despiciam inimicos meos.

Melius est in Dominum sperare quam in hominem.

CXVII.

Es ist ein offne gemeine dancksagung umm einer erlösung willen, in welcher unsere dancksagung bedüt ist, die wir umm den tod und erlösung Christi begond.

Danckend dem herren dann er ist güetig, und sin gnad wäret ewklich.

Es sage nun Israel, das sin güete ewklich wäret.

Es sage nun das hus Aharon, das sin güete ewklich wäret.

Es sagind nun die den herren fürchtend, das sin güete ewklich wäret.

Uss der angst hab ich den herren angerüeft, und der herr hatt mich erhört in der verre.

Der herr ist mit mir, ich fürcht nit was mir der mensch tuon werd.

Der herr ist mit mir das er mir hälff, und ich veracht die mich hassend.

Es ist besser uff den herren vertruwen, weder uff den menschen hoffen.

Melius est in Dominum sperare quam in principes.

Omnes gentes circumstent me; at in nomine Domini perimam eas.

Circumdent et circumveniant me; at nomine Domini perimam illas.

Circundent me sicut apes, et consumere pergant sicut ignis spinas; at in nomine Domini perimam illas.

Ad casum pellant atque detrudant me; at Dominus opem feret mihi.

Robur et materia carminis est mihi Dominus; idem est salus mea.

Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum: dextera enim Domini victoriam peperit.

Dextera Domini altissima est; dextera Domini triumphum parat.

O si non moriar sed vivam, ut celebrem opera Domini!

Corrigat et castiget me Dominus; at morti ne tradat me!

Aperite mihi portam iustitiae, ut transeam per eam et collaudem Dominum.

Haec enim est porta Domini; iusti transibunt per eam.

Gratias ago tibi, quoniam exaudisti me et factus es salus mea.

Lapis, quem repudiaverunt aedificantes, factus est in caput angularis pinnae.

Per Dominum autem istud factum est et est miraculum in oculis nostris.

Haec est dies quam fecit Dominus; exultemus et laetemur in ea!

Salva nos amabo Domine! commoda nunc quaeso, Domine!

O beatum, qui venit in nomine Domini! bene ominemur et precemur vobis, qui estis domi Domini!

Es ist besser uff den herren vertruwen, weder uff die fürsten hoffen.

Alle völcker habend mich ummgeben, aber im namen des herren wil ich sy zerhowen.

Sy habend mich zring umgeben, aber imm namen des herren wil ich sy zerhowen.

Sy habend mich umgeben wie die bye, sy brastlend wie das fhür in dörnen, aber imm namen des herren wil ich sy zerhowen.

Ich bin träffenlich anpütscht das ich vallen solt, aber der herr halff mir.

Min stercke und min brys ist der herr, er ist ouch min heil.

Die stimm des frolockens und heils ist in den hütten der grechten, dann die grecht des herren hatt kraft geton.

Die grecht des herren ist erhöcht, die grecht des herren hatt kraft geton.

Ey das ich nit sterb sunder läb, das ich die werck des herren uskünde.

Der herr strafft mich träffenlich, aber dem tod gibt er mich nit.

Tuond mir uf die tor der grechtigheit, so wil ich hinyngon und dem herren dancken.

Das ist das tor des herren, da ynhin gond die grechten.

Ich danck dir dann du hast mich erhört, und bist min heil.

Der stein den die buwlüt veracht habend, der ist zuo eim houptstein der zinnen worden.

Das ist vom herren gschehen und ist ein wunder vor ünseren ougen.

Das ist der tag den der herr gemachet hatt, lassend uns fröid und wunn an imm haben.

O herr mach heil, o herr mach wol gelingen.

Hochgelobt ist der da kumpt imm namen des herren, wir rüemend üch vom hus des herren.

Dominus Deus illucescat nobis! redimite festum diem frondibus usque ad arae cornua!

Deus meus es tu, et gratias tibi ago; Deus meus es tu, et eveho te.

Gratias agite Domino pro sempiterna bonitate et misericordia sua!

Dann der herr gott hat üns erlücht. Bsteckend das fest mit meyen bis an die horn des altars.

Du bist min gott und ich danck dir, min gott ich wil dich erhöhen.

Danckend dem herren dann er ist güetig, und sin gnad wäret ewklich.

CXVIII.

ἀνεπίγραφος.

Anxia confessio est quam nihil sint humana absque verbo et doctrina Dei; et quam vehementer ardeat fidelis mens illius desiderio.

א

O beatos integros qui in via et lege Domini ambulant!

Beati qui custodiunt obtestationes eius, et toto corde quaerunt illum;

Qui scelera nulla designant, sed in viis eius incedunt.

Tu enim nihil aeque praecipis ac mandatorum tuorum observantiam.

Utinam huc tendant gressus mei, ut servent iusta tua!

Sic enim non pudefiam, quum scilicet attentus ero ad omnia praecepta tua.

Celebrabo te recto corde, si docueris me iudicia iustitiae tuae.

Iusta tua custodiam. Ne unquam quaeso derelinquas me!

ב

Qua tandem re mundum custodiat adolescens iter suum aeque ac observantia sermonum tuorum?

Toto igitur corde meo requiram te; tu vero ne seducas me a praeceptis tuis!

In corde meo reponam verba tua, quo minus in eo peccem.

Inclyte tu Domine, doce me constitutiones tuas!

Ut etiam labiis meis memorare queam omnia iussa oris tui;

CXVIII.

Es ist ein bekantnuss, wie der mensch so gar nüt sye on gottes wort, und wie die glöubig seel so ynbrünstig dar nach sie.

א

Wol den ufrechten uff dem weg, die im gsatzt des herren wandlend.

Wol denen die sin zügnus haltend, die suochend inn mit gantzem hertzen.

Dann die in sinen wägen wandlend tuond nit args.

Du hast treffenlich gebotten, das man din gheiss halte.

O das mine wäg gericht werdind, das ich dine recht halte.

Das ich nit geschendt werd, so ich uff alle dine gebott sich.

So wil ich dir dancken mit grechtem hertzen, so ich die gricht diner grechtigheit erlernen.

So ich dine recht halt, verlass mich nit zfast.

ב

Wo mit wirt der iung sinen weg sübren? wenn er dine wort halt.

Ich hab dich mit gantzem hertzen gsuocht, nit lass mich verirren von dinen gebotten.

In minem hertzen hab ich din red verborgen, das ich nit wider dich sünde.

Du hochgelobter herr ler mich dine recht.

So wil ich mit minen leftzen erzellen alle gricht dines munds.

Ut in via contestationum tuarum gaudeam magis quam in innumeris divitiis;

Ut mandata tua mediter et semitam tuam suspiciam;

Ut praeceptis tuis delecter neque obliviscar verborum tuorum.

ג

Da mihi servo tuo ut vivam et custodiam sermones tuos.

Aperi oculos meos ut perspiciam admiranda quae in lege tua sunt.

Advena ego sum in terra; tu tamen ne celes me praecepta tua!

Rumpitur enim anima mea desiderio iussuum tuorum omni tempore.

Tu enim corripis execrabiles superbos qui deficiunt a praeceptis tuis.

Libera me opprobrio et contemtu, ut custodiam contestationes tuas.

Principes enim in consessu suo contra me consultant; servus autem tuus meditatur in mandatis tuis.

Contestationes tuae et delectationes meae sunt, et monitrices mei.

ד

Humi defixa est anima mea; tu tamen refice me iuxta verbum tuum.

Vias meas exponam tibi; tu ergo responde mihi, et doce me iussa tua.

Iter mandatorum tuorum ostende mihi, et considerabo mirabilia facta tua.

Diffluit anima mea taedio; confirma me verbo tuo.

Tolle a me iter mendacii et lege tua miserere mei.

Iter enim veritatis elegi et iusta tua mihi placent.

Adhaeream contestationibus tuis Domine, ut non confundas me.

Ich fröw mich in dem weg diner zügniss, glych als in allerley rychtagen.

Ich üeb mich in dinen gheissen, und sich uff dine fuosstritt.

In dinen rechten erlustig ich mich, ich vergiss diner worten nit.

ג

Tuo guots über dinen knecht, so läb ich und wil halten dine wort.

Tuo mir die ougen uf, so wil ich bsehen die wunder dines gsatztes.

Ich bin ein frömdling[1] uff erden, nit verbirg dine gsatzt vor mir.

Min sel zerbricht on underlas von begird über dine gricht.

Dann du bschiltst die verflüechten hochfertigen, die abtrettend von dinen gbotten.

Wend von mir schmach und verachtung, so ich din zügnus haltt.

Dann ob glych fürsten wider mich sitzend und redend, noch ertrachtet sich din knecht in dinen rechten.

Dann dine zügnus sind min lust und mine raadtslüt.

ד

Min seel klebt im kaat, mach mich läbend nach dinem wort.

Ich erzell dir mine weg, darumm gib mir antwurt, und ler mich dine recht.

Bericht mich des wegs diner empfelhen, so wil ich mich üeben in dinen wundren.

Min seel ist entschlaffen von verstopte, erweck mich mit dinem wort.

Den lugenhaften weg tuo von mir, und schenck mir din gsatzt.

Der weg der warheit gfallt mir, und dine gricht dunckend mich billich.

Ich hang an dinen zügnussen. Herr lass mich nit ze schanden werden.

---

[1]) Oder: landzügling.

Via mandatorum tuorum curram, quibus exhilares cor meum.

Ich wil den weg diner gebotten louffen, so du min hertz trösten wirst.

ח

ח

Doce me Domine iter praeceptorum tuorum, ut ipsum semper custodiam.

Wys mich herr den weg diner rechten, so wil ich sy halten bis and solen.

Erudi me ut custodiam legem tuam, et servem eam in toto corde meo.

Gib mir verstand das ich din gsatzt hallte, und verhüete mit gantzem hertzen.

Duc me in semita mandatorum tuorum: ea enim mihi placet.

Füer mich im fuossweg diner gebotten, dann er gfalt mir.

Inclina cor meum ad contestationes tuas et non ad avaritiam.

Neig min hertz zuo dynen zügnussen, und nit zum gyt.

Transfer oculos meos ne vanitatem aspiciant, et via tua vivifica me.

Wend mine ougen ab das sy nit uff ytelgheit sehind, mach mich läbend uff dinem weg.

Praefige autem servo tuo verba tua, quae ipsum timoris tui admoneant.

Setz dym knecht din wort für; das er dich fürchte.

Tolle opprobrium meum quod timeo: suavia enim sunt iudicia tua,

Nim hin die schmach die ich fürcht, dann dine gricht sind lieblich.

Et mandata tua diligo; iustitia tua sustine me.

Sich ich hab begird nach dinen gheissen, mach mich läbend durch din grechtigheit.

ו

ו

Obveniat mihi benignitas tua Domine, deinde et salus tua iuxta verbum tuum;

Din gnad herr köm zuo mir, din heil nach diner red.

Ut respondeam opprobrantis verbo qui verbo tuo fidem habeo.

So wil ich antwurt geben minem lestrer, dann ich hoff uff din wort.

Ne recedat de ore meo verbum veritatis ulla ratione, quoniam in iudicia tua spero;

Nim nit von minem mund das wort der warheit gar, dann ich hoff uff dine gricht.

Sed custodiam legem tuam in perpetuum, per omnia secula et si quid ultra est.

So wil ich din gsatzt halten für und für ewklich.

Ambulem in securitate, quia mandata tua quaero;

Und wil wandlen in der wyte, dann ich suoch dine gheiss.

Disseram super contestationibus tuis coram regibus, et non pudefiam;

Ich wil von dinen zügnussen reden vor küngen, und mich nit schemen,

Delecter in praeceptis tuis quae diligo;

Und lust haben an dinen gbotten die ich lieb hab.

Tollam manus meas ad amata mihi praecepta tua et mediter in mandatis tuis.

Und wil min hend ufheben zuo dinen gebotten die ich lieb hab, und betrachten in dinen rechten.

ז

Memora verbum tuum servo tuo, ut spem meam fulcias.

Hoc enim solatur me in afflictione mea et eloquium tuum vivificat me.

Contemnunt me superbi vehementer; sed a lege tua ne declinem.

Repeto mecum sempiterna iudicia tua Domine, et solatium invenio.

Totus horreo sceleratos istos, qui deserunt legem tuam.

Iusta tua carmen mihi sunt, dum hic hospes sum.

Nominis tui Domine per noctem mentionem habeo, ut custodiam legem tuam.

Id mihi quaeso contingat, ut praecepta tua servem!

ח

Sors mea Domine; in hoc sum, ut custodiam verba tua.

Vultum tuum deprecor ex toto corde, ut miserearis mei pro tua promissione.

Considerem vias meas, et referam pedes meos ad contestationes tuas.

Incunctanter properem ad custodiendum mandata tua.

Vincula sceleratorum si me captivum teneant, legis tamen tuae ne obliviscar.

Concubia nocte surgo, ad laudandum te propter iusta iudicia tua.

Socius sum omnium metuentium te et custodientium praecepta tua.

O Domine, cuius bonitate universa terra redundat, doce me mandata tua.

ט

Benefacito Domine servo tuo secundum verbum tuum.

Bonum, disciplinam et scientiam doce me, quoniam praeceptis tuis fidem habeo.

ז

Erzell das wort dinem knecht, uff welchs du mich tröstest.

Das ist min trost in minem ellend, dann din red macht mich läbendig.

Die hochfertigen verspottend mich träffenlich, aber ich wych nit von dinem gsatzt.

Ich gedenck herr an dine ewige gricht, und wird getröst.

Mich gat ein grusen an, ab den gotlosen die din gsatzt verlassend.

Dine recht sind min lobgsang, im hus miner wallfart.

Ich gedenck nachts dines namens o herr, das ich din gsatzt halte.

Das ist min das ich dine gheiss halte.

ח

Herr du min teil, ich hab für mich genomen dine wort ze halten.

Ich bitt vor dir mit gantzem hertzen, erbarm dich min nach dinem wort.

Ich hab mine weg betrachtet, und wil min füess keren zuo dinen zügnussen.

Ich wil ylen und nit verziehen dine gebott ze halten.

Die seil der gotlosen habend mich begwaltiget, aber dines gsatzts vergiss ich nit.

Zuo mitternacht ston ich uf dir ze dancken, umm die gricht diner grechtigheit.

Ich bin ein xell aller dero die dich fürchtend, und dine gheiss haltend.

Herr die erd ist diner gnaden voll, ler mich dine recht.

ט

Herr du tuost dinem knecht guotes nach dinem wort.

Leer mich das guot, zucht und kunst, dann ich verlass mich uff dine gbott.

Priusquam adfligerer delinquebam; nunc autem eloquium tuum custodiam.	Ee und ich gedemüetigott ward irret ich, aber ietz halt ich din red.
Natura bonus es; per eam ergo bonitatem doce me mandata tua.	Du bist guot, ler mich mit güete dine recht.
Offerunt mihi quidem superbi mendacium; ego autem toto corde servabo praecepta tua.	Die hochfertigen trechend mir luge zuo, ich wil aber dine gheiss von gantzem hertzen halten.
Crassum est velut adeps cor eorum, ego tamen legem tuam meditabor.	Ir hertz schmiltzt wie unschlitt, ich aber hab lust mit dinem gsatzt.
Euge mihi quod adflictus sum, quo mandata tua didicerim.	Guot ist es mir das du mich gedemüetigott hast, damit ich dine recht lerne.
Dulcior est mihi lex oris tui quam infinitus modus auri vel argenti.	Besser ist mir das gsatzt dines munds, weder die tusend silbers und golds.
י	י
Manus tuae fecerunt et paraverunt me; da mihi intelligentiam ut discam praecepta tua.	Din hend habend mich gemacht und zuogerüst, ler mich das ich dine gbott lerne.
Ut quum videant me, qui te timent, laetentur, quod verbo tuo fidam.	So werdend mich sehen die dich fürchtend, und sich fröwen das ich uff din wort vertruw.
Equidem scio Domine quod iusta sunt iudicia tua: nam ex fide adiuvas me.	Ich erkenn herr das dine gricht recht sind, und mich us trüw gedemüetiget hast.
Bonitate igitur tua consolare me pro fide servo tuo data.	O herr din güete tröste mich, nach diner red dinem knecht geton.
Occurrant mihi clementiae tuae ut vivam: lex enim tua meditatio mea est.	Dine erbermden gegnind mir das ich läb, dann din gsatzt ist min fröid.
Confundantur superbi qui mendaciter mecum agunt; ego autem praecepta tua mediter.	Es werdind ze schanden die hochfertigen, dann sy mir lugenhaftig unnrecht tuond, aber ich ertracht mich in dinen gheissen.
In gratiam autem redeant mecum, qui te timent quique noverunt contestationes tuas.	Es kerind zuo mir die dich fürchtend, und din zügnuss kennend.
Sit cor meum integrum in praeceptis tuis, ut ego non pudefiam.	Es sye min hertz ufrecht in dinen rechten, das ich nit ze schanden werd.
כ	כ
Deperit anima mea salutem tuam: verbo enim tuo fido.	Min seel verlanget nach dinem heil, ich vertruw uff din wort.
Depereunt oculi mei sermonem tuum dicendo: quando consolaris me?	Mine ougen verlanget nach diner red, sagende: wenn tröstest mich?

Sum enim sicut uter in incendio; praecepta vero tua non obliviscor.

Quot sunt dies servi tui? quando ultionem capies de persecutoribus meis?

Superbi enim, qui secundum legem tuam non ambulant, foderunt mihi foveam.

Omnia praecepta tua vera sunt et fidelia. Mendaces persequuntur me; adiuva me!

Ferme funditus perdiderunt me in terra, attamen praecepta tua non desero.

Pro bonitate tua vivifica me, ut servem contestationem oris tui.

ל

Verbum tuum Domine cum coelis in perpetuum constat;

Veritas quoque tua per omnem posteritatem, perinde ac tellus abs te condita durabit.

Ex ordine tuo constant in aeternum: nam omnia serviunt tibi.

Nisi lex tua solatium meum esset, iam in adflictione periissem.

Nunquam igitur obliviscar mandatorum tuorum: ipsis enim refocillas me.

Tuus sum; salva me, quoniam praecepta tua inquiro.

Insidiantur mihi scelerati ad perdendum me, sed contestationes tuas mecum reputo.

Omnia quae facta sunt finem habitura video, sed praeceptum tuum omnem finem excedet.

מ

Ut legem tuam amo? quae unica cogitatio mea est omni tempore.

Mandatum tuum prudentiorem fecit me hostibus meis: semper enim mecum est.

Dann ich bin wie ein schluch amm rouch, diner rechten vergiss ich nit.

Wie vil sind der tagen dines knechts, bis das du raach tuon wirst über mine durächter?

Die hochfertigen grabend mir gruoben, die nit nach dinem gsatzt sind.

Alle dine gbott sind trüw. Sy vervolgend mich lugenhaftiklich. Kumm mir zhilff.

Sy habend mich uff erd nach usgemacht, aber ich verlas dine gheiss nit.

Mach mich läbendig durch din güete, das ich halte die zügnus dines munds.

ל

Herr din wort bstat ewklich imm himmel.

Din warheit blybt von gschlecht ze gschlecht, wie die erd bstat die du ggründt hast.

Sy blybend nach dinem gricht hüttigs tags, dann es dienend dir alle ding.

Wenn din gsatzt mich nit erfrowte, so kem ich umm in minem ellend.

Ich wil diner gheissen ewklich nit vergessen, dann du machst mich mit inen läbendig.

Din bin ich, kumm mir zhilff, dann ich suoch dine gheiss.

Die gottlosen wartend uff mich das sy mich ummbringind, aber din zügnuss üeb ich in minem verstand.

Ich hab alles volkomnen ein end gsehen, aber din gsatzt ist zbreit.[1]

מ

Wie hab ich din gsatzt so lieb, täglich tracht ichs.

Du hast mich mit dinem gebott wyser gemacht denn mine fygend sind, dann es ist mir ewig.

---

[1]) Anmerkung: Mags nieman übersehen.

Supra omnes praeceptores meos catus factus sum, quia contestationes tuae cogitatio mea sunt.

Supra senatores intelligens sum, quia mandata tua observo.

Ab omni via mala revoco pedes meos, ut custodiam verba tua.

A iudiciis tuis non recedo: tu enim dux meus es.

Quam dulcia sunt faucibus meis eloquia tua! supra mel sunt ori meo.

Praeceptorum tuorum intellectum habeo; hinc odio persequor omne iter mendacii.

נ

Verbum tuum lucerna est pedibus meis et lumen gressui meo.

Iuravi et constitui servare iusta iudicia tua.

Adflictus sum extra modum; tu vero Domine repara me secundum verbum tuum!

Promtitudo oris mei, sic oro, tibi Domine placeat, ut iudicia tua me doceas!

Anima mea iugiter me admonet, ut legis tuae ne obliviscar.

Impii laqueum ponunt mihi; sed a mandatis tuis non aberro.

Hereditas mea sunt contestationes tuae in perpetuum; sunt et deliciae cordis mei.

Propendit cor meum ad faciendum praecepta tua in aeternum, non sine causa.

ס

Iniquos odi; at legem tuam amo.

Defensor et propugnator meus esto Domine: verbo enim tuo fido.

Recedite a me mali, ut custodiam praecepta Dei mei.

Ich bin berichter denn alle mine lerer, dann dine zügnussen sind min trachtung.

Ich bin verstendiger denn die alten, dann ich halten dine gheiss.

Ich wer minem fuoss vor allem bösen weg, das ich din wort halte.

Ich wych nit von dinen grichten, dann du wysest mich.

Wie sind dine reden miner kälen so süess worden, me denn hung minem mund.

Ich verston mich diner gheissen, darumm hass ich allen weg der luge.

נ

Din wort ist ein kertz minem fuoss, und ein liecht minem fuosstritt.

Ich hab gschworn und wil ufrecht sin, das ich die gricht diner grechtigheit halte.

Ich bin träffenlich gedemüetigot, herr mach mich läbend nach dinem wort.

Herr lass dir gevallen die frywilligen opfer mines munds, und ler mich dine gricht.

Ich trag min seel in minen henden on underlass, und vergiss dines gsatzts nit.

Die gotlosen habend mir den strick gelegt, aber von dinen gheissen abtrünn ich nit.

Ich hab din ewige zügnussen geerbt, dann sy sind myns hertzen wunne.

Ich hab min hertz geneigt, dine recht ze tuon ewklich bis yns end.

ס

Die boshaften hass ich, und din gsatzt hab ich lieb.

Du bist min zuoflucht und schilt, dynem wort vertruw ich.

Wychend von mir ir boshaften, ich wil halten die gebott mines gottes.

Fulcias me sermone tuo ut vivam, et ne frustreris expectationem meam.

Bevest mich mit diner red das ich läb, und lass mich nit ze schanden werden von miner hoffnung.

Sustenta me ut salvus sim et praecepta tua sine intermissione mediter.

Hillf mir das ich gsund werd, so wil ich dine recht on underlass usskünden.

Sed conculca universos qui a mandatis tuis aberrant: fallax enim est dolus ipsorum.

Du verachtest alle die von dinen rechten abtrettend, dann ir trugnery ist erlogen.

Tollis cunctos terrae impios velut quisquilias; idcirco contestationes tuas amo.

Du machst zu güsel und abschnetz alle gottlosen der welt, darumm hab ich dine zügnus lieb.

Horret prae timore tuo caro mea, et iudicia tua formido.

Min fleisch hatt sich bbürst vor diner vorcht, dann ich fürcht mir vor dinen grichten.

ע

Quod aequum et iustum est faciam, ne dedas me calumniatoribus meis.

Ich wil wol und recht tuon, gib mich mit denen die mir gwalt tuond.

Fidem iube in bonum pro servo tuo, ne vim faciant mihi superbi.

Stand für dinen knecht zuo guotem, das mir die stoltzen nit gwalt tüegind.

Fatiscunt oculi mei ad salutem tuam et ad iustum eloquium tuum.

Mine ougen verlangt zuo dinem heil, und zuo der red diner grechtigheit.

Age cum servo tuo pro tua bonitate, et mandata tua doce me.

Tuo mit dinem knecht nach diner güete, und ler mich dine recht.

Servus tuus sum; doce me ut sciam contestationem tuam.

Din knecht bin ich, gib mir verstand, das ich din zügnuss erkenne.

Id ut facias Domine tempestivum est: dissiparunt enim legem tuam.

Es ist zyt das der herr darzuo tüeye, sy habend din gsatzt bbrochen.

Quoniam amo praeceptum tuum supra aurum et topazium:

Darumm hab ich dine gebott lieber weder gold und topazion.

Idcirco universa mandata tua recta sequor; ab omni autem via fallaci abhorreo.

Darumm hang ich ufrecht an allen dinen gbotten, und hass alle weg der luge.

פ

Magnificae sunt contestationes tuae; quapropter observat eas anima mea.

Dine zügnussen sind wunderbar, darumm behüet sy min seel.

Aperta sunt verba tua; illuminant et intellectum dant parvulis.

Die tür diner worten gibt liecht, und macht die einvaltigen verstendig.

Praecepta tua non aliter desidero, quam quum anhelus spiritum attraho.

Ich tuon minen mund uf und züch den atem an mich, also hab ich begird zuo dinen gbotten.

Aspice me et propitius esto mihi, perinde atque iis qui nomen tuum diligunt.

Ker dich zuo mir und erbarm dich min, nach dem bruch den du hast zuo den liebhaberen dines namens.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non regnet in me ulla impietas.

Libera me a calumniis hominum, ut custodiam leges tuas.

Vultum tuum exhibe servo tuo, et doce me mandata tua.

Oculi mei rivos aquarum emanant, propterea quod legem tuam non custodiunt.

צ

Iustus es Domine et aequa sunt iudicia tua.

Quae tu mandas, contestationes iustae et verae sunt supra modum.

Enecat me zelus meus, quod hostes mei obliviscuntur verba tua.

Eloquium tuum vehementer inflammat, unde et servus tuus diligit illud.

Ego etsi parvus et contemtus sum, praecepta tamen tua non obliviscor.

Iustitia tua iustitia sempiterna est et lex tua vera.

Tribulatio et angustia quum assequuntur me, iam promissiones tuae solantur me.

Contestationes tuas sempiternas fac me intelligere, ut vivam.

ק

Ex toto corde invoco; exaudi me Domine, ut mandata tua custodiam.

Invoco ut me salves et servem contestationes tuas.

Propero maturrime et invoco: verbis enim tuis fido.

Maturant oculi mei sub excubias ad meditandum in eloquiis tuis.

Vocem meam exaudi pro bonitate tua Domine; quemadmodum soles vivifica me.

Adpropinquant enim, qui a lege tua sunt alieni et iniuria persequuntur me.

Richt mine geng in diner red, und lass ghein unrecht über mich herschen.

Erlös mich von dem gwalt des menschen, das ich dine gheiss halte.

Erlücht din angsicht über dynen knecht, und ler mich dine recht.

Wasser bech gond von minen ougen, darumm das sy din gsatzt nit haltend.

צ

Herr du bist grecht, und din gricht ufrecht.

Du hast träffenlich empfolhen die grechtigheit und warheit diner zügnus.

Min yfer hatt mich verzert, das mine widersächer diner worten vergessen habend.

Din red ist träffenlich gelütret, und din knecht hatt sy lieb.

Ich bin klein und veracht, aber ich vergiss diner gheissen nit.

Din grechtigheit ist ein ewige grechtigheit, und din gsatzt ist vest.

Angst und not habend mich funden, aber dine gbott sind min fröid.

Die grechtigheit diner zügnussen sind ewig, gib mir (iro) verstand so wird ich leben.

ק

Ich schry mit gantzem hertzen: herr erhör mich, ich wil dine recht halten.

Ich schry zuo dir: hilff mir, das ich dine zügnussen halte.

Ich kum früe in der dünckle und schry, dann ich hoff uff dine wort.

Mine ougen kumend zuo früeyer wacht, das ich mich ertrachte in diner red.

Hör min stimm nach dyner güete, herr mach mich nach diner gwonheit läbendig.

Die lasterhaften durächter nahend, aber sy sind verr von dinem gsatzt.

Adpropinqua et tu Domine: firmae sunt enim promissiones tuae.

Ab ipso exordio id novi de contestationibus tuis quod eas fundasti ut sint sempiternae.

ר

Aspice adflictionem meam et eripe me: legis enim tuae non obliviscor.

Suscipe causam meam et adsere me, et secundum eloquium tuum vivifica me.

Longe abest a sceleratis salus: nam legem tuam non requirunt.

Miserationes tuae multae sunt Domine; pro tuo more vivifica me.

Quantumvis multi sint hostes et persecutores mei, a contestationibus tuis tamen non declino.

Quum praevaricatores video, qui iussa tua non custodiunt, totus moereo.

Vides quod mandata tua exosculor Domine; pro tua ergo benignitate vivifica me.

Ab aeterno est verax verbum tuum, et in perpetuum universa iusta iudicia tua.

ש

Tyranni persequuntur me insontem, sed verba tua reveretur cor meum.

Ad eloquia tua perinde gaudeo, ac dum quis in divitem praedam incidit.

Mendacium odi et abominor; sed legem tuam exosculor.

Septies per diem laudo te propter iusta iudicia tua.

Pax multa est diligentibus legem tuam, sed scandalum nullum.

Salutem tuam suspicio Domine, et praecepta tua facio.

Observat et amat anima mea contestationes tuas vehementer.

Custodiam praecepta et contestationes tuas, quoniam omnes viae meae coram te sunt.

Herr du bist nach, und alle dine gbott sind trüw.

Zum ersten hab ich von dinen zügnussen gwüsst, dann du hast sy ewklich grundvestnet.

ר

Sich min ellend und erlös mich, dann ich vergiss dines gsatztes nit.

Nimm min sach an und rich mich, mach mich läbend mit diner red.

Das heil ist verr von den gottlosen, dann sy suochend dyne recht nit.

Herr diner erbermden ist vil, mach mich läbend nach dynem bruch.

Miner durächteren und widersächeren ist vil, ich wend aber nit ab von dinen zügnussen.

Ich sich die überträtter, und es kümret mich das sy din red nit haltend.

Sich das ich dine gheiss lieb hab, herr mach mich läbend nach diner güete.

Warheit ist das houpt dines worts, und alle gricht diner grechtigheit sind ewig.

ש

Die fürsten durächtend mich on ursach, dann min hertz fürcht im vor dinen worten.

Ich fröw mich ob diner red, wie einer der grossen roub findt.

Luge hass und schüch ich, aber din gsatzt hab ich lieb.

Ich lob dich s' tags sibenmal umm die gricht diner grechtigheit.

Grossen friden habend die din gsatzt liebend, und irrt sy ghein anstooss.

Ich wart herr dinem heil, und würck dine gbott.

Min seel bhalt din zügnuss, und hatt sy träffenlich lieb.

Ich bhalt dine gheiss und zügnussen, dann alle mine weg sind vor dir.

ת

Penetret ad te domine deprecatio mea, ut ex tua promissione intellectum mihi dones.

Perveniat ad te supplicatio mea, ut ex tua promissione liberes me.

Disserent labia mea gloriam tuam, quum docueris me praecepta tua.

Alternis canet lingua mea eloquium tuum: nam omnia mandata tua iusta sunt.

Adsit mihi auxilio manus tua, quoniam praecepta tua elegi!

Desiderio salutis tuae Domine. afficior, et lex tua deliciae meae sunt.

Vivat anima mea ut te collaudet, quum mihi pro tuo more auxiliatus eris.

Erro sicut ovis perdita; quaere servum tuum, quia praeceptorum tuorum non obliviscor.

ת

Herr lass dir min gschrey zuokomen, gib mir verstand nach dinem wort.

Min klag köm für dich, erlös mich nach diner red.

So werdend dir mine leftzen lob geben, so du mich dine recht leren wirst.

Und wirt min zung din red füeren, dann alle dine gbott sind grecht.

Din hand köme mir zhilff, dann ich hab dine gheiss userwelt.

Herr ich beger dines heils, und din gsatzt ist min fröid.

Min seel läbe das sy dich lobe, und dine gricht kömind mir zhilff.

Ich irr wie ein verlorn schaaff, suoch dinen knecht, dann ich diner gebotten nit vergiss.

CXIX.

Ode graduum.

Invocatio divini auxilii adversus osores et insidiatores.

Ad Dominum, quum tribulor, clamo, et succurrit mihi.

Domine libera animam meam a labiis mendacibus, et a lingua dolosa.

Quid reddat aut addat quis tibi lingua dolosa?

Sagittas fortes et acutas, carbones etiam ignitos.

Heu mihi, quoniam exilium meum prolongatur, habito inter tabernacula tristium!

Fastidio adficit animam meam habitatio inter pacis osores.

Ego enim quum pacem meditor isti bellum adornant.

CXIX.

Ein anrüeffen götlicher hilff wider die hasser und ufsätzigen.

Ich rüeff zum herren in miner not, und er antwurtet mir.

Herr erlös min seel von den lugenhaften leftzen, und von den betrognen zungen.

Was wirt man dir geben, oder was wirt man zuo dir tuon, du betrogne zung?

Scharpfe pfyl des starcken, mit glüeyenden kolen.

We mir dann ich bin imm ellend wie ein verstosner, ich wonen in den zelten der trurigen.

Min sel hatt lang gewonet by denen die friden hassend.

Ich bin fridsam, und wenn ich fridlich red, kerend sy sich zuo krieg.

CXX.

Ode graduum.

Unde homini auxilium veniat.

Oculos meos ad montes attollo, de quibus mihi auxilium advenit.

Auxilium meum a Domino qui fecit coelum et terram.

Non dat ut labet pes tuus, neque dormit custos tuus.

Non dormit et non stertit Israelis custos.

Custos enim tuus Dominus est, umbra tua, quique dextera tua ducit te,

Ut per diem sol non urat te, neque luna in nocte.

Dominus custodit te ab omni malo, custodit animam tuam.

Dominus custodit exitum et introitum tuum, hinc usque in perpetuum.

CXX.

Ich wil mine ougen zuo den bergen ufheben, dannen wirt mir hilff kumen.

Min hilff kumpt vom herren, der himel und erden gmacht hatt.

Er wirt dinen fuoss nit bewegen lassen, er schlaft nit der dynen hüetet.

Sich er entnuckt noch schlaft nit, der hüeter Israels.

Der herr behüet dich, der herr ist die schattung by diner grechten hand.

Tags wirt dich die sunn nit treffen, noch der mon nachts.

Der herr bhüet dich vor allem üblen, er bhüet din sel.

Der herr bhüet dinen usgang und dinen yngang, von ictz bis ind ewigheit.

CXXI.

Davidi ode graduum.

Laus Hierosolymae, hoc est ecclesiae, et cuiuslibet piae civitatis.

His ego gaudeo, qui mihi dicunt: Eamus domum Domini!

Stent pedes nostri in portis tuis, Ierusalem.

Ierusalem quae condita es, quomodo urbs quaelibet nobilissima, cuius cives in unum coëunt,

In quam ascendunt tribus, tribus Domini, coetus Israëlis, ad confitendum laudem nomini Domini.

Isthic enim consistit iudicii solium, solium domus Davidis.

Precemini salutem Hierosolymis; felices sint qui diligunt eam.

CXXI.

Es ist ein lob Hierusalem, der kilchen und einr yeden christlichen statt.

Ich fröw mich mit denen die mir sagend: wir wellend ins hus des herren gon.

Unsere füess werdend ston in dinen toren Hierusalem.

Hierusalem die gebuwen ist wie ein, die mit ir selbs zemen gsellet ist.

Da selbs hinuf gond die stammen, die stammen des herren, die zügnus Israels, ze bekennen dem namen des herren.

Dann da selbst sitzend die stüel des grichts, die stüel des huss Davids.

Bittend Hierusalem friden, es müesse wol gon denen die dich liebhabend.

Salva sint universa quae possides, opulentia sit in aedibus tuis.

Propter fratres et cognatos meos libens precabor tibi salutem;

Propter aedem Domini Dei nostri bonum tibi quaeram.

Es sye friden an dinen zinnen, und gnüege in dinen palesten.

Lieber umm miner brüedren und fründen willen, lass mich wolhab uff dich sagen.

Umm des herren ünsres gots huses willen, wil ich dir das guot suochen.

CXXII.

Ode graduum.

Expectatio divini auxilii.

Ad te oculos meos levo, o coelorum habitator.

Nam perinde atque ministrorum oculi ad manus dominorum suorum, et quemadmodum oculi ancillarum ad manus herae suae: sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum intenti sunt, donec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, miserere nostri, quoniam saturi sumus multo contemtu.

Plus satis satura est anima nostra ludibrio fastuosorum et superborum vili pensione.

CXXII.

Ein blangen nach götlicher hilff.

Ich heb mine ougen uf zuo dir, der im himel wonest.

Sich wie die ougen der knechten uff die hend irer herren, wie die ougen der dienerin uff die hend irer frowen, also sehend ünsere ougen uff den herren ünseren gott, bis das er sich ünser erbarmet.

Erbarm dich ünser herr, erbarm dich ünser, dan wir sind vast voll verachtung.

Unser sel ist vast voll der verspottung der rychen, und verachtung der hochfertigen.

CXXIII.

Davidi Ode graduum.

Gratiarum actio est pro periculi declinatione.

Nisi Dominus a nobis stetisset, dic quaeso, Israël!

Nisi Dominus stetisset a nobis, quum insurgerent in nos homines:

Iam vivos deglutissent nos. Quum incensa esset ira eorum in nos, iam velut aquae obruissent nos; tanquam torrentes sustulissent nos;

Iam penetrassent ad animam nostram undae superborum.

Gratiae Domino, qui non obiecit nos praedam dentibus eorum.

CXXIII.

Es ist ein dancksagung umm erlösung uss gevar.

Wenn der herr nit by üns xin wär, lieber also red Israel,

Wenn der herr nit by üns xyn wär, do die menschen über üns uf wutschtend,

So hettind sy üns läbendig verschluckt, do ir zorn ergrimmet, so hett üns das wasser übergossen,[1] die güse wär über ünser seel ggangen,

So wär über ünser seel ein tiefs wasser ggangen.

Hochgelobt sye der herr, der üns nit zuo eimm fang ggeben hatt iren zenen.

---

[1]) Oder: ertrenckt.

Vita nostra tanquam avicula evasit de laqueo venantium: laqueus enim fractus est et nos evasimus.

Uensere sel ist endrunnen wie ein vogel vom strick der vogleren, der strick ist zerrissen und wir sind endrunnen.

Auxilium nostrum in nomine Domini situm est, qui coelos fecit et terram.

Uensere hilff stat imm namen des herren, der himel und erden gmacht hatt.

CXXIV.

Ode graduum.

Fidelium constantiae bona retribuere Dominum, mala vero impiis.

Qui Domino fidunt, similes sunt monti Zioni, qui non movetur loco, sed in perpetuum sidit.

Quemadmodum montes circum Ierusalem sunt: ita Dominus est circum populum suum, nunc et in aeternum.

Ne impiorum sceptrum immineat sorti iustorum, quo minus admoveant manum suam sceleribus iusti.

Benignus esto Domine in bonos et rectos corde!

Qui autem ad malitiam suam avertuntur, ducit Dominus inter sceleratos. Sed Israëli pax sit et salus!

CXXIV.

Gott widergelte den standhaften glöubigen guotes, und den gotlosen böses.

Die uff den herren hoffend, die sind wie der berg Zion, der wirt nit bewegt, er sitzt ewklich.

Wie zring umm Hierusalem berg sind, also ist der herr umm sin volck harumm ietz und ewklich.

Dann die ruot der gotlosen wirt nit ruowen im teil der grechten, da mit die grechten ire hend nit zum unrechten sendind.

Herr tuo guotes den guoten, und ufrechten des hertzens.

Die sich aber wendend gen irem irrsal, die wirt der herr mit den übeltäteren füeren. Aber frid sye über Israel!

CXXV.

Ode graduum.

Gratiarum actio est pro liberatione ex aliqua vel tribulatione vel captivitate.

Quum converteret Dominus captivitatem Zionis, quieti restituti sumus.

Tunc implebatur risu os nostrum, et lingua nostra exultatione.

Tunc inter gentes etiam dicebatur: Dominus res magnas cum illis fecit.

Et profecto magna fecit Dominus nobiscum, id quod nos iuvat.

Vertisti Domine captivitatem nostram, non secus quam quum austro flante torrentes exiccantur.

CXXV.

Es ist ein pitt umm erlösung us gfencknus oder trüebsal.

Do der herr die gfencknus Zion ummkart, wurdend wir als die rüewigen.

Do ward ünser mund lachens voll, und ünser zung lobens. סלה.

Do sprach man under den heiden: der herr hatt grosses an inen geton.

Der herr hatt ouch grosses an üns geton, dess sind wir frölich.

Herr ker umm ünsere gfencknuss, wie die bech im phönen.

Qui cum lacrymis seminaverant, cum gaudio messuerunt.

Qui ocyus abibat et flens captum semen proiiciebat, iam festinus redit ac laetus manipulos suos reportat.

Die mit trähen säyend, die schnydend mit frolocken.

Der hin gat und weint, duldende das blangen des somens, der kumt mit frolockung, tragende sine garben.

CXXVI.

Solomonis Ode graduum.

Omne auxilium et tutelam esse a Deo.

Nisi Dominus sustineat domum: frustra sudant qui eam sustinere satagunt; et urbem, nisi Dominus custodiat, frustra excubat custos.

Frustra est, si postquam quieveritis quam maturrime surgatis; si dolorum panem ederitis, nisi ille amatis suis somnum concedat.

En isti sunt sors, filii, peculium et nati, Domini.

Velut iacula in manu herois, sic adolescentes filii.

O beatum qui ex eis pharetram suam implevit: non enim pudefient, quum hostem suum in porta alloquentur.

CXXVI.

Das alle hilff und schirm von gott sygind.

Wenn der herr nit das hus buwt, so arbeitend vergeben die daran buwend; wenn der herr nit die statt behüet, so wachet der wechter umm sust.

Es ist üch vergeben früe ufston, so ir gsessen sind, und das hartsälig brot geessen habend. Wie er wil, gibt er sinem geliebten ruow.

Sich das erb des herren ist der kinden, die do sind ein lon der frucht des lybs.

Wie die pfyl in der hand des gwaltigen, also sind die kind der iugenden.

Wol dem man der von denen sine köcher gefüllt hatt; sy werdend nit ze schanden, wenn sy mit iren fygenden im thor redend.

CXXVII.

Ode graduum.

Quae bona sequantur Deum timentes.

O beatos omnes qui Dominum colunt, et in viis eius ambulant.

Sic enim quae labore manuum tuarum paraveris, frueris. O beatum et felicem te!

Uxor tua similis est fecundae viti, quae lateri domus tuae adhaeret.

Filii vero tui velut consitae ex ordine olivae circum mensam tuam.

En hoc modo beatus redditur vir qui Dominum colit.

Sic ditabit te Dominus de Zione, ut felicem videas Hierosolymam per omnem vitam tuam;

CXXVII.

Was guotes denen gegne, die gotzvörchtig sind.

Wol eim ieden der den herren fürcht, der uff sinen wägen wandlet.

So du die arbeit diner henden essen wirst, wol dir, gar guot dir.

Din wyb wirt sin wie ein fruchtbare winreb in dines huses wenden,

Dine kinder wie die ölzwy umm dinen tisch harumm.

Sich das also der man beraten wirt, der den herren fürcht.

Der herr von Zion wirt dich beraten, das du Hierusalem in guotem sehen wirst alle tag dines läbens,

Ut simul videas filios filiorum tuorum et pacem in Israële.

Und sehist dine kinds kinder. Frid über Israel.

CXXVIII.

Ode graduum.

Saepenumero adflictum, sed semper liberatum esse Israëlem.

Saepe oppugnaverunt me a iuventute mea, dicat obsecro Israël!

Saepe oppugnaverunt me a iuventute mea; sed non superaverunt me.

Supra dorsum meum araverunt pro sua libidine, et sulcos suos duxerunt;

Iustus autem Dominus incidit impiorum funes,

Ut confusi retro cesserint omnes qui Zionem odio habent.

Similes facti sunt foeno in tectis, quod, antequam falx stringatur, exaruit,

De quo nec implet manum suam metens, nec sinum in suum manipulos colligens;

Ubi praetereuntes non bene precantur, dicendo: Ditet vos Dominus! bene optamus vobis per nomen Domini.

CXXVIII.

Israel sye oft verkümret aber allweg erlöst.

Sy habend mich offt bestritten von miner iugend uf, lieber also red Israel.

Sy habend mich offt bestritten von miner iugent uf, aber sy habend mich nit übermögen.

Sy habend uff minem ruggen gearen, [1] und ire furhen lang gemacht.

Der grecht herr zerschnydt das band der gotlosen.

Es werdend ze schanden und hindersich gewendt alle die Zion hassend.

Sy werdend wie das höw uffem tach, das verdorret ist ee mans uszücht.

Von welchem der schnitter sin hand nit füllt, noch sin schos der die garben bindt.

Und über die die fürgenden nit sprechend: die beratung des herren sye über üch, wir wünschend üch glück imm namen des herren.

CXXIX.

Ode graduum.

Assidua imploratio pro peccatorum remissione est.

E profundis invoco te, Domine!

Domine, exaudi vocem meam! Sint aures tuae attentae ad vocem querimoniarum mearum.

Commissa enim si imputes Domine, Domine, quis non cadet?

Sed placabilis es, ut te revereamur.

CXXIX.

Ein emsig anrüeffen umm nachlassung der sünd.

Us der tieffe rüeff ich dir herr.

Herr hör min stimm, dine oren merckind uff min klägliche stimm.

Herr wo du uff die misstaten achten wilt, herr wer wirt bston?

Dann by dir ist vergebung, das du gefürcht werdist.

---

[1]) Entweder von arare: gepflügt, oder ein Schreibfehler für: gefaren.

Spes mea Dominus, quo fidit anima mea, et verbo eius fidem habeo.

Anima mea Domino intenta est ab excubiis matutinis usque ad excubias matutinas.

Israël Domino fidat, quoniam multa est apud Dominum tum bonitas, tum libertas.

Ipse enim Israëlem liberat de omnibus peccatis suis.

Ich wart dem herren, min sel wartet, und sinem wort truw ich.

Min sel zum herren, von der wacht am morgen zur wacht am morgen.

Israel hoffe uff den herren, dann bym herren ist gnad und dero vil, by imm ist erlösung.

Und er wirt Israel erlösen von allen sinen misstaten.

CXXX.

David Ode graduum.

Fidelium studium sese in humilitate exercet.

Domine, cor meum non effero neque extollo oculos meos;

Non versor in rebus supra me magnificis aut mirificis.

Sed pono atque compesco animum meum, quemadmodum ablactatus erga matrem suam; animus meus a lacte abstracto similis est.

Israël enim sperat in Dominum hinc usque in sempiternum.

CXXX.

Die glöubigen legend allen flys an, das sy sich in demüetigheit üebind.

Herr min hertz ist nit stoltz, und mine ougen nit hoch,

Ich wandlen nit in hohen dingen noch wundren, die über mich sind.

Hab ich nit min sel gstillet und gschweigt wie ein entwendt kind by siner muoter? Min sel ist gegen mir wie ein entwendt kind.

Israel warte uff den herren ietz und ewiklich.

CXXXI.

Ode graduum.

Deliberatio super aedificatione templi est, iuncta divini seminis ac regni eius promissione, cuius priscum templum typus fuit.

Memor esto Domine Davidis cum omnibus adflictionibus eius,

Ut iuraverit ac voverit Domino atque heroi Iacobi:

Non ingrediar, inquiens, in tabernaculum domus meae, neque ascendam cubile lecti mei;

Non indulgebo somnum oculis meis, neque palpebris meis soporem;

Donec parem locum Domino et tabernaculum Heroi Iacobi.

Eum ecce locum audivimus in Ephrata, reperimus in regione saltuosa.

CXXXI.

Das erwegen den tempel zbuwen, mit offnung des verheissens des säligen somens und rychs.

Gedenck herr dem David aller siner müey.

Der dem herren gschworn hatt, und globt dem starcken gott Iacobs.

Gang ich in die hütten mines huses, styg ich uff das läger mines bettes.

Gib ich minen ougen schlaff, oder minen ougliden entnucken.

Bis das ich ein statt find dem herren, wonungen dem starcken gott Iacobs.

Sich wir habend sy ghört in Ephratha, wir habend sy funden im glend des walds.

Introeamus ergo in tabernacula, eius! adoremus scabellum pedum eius!

Surge Domine ad mansionem tuam, tu et arca fortitudinis tuae.

Sacerdotes tui induant iustitiam, et sancti tui exultent.

Propter Davidem servum tuum ne differas adventum Christi tui!

Iuravit enim Dominus ipsi Davidi ex fide, quod non mutabit: De semine ventris tui ponam in solium tuum.

Si custodient filii tui foedus meum, et contestationes meas, quas docebo eos, iam et filii eorum in perpetuum in solio tuo sedebunt.

Dominus enim elegit Zionem; elegit eam sibi in domicilium.

Haec, inquiens, requies mea erit in perpetuum; hic habitabo, quoniam delector ea.

Annonam illius amplificabo, et pauperes eius saturabo panibus.

Sacerdotes illius induam salute, et sancti eius incessanter exultabunt.

Isthic progerminabo cornu ipsi Davidi, et lucernam Christo meo comparabo.

Hostes eius amiciam confusione; super ipso autem florebit corona eius.

Wir wellend in syne wonungen gon, wir wellend ambätten bym schemel syner füessen.

Stand uf herr zuo diner ruow, du und die ark diner stercke.

Dine priester legind grechtigheit an, und dine heligen frolockind.

Umm David dines knechts willen, wend nit ab das angsicht dines gsalbeten.

Der herr hatt Daviden warlich gschworn, davon wirt er nit wychen: von der frucht dines lybs wil ich uff dinen stuol setzen.

Werdend dine kind minen pundt halten, und min zügnus die ich sy leren wil, so werdend ouch ire kinder für und für uff dinem stuol sitzen.

Dann der herr hatt Zion erwelt, er begert ir zuo siner wonung.

Dis ist min ruow für und für, hie wil ich wonen, dann ich hab ir begert.

Ich wil sy mit narung wol beraten, und ire armen mit spys settigen.

Und ire priester wil ich mit heil kleiden, und ire heligen werdend träffenlich frölich sin.

Da selbend wil ich das horn Davids harfür bringen, ich habs zuo einr kertzen minem gesalbeten zuo gerüst.

Sine fygend wil ich mit schanden kleiden, aber uff imm wirt sin kron blüeyen.

CXXXII.

Davidi Ode graduum.

Caritate nihil esse antiquius.

En quam honesta et iucunda res est, quum fratres unanimiter cohabitant.

Perinde est ac dum pretiosum unguentum in caput et barbam Aaronis funditur, ut ad oram vestimenti eius descendat;

CXXXII.

Nütz ist kostlicher denn die liebe.

Sich wie guot und lieplich ists, das brüeder by einander wonend.

Wie das kostlich salb das harab gat in den bart Aharon, das harab gat bis an sin kleid.

Sicut ros Hermonis qui descendit in montes Zionis.

Isthic enim promisit Dominus, abundantiam et vitam fore usque in sempiternum.

Wie das tow Hermon das harab gat uf die berg Zion;

Dann da hatt der herr allen rat gebotten, und leben immer und ewklich.

CXXXIII.

Ode graduum.

Exhortatio excubiarum ad laudem Dei.

En vos omnes servi Domini, qui nocte stationem servatis domi Domini, laudate Dominum!

Sublatis in sanctuario manibus vestris laudate Dominum!

Et ditabit vos Dominus de Zione, qui fecit coelos et terram.

CXXXIII.

Es ist ein ermanung zuo gottes lob. in vigilgen beschehen.

Sich, lobend den herren alle diener des herren, die nachts stond imm hus des herren.

Hebend üwer hend uf im heligtuom, und lobend den herren.

So wirt dich der herr von Zion segnen, der himel und erden gmacht hatt.

CXXXIV.

הללויה.

Laus publica unius ac veri Dei.

Laudate servi Domini, laudate nomen Domini!

Qui ministratis domi Domini, in atriis templi Dei nostri,

Laudate Dominum, quia bonus est Dominus! psallite nomini eius, quia iucundum est!

Dominus enim elegit sibi Iacobum, et Israëlem in peculium suum.

Quoniam ipse scio quod magnus est Dominus, et Dominus noster super omnes deos.

Quicquid Domino placuit fecit quum in coelo et terra, tum in mari atque omnibus abyssis.

Adducit nubes a finibus terrae, fulgura vertit in pluviam et ventos de loculo suo profert,

Qui percussit Aegypti primogenita tam hominum quam pecorum;

Misit signa et portenta in medium tui, o Aegypte, in Pharaonem et in omnes servos eius;

CXXXIV.

Es ist ein gemein lob der kilchen.

Lobend den namen des herren, lobend ir knecht des herren.

Ir die do stond in dem hus des herren, in den höfen des huses ünsers gots.

Lobend den herren, dann der herr ist guot; lobsingend synem namen, dann er ist lieplich.

Dann der herr hatt imm Iacob erwellt, Israel zuo sym eigentuom.

Dann ich weis das der herr gross ist, das ünser herr grösser ist denn alle gött.

Alles das der herr wil tuot er, in himel und in erd, im meer und allen tieffinen.

Er erhebt die wolcken von end der erd, er macht die blitzgen zuo regen, er füert die wind us irem ghalter.

Er schluog die erstgebornen in Egypten von lüt und veh.

Er sandt zeichen und wunder in dich o Egyptenland, über Pharaon und alle sine diener.

Qui percussit gentes magnas, et occidit reges fortes,

Der vil völcker schluog, und todt mechtig küng.

Sihonem Amorrhaeorum, Ogum regem Basanis, et omnia regna Chanaanaeorum,

Sihon den Amoreischen küng, und Og den küng Baschan, und alle küngrych Chanaan.

Et tradidit terram ipsorum in possessionem et hereditatem Israëli populo suo.

Und gab ir land zuo eim erb, zuo eim erb Israel sinem volck.

Domine! nomen tuum sempiternum est; Domine! memoria tui ad omnem posteritatem pervenit.

Herr din nam ist ewig, herr din gedechtnus wäret von gschlecht ze gschlecht.

Dominus enim vindicat populum suum, et cum servis suis redit in gratiam.

Dann der herr richt sin volck, und macht sich gnädig über sine diener.

Idola gentium argentum et aurum sunt et opus manuum humanarum.

Der heiden götzen sind silber und gold, werck der menschen henden.

Os illis est, sed non loquuntur; oculi quoque, sed non vident.

Sy habend münd und redend nit, ougen und sehend nit.

Aures habent, sed non audiunt; nares quoque, sed nullus est spiritus in ore ipsorum.

Sy habend oren und hörend nit, und ist ghein atem in irem mund.

Pares illis sunt qui ea faciunt, et omnes qui illis fidunt.

Wie sy sind also sind ouch die sy machend, und alle die in sy truwend.

Tu vero, domus Israël, collauda Dominum, domus Aaronis collauda Dominum!

Hus Israel lobend den herren, hus Aharons lobend den herren.

Domus Levi collauda Dominum! qui colitis Dominum, collaudate Dominum!

Hus Levi lobend den herren, ir die den herren fürchtend lobend den herren.

Collaudatus Dominus de Zione, qui habitat Hierosolymis! Laudate Dominum!

Gelobt sye der herr von Zion, der zuo Hierusalem wonet. Halleluiah.

CXXXV.

Publica gratiarum actio.

Es ist ein gemeine dancksagung.

Gratias agite Domino, quoniam bonus et sempiterna est misericordia eius.

Danckend dem herren dann er ist güetig. Dann sin güete wäret ewklich.

Gratias agite Deo deorum, quoniam sempiterna est misericordia eius.

Danckend dem gott aller götten. Dann etc.

Gratias agite Domino dominorum, quoniam etc.

Danckend dem herren aller herren. Dann etc.

Qui solus facit portenta grandia, quoniam etc.

Der grosse wunder allein tuot. Dann etc.

Qui coelos fecit cum ratione, quoniam sempiterna est misericordia eius.	Der die himel mit vernunft gmacht hatt. Dann sin güete wäret ewklich.
Qui terram super aquas expandit, quoniam etc.	Der die erd übers wasser ustennt hatt. Dann etc.
Qui luminaria magna fecit, quoniam sempiterna est misericordia eius.	Der die grossen liechter gmacht hatt. Dann etc.
Solem ut praesit diei, quoniam sempiterna est misericordia eius.	Die sunnen, das sy im tag herschete. Dann etc.
Lunam vero ac stellas ut praesint nocti, quoniam sempiterna est misericordia eius.	Den mon und die sternen das sy nachts herschtind. Dann etc.
Qui percussit Aegyptum cum primogenitis suis, quoniam etc.	Der Egypten ir erstgebornen erschluog. Dann etc.
Et Israëlem eduxit de medio eorum, quoniam etc.	Und fuort Israel von inen us. Dann etc.
Manu forti et brachio extento, quoniam etc.	Mit starcher hand und usgestrecktem arm. Dann etc.
Qui divisit mare rubrum in partes, quoniam etc.	Der das root meer zerteilt. Dann etc.
Et traduxit Israëlem per medium eius, quoniam etc.	Und fuort Israel durch es. Dann etc.
Pharaonem autem cum exercitu suo involvit in mari rubro, quoniam etc.	Und verschlooss Pharaon und sin macht im roten meer. Dann etc.
Qui duxit populum suum in deserto, quoniam etc.	Der sin volck in der wüeste fuort. Dann etc.
Qui percussit reges magnos, quoniam etc.	Der grosse küng schluog. Dann etc.
Et occidit reges fortes, quoniam etc.	Und todt mechtig küng. Dann etc.
Sihonem regem Amorrhaeorum, quoniam etc.	Syhon den Amorreyschen küng. Dann etc.
Et Ogum regem Basanis, quoniam etc.	Und Og den küng zuo Baschan. Dann etc.
Et tradidit terram eorum in possessionem, quoniam etc.	Und gab ir land zuo eim erb. Dann etc.
In possessionem Israëli servo suo, quoniam etc.	Zuo eim erb sinem knecht Israel. Dann etc.
Qui cum deiecti iacemus, nostri memor est, quoniam etc.	Der ünser yndenck was in ünser nidrung. Dann etc.
Et redimit nos de hostibus nostris, quoniam etc.	Und erlost üns von ünseren beleidigern. Dann etc.
Qui cibat omne animal, quoniam etc.	Der allem fleisch spys gibt. Dann etc.
Gratias agite Deo coelorum, quoniam etc.	Danckend dem gott der himmlen. Dann sin güete wäret ewklich.

CXXXVI.

Planctus captivorum in Babylonia cum comminatione vindictae Dei.

Ad Babylonis flumina habitavimus et flevimus, quum in memoriam rediret nobis Zion.

Isthic suspenderamus ad salices citharas nostras;

quumque requirerent a nobis, quorum captivi eramus, carmina, et hymnos nostros gratulatorios: Canite nobis de carminibus Zion! *respondimus*:

Quo pacto cantaremus carmen Domini in terra peregrina?

Quamvis dextera mea mihi prius in oblivionem ventura sit, quam Hierosolymae obliviscar.

Adhaerescat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non primam fecero Hierosolymam, quum gavisus fuero.

Sed memoria repete Domine Idumaeos, ut egerint in calamitate cum Hierosolyma; ut dixerint: Evertite et excindite eam a fundamentis!

Tu quoque Babylon misera eris. O felicem qui tibi reddet pro dignitate, quae in nos ausa fuisti!

O felicem, qui corripiet et allidet infantes tuos ad petram!

CXXXVI.

Es [ist] ein klag der gfangnen zuo Babel, mit tröwung der rach gottes.

An den wassren Babels sassend wir und weintend, do wir an Zion dachtend.

(An die wyden die da sind hattend wir ünsere harpfen ghenckt.)

Dann da hieschend von üns, die üns gfangen hattend, die wort des gsangs; und die üns hülen machtend, fröid: singend üns vom gsang Zion.

Wie möchtind wir das gsang des herren singen in eim frömden land?

Vergiss ich din Ierusalem, so werd miner grechten hand vergessen.

Es klebt min zung an minem rachen, wenn ich dyn nit yndenck bin, wenn ich Ierusalem nit zum höchsten houpt miner fröid hab.

Gedenck herr der sünen Edom am tag Ierusalem, die do sprachend: machends us machends us bis uff iren grundboden.

O Babel du schädliche dochter, wol dem der dir widergelten wirt, das widergelt das du uns geton hast.

Wol dem der dine kinder nemen und am felsen zerschlahen wirt.

CXXXVII.

Davidis.

Gratiarum actio pro quotidianis beneficiis.

Gratias agam tibi ex toto corde meo, et inter summos canam te.

Adorabo ad templum tuum sanctum, et celebrabo nomen tuum, aeque bonitatem ac fidem tuam: eloquium enim tuum secundum nomen tuum magnificas.

Quum invoco, respondes, et animam meam robore locupletas.

CXXXVII.

Es ist ein dancksagung umm tägliche guotat.

Ich bekenn dich herr von gantzem hertzen, ich wil dir lobsingen vor den gwaltigen.

Ich wil anbätten in dym heligen tempel, und dancksagen dinem namen umm din güete und trüw, dann du hast din wort grooss gemacht über allen dinen namen.

Welchs tags ich dich anrüeff erhörstu mich, und gibst miner sel vil stercke.

Celebrabunt te Domine universi reges terrae, quum audient verba oris tui,

et cantabunt iuxta ritum Domini, quoniam ingens est maiestas Domini.

Sublimis enim quum sit Dominus, tamen ima videt et elata eminus cognoscit.

Si ambulem in media tribulatione, reficis me; in ferociam hostium meorum mittis manum tuam et salvas me dextera tua.

Dominus undique perficit me. Domine, bonitas tua sempiterna est; opera igitur manuum tuarum ne sinas labi!

Es danckind [1] dir herr alle küng der erden, dann [2] sy habend die wort dines munds gehört.

Und singind uff den wegen des herren, dann die er des herren ist grooss.

Dann der herr ist hoch und sicht das nider, und sicht die stöltze von ferrnus.

So ich glych in mitz des trüebsals wandel, so fristestu mich, und sendst din hand uff den zorn miner fygenden, und din rechte hilfft mir.

Der herr machts für mich us. Herr din güete wäret ewklich, verlass die werck diner henden nit.

CXXXVIII.

Davidi adhortatorii generis Ode.

Perspicacia divinae sapientiae describitur ac bonitas, iuncta precatione adversus impium.

Domine tu pervestigas et perspectum habes me.

Tu scis ut sedeam et surgam; tu prospicis victui meo de longinquo.

Iter meum et accubitum meum dispensas, et vides omnes vias meas.

Quin ne verbulum quidem ullum est in lingua mea, quod en tu Domine non pernoveris.

A fronte et a tergo finxisti me, admota manu tua,

Arte denique mirabiliore ac sublimiore quam ego scire aut assequi possim.

Quo abirem a spiritu tuo? aut a facie tua quo fugerem?

Si ad coelos perrexero, isthic es; si ad inferos decurrero, ecce non abes.

CXXXVIII.

Er beschrybt die götlichen wysheit, das die alle ding sicht, und güete, mit einer pitt wider die gotloosen.

Herr du erfüntelest mich und kennst mich.

Du kennst min sitzen und min ufston, du verstaast mine gedancken von ferrem.

Minen gang und min ligen ummgibstu, und allen minen weg dursichstu.

Dann es ist nit ein wort uff miner zungen, sich herr du kennists gar.

Hinden und fornen hastu mich gmacht, und haltest din hand ob mir.

Die wunderbarlich kunst ist über mich, sy ist mir ze starck, ich mag ir nit zuo.

War möcht ich gon von dinem geist, und war möcht ich von dym angsicht endrünnen?

Füer ich ze himmel bistu da, und lüff ich zhell sich so bistu da.

---

[1]) Oder: bekennind. [2]) Oder: so.

Si aurorae alas mihi sumsero, et habitavero in ultimis pelagi finibus:	Nem ich flügel der morgenröte, und wonete ze usserist des mers.
Etiam isthic praeest mihi manus tua, et dextera tua tenet me.	So wurd mich din hand da selbst ouch leiten, und din grechte mich halten.
Et quum sic mecum statuo: forsan tenebrae abscondent me; nox ergo lux mea sit:	Nem ich mir für die finsternuss wurd mich decken, so ist die nacht by mir zum liecht worden.
Iam neque tenebrae sic tenebrescunt ut non perspicias, sed nox diei instar lucet; perinde sunt lux et tenebrae.	Dann finsternuss ist nit finsternuss vor dir, sunder die nacht schynt wie der tag, finsternus und liecht ist glych.
Tu enim possides renes meos; tu involvisti me in utero matris meae.	Dann mine nieren sind din eigen, du beschirmst mich in muoter lyb.
Gratias ago tibi, quoniam mirifice plasmatus sum; mirabilia sunt opera tua, quod mens mea vehementer agnoscit.	Ich bekenn dirs das ich wunderbarlich gemacht bin; dine werck sind wunderbar, und das erkennt min sel vast wol.
Non latent te ossa mea, quantumvis in abdito factus sum et infra humi contextus.	Min gbein ist dir nit verborgen, drumm das ich verborgenlich gmacht bin, und bieniden uff erd gestaltet bin.
Errores meos inspiciunt oculi tui, et in libro tuo cuncti scribuntur; dies mei formati sunt quum nondum aliquis ex eis esset.	Dine ougen habend min torheit gsehen, und wurdend all in din buoch gschriben; die tag wurdend gstaltet, do iro noch nit einer was.
Mihi vero quam pretiosi sunt amici tui, Deus? quantus est capitum ipsorum numerus?	Wie sind aber dine fründ mir so kostlich o gott, wie ist ir summ so starck?
Quum recensere pergo, arenam superant. Expergefactus adhuc tecum sum.	Wil ich sy zellen, so ist ir me denn sands; ich bin erwachet, und bin noch by dir.
Num occides Deus peccatores, ut scelerati homines recedant a me?	Wiltu nit herr den gotlosen töden, da mit die bluotdürstigen von mir wychind?
Qui per audaciam tibi rebellant, hostes tui qui temere elevantur.	Die dir schantlich [1] zuo redend, dine fygend erhebend sich frävenlich.
Nonne osores tuos odi, Domine, et in hostes tuos excandeo?	Ists nit herr das ich hass die dich hassend? und wird entricht wider die über dich ufwütschend?
Summo odio prosequor illos, quo et hostes mei facti sunt.	Ich hass sy mit allem hass, dess sind sy mine fygend worden.
Explora me Deus, et pernosce cor meum! proba me et scito cogitationes meas!	Erfüntel mich herr und kenn min hertz, ersuoch mich und kenn mine dancken.

1) Oder: lasterlich.

Et si vides mihi viam laboriosam adesse, reducito me in viam sempiternam.

CXXXIX.

Davidi adhortatorii generis Ode.

Orat ut Deus a maledicis ac insidiatoribus liberet, finem asperum impiis, laetum bonis promittens.

Libera me Domine ab homine maligno, a viro violento custodi me!

Qui prava consilia capiunt in corde, omni tempore bella concinnant;

Linguam suam instar serpentis acuunt; aspidis venenum intra labia sua alunt. סלה.

Serva me Domine de manu impii, ab homine violento custodi me, qui cogitant gressum meum invertere.

Superbi enim absconderunt mihi laqueum; funibus tetenderunt mihi rete, et qua parte iter agendum est mihi, offendicula posuerunt. סלה.

Dico igitur Domino: Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meae!

Esto Domine salutare robur meum; tege caput meum tempore armorum!

Ne impendas Domine desideriis impii; conatus eius ne perficias, quo minus elevetur! סלה.

Labor consiliorum ipsorum obruat caput eorum, qui me circumveniunt!

Cadant in eos prunae; in ignem ac foveam deiiciantur ut nequeant resurgere!

Vir loquax ne constet in terra! virum violentum ac malum venentur ad interitum!

Und sich ob ein müelicher weg in mir sye, und füer mich am weg für und für.

CXXXIX.

Er bitt das gott von den schwätzeren und ufsätzigen erlöse, zeigt den bösen ein schwärs, den frommen ein guot end an.

Erlös mich herr von den bösen menschen, von den fräfnen menneren behüet mich.

Die böss trachtend imm hertzen, täglich merend sy die krieg.

Sy scherpfend ire zungen wie ein schlang, natren gift ist under iren leftzen. סלה.

Behüet mich herr von der hand des gotlosen, von fräfnen menneren bewar mich, die do trachtend minen gang uszeschlahen.

Die hochfertigen legend mir strick, und habend das netz mit seylen ufgespannt, ann weg habend sy mir anstöss gelegt. סלה.

Aber ich sag zum herren: min gott bistu, erhör herr min klägliche stimm.

O herr gott du stercke mines heils, du deckst min houpt zuo der zyt des kriegs.

Nit gib herr die begird des gotlosen, sin bosheit füer nit us, sy wurdind sichs erheben. סלה.

Das ist s'höchst dero die mich ummgebend, die müey irer leftzen wirt sy decken. [1]

Es werdend kolen uff sy vallen, man wirt sy ins fhür werffen, ind gruoben das sy nit werdend ufston.

Ein schwätzer wirt uff erden nit richtig sin, ein böser wirt inn iagen ummzebringen.

---

[1]) Oder: Das houpt dero die mich ummgebend, die wirt die müey irer leftzen decken.

Scio enim te Dominum facere iudicium adflicto, et pauperes vindicare.

Veruntamen iusti celebrabunt nomen tuum, et recti cum vultu tuo ambulabunt.

CXL.

Ode Davidis.

Orat ut os suum custodiatur, et in contubernium impiorum ne incidat, neque in illorum manus.

Domine te invoco: propera ad me, attende voci meae dum clamo ad te!

Sit oratio mea incensum coram te, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum!

Pone Domine custodiam ad os meum, et excubias ad ianuam labiorum meorum!

Non patere cor meum labi ad rem malam, ut consilium ineat vel cum impio vel cum hominibus sceleratis, et ne fruar deliciis ipsorum!

Verberet me iustus et gratum faciet; corripiat me et unguentum capiti meo infundet neque turbabit caput meum, sed adhuc pro malis istorum orabo.

Offendebant ad petram iudices eorum, sed adhuc auscultabant verbis meis, quoniam laeta erant eis.

Ossa nostra dispersa iacent coram fovea, perinde ac dum quis terram discindit ac perfodit.

Sed ad te Domine Deus meus intenti sunt oculi mei, te fido, ne haurias animam meam.

Serva me laqueo quem expanderunt mihi, et ab offendiculis scelerate agentium!

Incidant in retia sua impii, donec ego interim praeteream!

Ich weiss das der herr den verkümreten rechen wirt, und dem armen richten.

Und werdend die grechten dinem namen bekennen, und die ufrechten by dinem angsicht wandlen.

CXL.

Er bitt das sin mund behüet werd, das er in die gsellschaft der gotlosen nit köm noch in iren gwalt.

Herr ich rüeff zuo dir, yl mir, erhör min stimm, so ich dich anrüeff.

Min gebätt werde für din angsicht gerüst wie das gröuch, min ufheben der henden sye ein abent opfer.

Setz herr minem mund ein huot, und ein bewarnus an die tür miner leftzen.

Nit neyg min hertz zuo bösem ding, das ich gotlose dancken trachte mit den übeltäteren, und das ich nit esse das inen gfallt.

Schlahe mich der grecht, so wil ichs für ein gnad haben; er bschälte mich, wil ichs für öl minem houpt haben; es wirt min houpt nit betrüeben, sunder min gbett wirt für und für ob irem bösen sin.

Ire richter sind abgewendt bym felsen, darumm werdend sy mine wort hören, dann sy werdend inen lustig sin.

Wie einer die erd spallt und zerschnydt, also sind ünsere gbein zerströwt vor der gruob.

Dann uff dich herr gott sind mine ougen, ich hoff uff dich, nit emblötz min sel.

Behüet mich vor dem strick den sy mir gelegt habend, und vor dem fang der übeltätern.

In iren netzen vallind die gottlosen mit ein ander, ich blybe bis ich hinvar.

CXLI.

Davidi admonitoria, quum esset in spelunca, oratio. [1]

Oratio est in angustia constituti.

Voce mea ad Dominum clamo; Domino voce mea supplico.

Effundo coram ipso querimoniam meam, et tribulationem meam ante ipsum expono,

Dum animus meus desperationi proximus est: tibi enim perspectum est iter meum. Ad semitam istam, qua incedo, absconderunt mihi laqueum.

Considera dexteram meam et inspice; et non invenies ex notis meis quenquam. Ereptum est mihi effugium, nec est qui de vita mea sit sollicitus.

Ad te igitur clamo Domine ac dico: Tu es spes mea, et portio mea in terra viventium.

Attende supplicationi meae, quoniam vehementer exhaustus sum! libera me de persecutoribus meis, quoniam praevalent mihi!

Educ e nervo animam meam ut nomen tuum celebrem; quod si mihi dones, iusti sociabunt se mihi.

CXLI.

Es ist ein gebätt einess der in engsten was.

Ich schree mit miner stimm zum herren, mit miner stimm klagt ich bim herren.

Ich schutt min red vor imm us, und min not offnet ich vor imm.

Do min geist in engsten was. Du weist minen weg; an den fuosspfadt den ich wandel habend sy mir strick gelegt.

Bsich zur grechten und luog, so ist gheiner der mich kenn; die flucht ist mir genomen, nieman fragt miner seel nach.

Ich schry zuo dir herr, und gedenck: du bist min hoffnung, min teil im land der läbenden.

Merck uff min klag, dann ich bin träffenlich blöd; erlös mich von minen vervolgeren, dann sy sind mir ze starck.

Füer min sel us der gfencknus, das ich dinem namen bekenne; da werdend die grechten umm mich syn, so du mir das guote tuon wirst.

CXLII.

Ode Davidi.

Oratio in angustia constituti.

Audi Domine orationem meam; percipe supplicationem meam; per veritatem ac iustitiam tuam opem fer mihi!

Nec tamen ineas iudicium cum servo tuo! te enim adcusatore nemo mortalium absolvitur.

Quoniam imminet hostis vitae meae, humi vitam meam conculca-

CXLII.

Es ist ein gbätt in engsten.

Hör herr min gebätt, vernim min klag, gib mir antwurt, by diner trüw und by diner grechtigheit.

Und gang nit zgricht mit dinem knecht, dann vor dir ist gheiner grecht der do läbt.

Dann der fygend durächtet min seel, er schlecht min läben zboden,

[1]) Iuvabit legisse 1. Regum 22. 23. 24. Censura: non esse Davidis sicut et praecedentem, sed aemuli alicuius, sicut et multi alii.

turus et locaturus me in tenebras perpetuo mortuorum.

Hinc fit ut incerta sit in me mens mea, et cor meum intra me desperabundum.

Memini tamen prisci temporis; recolo universa opera tua et facturam manuum tuarum repeto.

Expando ad te manus meas; anima mea e terra siticulosa ad te clamat. סלה.

Accelera Domine, ut auxilium mihi adferas! deficit enim spiritus meus. Ne abscondas vultum tuum a me, quo minus par fiam his qui in sepulcrum demigrant.

Ocyus adnuncia mihi bonitatem tuam! te enim fido; notam fac mihi viam qua incedam! ad te enim mentem meam dirigo.

Libera me de hostibus meis Domine! nam ad te confugio.

Doce me operari quod tibi placitum est! tu enim es Deus meus.

Spiritus tuus benignus deducat me in terram innocentiae!

Refice me Domine propter nomen tuum, et per iustitiam tuam educ de angustia animam meam!

Et per bonitatem tuam dissipa hostes meos, et perde omnes qui contristant animam meam! Ego enim servus tuus sum.

er setzt mich ind finsternuss wie die ewklich tod sind.

Darumm engstet sich min geist in mir, min hertz ist in mir zerstört.

Ich gedenck an die vorigen zyt, und btrachten alle dine taten, und red die werck diner henden.

Ich streck mine hend zuo dir, min seel ist gegen dir wie ein dürr erdrich. סלה.

Il herr gib mir antwurt, min geist nimpt ab; nit verbirg din angsicht vor mir, oder ich wird denen glych die ind gruob varend.

Tuo mir din güete früey kund, dann ich hoff uff dich; ler mich den weg den ich wandle, dann ich erheb min seel zuo dir.

Erlös mich herr von minen fyenden, ich flüch zuo dir.

Ler mich tuon das dir gevall, dann du bist min gott;

Din guoter geist füere mich recht uff erd.

Herr mach mich läbendig umm dynes namens willen, umm diner grechtigheit willen füer min sel uss not.

Und zerstör umm diner güete willen mine fygend, und bring umm alle die min sel betrüebend, dann ich din diener bin.

CXLIII.

David.

Gratiarum actio et oratio est, ut Deus ab hostibus liberet, et ad vitam necessaria suppeditet.

Gratiae Domino, refugio meo, qui instruit manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum.

Expectatio mea, munimentum meum, arx mea, redemtor meus, scutum meum quo fido, qui regit populum mihi subiectum!

CXLIII.

Es ist ein dancksagung und ein pitt, das gott von den fygenden bhüeten und narung geben well.

Hochgelobt syestu herr du min fels, der mine hend lerst kriegen, und mine finger stryten.

Min güete und min wery, min schirm und min erretter, min schiltt in den ich hoff, der min volck under mir schirmt.

Domine, quis tandem est homo quod eum agnoscis; aut filius hominis quod ipsum reputas?

Homo nihilo similis est; dies eius sunt velut praeteriens umbra.

Domine, quum coelos tuos inflectis ac descendis; quum tangis montes, et fumant.

Quum fulgure coruscas, dissipas eos; mittis iacula tua, et perdis eos.

Mitte ergo manum tuam de alto! libera et eripe me de immensis fluctibus, de vi alienorum!

Quorum os vana loquitur; dextera autem eorum fallax est.

Ut cantem tibi Deus carmen novum, ut psallam tibi barbito decachordo.

Qui reges salute donas, qui liberasti Davidem servum tuum a gladii periculo,

Erue et libera me de manu alienorum, quorum os vana loquitur, et dextera eorum fallax est.

Ut filii nostri a teneris instar plantarum adolescant, filiae nostrae velut politae in templo columnae niteant.

Penuaria nostra plena sint, ac omnigenis rebus redundent; greges autem nostri in villis nostris in millia ac centena millia sobolescant!

Boves nostri sint ad laborem validi, nulla sit ruina, nullum vitium, querimonia nulla in plateis nostris!

O felicem populum, cuius res ad hunc modum habent! o felicem populum, cuius Dominus est Deus.

Herr was ist der mensch das du inn erkennst, oder das menschen kind das du sin achtest?

Der mensch ist grad wie nüt, sine tag gond hin wie der schatt.

Herr neigstu die himel und kumpst herab, rüerstu die berg an das sy rüchend,

Blitzgist, so zerströwstu sy; schüssestu dine pfyl, so bringstu si umm.

Send din hand von der höhe, errett und erlös mich von den grossen wassren, von der hand der frömden sünen.

Dero mund unnütz redt, und ir rechte ist ein rechte der luge.

So wil ich dir o gott ein nüws gsang singen, ich wil dir uff der harpfen von zehen seyten singen.

Der den küngen heil gibst, der Daviden dinen knecht vom bösen schwert erlö[s]st.

Errett und erlös mich von der hand der frömden sünen, die unnütz mit irem mund redend, und dero grechte ein grechte der luge ist.

Das ünsere sün ufwachsind in irer iugend wie die zwy, ünsere dochtren sygind wie die gehownen egg eins palasts.

Uensere winckel voll sygind, harfürgebind von einer spys zur andren; ünsere schaaff uff ünseren göwen dussen ztusenden und hundertusenden gberind.

Das ünsere ochsen arbeitsam sygind, das ghein lucken noch usgang sye, noch gschrey an ünseren gassen.

Wol dem volck umm das es also stat, wol dem volck dess gott der herr ist.

CXLIV.

Davidis collaudatio.

Collaudatur Deus ab omnipotentia, bonitate, providentia et iustitia.

Eveham te Deus et rex meus, laudabo nomen tuum in perpetuum, et si quid ultra est.

CXLIV.

Es ist ein lob uff die allmechtigkeit, güete und grechtigkeit gottes.

O gott min küng ich wil dich erhöhen, und dinen namen loben immer und ewklich.

Omni tempore celebrabo te, et laudabo nomen tuum in perpetuum, et si quid ultra est.

Täglich wil ich dir dancken, und dinen namen brysen ümmer und ewklich.

Magnus est Dominus, et supra omnem laudem, neque magnitudo eius pervestigari potest.

Der herr ist grooss und vast loblich, und sin grösse mag nieman ergründen.

Posteritas posteritati commendabit opera tua, et potentiam tuam enunciabunt.

Es wirt ein gschlecht dem andren dine werck brysen, und din macht erzellen.

Honorem, amplitudinem, magnificentiam et res tuas memorabiles eloquar.

Din zier eer lob und wort diner wundren wil ich uskünden.

Vis miraculorum tuorum praedicabitur a me, et magnitudinem tuam narrabo.

Man wirt von der krafft diner wundren sagen, und din grösse wil ich erzellen.

Memoria immensae bonitatis tuae celebrabitur, et iustitia tua cantabitur.

Man wirt die gedechtnus diner güete ussprechen, und din grechtigheit brysen.

Mitis et misericors est Dominus, tardus ad iram et ad ignoscendum propensus.

Der herr ist barmhertzig und gnädig, langsam zuo zorn und grosser güete.

Benignus est universis Dominus, et misericordia sua utitur erga omnia opera sua.

Der herr ist güetig gegen allen, und sin gnad gegen allen sinen wercken.

Celebrant igitur te Domine cuncta opera tua, et sancti tui gratias tibi agunt.

Herr es bekennind dich alle dine werck, und dine heligen lobind dich.

Gloriam regni tui praedicant et potentiam tuam loquuntur,

Sy sagind die eer dines rychs, und redind von diner macht.

ut adnuncient filiis hominum potentiam tuam, amplitudinem quoque ac splendorem regni tui.

Da mit sy den menschen kinden kund machind din macht, ouch die er und zier dines rychs.

Regnum tuum regnum omnium seculorum est, et imperium tuum ad omnes posteritates.

Din rych ist ein rych in ewig zyt, und din herschaft von gschlecht zuo gschlecht.

Fulcit Dominus omnes qui casuri sunt, et erigit omnes collapsos.

Der herr hebt alle die do vallend, und richt uf die nidertruckten.

Omnium oculi te expectant, et tu das eis suum suo cibum tempore;

Uff dich sehend alle ougen, und du gibst inen ir spys zuo siner zyt.

Aperis manum tuam, et saturas abunde omne animal.

Du tuost din hand uf, und ersettigest alles das lebt rychlich.

Iustus est Dominus in omnibus viis suis, et in cunctis operibus suis sanctus.

Der herr ist grecht in allen sinen wegen, und helig in allen sinen wercken.

Dominus adest omnibus qui ipsum invocant, dummodo invocant ex fide.

Der herr ist nach allen die inn anrüeffend, allen die inn mit trüwen anrüeffend.

Desiderium sese reverentium implet, clamorem eorum exaudit et opem fert eis.

Dominus tuetur omnes qui se amant, impios autem dissipat omnes.

Laudem Domini disserat os meum, et omne vivens celebret nomen eius sanctum in perpetuum, et si quid ultra est!

Er tuot den willen deren die inn fürchtend, er hört ir gschrey und kumpt inen zhilff.

Der herr bhüet alle die inn liebhabend, und wirt alle gotlosen verdillggen.

Min mund wirt des herren lob sagen, und wirt alles fleisch sinen heligen namen loben ymmer und ewklich.

CXLV.

הללויה.

Solum Deum esse quo fidendum sit.

Lauda Dominum, anime mi!

Laudabo Dominum dum vivam, psallam Deo meo quamdiu ero.

Nolite principibus fidere, aut quoquam hominum, in quibus non est salus.

Ab homine enim quum abit spiritus eius, redit ad terram suam; tunc pereunt universae cogitationes eius.

O felicem cuius robur est Deus Iacobi, cuius spes est ad Dominum Deum suum!

Qui coelos, terram ac mare condidit, et quicquid in eis est; qui fidem in perpetuum servat,

Qui iudicium facit vim patientibus, qui esurientibus cibum tribuit — ad Dominum qui vinctos solvit,

Dominum qui caecos illuminat, collapsos erigit; ad Dominum qui iustos amat,

Qui fovet advenas, orphanum et viduam defendit, viam autem impiorum damnat.

Dominus Deus tuus, o Zion, regnat in perpetuum per omnem posteritatem. הללויה.

CXLV.

Das gott allein der sye, an den man sich lassen söll.

Lob den herren min sel.

Ich wil den herren loben min läben lang, und minem gott lobsingen die wil ich bin.

Nit hoffend uff die fürsten, uff des menschen kind, by dem ghein heil ist.

So sin geist us gat, und er sich widrumm zuo siner erd kert, [1] zur selben zyt kumend sin anschleg umm.

Wol dem des hilff der gott Iacobs ist, der do hofft in den herren sinen gott.

Der himel und erden gmacht hatt, das meer und alles das in inen ist, der trüw ewklich halt.

Der recht haltt dem der gwalt lydet, der den hungrigen spys gibt, der herr lösst die gfangnen.

Der herr erlücht die blinden, der herr richt uf die nidertruckten, der herr hatt die grechten lieb.

Der herr bhüet die frömdling, den weysen und die witwen richt er uf, und den weg der gottlosen kert er umm.

Der herr ist der ewklich herschet, der din gott o Zion ist von gschlecht ze gschlecht. הללויה.

---

[1]) Oder: Dann sin geist muoss usfaren, und wider zuo siner erden kumen.

CXLVI.

Collaudatio Dei est ab omnipotentia, a bonitate et providentia.

Laudate Dominum, quoniam bonum est psallere Deo nostro, quoniam laeta et pulchra est collaudatio.

Dominus enim instaurat Hierosolymam, et dispersos Israëlis colligit.

Sanat contritos corde, et alligat vulnera eorum.

Stellarum multitudinem dinumerat et universos ex nomine vocat.

Magnus est Dominus noster et immensa virtus eius; intelligentiae autem eius modus nullus est.

Allevat adflictos Dominus et impios ad terram deiicit.

Alternis canite Domino laudem, psallite Deo nostro cum cithara!

Qui operit coelum nubibus, ut pluviam terrae paret, qui montes gramine vestit,

Qui iumentis cibum suum dat, corvis quoque qui ipsum invocant.

Equitis robore non gaudet, non placent illi militis ocreae;

Sed gaudet his qui se reverentur et qui eius bonitate fidunt.

CXLVI.

Es ist ein lobsagen gottes von siner güete, allmechtigheit und fürsichtigheit.

Lobend den herren, dann das lobgsang ünserem gott ist guot, dann das lob ist lustig und schön.

Der herr ist der Hierusalem ufenthalt, er sammlet die zerströwung Israels.

Er heilt die zerbrochens hertzens sind, und verbindt ire schmertzen.

Er zellt die zal der sternen, und gibt inen allen namen.

Uenser herr ist grooss und viler kraft, siner verstentnus ist ghein zal.

Der herr richt uf die verkümreten, er undertruckt die gotlosen bis zur erde.

Singend eins umms ander dem herren mit dancksagung, lobsingend ünserem gott mit harpfen.

Der den himel mit wolcken deckt, er rüst der erden regen, der uff den bergen macht höw wachsen.

Der dem vich sin fuoter gibt, den rappen kinden die im rüeffend.

Er hatt nit lust an der stercke des rosses, und des manns harnest gfallt imm nit.

Der herr hatt gfallen an denen die inn fürchtend, die uff sin güete truwend.

CXLVII.

secundum Septuaginta.

Eiusdem argumenti est. Laus scilicet omnipotentiae, bonitatis ac providentiae divinae.

Lauda Ierusalem Dominum, lauda Zion Deum tuum,

Qui vectes portarum tuarum confortat et cives tuos reddit incolumes,

Intra fines tuos pacem ponit et tritici simila satiat te,

Qui quum iussum suum ad terram mandat, ocyssime currit sermo eius.

CXLVII.

Lob Ierusalem den herren, lob Zion dinen gott.

Dann er sterckt die rigel diner toren, er tuot guots dinen kinden die in dir sind.

Er gibt dinen enden friden, er settigot dich mit dem feististen korn.

Wenn er sin red uff erd sendt, so loufft sin wort bhend.

Nivem instar lanae reddit, et sicut cinerem spargit pruinam.

Glaciem suam proiicit quomodo planitiem; coram frigore eius quis stare poterit?

Rursus quum iussum suum mandat, liquefacit ea; reducit ventum suum ac protinus rivi defluunt.

Exponit verbum suum Iacobo, mandata et iudicia sua Israëli;

Quomodo universis gentibus non facit, quae divina iudicia ignorant. הללויה.

Er gibt schnee wie wollen, er ströwt den ryffen wie die äschen.

Er wirft ein ys dar wie ein breitfeld,[1] wer mag vor sinem frost bston?

Er sendt sin wort und schmeltzt sy, er wäyt sinen wind so fliessend die wasser.

Er tuott sin wort Iacob kund, sine brüch und gricht Israel.

Also tuot er gheinen heiden, und tuot inen die gricht nit ze wüssen. הללויה.

CXLVIII.

הללויה.

Universarum rerum cohortatio est ad laudem Dei.

Laudate Dominum de coelis, laudate eum in excelsis!

Laudate eum omnes angeli eius; lauda eum omnis exercitus eius!

Laudate eum sol et luna; laudate eum omnes stellae et lux!

Laudate eum coeli coelorum, et aquae quae sub coelis sunt!

Laudate nomen Domini, quoniam illo iubente cuncta creata sunt,

Et constituit illa ut durent in perpetuum; praeceptum dedit quod non praeterietur.

Laudate Dominum de terra quoque, ceti et omnes abyssi!

Ignis et grando, nix et cauma, ventus et turbo, facturae verbi illius;

Montes et cuncti colles, arbores fructiferae et omnes cedri;

Bestiae et omne iumentum, reptilia et alatae volucres;

Reges terrae et omnes populi, principes et universi iudices orbis;

CXLVIII.

Es ist ein vermanung aller gschöpften zum lob gottes.

Lobend den herren von himel, lobend inn in der höhe.

Lobend inn alle sine engel, lobend inn alle sine heerzüg.

Lobend inn sunn und mon, lobend inn alle sternen und liecht.

Lobend inn ir obreste himmel, und ir wasser die ob den himmlen sind.

Lobend den namen des herren, dann er hatt gheissen, das sy gschaffen sind.

Er hatt sy gevestnet immer und ewklich, er hatt sin ordnung gsetzt die wirt nit vergon.

Lobend den herren von der erd, ir wallfisch und alle tieffinen.

Fhür hagel schnee und dampf, sturm wind den sin wort machet.

Berg und all bühel, fruchtbar böum und alle ceder.

Tier und alles veh, was krücht und die gfätcheten vögel.

Die küng der erden und alle völcker, die fürsten und alle richter der erden.

---

[1]) Oder: breiten.

Adolescentes ac virgines, senes cum pueris,

Laudent nomen Domini, cuius solius nomen sublime est, cuius laus terram ac coelos superat!

Qui cornu populi sui restituit, gloria omnium sanctorum suorum, filiorum Israëlis populi colentis illum. הללויה.

Knaben und dochtren, alte mit den iungen.

Lobend den namen des herren, dann sin nam ist allein hoch, sin lob ist über himel und erde.

Er erhöcht das hornn sines volcks; lob sye allen sinen heligen, den kinden Israels, dem volck das im nach ist.

CXLIX.

הללויה.

Ecclesiae cohortatio ad laudem Dei, ac oratio ut victorem reddat populum suum.

Canite Domino carmen novum! laus eius resonet in ecclesia sanctorum!

Laetetur Israël in factore suo, et filii Zionis in rege suo exultent!

Celebrent nomen eius choro, tympano et cithara psallant ei!

Domino enim placet populus suus, qui adflictos saluti restituit.

Exultent sancti cum magnificentia, iubilent intra thalamos suos!

Exaltationes Dei sint in gutture eorum; in manibus autem eorum gladii ancipites!

Ut ultionem capiant de gentibus et populos corripiant;

Ut vinciant reges eorum catenis, et pedicis ferreis principes eorum;

Ut vindicta in eos fiat quemadmodum scriptum est. Haec gloria eveniat omnibus sanctis Domini. הללויה.

CXLIX.

Ein vermanung der kilchen zuo gottes lob, und gebett das er sin volck welle sighaft behalten.

Singend dem herren ein nüws gsang, sin lob sye in der gmein der heligen.

Israel fröwe sich in dem der inn gmacht hatt, und die kinder Zion frolockind in irem küng.

Sy lobind sinen namen am reyen, mit trummen und harpfen lobsingind sy imm.

Dann der herr hatt ein wolgevallen an synem volck, er ziert die arbeitsälgen mit heil.

Die heligen frolockind in er, und sygind frölich in iren herbergen.

Die erhöhungen gottes sygind in irer kälen, und zweyschnidige schwert in iren henden.

Das sy raach tüegind under den heiden, straaff under den völckeren.

Das sy ire küng mit kettinen bindind, und ire träffenlichen mit ysinen gfessen.

Das sy inen das gricht tüegind das gschriben stat. Dise er sye allen sinen heligen. הללויה.

CL.

הללויה.

Cohortatio est ad laudem Dei.

Laudate Dominum in sanctuario suo; laudate eum in firmamento fortitudinis suae;

Laudate eum super fortiter factis eius; laudate eum pro multitudine magnitudinis suae;

Laudate eum buccinae clangore; laudate eum chely et cithara;

Laudate eum tympano et choro; laudate eum chordis ac tibiis!

Laudate eum cymbalis canoris; laudate eum cymbalis clangentibus;

Laudet Dominum quicquid spirat!

הללויה. [1]

---

[1]) Hier ist aus dem Manuscript ein Stück, worauf ohne Zweifel der 150ste Psalm teutsch geschrieben stand, herausgeschnitten worden. Auf der Rückseite des verschnittenen Blattes finden sich zuoberst nur noch einige Worte hebräischen Textes und lateinischer Erläuterung.

COMPLANATIONIS ISAIAE PROPHETAE
FOETURA PRIMA
CUM APOLOGIA CUR QUIDQUE SIC VERSUM SIT
PER HULDRICUM ZUINGLIUM

CHRISTIANAE CIVITATI, TIGURI, BERNAE, CONSTANTIAE, BASILEAE, SANCTOGALLI, MYLHUSII ET BIELAE URBIUM HULDRICUS ZUINGLIUS GRATIAM ET PACEM A DOMINO.

Quaesitum est inter veteres philosophiae proceres, o cives Christianissimi, quaenam harum trium praestaret, Monarchia, Aristocratia, an Democratia. Quum enim quotidie experirentur monarchiam in tyrannidem, aristocratiam in oligarchiam, democratiam in seditionem ac vim degenerare, non cuiusvis erat dispicere, quibus tandem rerum summa tutissime crederetur. Huc tamen sententiae postremo itum est, monarchiam antecellere; si modo princeps sit vir optimus ac prudentissimus. Quae nobis sententia non iam a philosopho sapientiae nomine mirifico, sed a quovis mentis compote expectanda fuit. Quis enim non videat uno, qui omnia videat quique optimus optime omnibus cupiat, commodius ac certius temperari res, quam aut multis aut universis? Recte ergo isti, dum rem hac conditione et analogia, dummodo princeps vir sit optimus ac prudentissimus, considerant, definiunt. Qui enim vir optimus est, omnium salutem ex aequo suam facit, non aliter quam nauclerus, qui ne potest quidem suae, citra vectorum omnium, saluti consulere. Porro, quis iam non dicturus est, aristocratiam atque adeo democratiam longe praestantiorem esse monarchia, si qui rebus praesunt omnes viri sint et optimi et prudentissimi? In illa enim non unus aliquis, sed aliquot erunt huiusmodi, ut quicquid incidat quod unius tantummodo gerendum sit auspiciis, qualia sunt imperium, censura, praefectura, et similia, iam quisque tuto ei provinciae admoveatur; ut non modo regius senatus, hoc est, senatus qui vice principis sit, verum senatorii reges iure dici debeant, quod Pyrrhum factitasse populi Romani senatum perhibent. In hac vero, quandoquidem omnes ex aequo sint optimi et prudentissimi, ne opus quidem sit ut quisquam rebus praeficiatur. Nulla enim erit inter istos noxa, nullum dissidium, crimen quod animadversione opus habeat nullum. Nec est cur quis dicat in Aristocratiae concilio semper esse qui non sint absolutissime prudentes ac boni; et in democratiae coetu impossibile esse ut omnes sint prudentes ac boni, nedum optimi ac prudentissimi. Quasi vero uspiam vere et perfecte sapiens repertus sit, qui nunquam cessaverit quum festinato esset usus, aut festinaverit quum cunctanter debuerit negotium geri; nedum princeps,

quorum bona pars (nec enim est dissimulanda veritas), ubi negotium illius agitur, ratione nec vehitur nec ducitur. Quasi denique multis unquam bonis principibus regna commutata sint, neque verissimum sit proverbium: Malus sequetur. Quo armantur qui bono utuntur principe, ut se muniant ad ferendum deteriorem: nunquam enim compertum esse, ut multi boni principes sibi successerint. Faciunt ergo perinde, qui ab optimo et prudentissimo principe administratam monarchiam aristocratiae et democratiae anteferunt, atque isti qui pueris de beata terra, velut poetae de beatis insulis, pollicentur. Promittuntur magnifica, sed nuspiam sunt. Non aliter facerent, qui de aristocratia aut democratia, in qua optimi et prudentissimi regnarent, dissererent. Quid ergo aliud est de monarchia optimi principis ac prudentissimi disserere, quum talis adhuc nunquam repertus sit, quam Platonis rempublicam laudare, quae nunquam extitit? Quid attinet de isto inquirere quod nunquam inventum est; et ut res humanae magis ac magis labuntur, spes praecipi nulla potest inventum iri? Cur non potius expensis maiorum exemplis hunc vel similem in modum percontamur: Quaenam administratio semper fuerit religiosior, aequior ac diuturnior, an monarchia, an aristocratia, an democratia? Quumque protinus vetera contemplamur, adparet non iam post duos aut tres reges (si modo tres ulla gens integros eosque continuos habuit) sed post unum et alterum, imo sub uno eodemque irreligionem obrepsisse. Testes sunt Saulus et Alexander, quorum uterque magno cum populi plausu regnum adiit, et uterque ignominiose cum populi gratulatione exuit. Ille quod sustinuisset Davidem indigne petere; iste Clitum. Quid porro inter initia utroque religiosius? perfidiosius autem inter postrema quid utroque? De aequitate vero, quam hic pro aequanimitate ac popularitate accipimus, quid attinet dicere, quum videamus monarchiam a popularitate non aliter abhorrere, quam quae inter se contraria sunt? Quid enim aliud est monarcha, quam solus summus princeps? Quid vero popularitas, quam animus qui aequabilitatis amore publicam libertatem et commoditatem tuetur, quantum ex oratione Tullii pro Publio Sextio colligitur? Qui ergo aliis imperare cupit, quomodo libertatem populi ferre potest, nedum defendere? Esto! credantur tyranni commodis suorum studere: non tamen student, sed inhiant. Et monarchae animus ut primum tantum consulit reipublicae, quantum se sperat demessurum esse, nihil distat a tyranno: non enim suorum, sed sui amore populi rebus consulit. Quam autem diuturna sit monarchia, proclive est videre. Equidem arbitror nullam unquam fuisse, quae non sit mox cum primis principibus in tyrannidem versa. Imo quum monarchae nomen audio, dici de alio mundo (ut habet proverbium) credo. Adeo nunquam repertus est in isto, qui non degeneraverit in tyrannum. Nolo enim quis Mosen, Cecropem, Codrum, Antigonum et similes, velut monarchas, mihi obiiciat: qui ut primarii in populo quisque suo fuerunt, ita monarchae tam abest ut fuerint, ut soli nunquam regnaverint. An non Moses rempublicam non regnum constituebat, quum chiliarchos, hecatontarchos reliquosque constitueret rei gerendae socios? Ipsa quoque Dei difficultas, qua tam dignanter permittebat Iudaeis regem, satis probat Mosis ministerium

non fuisse regnum aut monarchiam. Lacedaemon autem et Athenae nunquam sic permittebant regibus omnes habenas, ut quocunque voluissent aurigarentur. Hinc ephororum refractaria potestas, quomodo apud Romanos tribunorum plebis. Romulos mihi et Saulos considera! Ille, num non sic est quum sui ipsius tum civium suorum oblitus, ut prae tyrannidis impatientia Patres corpus eius inter se partiti frustatim extulerint? Iste vero numinis suffragio lectus, an non fuit ausus ab eo deficere a quo rex factus erat, et vim intentare iis a quibus debebat avertere? Iulios, Augustos, Tiberios, et id genus caesores potius quam Caesares, in considerationem venire non permitto; quantumvis strenue videantur sordidis ac male natis ingeniis res gessisse. In nullo enim horum tantus amor fuit reipublicae, ut eam sibi restituerent: nihil ergo quam tyranni iure adpellari debent. Illiberales tamen animi, qui ne degustarunt quidem quae res sit vera libertas, summis saepe laudibus huiusmodi evehunt; incauti ac imprudentes mirantur exterminium suum, haud secus quam curruca cuculum. Quibus nobilis illa responsio Lacedaemonum cuiusdam ducis propius contemplanda esset, qua Hydarni Persarum regis Dynastae, oppidum quod ille praesidio tenebat ad deditionem sollicitanti, respondebat: Tu Hydarnes nihil quam servus esse nosti; nos contra quam religiosa et iucunda res sit libertas experti sumus. Quam si tu perinde exploratam haberes, tam abesset ut ad servitutem hortareris, ut libertatem non iam telis et machinis, sed securibus, digitis et cubitis tuendam esse moneres. Digna profecto Spartano homine vox. Utinam melius perspecta nobis essent quae nonnunquam albis equis vehimus. Sed ad propositum redeo. Monarchia ista imaginaria primatum indubie tenet, sed in intellectu et ratione. Vera autem, quum tam ardua res sit, ut inter mortales aut nunquam visa, aut si visa sit protinus tamen evanuerit, non est tutum eam cuiquam credere. Esto enim, in occasione, tum belli tum pacis, plurimum habeat momenti, si apud unum aliquem sita sit potestas consulendi, iudicandi ac respondendi! At istud non solius monarchae est, verum etiam cuiusque ex aristocratia optimatis, quae ad res gerendas unum aliquem dicit imperatorem, dictatorem, consulem aut ducem, qui reipublicae nomine pro universis agat. Habet contra monarchia non modo incommoditates, verum etiam pericula multa. Primum solus facilius falli, terreri, oblivisci potest quam multi. Deinde proclivius permittit sibi licere quicquid libet, qui solus leges et iura tuetur. Postremo, eo qui monarcha erat conscelerato, iam populus universus labitur: is enim ad exemplar Principis sese componit. Aristocratia vero, quae non est paucorum qui rempublicam invaserunt confusa potestas, neque populi lecta vel auctoritate vel suffragiis, neque ἀκέφαλος, hoc est nullo munita officio (haec enim oligarchia cum vitio vocatur, hoc est, paucorum potentia), sed optimatum potestas est, et populi iussu constituta, et officio, communibus suffragiis creato, directa. Qualis vestra est, o Cives, rerum summa. Primum enim aut curiatis comitiis Patres leguntur, qui magistri curiarum adpellantur, et secundum ipsos totus senatus, quamvis alio alia in urbe instituto et ordine; aut centuriatis universus senatus legitur comitiis. Leguntur autem et

prudentissimi et optimi quique, ut non iniuria optimatum potestas vocetur. Secundo loco alleguntur minorum gentium patres, qui pro numero Diacosii aut Triacosii aut Tetracosii adpellantur. Tertio loco, aut utriusque ordinis Patres aut totus populus officium legit, cuius ductu et rogatu causae referantur, sciantur et cognoscantur, quem alii Consulem, alii Dictatorem vocant. Apud istos rerum summa sita est. Quam quis tam imperitus est, ut non optime constitutam esse videat? Primum enim officium habet et os; sed quod sibi non potest nimium permittere propter optimatum potentiam et auctoritatem: hi enim sunt potestas et imperium. Deinde caput et pectus habet Patres et Diacosios, ut res omnis non tantum sapienter, verum etiam fortiter geratur. Postremo habet plebem, officio et Patribus omni necessitudinis vinculo adiunctam. Ex his enim Patres, ex Patribus officium constat. Haec religiosa est, quum per se ipsam, quod augusta et honorata res est imperium, tum per hos, qui aut gerunt aut obtemperant. Monarcha nobis proponatur opulentus! iam harpyias istas aura velocius adesse videbimus, caeco adulari, ut se Deum credat esse; rem vero interim adeo avide distrahere, ut foedam maciem illarum cum opulentia sua brevi commutatam doleat. Rapiendi et furandi nullus invenitur nisi in fundo finis. Quem ubi senserint, iam augustum illum suum scilicet, implumem et nudum, populo offerunt amiciendum. Hic vectigal, tributum et exactio, aliae tres harpyiae, tanto peiores quanto miserius est omnes perire quam unum. Quae non modo caput, sed totum corpus foedant, stuprant et conspurcant. Tenebat miserum pudor, quanquam videret sese labi rebus, ne irreverentius populum degluberet. Quo pudore ad nocentiorem occasionem abutentes harpyiae, velut officiose, mutuo dabant, ut cum egestate luctantem crederentur beneficiis demereri, dum sua illi mutuo darent quae furtim rapuerant. Quumque ad exactiones tandem detruserunt miserum, iam quicquid exprimitur illorum est. Omnia illis dat et omnia illis debet; et fit mancipium princeps, populus autem mancipii sordes. Utut enim sudet ad fovendum caput suum, omnia in dolium (quod dicitur) pertusum effunduntur. Veruntamen diceret aliquis: Tu proponis nobis hypotyposim stolidi principis; at non sic usu venit quum Princeps sapit. Hoc ipsum volumus. Quotum enim vidimus Principem qui animo fuerit sapientia et constantia sic munito, ut huiuscemodi artibus aut non cesserit, aut non corruptus sit? Attamen, inquiet, quum nihil sit inter mortales integrum, de tolerabili loquere, qui (quantum homini datum est) constans pectus habeat. Is non tam misere praebebit se nebulonibus illudendum. De hoc igitur, quum ad huius comparationis epilogum perventum erit, planius disseremus. Hic solum discutimus, monarchiam non esse aristocratiae praeferendam, et hac in re veteres erravisse; aristocratiam igitur divitem ac florentem cum Monarcha opulento et augusto conferimus. Religiosiorem autem diximus esse quam monarchiam. De illa enim religio est quicquam subtraxisse, ut qui de publico sustulerint; in monarchia sustulisse gratulatio, ut qui tyranno subtraxerint. Fiunt res in ista pessimis publicae; in aristocratia respublica singulorum privata est. In ista suspectum est omnibus rerum incrementum; in nostra vero

cum incremento rerum publica salus creditur augescere. Quanto monarcha fit opulentior, tanto magis hauriuntur populi res; in aristocratia tanto magis surgunt privatae res, quanto publica fuerit beatior. Et ut summatim de opibus dicamus: monarcha ut sit locupletissimus et populum amantissime foveat, quod revera nequit recipi; sed demus interim tale monstrum, quod et amet populum, et in summo tamen rei consulat: semper tamen res ad privatos post mortem principis redeunt, et nunquam fiunt sub monarcha publicae; in aristocratia nunquam fiunt privatae. Sapientia denique ac prudentia, summa inter mortales bona, longe magis sunt in aristocratia tum vulgares tum familiares, quam in monarchia; dum omnes admittuntur ad regnandi et imperandi arcanas artes; dum invenire, iudicare ac deliberare omnibus incumbat. Ex quibus fit, ut et aequior sit aristocratia. Ut enim est primum principis munus, ut populi causas recte teneat: ita primae Senatorum partes sunt, iureconsultis quoque adstipulantibus, populi causas probe cognoscere. Quanto igitur plures sunt, qui omnium causas ex amussi cognoscunt: tanto aequius prodire iudicium, tanto tolerabiliorem conversationem nasci tantoque vulgariores humanitatis artes fieri necesse est. Sit enim monarcha vir constans, integer et candidus, (haec enim ad incorruptum iudicem requiruntur): iam unum pectus adulatorum artibus huc imprudens etiam flecti potest, ut his dotibus abutatur. Erit enim alius qui integritatis specie ad saevitiam trahat, quum scilicet ea quae cum candore interpretanda fuerant, vetat alio iudice quam rigore pronuntiari oportere. Alius autem nocentissimam aliquam pestem, puta luxum aut ambitionem (quibus nulla non regna sunt excisa), candore ad quem videt propendere monarcham tuetur. Alius quum principis contumaciam usui sibi fore animadvertit, constantiae nomine vestit. Quod ut factum est, iam tyrannus exit qui pater fuerat. Ipsa vero aristocratiae multitudo huic cladi non potest esse tam obnoxia. Ut enim unus et alter aut halucinetur aut corrumpatur: supererunt tamen qui rectum cursum et teneant et perficiant. Quibus rebus, aequitate scilicet ac religione, factum est, ut semper diuturniores fuerint aristocratiae quam monarchiae. Sed iam satis diu, o Christiani cives, contendimus, atque (ut opinor) demonstravimus, monarchiam non praestare aristocratia; sed contra hanc potius antecellere. Id autem ista maxime causa fecimus, ut quae vobis a Domino data est libertas cum gratiarum actione foveatis ac manu teneatis, nihil interim detractum esse cupientes iis monarchis ac regibus, quorum cor in manu Domini est, quique in virtute Domini glorientur, non in suis opibus et exercituum copiis; quibus unum hoc in votis est, ut pie ac religiose religioso ac innocenti populo praesint. Hoc ostendisse contenti, quomodo non licuerit omnia perpendere iis, qui monarchiam aristocratiae praetulerunt. Sequitur enim monarchia corruptam ac in oligarchiam degenerantem aristocratiam. Nam quum optimates potentia quam iustitia magis niti coeperunt, ut iam vi et adfectibus cuncta ferantur: oligarchia ex aristocratia, hoc est, paucorum potentia ex optimorum imperio fit. Oligarchi autem ut vi et impetu omnia agunt: ita omnes ad regnum et monarchiam animum adiiciunt. Hinc studia et factiones; hinc Pompeii et Iulii, Syllae et Marii, Hannones

et Hannibales, qui tantopere et se et sua committunt, donec alter miserum esse nolentibus imperare, alter vero, plerisque mortalium utilius esse morem gerere quam regere, condiscant. Tunc ergo tandem regna surgunt, quum respublicae ita sunt collapsae, ut per oligarchiae violentiam non liceat ad publicam libertatem redire, ut vis et iniuria uni saltem permittantur, quum multis permittere sit intolerabile. Ac rursum, ubicunque regna et monarchiae ferocia sua omnem patientiam superant, e regnis Aristocratiae fiunt. Quae omnia pro nostra sententia faciunt, aristocratiam praestare monarchia, quum ad regna veniatur ex corrupta aristocratia, perinde ac dum quis e naufragio tabulam nactus in peregrinam terram enatat; ac rursus ad aristocratiam postliminio redeatur, quum tyrannis periclitata est: perinde ut quum Ulysses post longos errores Ithacam rediit.

Veruntamen ut inter mortales nihil solidum, firmum, ac immutabile reperitur, et ipsi agnovimus aristocratiae primam pestem esse oligarchiam: docendum haud dubie est, qua ratione munienda et servanda sit aristocratia, ne oligarchiae morbus eam invadat. Redimus ergo ad fontes ipsos, et religione ac aequitate putamus quum aristocratiam tum potestatem omnem servari oportere. Eis enim rebus, ut historicus monet, quidque servandum, quibus partum est. Malis autem artibus imperia aut non comparantur; aut si comparantur, non diutius durant quam praecoqua poma, quorum nulla habetur ratio. Bonis igitur artibus quaesita esse imperia, nemo dubitet, quaecunque antiqua et bene constituta sunt. Artes autem bonae, quae irreligiosae et iniquae sunt, esse non possunt. Religiosos itaque et aequi observantes fuisse constat, quicunque rempublicam aut imperium auxerunt. Religionem ergo et aequitatem in consilium et auxilium vocemus, si per maiorum manus traditam libertatem custodire satagimus! Quum et gentes videamus in adeundis rebus paulo magis arduis, et maxime ad imperium spectantibus, et Deos immortales consuluisse, et si quid parum pudice admissum esset expiavisse. Nobis autem, qui unum illum ac solum omnipotentem, sapientem, prudentem, bonum, et misericordem Deum agnoscimus; qui non tantum omnia novit, sed omnia quoque moderatur; non tantum omnia potest, et omnium dives est, sed aeque tam bonus et mitis est, ut quae possit, velit etiam profundere (non enim de comportato acervo accipit, sed omnium quae sunt vena et fons est, qui hauriri cupit; acervus est, qui distrahi amat) nobis inquam longe aliis quum auguribus tum auspiciis religio captanda est, quam iis qui ad eam divinae cognitionis mensuram non venerunt, de qua nos gloriamur. Est nobis primum in nos ipsos descendendum ac perspiciendum, quam frivola sint humana; deinde protinus ad numinis contemplationem attollendus animus, ac perpendendum, quam solida et absoluta res sit, quam benigna, quam minime fastidiosa; ut quae constituat firma sint et rata, quae donet liberaliter profundat, nullius pretii respectu quam aemulationis; ut quomodo ipse in hoc beneficia sua dispensat, ut qui eis adficiuntur bene habeant: sic et nos, fratrum non nostra causa, beneficium moliamur; ut quomodo ipse purus, sanctus, et integer est, nos quoque aliquid harum rerum tentemus! ut ille nunquam promendo ac iuvando brachia

remittit: sic nos quoque dum vivimus omni fastidio renunciemus, et bene tum consulendo tum operando nunquam lassemur! Sic inquam numinis nobis religio servanda est, non taedis aut ignibus, non hecatombis et lectisterniis, non cruoribus et aquis, quae non iam scelerati quique, sed stupidi quoque et pueri concinnare possunt; per quem tamen humana mens nihilo fit melior, sed stultior. Postea vero et aequitatem erga quoslibet ita servemus, ut eius testimonio cunctis adpareat nos vere Deum colere! Una enim opera, nempe aequitatis observantia, et numen et homines, et demeremur, et fidei nostrae periculum facimus. Nam frustra credemus nos religiosos erga numen esse, si erga aequales, qui et ipsi numen idem colunt, profani fuerimus; praesertim quum numen sese coli non credat, nisi pariter qui ei grati sunt amentur: nam et amicitiae lex est eadem amplecti. Postremo, qui sese religiosum putat, aequitatem vero in ultimis habet, numen contumelia adficit; quasi et ipsum aequitatem inter postrema ducat. Religio proinde et aequitas nobis, o cives, ante omnia curandae sunt, ut sine quibus ne civitas quidem, nedum Christiana civitas, consistere possit. Porro quibusnam auguribus, aruspicibus aut sacerdotibus eae recte riteque curari possunt? Non hercle istis qui mitris, lituis, pedis, stolis, peplis, purpura, palliis, poculis, crepidis denique, sandaliis, soccis et cothurnis, numinis adflatum non tam expectant, quam ingruisse mentiuntur; sed quorum os et lingua prunae calculo, e coelesti ara delato, contacta et expiata sunt. Hi enim et numinis verum cultum et legitimam aequitatis custodiam docere rite poterunt. Quorum etsi per Dei bonitatem adfatim habeatis, absurdum tamen fore non existimavimus, si vobis Isaiam (quem nova quadam ratione complanatum, piorum precibus victi, edimus) dedicaremus; quum ut vestris auspiciis prophetarum omnium princeps, apud reges, urbes ac populos, tubam suam intenderet, ac Domino parare viam iuberet; tum ut videretis, non petulantiam aut procaciam, sed officium esse, dum prophetae nostri nostros mores, neglectam religionem, neglectam iustitiam, conculcatas leges, per calumniam vel facta vel iudicata, paulo acerbius ac festivius petunt. Quis enim ex omni prophetarum corona sic ad nulla connivet, sic tamen omnia fortiter et prudenter oppugnat vitia, atque hic noster? Auctor ergo et nomophylax prophetiae Isaias et nobis et nostris prophetis sit! sagax canis sit, qui dormitare aut dissimulare nescit, ne latendi spe quid audacius designemus; ut etiamsi prophetae nostri torperent, hunc tamen coram Domino in die iudicii proditurum esse scelera nostra sciamus, quum ad nos venientem non receperimus. O beatos principes, urbes ac populos, apud quos Dominus libere per servos suos prophetas loquitur! Sic enim religio crescere, innocentia redire, aequitas imperare poterunt, sine quibus latrocinia et violentia sunt, quae regna et imperia esse putamus; ac rursum ubi adolescunt bonorum omnium coetum secum trahunt. Dominus sic piis coeptis faveat, ut magis ac magis illius gloria cum innocentia nostra crescat! Amen.

Tiguri, quintodecimo die Iulii, anno a Christo nato millesimo, quingentesimo, vigesimo nono.

INCIPIT IESAIAS PROPHETA.

IUXTA COMPLANATIONEM HULDRICI ZUINGLII.

CAPUT I.

Haec est prophetia Isaiae filii Amoz, quam prophetavit ad Iudam et Hierusalem in diebus Oziae, Iotham, Ahaz, Ezechiae, regum Iuda.

Audite coeli, ausculta tellus, quia dominus loquitur: Filios educavi et evexi; ipsi vero coniuraverunt in me. Agnoscit bos dominum suum, et asinus praesepe heri sui. At Israel nihil sentit; populus meus nihil intelligit. Vae gentem scelestam, populum iniquitate insignem, prosapiam perversam, filios degeneres. Deseruerunt Dominum, sanctum Israelis irritaverunt et a tergo defecerunt. Cur ergo vapularem vos ultra? quo citius iterum deficeretis scilicet. Omne caput vestrum languet et omne cor moeret. A planta pedis usque ad verticem nihil est integrum in toto corpore vestro. Omnia vulnus, livor, cicatrix ac tabes occupant. Non est cur obligetur aut devinciatur aut curetur unguentis. Regio vestra deserta est; civitates vestrae igne succensae sunt. Terram vestram vobis videntibus impii devorant; vastata est, quemadmodum in eversione hostili solet. Et relicta est filia Zionis sicut tabernaculum in vinea; sicut tugurium custodum in rebus dubiis; sicut civitas obsessa. Nisi Dominus exercituum reliquas fecisset nobis reliquias oppido paucas, iam Sodomae et Gomorrhae similes essemus. Audite igitur verbum Domini Sodomae tyranni! ausculta et tu Gomorrhae plebs legem Dei nostri, sic dicentis: Cur mihi tot victimas caeditis? Holocausta arietum et adipem saginatorum fastidio; boum cruorem, agnorum et hircorum non amo. Quum venitis ad comparendum coram me: quis a vobis id postulat ut verratis atrium meum? Ne ultra, quaeso, in cassum offeratis munus! suffitum abominor. Neomenias, Sabbatum ac Panegyres non possum. Frustra quoque est ieiunium. Calendas vestras et ferias odi ex animo. Lassum reddunt me, ferendo laboro. Quum itaque expandetis manus vestras, abscondam oculos meos a vobis; et quum orationem multiplicabitis, nullus exaudiam. Manus enim vestrae sanguine madent. Lavate, mundi estote! Auferte studia vestra mala a conspectu oculorum meorum; temperate a vi! Aequitati autem studete! iustitiam colite! Liberate oppressum! vindicate pupillum! causam viduae suscipite! Adeste, quaeso, disputemus, inquit dominus! Nonne quum peccata vestra cocco sint simillima, nive reddantur candidiora? Et quum rubent instar purpurae, sicut nativa lana fiunt? Nonne si morigeri estis et obtemperatis, optimis terrae fruimini? Si vero contumaces ac perduelles, gladio devoramini? Sic enim dominus ore suo promisit. Quomodo igitur meretricum more fidem mutavit urbs quondam fidelis, aequitatis plena, in qua iustitia versabatur, nunc autem parricidae?

Argentum tuum scoria factum est, et merum tuum aqua vitiatum. Principes tui praevaricatores et sodales furum facti sunt: omnes diligunt munera, sectantur depactores, pupillo ius non reddunt, et causa viduae non pervenit ad eos. Ideo dicit dominus deus exercituum, heros et dux Israëlis: Heu solatium et poenam de inimicis et hostibus meis sumere cogor. Admoliar itaque manum meam tibi, et excoquam ad purum putum scoriam tuam et auferam omne plumbum tuum; deinde restituam iudices tuos quemadmodum olim fuerunt, et senatores tuos sicut antiquitus. Post haec dabitur tibi nomen civitati iustitiae, urbi fideli. Aequitate vero redimetur Zion et captivitas eius iustitia. Simul autem ac prorsus conterentur ac peribunt praevaricatores, scelerati, et qui a domino deficiunt. Quod nisi quercuum vos pudeat quibus delectati estis, et hortorum quos elegistis: eritis sicut quercus cuius folia defluunt, et sicut hortus quem nulla irrigat aqua. Redigetur enim splendor rerum istarum in stuppam, et auctor earum in scintillam; flagrabuntque ambo simul, nemine extinguente.

CAPUT II.

Verbum quod revelatum est Isaiae filio Amoz super Iuda et Ierusalem: Illud quoque usu veniet successu temporis. Extruetur mons domus domini ut caput sit montium ac editior cunctis collibus. Et tunc adfluent ad eum omnes gentes, proficiscenturque populi infiniti sese mutuo invitantes: Ascendamus obsecro ad montem Domini, ad domum dei Iacobi, ut doceat nos vias suas; nos autem ambulemus in semitis eius! De Zione enim profectura est lex, et verbum Domini de Ierusalem, ut ius dicat inter gentes et moderetur populorum multitudinem. Illi ergo conflabunt gladios suos in ligones et lanceas in falces. Non enim levabit gens contra gentem gladium neque bello ultra dabunt operam.

Hic te appello, o domus Iacobi! Adeste quaeso, ut ambulemus in eo lumine Domini. *Sed quid te invito*, quum defeceris cum populo tuo, o infelix domus Iacobi? Abundatis enim plusquam maiores, quum divinatoribus more Palaestinorum, tum genethliacis more alienorum. Ut primum enim abundaret terra vestra argento et auro, ac thesaurorum nullus esset numerus; ut primum plena esset equitibus ac quadrigarum nullus esset finis: simul abundavit idolis, opere manuum vestrarum, quod et digitis vestris fecistis et adoratis. Ante ista procumbit homo, et adorat? *id autem adeo pertinaciter*, ut nulla ratione dimoveas? Abi protinus, in petra vel terra abscondere a conspectu tremendi iudicis, et a splendore maiestatis eius, qui supercilium fastuosorum hominum deprimit et virum sublimem humiliat; quique solus in die ultionis superior evadit. Dies enim ultionis Domini exercituum omnem superbiam et altitudinem, omnem elationem ac depressionem vindicabit: perveniet ad omnes cedros Libani insignes et sublimes, et ad omnes quercus Basanis, ad omnes montes excelsos, et ad omnes colles editos, ad omnes turres altas, et ad omnem murum munitum; ad omnes naves Tharsis et ad omne quod magnificum et desiderabile est. Et deprimet supercilium hominis, et virorum arrogantiam humiliabit. Et superabit

Dominus solus in die illo; idola vero penitus excindentur. Ingredientur in petrarum specus *homines* et in hiatus terrae a conspectu tremendi iudicis et splendore maiestatis eius, quum accingetur ad concutiendum terram. Tunc tunc abiiciet *homo* idola sua aurea et argentea quae sibi fecerat, ut ea coleret, talpis et vespertilionibus, quo expeditius subeat in cavernas petrarum et latibula saxorum a conspectu tremendi iudicis et a splendore maiestatis eius, quum accingetur ad concutiendum terram.

CAPUT III.

Vitare et cavere scitis ab homine per iram stomachante: nihil enim cum delectu operatur. En ergo vobis Dominus exercituum, qui tollet de Ierusalem et de Iuda omnem substantiam ac robur, omnem vim cibi et potus, ducem et militem, iudicem et prophetam, coniectorem ac senem, quinquagenarium et auctoritate venerabilem, iurisconsultos et sapientes, architectos et oratores. Et constituam, ait Dominus, pueros ut sint principes vestri, et illusores ac effeminati dominabuntur vobis. Vim facient quum populus ipse, tum quisque proximo suo. Insolescent adolescens contra senem et obscurus contra nobilem. Apprehendet quisque fratrem suum qui est de familia patris sui, *inquiens:* Vestem habes, praefectus noster eris: nam casum istum tu poteris sustinere. Tunc protinus deierabit ac dicet: Mederi non potero; sed et domi meae neque cibus est neque vestis. Nolite ergo me constituere principem populo; quoniam cadet Ierusalem et Iuda corruet. Sermo enim eorum atque consilia contra Dominum sunt, ad provocandum vultum maiestatis eius. Alienatio vultus eorum prodit eos. Quin peccata sua praedicant sicut Sodoma neque celant. Vae animae eorum! reddetur enim eis malum, quo docti dicent: Beati iusti, quibus frui licet fructibus consiliorum suorum. Vae contra impio et iniquo, cui secundum opera manuum suarum rependitur. Popule mi, improbi regunt te, et feminae imperant tibi. Popule mi, duces tui seductores sunt et iter gressuum tuorum conculcant. Prodit ad contendendum Dominus; adest ad iudicandum populos. Veniet enim Dominus ad iudicio experiendum cum senioribus populi sui ac principibus eius. Vos, *inquiet*, incendistis vineam; spolium pauperis in domo vestra est. Cur commolitis populum meum, et vultus pauperum conficitis? Sic istos redarguet Dominus deus exercituum. Sic quoque locutus est Dominus: Eo quod fastuosae sunt filiae Zionis, porrecto collo incedunt ac fallaci oculorum nutu, quod illecebroso pedum gressu lenocinantur: ideo tondebit Dominus cervicem filiarum Zionis et speciem earum denudabit in die illa. Ornatum quoque vestium adimet eis Dominus, torques, murenulas, collaria, armillas et mitras; vestem variegatam, laxam et strictam; fasciculos, animae solatia et inaures; annulos et frontales infulas; mutatorias cum palliis; pepla cum acubus, specula et sindones, cristas et theristra. Aderit eis pro odore foetor, pro cinctura diffluxus, pro plexis aureis calvitium, pro fascia pectorali saccus et pro venustate adustio. Viri atque robustissimi earum ferro ferientur in proelio. Moerebunt et lugebunt portae earum, et desolatae in terra sedebunt.

CAPUT IV.

Tunc apprehendent septem mulieres virum unum, dicentes: quicquid cibi ac vestium nobis est, in commune conferimus; modo uxores nomini tuo accenseamur, tollasque opprobrium nostrum.

Post ista germen Domini laetum et amplum surget. Et ipse fructus terrae magnificus ac splendidus orietur iis, qui evaserint, Israëlitis. Et vocabuntur reliqui in Zione, et residui in Ierusalem, sancti: omnes scilicet qui Hierosolymis inter vivos scripti fuerint.

Tunc autem quum abluerit Dominus luem filiarum Zionis et sanguinem de Ierusalem expiaverit, flatu vindictae suae et incendii: creabit Dominus super omne aedificium montis Zion et super omnem concionem eius nubem ac fumum per diem, nocte autem splendorem ignis flammantis; quia cum omni magnificentia sua protecta erit, ut tabernaculum futura sit et umbraculum per diem ab aestu, refugium quoque et receptaculum a turbine et pluvia.

CAPUT V.

Quin potius canam dilecto amico meo cantilenam super vinea eius. Vinea fuit dilecto meo in loco uberi, quam et maceria sepivit et nobili vite consevit. In medio eius excitavit turrim, et aedificavit torcular, expectans ut uvas faceret; sed reddidit spinas. Nunc ergo ad vos provoco o cives Ierusalem, et universi de Iuda: Decernite quaeso inter me et vineam meam! Quid ultra faciendum erat vineae meae quod non fecerim ei? Cur igitur me sperante uvas reddituram, spinas fecit? Exponam itaque vobis, quidnam facturus sim vineae meae. Tollam sepem eius ut diripiatur; rumpam maceriam eius ut conculcetur. Desertam faciam; nemine putante neque fodiente, vepres gignet ac spinas. Nubibus quoque interdicam, quo minus imbrem in eam depluant. Veruntamen vinea Domini exercituum domus Israel est, et universus Iuda laetum seminarium eius. Qui quum expectaret iudicium, ecce calvitium; aequitatem, et ecce querimoniam *reddiderunt*.

Vae vobis qui coniungitis domum domui, et agrum agro copulatis, donec vos continens deficiat, quasi orbem soli sitis habitaturi. Sed in aurem loquitur mihi Dominus exercituum: Nisi domus magnae et pulchrae desertae fiant ut nemo inhabitet? Sed et vinea decem iugerum reddet amphoram unam et seminis medimnus epha.

Vae sectatoribus ebrietatis, qui mane surgunt, et eam usque ad crepusculum trahunt vino ferventes; in quorum conviviis citharae et nablia, tympanum et tibia cum vino iunguntur. At interim opus Domini non contemplantur, neque facturam manuum eius considerant. Quum ergo nihil sciat populus meus, facile ducitur captivus. Amplitudo eius fame maceratur, et pompa eius siti perit. Hinc et inferi ingluviem suam dilatant, et ore suo in immensum dehiscunt, ut illo descendant fastus, pompa, opulentia et qui his addicti sunt. Hoc pacto humiliatur homo, ruit vir, et concidunt oculi superborum. Dominus autem exercituum et deus sanctus sublimis fit et inviolatus, aequitatis et iustitiae exemplis, ut agni pascant iuxta demensum suum, arietes autem vagabundi eremos detondeant.

Vae vanis istis, qui velut fune iniquitatem ad se trahunt et peccatum veluti loro plaustri, quibus in ore est: Properet opus eius ac festinet, ut videamus! Appropinquet atque usu veniat consilium sancti Israelis, ut experiamur! Vae qui dicunt malum esse bonum, et bonum malum; qui tenebras reputant lucem, et lucem tenebras; amarum dicunt esse dulce et dulce amarum. Vae qui in oculis suis sapientes sunt et suo iudicio intelligentes! Vae ad hauriendum vinum strenuis, et viris ad conciliandam ebrietatem fortibus; qui absolvunt impium propter munera, iustum autem propter iustitiam reum faciunt. Quapropter sicut lingua ignis stipulam devorat, et culmos flamma consumit: sic radice eorum putrefacta flos eorum sicut pulvis evanescet, qui legem Domini exercituum contemnunt, et verbum sancti Israelis despiciunt. Ideo incensa est ira Domini in populum suum, convertitque manum suam ad percutiendum eum, ut montes contremiscant, et cadavera eorum instar stercoris in viis publicis iaceant. Et post haec omnia nihil remittet ira eius, sed ultra extendet manum suam. Et signum dabit peregrinae genti, et sibilo annuet ei ad longinquam terram, quae confestim velox ac levis aderit. Non est lassus aut imbecillis inter eos, non soporulentus aut somniculosus. Balteum renum suorum nullus ex eis aperit neque solvit corrigiam calceamenti sui. Sagittae eorum acutae sunt et arcus eorum extenti. Ungulae equorum eorum silici et rotae eorum turbini similes existimantur. Vox eius gentis par est leonis rugitui frenditque sicut leonum catuli. Frendet ergo et praedam apprehendet nec erit, aut qui evadat aut qui liberet. Frendet in eum isto die, sicut mare fremit. Tunc si terram intuebimur, en nobis tenebras et angustiam! si vero sidera, en nobis caliginem, tristitiam ac desperationem!

CAPUT VI.

Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedere in solio sublimi et edito, et syrmata eius implebant templum. Seraphim autem superne imminebant ei, quorum utrique erant sex alae. Duabus alis uterque vultum eius tegebat et duabus pedes; porro duabus reliquis volabat. Vicissim quoque alter ad alterum clamabat atque dicebat: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum. Plena sit universa tellus maiestate eius! Quin et a voce clamantium commovebantur postes cum liminibus; domus autem ipsa replebatur fumo. Dicebam ergo: Vae mihi! Eram enim attonitus, quoniam vir pollutis labiis quum essem, et in populo polluta labia habente habitarem; attamen regem Dominum exercituum vidissem oculis meis. Tunc volabat alter Seraphim ad me, carbonem incensum forcipe ex ara correptum ad me ferens, et labia mea tangebat his verbis: En protinus ut hoc tetigit labia tua, recessit iniquitas tua et peccatum tuum expiatum est. Vocem quoque Domini audiebam sic deliberantis: Quem vero mittam? aut quis ibit nobis? Respondebam ergo: En me tibi quem mittas! Dicebat ille: I, et dicito populo isti: Diserte quidem audietis, sed non intelligetis; manifeste quoque videbitis, sed non cognoscetis. Crassum reddito cor populi huius et aures eius fac difficiles, oculos autem ei obnubito, ne vel oculis videant, vel auribus suis audiant vel corde intelligant, quo

redeuntes saluti restituantur. Hic ego suscipiebam: Quousque Domine mi? Donec, inquit, urbes habitatore destituantur, in domibus nullus sit homo, et tellus inculta iaceat.

Longissime enim ablegabit Dominus homines, eritque desolatio multa in terra. Attamen iterum in ea decimatio: restituetur enim ut denuo sit pascua. Quin etiam sicut quercus et terebinthus fructus suos mittunt, sic semen sanctum fructus eius erit.

CAPUT VII.

Factum est autem regnante Ahaz filio Iotham filii Uziae regis Iuda, ut Rezin rex Aram, et Paeca filius Romeliae rex Israel, ascenderent Ierusalem, ad expugnandum eam; quam tamen interim non potuerunt expugnare. Nunciatur itaque domui David, quod Syrus societatem iniisset cum Ephraim: quae res tam ei quam populo ipsius parem trepidationem, atque in silva patiuntur arbores vento perculsae, attulit. Dixit ergo Dominus ad Isaiam: Age egredere tu et filius tuus Iasub, quem reliquum habes, ut convenias Ahazum in ascensu piscinae superioris, in semita agri fullonis. Et dicito ei: Observa ut securus sis, neque timeas aut labascat cor tuum a duobus istis titionibus fumantibus, *hoc est,* a furore Rezin, Syrorum, et Romeliae filii, eo quod malum consilium contra te inierint, Syrus, Ephraim et filius Romeliae sic conspirando: Ascendemus in Iuda et adfligemus eum, atque ad nos transferemus; regem quoque in eo constituemus filium Tabal.

Sic enim locutus est Dominus: Non surget neque fiet *hoc,* sed caput Syriae Damascus, Damasci vero caput Rezin; et post sexaginta quinque annos desinet Ephraim esse populus. Nunc autem Ephraim caput est Samaria et caput Samariae filius Romeliae. Si non credideritis non servabitur vobis fides.

Addidit autem Dominus ut et istud loqueretur ad Ahaz: Postula tibi signum a Domino deo tuo, sive de profundis inferorum, sive superne de excelso. Et respondit Ahaz: Non postulabo neque tentabo Dominum. Dixit ergo *Dominus:* Audite igitur domus David! An parum vobis est dum molesti estis hominibus, nisi et deo meo molesti sitis? Idcirco daturus est vobis signum Dominus ipse. Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabit nomen eius Immanuel. Butyro et melle vescetur, usque dum sciat aversari malum et eligere bonum. Veruntamen priusquam sciat puer aversari malum et eligere bonum, deserta erit terra, cui tu times, a duobus regibus eius. Adducet etiam Dominus cum super te, tum super populum tuum, et domum patris tui tempora, qualia non fuerunt ab his diebus, quum deficeret Ephraim a Iuda, regem *videlicet* Assyriorum. Eo quoque tempore sibilabit Dominus et muscae quae est circum flumen Aegypti, et apibus quae sunt in terra Assyriorum; quae omnes venient et obsidebunt intima vallium, foramina petrarum, frutetum omne omnemque recessum. Eo item tempore radet Dominus novacula transflumen mercede conducta, rege *scilicet* Assyriorum, et capitis pilum et pedum, ipsam quoque barbam demetet.

Futurum etiam est eo tempore, ut quisquis victitet bucula una,

ovibus autem duabus; tum fiet ut per ubertatem nati lactis butyrum comedatur. Oportebit enim butyro et melle vesci omnes qui in terra superfuerint. Eo denique die vinea mille vites habens, et mille drachmis coemta, in vepretum ac spinetum vertetur. Ut enim ille spiculis et arcubus eo perveniet: sic omnia per universam regionem vepres erunt ac spinae. Ad montes autem omnes, qui hactenus sarculo sarriebantur, non ascendes, metu spinarum ac veprium; sed mittetur illo armentum, pecudes quoque isthic errabunt.

CAPUT VIII.

Dixit ergo iterum ad me Dominus: Corripe tibi paginam magnam, et scribe in eam stilo et more humano *Maherschalal* et *Haschbaz*, ut properet ad praedandum, festinet ad spoliandum. Asciscebam ergo mihi testes fide dignos, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiae. Deinde ibam ad prophetissam, quae iam conceperat et enixa erat filium. Hic dicebat ad me Dominus: Impone illi nomen *Maherschalal Haschbaz* (*quae significant si Latine interpreteris*) festinus spoliator, rapidus praedo. Quia antequam sciat puer effari prima ista *Abi* aut *Immi*, hoc est, Pater mi et Mater mea, tollet opes Damasci et praedam Samariae opera regis Assyriorum. Iterum locutus est ad me Dominus ista: Quandoquidem abhorret populus iste ab aquis Siloah sensim defluentibus, ipso autem Rezin ac filio Romeliae gaudet: idcirco ecce Dominus corrivabit in eum aquas fluviorum fortium et ingentium, videlicet regem Assyriorum, cum omni potentia sua. Qui superato undique alveo suo, et egressus ultra omnes ripas suas, redundabit in Iudam, refluens et transiens, usque dum collum eius ambiat. Futurumque est, ut extensione alarum suarum impleat latitudinem terrae tuae, o Immanuel!

Coite in concionem populi, et congregemini et auscultate omnes longinqui terrae! accingamini et congregemini! inite consilium, et fiet irritum. Constituite super re aliqua et non perficietur, nisi nobiscum deus.

Sic enim locutus est ad me Dominus, paedagogi instar apprehendens manum meam ac erudiens, quo minus incedam in via populi huius, dicens: Coniurationem nolite condicere ulli qui moneat: populus iste coniuravit; sed metum eius populi non recipiatis, et non formidetis! Dominum autem exercituum sanctificate! Hunc metuite; hunc formidate! Ille enim est et sanctificatio et lapis offensionis; ruinae petra, laqueus ac tendicula utrique domui, scilicet Israeli et his qui Hierosolymis habitant. Et offendent ad eum multi, cadent, frangentur, irretientur et capientur. Complica, *nunc ait Dominus*, contestationem *hanc*, legemque obsigna cum doctis meis! Expectabo igitur Dominum, qui faciem suam a domo Iacobi abscondit, et sperabo in eum, ego ipse et pueri quos dedit mihi Dominus, ut miraculo et portento sint in Israel propter Dominum exercituum, qui habitat in monte Zion. Quum ergo dicent vobis (*o discipuli Domini, pueri mei*): Consulite astrologos, divinatores, sortilegos et incantatores! *respondete:* Nonne quaeque gens deos suos consulit, tam de vivis quam mortuis? Porro cui deest lux

aut intellectus, legem et contestationem *audiat*, annon consentiant vobiscum! Quod si legem negligat, impinget et esuriet; quumque esurierit succensebit, et maledicet regi suo et deo suo. Quum vero aut sursum versum aut terram spectabit, ecce angustia et tenebrae, circumvolans tribulatio et seductrix nebula; quae non avellitur ab eo qui contristatus erit.

CAPUT IX.

Quemadmodum superiori tempore visum est: terra Zabulon et terra Nephtali primum quidem leviter affligebantur ab ea parte quae vocatur via maris, trans Iordanem, Galilaea gentium; postea vero gravissime adfligentur. Populus autem, qui hactenus in tenebris ambulat, videbit lucem magnam, et habitantibus in terra mortalis umbrae lux illucescet; sed multiplicabis gentem, et non magnificabis laetitiam? Laetabuntur apud te, quemadmodum gaudetur in messe, et quemadmodum exultant in divisione praedae suae *victores*. Quia iugum oneris eius gentis, baculum humeri eius et virgam exactoris eius confringes, sicut in die Madian. Sed et omnis violentia, tumultuatio, imo vestis sanguine conspersa fomenta erunt incensi ignis. Puer enim nascetur nobis, et filius dabitur nobis, cuius humeris imponetur imperium; et adpellabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater aeternus, princeps pacis. Hic proferendi imperii, servandae tamen pacis, finem non faciet in solio David et regno eius sedens, ut fulciat ipsum aequitate et iustitia, hinc usque in aeternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc. Verbum vulgavit Dominus in Iacobo et incidit in Israelem, quod universus populus agnoscit Ephraim et cives Samariae, quum per fastum et cordis elationem dicunt: Lateritia corruerunt, sed quadro lapide aedificabimus; sycomori fractae sunt, sed cedros sufficiemus. Eriget ergo Dominus eum reliquis hostibus Resin quoque super eos, quos sic temperabit, ut Syrus a fronte et Palaestini a tergo Israelem *adoriantur*, ac toto rictu devorent. Atque secundum haec omnia, non remittet ira eius, sed ultra extendet manum suam. Nam et populus non redit ad eum qui se percussit, et Dominum exercituum non quaerunt. Excindet igitur Dominus de Israele caput et caudam, ramum et iuncum die una. Senem et auctoritate praeditum per caput intellige; per caudam vero prophetam qui mendaciter prophetat. Qui enim populum istum beatum praedicant futurum, seductores; et qui beati putantur in ipso, perditissimi sunt. Idcirco iuvenibus eorum non gaudet Dominus, et erga pupillos et viduas eorum immitis est. Quia omnes hypocritae sunt et maligni, et omnes stulta cogitant. Atque secundum haec omnia nihil remittet ira eius; sed ultra extendet manum suam. Quoniam ardet impietas, haud secus quam ignis qui sentibus et spinis alitur; et sicut in incendio, quod in vepres silvae incidit, sic prosiliunt superbiae fumi. In ira ergo Domini exercituum conflagrabit terra eritque populus vice fomenti ignis: nemo enim cuiquam parcet. Et si quis ad dexteram se vertet, esuriet; si ad sinistram eat ut comedat, famelicus permanebit. Comedet quisque carnem brachii sui. Manasse comedet Ephraim, et Ephraim Manasse.

Deinde hi simul Iudam quoque comedent. Atque secundum haec omnia nihil remittet ira eius; sed ultra extendet manum suam.

CAPUT X.

Vae qui conditis leges iniquas et difficilia ad servandum statuitis, ut nunquam non incidant pauperes, et litibus ac iudiciis diripiantur humiles populi mei, vidua vobis praeda fiat et pupillum spolietis! Quid enim facietis in die visitationis et discriminis de longinquo venientis? Ad quem confugietis pro auxilio? aut magnitudinem vestram ubi deponetis, quo minus ad compedes redigamini aut inter occisos cadatis? Secundum haec omnia non remittet ira eius, sed ultra extendet manum suam.

Vae Assyrio quoque baculo furoris mei, qui virgam indignationis meae in manu sua tenet! Eum enim in gentem hypocriticam mittam. et ad populum qui meam indignationem commeruit amandabo, ut omnia diripiat ac depraedetur, et instar luti quod in plateis est conculcet. Attamen ipse rem non sic perpendit neque sic cogitat cor eius; sed huc spectat cor eius, ut gentes quam plurimas vastet atque excindat. Dicit enim: Num non sunt reges principes mei? Num maioris erit operae Calenum superare quam Charchamim? Num inferioris, Antiochiam capere quam Arphad? Damascum quam Samariam? Quasi vero mea virtute ea regna paraverim, in quibus idola et sculptilia coluntur; Hierosolymam vero et Samariam non possim? Annon quemadmodum feci Samariae et diis eius, Hierosolymis et simulacris eius facere potero? Futurum est igitur, ait Dominus, quum perfecero omne opus meum in monte Zion et Ierusalem, ut visitem et istum magnificum albae gallinae filium, regem Assyriorum, et fastuosum supercilium oculorum eius. Sic enim de se sentit: Virtute mea ista facio atque sapientia: sum enim prudens. Fines gentium sustuli; principes earum spoliavi ac velut gigas in sublimi sedentes detraxi. Facta est manus mea exercitibus populorum sicut nidus. Omnem enim terram ad me collegi, perinde ac dispersa ova in unum colliguntur; et non est interim qui alam movere audeat, qui os adaperiat aut mussitet. Sed num gloriatur securis adversus eum, qui ea ad secandum utitur? aut serra sese magnificat adversus eum qui eam tractat? Quod perinde esset ac si virga sese elevaret contra eum qui ipsam fert, et baculus sese extolleret quasi lignum non esset. Idcirco mittet Dominus deus exercituum tenuitatem in abundantiam eius, et in potentiam eius ignis incendium suggeret. Erit autem lucerna Israelis ignis, et sanctuarium eius flamma, quae incendet ac devorabit vepres et spinas eius die uno; splendor quoque silvarum eius et collium anima et corpore, *hoc est*, *penitus*, consummabitur. Profligato denique ac profugo similis erit. Arbores autem silvae eius reliquae ad eum numerum redigentur, ut puer eas recensere aut conscribere possit.

Eo tempore non ultra nitentur reliquiae Israelis, et qui de domo Iacobi servati erunt, eo qui se percussit; sed nitentur domino sancto Israelis ex fide. Reliquias dico reversuras esse, reliquias inquam Iacobi ad deum heroem fortem. Nam etsi, o Israel, populus tuus sit sicut arena maris: pauci tamen ex eis revertentur ad eum. Stat sententia

eius qui abundat iustitia. Unde et certam atque indubitatam rem faciet Dominus deus exercituum in medio universae terrae. Ideo sic locutus est Dominus deus exercituum: Ne formides popule meus, qui in Zion habitas, ab Assyrio! Virga quidem percutiet te, et baculum suum levabit in te, quemadmodum Aegyptii aliquando fecerunt; sed post pusillum, imo minus pusillo, impleta erit mensura indignationis et irae meae, *inquit*, in scelera eorum. Incitabit ergo in eos Dominus exercituum flagellum, sicut in Madianitas olim in petra Oreb et sicut virgam suam levavit super mare, atque percutiet quemadmodum Aegyptios. Tunc adimetur onus eius de humero tuo, et iugum eius de collo tuo; quin prae pinguedine putrescet iugum. Veniet ille quidem ad Aiath, hinc proficiscetur in Migron, in Machmas recensebit exercitum suum: isthic vadum transibunt, et Gabaam divertent. Formidabit Rama, Gabaa Sauli fugiet. Hinnitu resonabit filia Gallim, qui usque Lais et humilem Anathot exaudietur. Trepidante Madmena, cives Gebim aequo animo sitis! Isto enim adhuc die in Noba permanebit; hinc manum suam vertet ad montem filiae Zionis, et collem Hierosolymae. Sed ecce Dominus deus exercituum pavore gloriationem istam amputabit; praelonga statura praeditos succidet humiliatique erunt sublimes. Vepreta silvae ferro excindet et Libanus potentium cadet.

CAPUT XI.

Tandem prodibit surculus de stirpe Iesse et germen de radice eius nascetur, super quo spiritus Domini requiescet, spiritus ille sapientiae et intelligentiae, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae ac timoris Domini, et commendabilem eum faciet timore Domini. Non enim ad aspectum oculorum suorum iudicabit, neque ad famam, quae ad aures eius adferatur, arguet; sed cum iustitia iudicabit pauperes et cum aequitate arguet humiles terrae. Terram percutiet virga oris sui; ipso autem spiritu labiorum suorum interficiet impium. Erit autem iustitia cingulum lumborum eius, et veritas ac fides balteus laterum eius, ut habitet lupus cum agno, pardus cum hoedo accubet; identidem iuvencus leo et quodvis pecus simul sint, sic ut parvus puer ea regat. Vacca et ursa erunt unum armentum, ac eodem loco catulos suos conservabunt. Leo paleas comedet sicut bos. Hic lactens adhuc delectabitur aspidis antro; quumque ablactatus erit, extendet manum suam ad cubile reguli. Nemo male adficiet aut vastabit alium per omnem sanctum montem meum: plena enim erit terra scientia Domini, perinde ac dum aquae maris omnia tegunt.

Tunc quoque usu veniet, ut radicem Iesse (quae stat in signum populorum) gentes requirant: erit enim habitatio eius honorifica.

Tunc iterum conabitur Dominus adserere reliquias populi sui, quas reliquas fecit ab Assyrio, ab Aegyptio, ab Arabe, ab Aethiopibus, ab Elamitis, a Chaldaeis, ab Antiochenis et ab insulis maris. Gentibus tunc quoque signum dabit, et colliget dispersos Israelis, et dispersos Iudae congregabit a quatuor plagis terrae. Ephraim odio levabitur, et hostes Iudae excindentur. Quin et Ephraim non aemulabitur Iudam, neque Iudas Ephraimum hostiliter persequetur; sed simul

volabunt Occidentem versus in humeros Palaestinorum, simul praedabuntur eos qui ad Orientem sunt. Idumaei et Moabitae submittent eis manus; filii Ammonis parebunt eis. Et devovebit Dominus oram quoque maris Aegyptiaci, ferendo manum suam super flumen cum vento valido, et percutiendo septem ostia eius, ut pedibus transiri possit. Et patebit iter populi sui reliquiis, quae reliquae erunt ab Assyriis, quemadmodum patebat Israeli, quum ascenderet ex Aegypto,

CAPUT XII.

ut tunc sic dicturus sis: Gratias ago tibi Domine, quoniam iratus eras mihi; sed mutato vultu misertus es mei. En Deus salvator meus est, fidam eo et non formidabo: quia fortitudo et laus mea Dominus deus est, hic erit refugium meum. Haurietis aquas cum gaudio de fontibus salvatoris et dicetis eo die: Gratias agamus Domino, evehamus nomen eius, praedicemus in populis consilia eius memoresque simus, quia excelsum est nomen eius! Psallamus Domino quoniam ardua fecit, ut sciantur per universam terram! Hinni et exulta quae habitas in Zione, quia magnus est princeps tuus sanctus Israelis.

CAPUT XIII.

Excidium Babylonis, quod praevidit Isaias filius Amoz. Date signum monti edito! intendite vocem ad eos! annuite manu, ut se intra portas recipiant principes! Ego enim, *ait Dominus*, nunciabo devotis meis, et vocabo fortes meos, atque eos qui maiestate mea gaudent, ut indignationem meam perficiant. *Videbar igitur audire* e montibus vocem similem populi ingentis et tumultuantis; vocem fragoris, quasi regna Gentium in unum coivissent, cuius imperator esset Dominus exercituum; quasi venirent de longinquis regionibus, et de finibus coelorum, quum Dominus ipse tum ministri et milites indignationis eius, ad perdendum universam terram. Ululate igitur, quoniam prope est dies Domini, quae sicut vastator ab omnipotente aderit; quoniam omnes manus dissolventur et omnia virorum corda liquescent. Stupebunt, angustiis et torminibus correpti; et sicut parturiens foemina dolebunt. Quisque horrebit ad proximum suum, et pudore inflammabuntur vultus eorum. Ecce enim aderit dies Domini, plenus atrocitate, indignatione, ira, furore, donec redigatur terra in solitudinem et eliminetur scelus ex ea. Nam stellae et planetae coelorum non reddent lumen suum, sol extinguetur in ortu suo et luna negabit lumen suum. Visitabo, ait Dominus, malitiam orbis et impiorum scelera mulctabo. Fastum superborum compescam et tyrannorum insolentiam deiiciam. Pretiosiorem faciam virum auro mundissimo, et hominem massa auri ex Ophir. Quocirca coelum concutiam sic, ut terra loco suo moveatur. Haec, inquam, usu venient Babyloni in indignatione Domini exercituum, et in die furoris irae eius. Et erit homo ceu dama fugax, et sicut grex quem nemo colligit. Quisque ad proximum suum se convertet, quisque ad terram suam confugiet. Qui solus invenietur confodietur, et qui concursabit ferro cadet. Liberi eorum allidentur in conspectu eorum; domus eorum diripientur et violabuntur uxores eorum. Ecce

enim ego Medos incitabo in eos, qui argentum nihili aestiment neque ament aurum; a quibus adolescentium arcus confringetur, qui uterum ferentium non miserebuntur, quorum vultus natis non parcet. Et evertetur Babylon regnorum facile princeps, et splendoris Chaldaeorum decus; quemadmodum evertit Dominus Sodomam et Gomorrham. Non habitabitur in perpetuum, et nemo versabitur in ea a generatione in generationem. Non figet ibi tabernaculum Arabs neque pastores eo pecus agent; sed ferae cubabunt isthic et bubones implebunt domus eorum, struthiones isthic habitabunt et saltabunt ibi Satyri. Alternis canent ibi noctuae in aedibus Babylonis, et dracones sese in palatiis oblectabunt.

CAPUT XIV.

Atque tempus eius ad veniendum properat et dies eius nihil cunctantur. Contra vero propitius erit Dominus Iacobo, et Israelem denuo eliget et ad terram suam eos reducet. Adhaerebunt eis advenae et iungentur domui Iacobi. Capient populos et ducent ad locum suum, possidebitque eos domus Israel in terra Domini in servos et ancillas. Et captivos ducent eos quorum captivi fuerant, et imperabunt eis qui sibi imperaverant.

Quum ergo requiem dabit tibi Dominus a labore ac tremore tuo, et a servitute tua gravi, qua saevitum est in te: assumes threnum istum super rege Babylonis, ac dices: Quomodo cessat exactor, cessat aurum tributarium? Contrivit nimirum Dominus virgam impiorum, sceptrum dominantium. Qui quum iratus est populos percutit plaga insanabili; quum succenset domat Gentes, et persequitur sine intermissione. Quieta ergo nunc et tranquilla est omnis terra, et exultatione gestit. Quin et abietes et cedri Libani super tuo casu laetantur dicentes: Posteaquam tu iaces, nemo est qui ascendat ad incidendum nos. Inferi commoti sunt sub adventum tuum; gigantes et omnes principes terrae in occursum tuum prodierunt; omnes reges Gentium de soliis suis surrexerunt. Hi omnes alternis te celebrant et dicunt ad te: An et tu quoque sicut nos vulneratus es, et nostri similis factus? Detractus est ad inferos fastus tuus cum turba vanitatum tuarum. Subter te sternetur tinea; operimentum tuum erunt vermes. Quomodo decidisti coelo Lucifer, aurorae fili? Ad terram adflictus es qui imperabas gentibus? Quum tamen sic in corde tuo cogitaveris: Coelos conscendam; sursum secundum stellas coeli exaltabo solium meum; sedebo in monte celeberrimo, ad eam plagam unde zephyri spirant; superabo nubium sublimitatem et altissimo aequalis ero. Nunc autem ad inferos detractus es, ad plagam abyssi. Qui te vident propius contemplantur et super te cogitant: An ne hic est vir iste qui terram terruit, qui regna concussit, qui orbem deserto similem reddidit, urbes autem eius excidit, captivos suos non emisit domum? Qui factum est, ut quum omnes omnium gentium reges cum gloria dormiant quisque domi suae, tu vero abiectus sis e sepulchro tuo ceu degener planta? velut exuviae interfectorum qui ferro confossi sunt? instar eorum qui ad lapides abyssi descendunt, tanquam cadaver proculcatum? Idcirco autem non es socius sepulturae eorum, quoniam

terram tuam perdidisti, populum tuum occidisti. Ignominiosa enim est in perpetuum posteritas facinorosorum, filiis eorum quaeritur exitium propter parentum iniquitatem, ne postliminio erigantur et regnum possideant ac orbem impleant munitionibus. Surgam, ait Dominus exercituum, et excindam Babylonis nomen, et reliquias cum filiis et nepotibus, ait Dominus. Fibris locabo eam, in aquarum stagna redactam, scopa quoque vastatrice verram eam, ait Dominus exercituum. Quin et iuravit Dominus exercituum dicens, omnino sic fore quomodo cogitavit, et sic firmum futurum quemadmodum statuit. Conteram, inquit, Assyrium in terra mea et in montibus meis conculcabo eum. Adimetur a vobis iugum eius, et onus eius de humero vestro auferetur. Sic habent consilia quae Dominus statuerit super universam terram; sic et manus extenditur ad cunctas gentes. Domino enim exercituum aliquod constituente, quis ipsum faciet irritum? quum extenderit manum suam quis reflectet eam? Anno quo mortuus est rex Ahaz, sic minatus est Deus per Iesaiam: Ne laeteris tu Palaestina universa, quasi comminutus sit baculus percutientis te! Nam de radice colubri nascetur aspis et foetus eius prester volans. Et depascent optima pauperes et egeni secure habitabunt. Radicem vero tuam fame extinguam et reliquias tuas ille interficiet. Ululate portae, clamate urbes, commoveare tu Palaestina universa! quoniam ab Aquilone fumus veniet, cuius densitatem nemo sustinebit. Quam tunc satisfactionem legati Gentium adferent? Zion autem firmabit Dominus, et ea fident pauperes populi eius.

CAPUT XV.

Onus aut visio, quam revelavit Dominus Isaiae super Moab. Vidi quod nocte vastaretur ac domaretur Ar Moab, quod nocte vastarentur ac domarentur muri Moab. Ascendebat ad excelsa Baith et Dibon ad flendum; in Nabo et Medeba ululatus Moab audiebatur. In cunctis capitibus eius calvitium erat et omnis barba tonsa. In compitis eius sacco cincti erant; in tectis autem et plateis eius universi ululabant, inque fletum solvebantur. Clamabant Hesebon et Eleale, ut vox earum usque ad Iahaz audiretur. Miles quoque Moabita, quum classicum caneretur, ex animi sui dolore clamabat: Proh dolor Moab cordi meo! simulque fugam capessebat versus Zoar vitulam conternantem, et per clivum Luhith cum fletu ascendebant. Ea etiam via, quae Horonaim ducit, clamore contritionis resonabat. Aquae Nemrim erant desertae, et exaruerat foenum, defecerat herba, et viride nihil supererat. Ad eundem modum quicquid reliquum fecerant rerum suarum, secundo flumine Arabiam deportabant. Quid multa? Clamor permeabat omnes terminos Moab, ut ab Eglaim usque, ad Beer Elim omnia unus essent ululatus. Aquae Dimon cruoris erant plenae, quia hostis posuerat isthuc insidias veluti leonis, tam his qui ex urbe quam qui ex agro evasissent.

CAPUT XVI.

Mittebat ergo magistratus terrae militem, a petra deserti ad montem filiae Zion (erant enim filiae Moab interim ad vadum Arnon similes

aviculae trementi et nido pulsae), *qui sic urgebat*: Cogite senatum, inite consilium, coagmentate in noctem umbram vestram in ipso meridie! Abscondite profugos et vagos ne prodatis! Habitent apud vos profugi nostri Moabitae; estote nobis latibulum a facie vastatoris! quoniam profanat hostis, perdit extirpator, consumit conculcator de terra; solium vero *regni vestri* misericordia plenum est. Qui ergo in eo sedet, ex fide et veritate tanquam e tabernaculo David iudicet, aequitatem quaerat, et iustitiae festinet subvenire! *Cui postulationi sic respondebatur*: Nota est superbia Moab. Ut enim vehementer superbus est: ita arrogantiae, fastui et furori fortitudo eius non respondet. Quocirca Moab casum suum sibi queratur, quo totus ululet, fractusque ad pedem coctilis muri nequicquam meditetur! Ipsa quoque suburbana Hesebon vastata videbam. Vineta Sibmae nobili vite consita, quae usque ad Iazer portendebant et errabant ad desertum, palmites vero suos spargebant trans mare, principes gentium succiderant. Quapropter fletu meo deplangebam Iazer et vineta Sibmae. Rigabam lacrimis meis Hesbonam et Elealen, quod in messe et vindemia earum celeusma periisset. Sublatum erat gaudium et laetitia, tam de arvo quam de vinea, ut neque exultaretur neque iubilaretur. Vinum calcator in torculari non calcabat, celeusma conticuerat. Idcirco venter meus instar chelis remurmurabat propter Moab et viscera mea propter murum coctilem. Quum enim vidisset Moab quod laborarent res suae, ad excelsa et sanctuarium suum ibat ad supplicandum; sed nemo ferebat auxilium. Hic est sermo quem loquebatur Dominus tunc super Moab; nunc autem locutus est Dominus hoc modo: Post tres annos tolletur potentia Moab cum omni pompa et opulentia, quae multa est, quemadmodum mercenarius impletis annis liber fit, et reliquiae eius pauciores erunt paucis ac pretii minimi.

CAPUT XVII.

Onus vel adflictio, quam revelavit de Damasco Isaiae Dominus. Ecce Damascus ex urbium numero tolletur et erit vasta ruina. Urbes Aroer gregibus relinquentur, et cubabunt isthic ut nemo exterreat, simulque cessabunt Ephraim firmus esse et Damascus regnum. Gloria quoque reliquiarum Syriae similis erit gloriae filiorum Israelis, ait Dominus exercituum. Tunc autem extenuata erit gloria Iacobi, et crassitudo carnis eius macilenta: similis enim erit ei qui stantem adhuc messem congregat. Is brachio quidem suo manipulos demetit; sed cum colligit aut comprehendit manipulos, etiam in valle Rephaim, spicilegium tamen reliquum facit. Similis erit oleam excutienti, quae duas aut tres baccas in summo fastigio, quatuor autem vel quinque in ramis suis in universum habet, ait Dominus deus Israel. In tempore illo redibit homo ad factorem suum, et oculi eius ad sanctum Israelis respicient; non respiciet ad aras, opus manuum suarum, nec intuebitur ea quae fecerunt digiti sui, neque ad lucos neque ad imagines.

In tempore illo desertae erunt munitae civitates eius, quemadmodum desertae fiebant aliquando crates et gerrae, quas deserebant metu filiorum Israelis; quoniam oblita es dei salvatoris tui et fortis petrae tuae

non meministi. Idcirco plantationem tam amoenam plantavisti, surculum peregrinum scilicet quem consevisti. Eo quidem die quo plantabas aucta eras, et maturrime seminis tui fructum promittebas. At eo die quo fructus colligendus ac possidendus erit, cumulatim demetes afflictionem et dolorem. Vae turbae populorum multorum, instar maris tumultuantium, et abundantiae gentium, quae instar aquarum immanium exundant! Esto enim, populi aeque ac multae et enormes aquae inundent: attamen protinus, ut eos *Dominus* increpat, quam longissime aufugiunt, ac ventilantur ceu pulvis montanus a vento, et sicut a procella turbo. Ecce enim ut ad vesperam sint maxime formidabiles, ante auroram nulli sunt. Haec est pars eorum qui nos depraedantur, et sors eorum qui nos diripiunt.

CAPUT XVIII.

Vae terrae cuius navigia sunt alata, quae cis flumen Aethiopiae sita est, quae per mare legatos mittit, id autem in navibus harundinaciis sive scirpeis, aquae impositis! Ite, inquient, nuncii veloces ad gentem peregrinam et agrestem, ad populum formidabilem et nostro isto longe ulteriorem, ad gentem vilem et proculcatam, cuius terram flumina dirimunt! Quin vos omnes, qui orbem colitis et terram inhabitatis, attenti estote, ut quum signum detur in montibus videatis, et quum cornu classicum canatur audiatis!

Quoniam sic est Dominus ad me locutus: Quiescebam et contemplabar in habitaculo meo, quum aestus ferveret in meridie, quum caumatis rorulenta esset nubecula, quemadmodum in messe solet; sed antequam fruges essent maturae ad messem, et adhuc botri germinarent et crescerent. Erat ergo, qui botros falce recideret, imo ipsos palmites incideret ac tolleret. Residua ex aequo volucribus montium et bestiis agri relinquebantur, ut et volucres isthic excubarent et hiemarent isthic bestiae agri. In tempore isto offeretur munus Domino exercituum gentis peregrinae et agrestis, populi formidabilis et ulterioris quam hic sit, gentis perfidae et proculcatae, cuius terram segregant flumina — Domino exercituum, inquam, offeretur, ad locum nomini eius consecratum, ad montem Zion.

CAPUT XIX.

Onus aut adflictio quam revelavit de Aegypto Isaiae Dominus. Ecce Dominus equitabit super nubem levem et veniet in Aegyptum. A cuius adventu Aegypti idola vacillabunt et cor Aegypti in ipso defluet. Et committam *ait Dominus* Aegyptios cum Aegyptiis, ut pugnent quisque contra fratrem aut proximum suum, civitas contra civitatem, regnum adversus regnum; et crepet spiritus Aegypti intra ipsum. Consiliumque eius dissipabo quum idola consulet, magos, pythones ac divinos. Tradam enim Aegyptum in manus dominorum immitium, et rex violentus imperabit eis, ait Dominus deus exercituum. Aquae maris haurientur, et Nilus arescet et exiccabitur. Haurientur et flumina; rivi quoque aggerum extenuabuntur et deficient;

marcescent calamus et iuncus. Gramina quae ad fluminum labia virescunt et cuncta sementis, quae iuxta flumen est, arescent; reiecta erunt, ac nullius pretii. Moerebunt piscatores; lugebunt omnes qui hamum in fluvium eiiciunt, et qui retia ad aquas expandunt languebunt. Erubescent, qui linum faciunt et sericum quique byssum texunt. Omnes, qui lacunas ac vivaria faciunt, conterent aggeres eorum. Quin et stultorum principum Zoan et consiliariorum Pharaonis consilium stultescet. Qui qua fronte ad Pharaonem audetis dicere: Ego de sapientum, ego vero de priscorum regum stirpe satus sum? Ubinam, ubi quaeso sunt sapientes tui? Exponant obsecro tibi ac notum faciant, quid consilii ceperit Dominus de Aegypto! Stulti principes Zoan et elati principes Mempheos seducunt Aegyptum altitudine prosapiae suae. Dominus enim temperabit in medio eius spiritum erroris, ut seducant Aegyptum in omnibus rebus, quemadmodum seducitur ebrius et vomens. Deerit Aegypto consilium ad gerendum res: unde potissimum sit ordiendum, et ubi finiendum, sive terra sive mari. Tunc erit Aegyptus mulierum similis, pavens ac stupens ab elevatione manus Domini exercituum, quam elevabit super eam. Terra quoque Iuda terriculamentum erit Aegypto, ut quocunque mentionem eius apud ipsam faciente expaveat metu consilii Domini exercituum, quod iniit adversus eam.

Tunc erunt quinque civitates in terra Aegypti, quae loquentur lingua Chananaica, et iusiurandum praestabunt Domino exercituum; unius earum nomen est Heliopolis. Tunc etiam erit ara Domino in medio Aegypti et statua Domino inscripta iuxta eam, ut sit in signum et testimonium Domino exercituum in terra Aegypti; ut quum ad eum clament metu oppressorum, mittat eis salvatorem ac ducem qui liberet eos. Familiares habebit Dominus Aegyptios ac vicissim cognoscent Aegyptii Dominum. In die illa colent eum hostiis et muneribus; votum quoque novebunt Domino et reddent. *Hoc pacto* percutiet Dominus Aegyptios et sanabit; *hoc pacto* revertentur ad Dominum, et *hoc pacto* propitius erit eis et sanabit eos. Tunc tritum erit iter ex Aegypto in Assyriam, et commeabunt Assyrii ad Aegyptios et Aegyptii ad Assyrios; et eundem cultum habebunt Aegyptii cum Assyriis. Tunc perficiet Israel cum Aegyptio et Assyrio triadem beatam in medio terrae. Quam et Dominus exercituum benedicet dicendo: Benedictus populus meus Aegyptus, opus manuum mearum Assyrius, hereditas autem mea Israel.

CAPUT XX.

Anno quo venit Tharthan Azotum, quum misisset eum Sargon rex Assyriae, et expugnavit et cepit Azotum — eo inquam tempore locutus est Dominus ad Isaiam filium Amoz hoc modo: I atque adime saccum de lumbis tuis, et de pedibus tuis calceamentum tuum solve! Qui sic faciebat nudus et discalceatus incedens.

Et dixit Dominus: Quod servus meus Isaias nudus et discalceatus incedit, signum atque portentum est eius, quod post tres annos Aegypto atque Aethiopiae usu veniet. Sic enim aget Assyriae rex captivorum

Aegypti et extorrium Aethiopiae, tum iuvenes, tum senes, nudos et discalceatos, et discooperiet verenda Aegyptiorum. Emorientur ergo mutua verecundia, Aegyptii a conspectu Aethiopum et Aethiopum splendor ab Aegyptiis; dicentque habitatores insulae huius in die illa: Siccine habet spes nostra, ad quam confugiebamus pro auxilio, ut liberaremur a rege Assyriorum? Quomodo evademus?

CAPUT XXI.

Onus inhospiti maris. Visio dura nunciata est mihi; non aliter quam quum procella, Africo lata, a deserto, terra formidabili, advenit. Insidians insidietur, vastans vastet! Ascende Elam, obside Mede! Omnem gemitum eius compescam. Ad has voces implebantur consternatione renes mei; tormina invadebant me instar torminum parturientis. Audiendo concidebam, videndo stupebam, cor meum palpitabat, turbabat me tremor, caligo vertebat mihi omnem sensum meum in stuporem. *Audiebantur et istae voces*: Subito ponatur mensa, intenti sint excubitores, edatur, bibatur! Surgant principes ac clypeos convellant! Quoniam sic praecepit mihi Dominus: I constitue speculatorem, qui quod viderit nunciet! Ille ergo quum contemplatus esset contemplatione multa et diligenti: vidit par equitum, quorum alter asino, alter vero camelo vehebatur. Et clamabat leonis instar: Ego o here mi ad excubandum steti iugiter per diem; ego quoque ad stationem meam constiti per totam noctem. Et ecce vir quidam venit biiugis vectus, qui nuntium attulit ac dixit: Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum eius ad terram adflicta sunt. Haec sunt o comministri et cooperarii mei, quae a Domino exercituum accepi nuncianda vobis.

Onus Dumae. Visus sum mihi audire qui de Seir clamaret: Custos quid per noctem sensisti? custos quid per noctem sensisti? ipsumque custodem sic respondere: Adest dies, succedet iterum nox. Quod si inquirendi studio flagratis, inquirite, revertimini, venite! Onus contra Arabes. In saltu ad vesperam pernoctabitis itinere Dedanim. Sed o cives Themae, obviam proferte aquam sitienti! cum pane fugienti occurrite! Fugient enim a facie ferri, a facie gladii districti, a facie arcus extenti, et ab ingravescente pugna. Quoniam sic est Dominus ad me locutus: Post annum finietur omnis potentia Cedar, quemadmodum annis mercenarii impletis servitium eius cessat; reliquiae vero sagittariorum Cedar in arctum contrahentur: Dominus enim deus Israel locutus est.

CAPUT XXII.

Onus vallis visionis. Quid negotii tibi hoc loco est, ut universa conscenderis super tecta, o admirationis plena, urbs tumultuosa, civitas petulca? quum interfecti tui non sint ferro interfecti neque in pugna occisi. Omnes enim duces tui insoensis equis extra telorum iactum abierunt; imo tui omnes simul elapsi sunt et longissime aufugerunt. His auditis dicebam: Recedite a me ut amaro fletui indulgeam! neque operam date ut me consolemini super vastatione populi mei! Haec est enim dies conturbationis, conculcationis ac perplexitatis vallis visionis,

Domino deo exercituum murum diruente, ut frager in montibus resonet. Videbantur autem Elamitae pharetras tollere et cum curribus equites accingi; parietes quoque clypeis nudari. Implebantur electae valles tuae curribus; eques incunctanter portas adoriebatur. Tunc adimebatur operimentum Iudae, et armamentarium domus saltus patebat. Videbitis ergo scissuras civitatis David quarum multae erunt, et colligetis aquas piscinae inferioris. Domus quoque Hierosolymae recensebitis ac diruetis ad muniendum murum. Facietis et paludem inter duos muros aquis piscinae veteris, non habita ratione eius qui eam fecit, quique eam ab antiquo concinnaverit non considerabitis. Vocabit itaque Dominus deus exercituum illa die ad fletum et luctum, ad calvitium et indumentum sacci; dum ecce isti gaudio et laetitia dissolvuntur. Caedendo boves, oves mactando, edendo carnes, et bibendo vinum dicunt: Edamus ac bibamus! cras enim moriemur. Quod quum expositum esset in auribus Domini exercituum: Non expiabitur hoc scelus vestrum nisi morte vestra, ait Dominus deus exercituum.

Sic etiam locutus est Dominus deus exercituum: I ingredere in exedram istam ad Sobnam praetorio praefectum, et dicito ad eum: Quid rei tibi hic est? aut quis tu hic es? cur tibi sepulcrum hic excideris? Caeso enim lapide ambitiosum sepulcrum sibi construxerat constitueratque sibi in petra cubile. Ecce Dominus proiiciet te proiectione vehementi, amiciet amictu novo et veste peregrina vestiet te; tanquam pilam in terram remotam iaciet. Isthic morieris; isthic finietur pompa quadrigarum tuarum, o dedecus domus Domini tui! Expellam te, ait Dominus, de statione tua, atque ordine tuo movebo te. Posthaec vocabo servum meum Eliakim filium Helkiae, et induam eum veste tua; balteo tuo cingam eum et potestatem tuam tradam in manus eius. Eritque pater tum civitatis Hierosolymae, tum domus Iudae; clavem domus David ponam super humerum eius. Quumque aperiet nemo claudet; quum claudet nemo adaperiet. Figam eum clavum in loco summae fidei et conscendet solium gloriae domus patris sui. Omnem gloriam domus patris sui offerent ei, nepotum quoque et pronepotum; omnia quoque vasa, tam maxima quam minima, cum capacibus omnia organica. Haec ergo, monente Domino exercituum, tunc fient, quum evulsus erit clavus iste qui fixus est in loco summae fidei, et onus quod ex eo pendet, fractum, deiectum et extirpatum erit. Dominus enim locutus est.

CAPUT XXIII.

Onus Tyri. Ululate naves Tharsis, quoniam funditus vastata est Tyrus: id autem ab insularum cultoribus, domo sua profectis et eam sibi capientibus. Silent Cypri cives, mercator Sidonius quique negotiando mare transmittit, qui omnes eam frequentabant; cuius frumentum etiam optimum ingentibus aquis pelagi, cuius messis et annona flumine advehebatur. Emporium erat omnium gentium. Piget Sidonem, monente cum omni robore suo mari ac dicente: Utinam nunquam parturivissem, nunquam genuissem, nunquam educavissem adolescentes, aut virgines adornavissem! Aegyptus ut primum audiet, perinde dolebit atque Tyrus

ipsa. Qui trans mare sunt ululant insularum cives. Nonne haec est iucunda illa vestra, cuius antiquitas antiquissima est? Nobilitavit eam miles eius qui longe peregrinabatur. Quis putasset hoc usu venturum esse Tyro *urbium* coronae? cuius mercatores principes, negotiatores autem orbis supremi erant? Dominus exercituum decrevit hoc, ut infirmet fastum omnis magnificentiae et humiliet omnes gloriosos terrae. Transi terram tuam quomodo flumen transitur, o nympha maris; et non invenies cingulum reliquum. Extendit manum suam ad mare *quoque*, qui regna turbabat Dominus quique constituit super Chanaan perdere fortes eius, et dixit: Ne laeteris ultra! Cithaeorum enim vim patieris, o virga filia Zidonis! Surge igitur et transi, etiamsi neque isthic sis requiem habitura! En terra Chaldaeorum! gens erat, quae secundam non haberet. Assyrius condidit eam, sed Satyris; erexit munitiones eius et palatia eius excitavit, sed eandem in ruinam traxit. Ululate ergo o naves maris, quia periit robur vestrum!

Tunc istud quoque Tyro continget: Oblivioni tradetur septuaginta annis, tempore unius regis; et post septuaginta annos usu veniet Tyro, quod meretrici psaltriae, cui dicitur: Sume citharam et circumvagare urbem, o ignobile scortum, ut argute pulsando et omnigena carmina cantando te ipsam nobilites! Sic, inquam, Tyro usu veniet: Post septuaginta annos visitabit Dominus Tyrum et ad sua reducet eam. Quae commercia exercebit cum omnibus regnis quae sunt super faciem terrae; attamen negotiationes ac merces eius sacrosanctae erunt Domino: non enim reponentur neque condentur, sed civium Domini erit negotiatio Tyri in cibum et refocillamentum *egentium*, et in operimentum senum.

CAPUT XXIV.

Ecce Dominus vastabit ac destruet orbem; adfliget faciem eius et habitatores eius dissipabit. Tunc par erit plebi sacerdos, servo dominus, ancillae domina, emtor venditori, fenerator accipienti fenus, exactor debitori. Misere vastabitur ac diripietur terra, quia Dominus eam rem decrevit. Lugebit et concidet terra; flaccescet ac decidet orbis, languescent elati terrae populi. Contaminata est enim terra ab habitatoribus suis, eo quod legem transgressi sunt, mores immutarunt et sempiternum foedus irritaverunt. Idcirco devorabit terram execratio, quoniam habitatores eius deliquerunt. Unde et insanient eruntque mortalium reliquiae paucae. Lugebit mustum, flaccescet vitis, gement omnes qui laeto fuerant corde. Cessabit gaudium tympanorum, fremitus laetantium et citharae iucunditas. Non bibent vinum cum carminibus: zythum amarum erit bibentibus. Urbes vanitati deditae conterentur. Clausae erunt omnes aedes ut nemo ingrediatur. Clamor erit in plateis super vini penuria; omne gaudium occidet migrabitque laetitia terrae. In urbibus relinquetur vastitas, et aerumna portae percutientur. Quoniam sic usu veniet omni terrae atque omnibus populis, quomodo si quis residuas olivas decutiat, aut faciat consummata vindemia racemationem. Qui ergo tunc reliqui fient, elata voce exultabunt, magnificentiam Domini de mari cantando, et in speluncis atque insulis nomen

Domini dei Israel magnificando. Vulgo per omnem terram audimus cantari carmina in laudem iusti; ego autem dico: O meam sterilitatem, o penuriam meam! Heu mihi! Praevaricatoribus omnia plena sunt, atque iis qui de industria praevaricantur. Pavor ergo, fovea et laquei te manent, o terrae habitator! ut, qui fugiat a voce terrifica, incidat in foveam, et qui de fovea prorepserit, laqueo capiatur. Quoniam catarractae superne aperientur, et concutientur fundamenta terrae. Vehementer crepabit terra, graviter rumpetur terra, atrociter commovebitur terra. Terra nutabit sicut ebrius et sicut tabernaculum transferetur. Ingravescet enim super eam praevaricatio eius et cadet, ut nunquam postea resurgat. Tunc et istud futurum est: Visitabit Dominus exercitum superorum qui in supernis sunt, et reges terrae qui super terram habitant, et colligentur quemadmodum vincti solent in lacum, atque in carcerem recludentur et punientur ad infinitos dies. Erubescet Luna, Sol confundetur, quum regnabit Dominus exercituum in monte Zion, et in Hierusalem, praesente senatu suo gravi.

CAPUT XXV.

Domine deus meus es tu! exaltabo te et confitebor nomini tuo; quoniam facis miranda, secundum antiqua consilia, firma et fidelia. Tu enim redigis urbes in acervos, civitates munitas in ruinam; et aedes impiorum ex urbe tollis, quae nunquam restituentur. Quo fit, ut populi agrestes te praedicent, et urbes violentarum gentium te timeant. Tu enim es robur pauperi, virtus egeno dum in angustiis est, refugium a tempestate, umbraculum ab aestu; sed violentis procella ac turbo, qui muros deiicit, et aestus in deserto. Tu compescis audaciam impiorum, arces aestum umbra nubis, et violentos instar palmitum putas. Et faciet Dominus exercituum in monte isto convivium cunctis populis, convivium pingue ac delicatum, de pinguibus, de medulla plenis, de adservatis ac defecatis. Auferet in monte isto velamen, velamen quod est ob faciem omnium populorum, et operimentum quod operit omnes gentes. Mortem funditus absorbebit, et absterget Dominus deus lacrimas de omni facie, et opprobrium populi sui per universum orbem tollet. Quoniam Dominus locutus est.

Et dicetur in die ista: Ecce hic est Deus noster! speravimus in eum, et salvavit nos. Hic est Dominus quo fidamus; exultabimus et laetabimur in salute eius. Quia manus eius intenta est monti huic, et conteretur Moab ab eo, quemadmodum conteritur palea quae in sterquilinium abiicitur: expandet enim manus suas in eum, quemadmodum natator expandit ad natandum, et deprimet fastum eius virtute manuum suarum. Munitum ac sublimem murum eius inclinabit, deprimet ac deiiciet ad terram et pulverem.

CAPUT XXVI.

Tunc cantabitur carmen hoc in terra Iuda: Urbs firma nobis est: salutem praestabunt murus et exercitus. Adperite portas, ut ingrediatur gens iusta et fidei amans! Tu quoque opifex et conditor pacem concinnabis, pacem inquam: in te enim speratur. Sperate in Dominum

perpetuo, quoniam ipse humiliat elatum civem, et urbem superbam ad terram deiicit ac detrahit in pulverem, ut eam pes terat, pes humilium et gressus pauperum. Tu autem Domine ponderas semitam iusti an aequa sit, an aequum sit iter eius. Quo fit, ut semitam iudiciorum tuorum suspiciamus: nomine enim tuo et mentione tui pascitur anima. Animo meo per noctem te desidero, et spiritu meo qui in me est ad te festino, quia protinus, ut iudicia tua mundo innotuerint, iustitiam discunt qui orbem inhabitant. Impius autem ubi misericordiam adeptus est non discit iustitiam; sed e vestigio ubi correptus est praevaricatur, et non reveretur maiestatem Domini. Domine, sublimem manum tuam videre nolunt; sed videbunt aliquando et confundentur, quum eos indignatione populorum et igne hostium tuorum devorabis. Nobis autem pacem concilies, Domine! tu enim perficis nobis omnia tum consilia tum opera nostra. Domine deus noster, etiamsi dominati sint nobis domini alieni a te: attamen tui solius ac nominis tui memoriam fecimus. Qui mortui sunt violenti homines ac tyranni, non vivunt neque sunt in resurrectione sanctorum: tu enim visitasti et perdidisti eos, ut omnis memoria eorum perierit. Contra vero auxisti gentem Domine, auxisti gentem; glorificatus es ac magnificatus ad omnes terminos terrae. Domine in tribulatione quidem te visitant: adflictio et querimonia disciplina tua sunt eis; sed interim quemadmodum quae uterum fert, quum nixus adest, parturit et clamat prae doloribus: sic et nos sumus in conspectu tuo, Domine! Concipimus, parturimus ac velut enitimur spiritu salutem, ne conficiatur terra neque collabantur habitatores orbis. Mortui ergo tui vivunt, et desiderati nostri in resurrectione sunt. Vigilant et laetantur qui in pulvere iaciunt: tu enim irroras rorem lucis ac vitae; terra autem violentorum concidit.

I ergo, popule mi, et intra in penetralia tua et claude ostium post te, ac sustine vel momentum tantum, donec praetereat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo ad visitandum iniquitatem habitatorum terrae; quae quem bibit sanguinem prodet neque celabit ultra interfectos suos.

CAPUT XXVII.

In die illa visitabit Dominus gladio suo duro grandi ac robusto Leviathan serpentem insuperabilem, Leviathan serpentem astutum, et interficiet cetum qui in mari est. In die illa alternis cantabitur vineae *Haemer, hoc est amantissimae.* Ego Dominus munio ac tempestive irrigo eam; ego custodio eam die ac nocte, ne quis eam invadat. Ab ira alienus sum. Quis ergo me aut impellat, ut hostiliter, spinis ac vepribus, neglecta fide, totam simul exuram? aut fortitudinem meam compellat, ut pacem mihi faciat, pacem componat mihi? Quin potius veniens postliminio radices iaciet Iacob; germinabit et florescet Israel, ut fructu eius orbis impleatur.

Nonne enim iuxta plagam quam accepit percussorem suum repercutit? aut iuxta caedem interfectoris sui interficit? Quam quaeque mensuram miserit, eandem recipiet. Ventum suum validum etesiarum instar molitur. Quapropter in hunc modum expiatur iniquitas Iacobi,

et ista ratione aufert omnem fructum peccati eius; quum redigit omnes ararum lapides in scobem lapidum comminutorum; quum iacent luci et delubra; quum urbes munitae desolatae sunt; quum speciosae missae ac derelictae sunt instar eremi, ut vituli isthic pascant, isthic cubent et palmites absumant. Quum exuritur messis earum, foeminae corrumpuntur, quae ornamento eis erant dum prodirent: populus enim iste sine intellectu est. Quo fit, ut conditorem ipsius non misereat eius, et figulus eius non adficiatur erga ipsum.

In tempore illo decutiet Dominus a rapido flumine Euphrate usque ad flumen Aegypti, et vos filii Israelis singuli ad unum colligemini. In tempore isto clangetur ingenti tuba; et proficiscentur qui in Assyria perierant, quique in Aegypto exulaverunt, ut adorent Dominum in monte sancto qui Hierosolymis est.

CAPUT XXVIII.

Vae superbae coronae temulentorum Ephraim, et deciduo flori decoris gloriae eius qui est in capite vallis opimae, oppressis vino. Ecce robur et virtus Domini, tanquam procella grandinis munitiones demolientis et sicut imber immanibus aquis inundans, undique in terram ingruet. Pedibus calcabitur superba corona temulentorum Ephraim, usuque veniet deciduo flori decoris gloriae eius, qui est in capite vallis opimae, quod praecoquo fructui antequam autumnus est; quem simul atque vidit aliquis, ferme priusquam in manum venerit, devorat. *Sed dicet aliquis ex Iuda:* Post haec erit Dominus exercituum corona iucunda et sertum decorum reliquo populo suo. Erit inquam ei spiritus quum iudicii, his qui in tribunali praesident, tum fortitudinis, his qui hostem a porta arcent. Attamen et isti prae vino errant et prae sicera stupent. Quin sacerdotes quoque et prophetae errant per ebrietatem; obruti vino et sicera attoniti in videndo errant, et in iudicando offendunt; quoniam omnes mensae *eorum* ita sunt oppletae vomitu ac sordibus, ut pars nulla supersit. Quis horum quaeso, quem erudiat scientiam, aut quem doceat disciplinam ex his pueris, qui a lacte distracti sunt, aut ab uberibus avulsi? Aut quid aliud doceat, quam edictum ad edictum, mandatum ad mandatum addendo, interdictum ad interdictum, inhibitionem ad inhibitionem? pusillum hic, pusillum isthic! Quapropter labiis blaesis et lingua peregrina loquetur Dominus ad populum istum. Cui alias sic dixerat: Hoc praestabit requiem, lassum reficere; hoc, inquam, otium felix ac tranquillitatem parit. Sed noluerunt obtemperare. Alloquetur ergo eos Dominus: Iube et impera, interdic et veta! pusillum hic, pusillum isthic! ut abeant retrorsum, corruant et conterantur; ut incidant in laqueum et capiantur. Idcirco audite verbum Domini, o veteratores, qui dominamini populo isti qui est in Ierusalem. Cogitatis enim: Pepigimus foedus cum morte et cum inferis pactum fecimus, ut quum inundans vastatio pertranseat non perveniat ad nos. Figmentum enim erit refugium nostrum et mendacio protegemur. Propterea sic nuntiat Dominus deus: Ecce ego mergam in Zione lapidem, lapidem ingentem, angularem, pretiosum, ad firmissimum fundamentum, ut qui eo fidat non labatur temere: nam aequi-

tatem ad perpendiculum exigam, et iustitiam ad bilancem. Grandinis procella tollet refugium vestrum quod in mendacio ponitis, et munimentum vestrum *quod in versutia locavistis* inundantes aquae dissipabunt. Et abolebitur foedus quod cum morte iniistis, et pactum vestrum quod cum interitu pepigistis non stabit; quumque exundans vastatio pertransibit, conculcabit vos; subito in transcursu rapiet vos. Quoniam summo diluculo quum coeperit, totum solummodo diem et noctem durabit; eritque tantus terror, ut solus frangat animos audientium. Angustior enim erit lectus quam ut se ei quisquam aptare possit, et operimentum strictius quam ut se eo quisquam possit involvere.

Dominus enim exiliet sicut in monte Perazim, et sicut in valle Gibeon tumultuabitur ad perficiendum consilium suum, rarum consilium suum; et ad operandum operationem suam, peregrinam operationem suam. Nunc ergo nolite contemnere, ne augescant vincula vestra! Audivi enim a Domino deo exercituum consummationem et concisionem venturam esse super universam terram.

Auscultate et audite vocem meam! attendite et obtemperate sermoni meo! Nonne agricola suo semper tempore anxius arat, aperit et proscindit tellurem suam ad seminandum? Nonne protinus ut superficiem eius aequavit, viciam spargit, aut cyminum dissipat, et ponit quum triticum et hordeum serie sua, tum far et milium suo loco? Et ut haec rite peragat, erudit ac dirigit eum deus suus. Neque enim tribula viciam triturant, aut rota plaustri super cyminum circumducitur; sed virga flagellatur vicia et cyminum baculo. Aeque triticum commolitur in panem, id quod perpetua tritura effici non posset; imo neque strepitus rotarum plaustri cum ipsis iumentis ipsum comminuere possent. Istud quoque proditum est a Domino exercituum, consultore mirifico et aequitatis magno cultore.

CAPUT XXIX.

Vae tibi Ariel Ariel, urbi a Davide expugnatae. Colligite annos aliquot, festivitates certae praetereant! et obsidebo Ariel. Erit ergo tristis ac moerens, ut vere fiat Ariel, *hoc est leo*. Castris enim te per circuitum cingam et concludam te turribus. Aggeres quoque contra te excitabo; humiliaberis autem sic, ut de terra loquaris, et de pulvere deiectum sermonem reddes. Erit enim vox tua velut Pythonis de terra loquentis, deque pulvere sermonem tuum suggannies. Nam hostium tuorum multitudo nebulae pulveris erit similis, et violentorum tumultus pulveri excitato qui momento fertur ac subito.

Visitaberis ergo a Domino exercituum tonitru, terrae motu et crepitu magno, turbine, procella et flamma ignis voracis. Videntur autem nunc omnis multitudo gentium, quae adversus Arielem copias educturae sunt, omnis exercitus, valla et obsessores eius, somnium esse nocturni phantasmatis. Videntur, inquam, similia esse cum famelico, somnianti quod comedat, quumque evigilat inanis est; tum somnianti quod bibat, quumque evigilat fessus est, et desiderium eius adhuc fervet. Sic, inquam, videtur multitudo omnium gentium, quae contra montem Sion pugnaturae sunt. Sed stupescetis, attoniti eritis atque omnia

circumspicietis. Ebrii eritis, sed non vino; vacillabitis, sed non per ebrietatem. Propinabit enim vobis Dominus spiritum alti soporis, et vi comprimet oculos vestros: prophetas videlicet vestros ac principes videntes operiet. Eritque vobis omnis visio perinde atque verba libri qui obsignatus est. Quem si offeras literarum perito, et dicas: Lege quaeso istum: respondebit: Nequeo legere, quoniam obsignatus est. Quod si detur liber literarum rudi, ac dicatur: Lege quaeso istum: respondebit: Non novi literas. Idcirco sic dicit Dominus: Eo quod populus iste ore suo ad me accedit et labiis suis me honorifice praedicat, cor autem eius longe abest a me, et quem mihi debebant timorem, humanis tum doctrinis tum praeceptis reddunt: Ideo en ipse quoque faciam populo isti rem supra modum admirandam ac stupendam. Videlicet perdam sapientiam sapientum eius, et intellectus prudentium eius occidet.

Vae his qui sese mergunt, ut a Domino abscondant consilium, qui conatus suos in tenebris celant ac praesumendo dicunt: Quis videt nos aut quis novit nos? Quae vestra praesumtio perinde est ac si lutum figuli secum consultet, aut si dicat opus auctori suo: Ne facias me! et figulinum de figulo suo dicat: Non intelligit. Nonne ergo videtis in foribus esse, ut Libanus vertatur in Carmelum et Carmelus inter saltus reputetur? Tunc, tunc intelligent surdi verba libri, et oculi coecorum ablatis nube ac tenebris lucem recipient. Et celebrabunt oppressi laetum diem Domino, et egeni homines in sancto Israelis exultabunt. Quoniam desinent violenti, et veteratores cessabunt. Qui autem impietati intenti sunt, excindentur, qui de industria inducunt homines ad peccandum, monitorem qui in porta sedet irritant et vanitate iustum in transversum agunt.

Idcirco sic dicit Dominus, servator Abraami, ad domum Iacobi: Ne pudeat nunc Iacobum, neque vultum suum nunc immutet, quum videt inter filios suos eos quoque, quos fecit manus mea, sanctificare nomen meum, sanctificare sanctum Iacobi et colere deum Israelis; quique pridem errabant scire intelligentiam, et qui barbare stridebant doctos esse legem.

CAPUT XXX.

Proh filios degeneres, ait Dominus, qui consilium audent capere me inconsulto, telamque ordiri non ex mea sententia, quo peccatum peccato adcumulent. Proficiscuntur enim ut in Aegyptum descendant iniussu meo, ut robori Pharaonis et Aegyptiorum umbrae fidere possint. Sed vertetur vobis auxilium Pharaonis in confusionem, et fiducia quam habetis in protectionem Aegyptiorum cedet vobis in ignominiam. Fuerunt enim principes vestri in Zoana, et legati vestri Hanesam pervenerunt; sed erubescetis omnes propter populum, qui vobis auxilium ferre non potest, qui neque adiutorio vobis erit neque auxilio; sed confusionem adferet atque opprobrium. Tulerunt iumenta per viam australem; per terram discriminis ac metus plenam, eo quod leones et leaenae, basiliscus et prester volatilis isthic grassantur tulerunt, inquam,

in humeris suis mulae onus opum vestrarum, et in gibbis suis cameli thesauros vestros ad populum, qui ferendo auxilio non est. Inane enim erit et inutile auxilium Aegyptiorum. Quamobrem in hunc modum clamabam: Cessabit audacia vestra. Nunc ergo perge ad scribendum eam rem in tabulas eorum atque in librum concipe eam, ut duret ad posteros et usque in sempiternum. Populus enim iste contumax est, filii perfidi, filii qui non amant audire legem Domini. Qui prophetis dicere audent: Nolite curam gerere! et videntibus: Nolite nobis futura praedicere; sed loquimini nobis blanda, et versuta monete! Deserite hanc viam, declinate a semita ista, auferte a nobis sanctum Israelis! Propterea sic dicit sanctus Israelis: Quandoquidem ad hunc modum abhorretis, et fiditis violentia et versutia, eisque nitimini: idcirco cedet vobis iniquitas ista ad rupturam deciduam; qualem ruinam tumor sublimis muri minatur, cuius contritio ex improviso provenit, cuius contritio similis est contritioni vasis figulini, cuius contritionis neminem commiserebit: etiam si sic comminutum sit, ut non inveniatur testa ad transferendum ignem de foco vel ad hauriendum aquam de puteo. Sic enim promisit Dominus deus sanctus Israelis: Sedendo et quiescendo salvabimini, in otio et spe situm erit robur vestrum; sed non recipitis. Dicetis ergo: Nequaquam! nam inscensis equis fugere cogeremur. Fugietis ergo. Cogeremur in celeribus avehi. Celeriores igitur erunt persecutores vestri. Mille, uno aut ad summum quinque increpantibus atque terrentibus, fugietis, donec relinquamini sicut malus in vertice montis, et sicut signum in colle. Interim tamen expectat Dominus ut misereatur vestri, consiliumque suum suspendit ut sit vobis propitius. Aequus enim est Dominus deus; beati omnes qui eum observant. Sic enim fieret, o popule Zion, et civis Hierosolymae, ut nunquam fleres: indubie enim misereretur tui, atque ut primum audiret vocem clamoris tui ferret auxilium. Dat quidem vobis Dominus panem angustiae et aquas molestiae; sed non diu abhorret a te praeceptor tuus: si modo praeceptorem tuum oculis tuis suspicias et aures tuae audiant verba post terga monentis atque dicentis: Haec est via! hac pergite! sive ad dexteram sive ad sinistram declinare viderit; si inquam profanabitis argentea opera sculptilium vestrorum, et aurea paludamenta quibus ea operuistis abiicietis, veluti pannos menstruo imbutos, atque vale eis dicetis. Iam enim et pluviam dabit semini vestro quod terrae mandabitis, et panem de terra producet, eritque ubertas et abundantia. Depascet armentum tuum in die illa prata spatiosa. Tauri et mulae, quae terram colunt, farraginem pinguem ac vanno eventilatam comedent. De universis montibus excelsis et collibus editis distincti aquarum rivi defluent, in die caedis magnae et ruinae turrium. Aequabitur lux lunae luci solis, et lux solis septuplicabitur, ut tanta sit quanta est lux septem dierum. In die ista alligabit Dominus contritionem populi sui et livorem vulneris eius sanabit. Ecce enim maiestas Domini de longinquo veniet; facies eius ardebit ut ferri non possit; labia eius erunt plena fremitu et lingua eius sicut ignis devorans. Flatus eius fluvio inundanti atque collum ambienti similis erit, ad tollendum gentes quae vanitati incumbunt, et frenum erroris quod est in maxillis populorum.

Vos autem cantabitis quemadmodum in vigiliis festivitatis sanctae, et corde laetabimini sicut ii qui ad tibiam incedunt, quum proficiscuntur ad montem Domini, ad petram Israelis. Intendet etiam Dominus vim vocis suae, et minax brachium suum ostendet iuxta iratum vultum, flammam quoque ignis devorantis cum terrae motu, procella et lapidibus grandinis. Tunc pavebit Assyrius a voce Domini, qui eum virga percutiet. Et transibit virga quam intentabit ei Dominus per omne fundamentum, quam advertet cum tympanis, citharis et praeliis ad expugnandum. Nam ab aeterno paravit ignem supplicii, etiam regibus, quem altum fecit et amplum. Penetralia eius ignea, lignorum vis ingens, quam flatus Domini ceu sulfureus torrens incendit.

CAPUT XXXI.

Vae descendentibus in Aegyptum pro auxilio, quique nituntur equis et fiduciam habent in quadrigis propter multitudinem earum, et in equitibus propter ingens robur eorum. Veruntamen ad sanctum Israelis non respiciunt et Dominum non quaerunt; quum ipse prudens arcessat malum, nec tamen irritum facit verbum suum: ipse insurgit adversus familiam iniquorum et adversus malefactorum auxilia. Porro Aegyptii homines sunt et non dii; et equi eorum carnei sunt, non aërei. Quumque Dominus extenderit manum suam: corruet qui auxilium fert, et qui auxilium expectat concidet, atque omnes simul consumentur. Quoniam sic est Dominus ad me locutus: Quemadmodum leo aut catulus leonis ad praedam quam nactus est rugit, et nihil pavet ad examen pastorum contra eum vociferantium, neque ad tumultum eorum deiicit animum: sic descendet Dominus exercituum ad propugnandum pro monte Zione et pro colle eius. Instar avis obvolantis proteget Dominus exercituum Hierosolymam, defendendo, liberando, cavendo atque salvando. Redascendite quantum defectione descendistis, o filii Israel! Nam abiiciet in die illo quisque simulacra sua argentea, et idola sua aurea quae fecerant sceleratae manus vestrae. Assur autem cadet gladio, sed non gladio viri; et gladius devorabit eum, sed non gladius hominis; et fugiet a caede exercitu eius capto. Arcem suam metu praeteribit et principes eius signa prodent. Haec locutus est Dominus cui lucerna fovetur in Zione et focus in Ierusalem.

CAPUT XXXII.

Ecce ad iustitiae normam regnabit rex et principes ad aequitatis libram imperabunt. Id erit homini vice latebrae a vento et vice penetralis a procella; sicut aquarum rivi in arido loco et sicut umbra immanis ac prominentis scopuli in terra siticulosa. Non alucinabuntur oculi videntium et aures audientium attentae erunt. Cor stupidorum intelliget scientiam, et lingua impedita verbis planis disseret. Sordidus non vocabitur ultra splendidus, neque parcus liberalis dicetur. Sed sordidus sordida cogitabit, et cor eius iniquitatem concinnabit, ut simulate operetur et cogitet adversus Dominum abominationem, animam esurientem exhauriendo et potum sitienti auferendo. Haec sunt eius arma scelerata, haec perdita consilia eius, ut expilet pauperes verbis

mendacibus; etiam dum illis ius reddit. Liberalis autem liberalia cogitat, perque liberalia facta clarus surgit. Sed o urbes opulentae atque otio deditae, surgite et audite vocem meam! auscultate sermoni meo civitates confidentes ac securae! Post certum tempus turbabimini o securae, quum cunctabitur vindemia et frugum collector non veniet; stupebitis opulentae ac otiosae, attonitae eritis confidentes, ad expoliationem, nuditatem ac lumbos saccis accinctos; ad uberum planctum super annona agri et vineae proventu. Tellus enim populi mei vepres et spinas reddet, eo quod omnes domus et urbes laetitia et lascivia plenae sunt. Palatia vero dissipabuntur, et urbes frequentissimae desertae erunt. Turres et propugnacula in speluncas redigentur perpetuas, mularum luxus in pascua gregum. Donec effundatur in nos spiritus e supernis: eousque erit desertum Carmelus et Carmelus pro silva reputabitur. Et manebit aequitas in deserto, et iustitia in Carmelo habitabit. Et erit merces iustitiae pax, et quies et securitas praemium iustitiae usque in sempiternum. Et habitabit populus meus in domicilio pacis, in tabernaculis tutis et in cubilibus opulentis. Grando quum descendet, in silvas tantum cadet et in urbes. O felices qui tuto et ad omne flumen seretis et quoquo versum pedem bovis et asini mittetis.

CAPUT XXXIII.

Vae ergo vastanti! num enim ipse non vastaberis? Et tibi insidianti! num enim insidias evades? Quemadmodum dederis damnum, sic recipies; et sicut fecisti insidias, sic insidiis peribis.

Domine miserere nostri! te enim expectavimus. Esto: brachium eorum in hoc sit ut nos persequatur: tu tamen salvator nobis adsis in tempore tribulationis. A voce fremitus tui fugiant populi, a molimine tuo dispergantur gentes! Auferatur praeda eorum quemadmodum bruci tolluntur, quum a multitudine collecti in fossam coniiciuntur. Exaltare Domine, qui habitas in excelso! impleatur Zion aequitate et iustitia, sit fides in tempore eius! fortitudo, salus, sapientia, scientia et timor Domini sint thesaurus eius! Ecce enim angeli eorum foris clamant, angeli pacis amare flent. Desertae sunt semitae, cessat viator, foedus praeteritur, urbes contemnunt, nemo alicuius reputat. Luget vastata terra, pudefactus est Libanus succisus, Saron facta est deserto similis, concidit Basan et Carmelus. Idcirco exsurgam, ait Dominus, nunc exaltabor, nunc efferar. Vos enim concipietis paleam et stipulam parturietis. Spiritus autem vester ignis est, qui et devorabit vos. Et reddentur populi exusti sicut calx, et sicut spinae recisae, quae igni comburuntur.

Audite ergo longinqui ut agam, et cognoscite propinqui potentiam meam! Metuunt in Zione peccatores, tenet tremor hypocritas. Quis nostrum, inquiunt, habitabit cum igne devorante? quis nostrum habitabit cum ardoribus aeternis? Qui recte vivit, inquam, et vera loquitur; qui abhorret vim facere per avaritiam; qui excutit manus suas ne munus contrectent; qui aurem suam obturat ne audiat innocentis circumventionem, et oculos suos comprimit ne intueatur malum. Hic excelsa habitabit; huius securitas in munitissimis petris erit. Huic panis et

aquae fideles dabuntur, regem in decore suo videbunt oculi eius et regionem ulteriorem lustrabunt; cor autem eius dei timore delectabitur. Ubi hic relinquitur eruditus? ubi consiliorum trutinator? ubi adolescentium praeceptor? Populum barbarum hic non videas, populum abstrusi sermonis, quem non possis intelligere, aut peregrinae linguae quam non possis capere! En tibi Zionem urbem solennitatum nostrarum! Videbunt oculi tui Hierosolymam habitationem opulentam, tabernaculum quod loco non movebitur, cuius clavi non eruentur in perpetuum, cuius funes universi nunquam veterascent. Nobiscum enim erit isthic Domini maiestas, isthic loci ubi circumstagnant amplissimis ripis flumina; in quibus tamen neque triremis grassatur nec transit oneraria. Dominus enim imperator noster, Dominus legislator noster, Dominus rex noster erit; ipse salvabit nos. Isthic ita intenti sunt funes ut refectione nihil egeant, sic erectus malus ut velum non pandatur; sed ingentes praedae distribuuntur, quum et claudi praedas adsequantur. Isthic non est qui decumbat, et dicat: Aegrotus sum; sed qui isthic incolit populus alienus est ab omni malo.

CAPUT XXXIV.

Adeste igitur Gentes ad auscultandum et populi ad percipiendum! Audi tellus, et quicquid in ea est, orbis et omne germen eius! iratus est Dominus cunctis gentibus, et furor eius in omnem exercitum eorum sic exarsit, ut devoverit ac internecioni destinaverit, ut cadavera eorum abiiciantur et foetorem suum reddant, et montes a cruore eorum perluantur. Nam omnis coelorum exercitus tabescet, et explicabuntur instar codicis coeli ut omnis exercitus eorum decidat, quomodo de vite folia cadunt ac de ficu. Quia et in coelo imbuetur gladius meus; ac deinde protinus ad Idumaeam descendet, atque ad populum quem ultioni meae devovi. Cruentabitur ergo gladius Domini sanguine, et adipe ac sanguine agnorum et hircorum, deque adipe renum arietum saginabitur. Dominus enim ingentem victimam in Bozra mactabit et in terra Edom. Ubi concident monocerotes cum tauris, hoc est fortibus. Et rigabitur terra eorum sanguine; humus autem eorum stercore. Sed et ultionis divinae dies atque annus retributionis contumaciae tibi veniet, o Zion! Et convertentur torrentes tui in picem, et humus tua in sulfur; quibus terra tua incendetur, ut neque die neque nocte extingui possit, sed fumabit in aeternum. Arida erit a generatione ad generationem, et in perennem aeternitatem non erit qui eam transeat; sed possidebunt eam onocrotalus, ibis, noctua et corvus, atque habitabunt in ea. Intendet enim super eam *Dominus* regulam annihilationis et pondere exinanitionis expendet. Tunc si reges eius voces, non comparebunt: nam et omnes principes eius in nihilum redacti erunt. Proferent ergo palatia eius sentes; urtica et paliurus nascentur in munitionibus eius, ut habitaculum praebeant draconibus et palatia sint struthionum. Isthic obviabunt daemonia onocentauris, et satyri se mutuo invitabunt. Lamia quoque isthuc se recipiet ac requiem sibi parabit. Isthic nidulabitur ericius; isthuc se referet, infodiet et catulos incubatu suo fovebit. Isthic vultures congregabuntur, quisque ad socium suum. Scrutamini scripturam

Domini, ac legite! Unum ex istis non deerit, neque ullum cum socio suo desiderabitur; quia quae ille ore suo mandat spiritu suo colliguntur, *hoc est conficiuntur.* Quibus ille sortes mittit et manu sua partitur aut funiculo, in perpetuum firma manet hereditas, ut a generatione in generationem habitent in ea.

CAPUT XXXV.

Laetabuntur autem desertum et solitudo; arida quoque terra exultabit et florebit instar lilii, florebit amoenissime, exultabit magis ac magis atque gestiet; quia gloria Libani dabitur ei, splendor quoque Carmeli et Saronae. Hi agnoscent gloriam Domini et maiestatem dei nostri.

Confortate ergo manus languidas, et genua labantia confirmate! Dicite pavidis corde: Firmi estote, neque timeatis! Ecce deus vester veniet ad vindicandum et retribuendum; veniet ad salvandum vos. Tunc illuminabuntur oculi caecorum et aures surdorum aperientur. Tunc saliet claudus tanquam cervus, et lingua muta laudem dicet. Erumpent autem in deserto fontes et flumina in terra arida, ut sicca vertatur in stagnum et siticulosa in scaturiginem aquarum. In eo cubili, ubi draco quiescebat, virescent calamus et iuncus. Isthic erunt semita et praetoria via, quae et via sancta vocabitur. Pollutus non transibit per eam: Dominus enim ipse cum eis per eam viam incedet, ut stulti non possint errare. Isthic non erit leo neque alia nocens belua ad eam ascendet viam, aut isthic invenietur; sed tutus erit transitus. Porro qui a Domino redemti erunt, revertentur et venient Zionem cum laudibus et gaudio sempiterno fruentur. Iucunditas et laetitia comitabuntur eos; sed fugient dolor et gemitus.

CAPUT XXXVI.

Factum est autem quartodecimo anno regis Ezechiae, ut Senherib rex Assyriorum ascenderet ad expugnandum omnes munitas civitates Iudae. Misit ergo Assyrius Rabsacen a Lachis Hierosolyma contra Ezechiam cum exercitu gravi. Qui quum constitisset ad aquaeductum piscinae superioris, in via quae est ad agrum fullonis: exiit ad eum Eliakim filius Helkiae praefectus praetorio, Sobna scriba et Ioas filius Asaphi a commentariis. Sic ergo alloquitur eos Rabsaces: Referte quaeso Ezechiae, quomodo locutus est magnus rex Assyriorum, his verbis: Quae porro est confidentia ista tua qua niteris? Anne sic temere cogitas, consilium et vires tibi esse ad sustinendum bellum? Aut quod tandem fidis, ut contra me rebelles? Ipse dicam: Tu fidis fulcro istius fractae arundinis, puta Aegyptio; cui arundini si quis nitatur, in manum eius penetrat et perforat. Talis enim est Pharao Aegypti rex omnibus in se sperantibus. Quod si dicas: In Dominum deum nostrum speramus, in eum scilicet cuius Ezechias excelsa et aras sustulit atque Iudae et Hierosolymae praecepit, ut coram ara ista adorent. Da obsecro, ut cum domino meo rege Assyriorum pactus sis, ut tibi dem equorum duo millia. Num tu imponere poteris eis equites? Qui fit ergo ut, quum vim unius etiam minimi principum

Domini mei ferre nequeas, Aegyptiorum tamen fidas et curribus et equitatu? Quasi vero ipse iniussu Domini huc ascenderim ad perdendum terram; quum Dominus mihi praeceperit: Ascende ad terram istam, et exscinde eam!

Dicebant autem Eliakim, Sobna et Ioas ad Rabsacen: loquere oro nobis servis tuis Syriace: sumus enim eius linguae periti; et nolito nobis Iudaice loqui, audiente populo qui ad murum est. Quibus Rabsaces respondit: Num ad Dominum vestrum atque ad vos solos misit me Dominus meus, loqui sermones istos? Et non potius misit me ad miseros istos qui in muro sedent, quo minus quum stercus suum edere tum lotium suum vobiscum bibere cogantur? Perstabat igitur Rabsaces ac voce magna clamabat Iudaice, ac dicebat: Audite quae magnus rex Assyriorum mandet! Sic monet rex: Cavete ne vobis imponat Ezechias: non enim poterit vos tueri; neque ut Domino fidatis persuadeat, dicendo: Indubie liberabit vos Dominus, neque tradetur urbs ista in potestatem regis Assyriorum. Nolite acquiescere Ezechiae! Nam sic pollicetur Assyriorum rex: Si hanc apud me gratiam ineatis ut deficiatis ad me: iam fruetur quisque vinea sua, quisque ficu sua; et bibet quisque aquas putei sui, donec veniam et abducam vos ad terram huic vestrae similem, ad terram tritico et musto abundantem, ad terram sementibus ac vineis consitam. Nolite committere ut seducat vos Ezechias dicendo: Dominus liberabit vos. Num enim liberarunt dii Gentium quisque terram suam a potentia regis Assyriorum? Ubi est deus Hemath et Arphad? Ubi est deus Sepharvaim? Et quinam liberarunt Samariam de manu mea? Quis ex omnibus diis terrarum istarum liberavit terram suam de manu mea, ut sperare possitis, Dominum Hierosolymam de manu mea liberaturum esse? Ad haec tacuerunt legati regii, ut ne verbo quidem quicquam responderent. Venit ergo Eliakim filius Helkiae praefectus praetorio, Sobna scriba et Ioas filius Asaphi a commentariis, ad Ezechiam scissa veste, et commemorarunt ei orationem Rabsacis.

CAPUT XXXVII.

His auditis, scidit rex Ezechias vestem suam, et saccum indutus abiit in templum Domini. Interim vero misit Eliakim praefectum praetorii, Sobnam scribam, et seniores sacerdotum sacco tectos ad Iesaiam filium Amozi prophetam.

Qui dixerunt ad eum: Sic mandat Ezechias: Haec est dies angustiae, correptionis et irritationis, ut quum foetus ad procinctum partus venit et parientem vis enitendi deficit. Nimirum audivit Dominus deus tuus verba Rabsacis, quem rex Assyriorum dominus eius misit ad criminandum et contumeliandum deum vivum verbis, quae audivit Dominus deus tuus. Tu ergo intendes orationem pro reliquiis quae adhuc supersunt. Venerunt ergo servi regis Ezechiae ad Iesaiam. Quibus Iesaias ad hunc modum respondit: Sic dicetis ad Dominum vestrum: Sic nunciat Dominus: Ne timeas propter verba quae audivisti, quibus contumeliati sunt me servi regis Assyriorum. Ecce enim ego mittam in eum ventum, cuius sonitum protinus, ut audierit, revertetur in terram suam, ubi eum ferro interfici curabo. Rabsaces autem reversus offendebat regem

Assyriorum Lobnam oppugnantem. Resciverat enim quod a Lachis profectus esset. Rumor enim erat de Tharhaca rege Aethiopum, quod profectus esset ad pugnandum contra eum. Quem quum audisset Assyrius, alios legatos misit ad Ezechiam cum huiusmodi mandato. Sic referetis Ezechiae regi Iudae: Ne tibi imponat deus tuus, quo fidis, promittendo, Hierosolymam non traditum iri in potestatem regis Assyriorum! Tu enim audivisti, quaenam fecerint reges Assyriorum omnibus regnis, excindendo ea. Tu vero evadendi spem habere audes? Num liberarunt dii sui Gentes, quas expugnaverunt maiores mei? Gozan, Haran, Raezeph et filios Eden, qui Thalassar tenebant? Ubi est rex Hamath, rex Arphad, rex Sepharvaim, Henae et Avae? Accepit ergo Ezechias epistolam de manu legatorum; et quum legisset eam, ascendit in domum Domini, et expandit eam coram Domino oravitque ad eum hoc modo: Domine exercituum deus Israelis, qui Cherubim inhabitas! tu es deus ille qui solus deus est omnium regnorum terrae: tu enim fecisti coelum et terram. Praebe Domine aurem tuam et ausculta, aperi oculos tuos et inspice! atque expende omnia verba Senheribi, qui legationem misit ut maledicat deo vivo! Equidem verum esse agnosco Domine, quod reges Assyriorum expugnaverint omnia regna et regiones eorum, quodque deos eorum igni tradiderint. Isti enim non erant dii, sed opus manuum humanarum e ligno aut lapide; unde et perdiderunt eos. Nunc ergo Domine deus noster, salva nos de manu Senheribi, ut iam cognoscant omnia regna terrae, quod tu solus es Dominus! Quum hoc loco res essent, nunciavit Iesaias filius Amosi Ezechiae his verbis: Sic locutus est Dominus deus Israel: Ad ea quae orando petivisti a me super Senheribo rege Assyriorum, sic respondet Dominus adversus eum: Contemsit ac subsannavit te, o virgo filia Zion! *rex Assyriorum.* Post tergum tuum caput movit filia Hierosolyma. Tu vero o rex cui opprobrasti et maledixisti? in quem edidisti vocem aut fastum oculorum tuorum sustulisti? Contra sanctum Israelis. Missis enim servis tuis contumeliatus es Dominum, et tam magnifice de te ipso sensisti. Copia equitatus mei altissimos montes operiam et Libani latera. Incidam altas cedros eius et electas abietes; penetrabo quum ad sublimitatem iugorum eius, tum ad saltus agrorum eius cultorum. Ego, ubi non sunt aquae, effodiam ut sit ad bibendum; contra vero tota flumina pedibus mecum proficiscentium exiccabo. Nonne, ais, olim audivisti, quae quibus consiliis fecerim retro temporibus, quaeque in praesentiarum facturus sum, urbes vastaturus munitas et redacturus in acervos et ruinas? Quarum habitatores mancorum instar trepidabunt ac erubescent; similes erunt gramini agri, herbae viridi et foeno tectorum, quod antequam enascatur plerumque exaruit. Ego conversationem tuam, ego profectionem et reditum novi, aeque ac rebellionem tuam contra me. Propter rebellionem ergo tuam contra me et fastum, quae mihi perspecta sunt, inferam frenum naribus tuis et labris tuis lupatum, quo te retro agam ea via qua venisti. Signum etiam, *o Ezechia*, istud tibi dabo. Hoc anno comedes reposita; proximo quae sponte nascentur; tertio vero seminabitis et metetis, vineas quoque plantabitis et fructum earum edetis. Rarsumque in unum

coibunt qui de domo Iuda evaserint, iactaque deorsum radice fructum sursum versum reddent; quoniam de Hierosolyma prodibunt reliquiae et servati de monte Zione. Haec faciet zelus Domini exercituum. Propterea sic promittit Dominus de rege Assyriorum: Nullatenus introibit in urbem istam neque spiculum huc iaculabitur. Non occurret ei clypeus neque excitabitur contra eam agger. Ea via qua venit redibit et ad urbem istam non perveniet, dixit Dominus. Propugnabo enim, inquit, ut salvem urbem istam propter me ipsum et propter David servum meum. Egressus ergo angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Quumque mane surgerent, *qui Hierosolymis erant*: ecce omnes iacebant mortui. Solvit ergo isthinc et abiit Senherib rex Assyriorum et habitabat in Ninive. Factum est autem, quum aliquando adoraret in aede Nisroch dei sui, ut Adramelech et Sarazezer filii eius ipsum trucidarent et confugerent in terram Ararat. Post haec regnavit Esarhadon filius eius pro eo.

CAPUT XXXVIII.

Non multo antea quam haec fierent, laetaliter aegrotabat Ezekias. Veniebat ergo ad eum Iesaias filius Amozi propheta, et dicebat ad eum: Sic nunciat Dominus: Manda domui tuae: morieris enim et non vives. Vertebat ergo Ezechias faciem suam ad parietem, et orabat ad Dominum atque dicebat: Memento quaeso Domine, quod ambulavi coram te in fide et corde integro, et quae tibi placent feci! Flevitque Ezechias vehementer. Factus est autem sermo Domini ad Iesaiam in hunc modum: I et dicito ad Ezechiam: Sic nunciat Dominus deus patris tui David: Exaudivi orationem tuam, vidi lacrimas tuas. Et ecce ego addam vitae tuae quindecim annos, et de manu regis Assyriorum liberabo te et urbem hanc, quam et protegam. Et hoc signum dabitur tibi a Domino, quod facturus est hanc rem quam promisit. Ecce ego reducam umbram horologii, quae iam in hora Ahazi descendit cum sole, retrorsum decem gradibus. Reversus est ergo sol decem gradus, per quos prius descenderat. Gratulatio quam scripsit Ezechias rex Iuda, quum aegrotasset et convaluisset ab aegritudine sua: Ego putabam, me in optima aetate mea abiturum esse ad inferorum portas et residuum annorum meorum desideraturum. Dicebam ad me ipsum: Non visitabo Dominum deum in terra viventium ultra; ultra non aspiciam homines, qui cum civibus relegatis ero. Aetas mea convoluta et sublata est a me, instar tabernaculi pastoralis. Praecisa est velut a textore vita mea; dum molior succidit me. Uno die finivit me. Sperabam, me victurum saltem ad auroram; sed instar leonis comminuit omnia ossa mea atque uno die finivit me. Tum ego garrire non aliter quam hirundo aut grus, et meditari sicut columba, attollere in excelsum oculos meos *ac dicere*: Domine, vis mihi fit, libera me! Quid cogitem, aut quid loquar, ut ipse hoc faciat? ut percurram omnes annos meos, etiam cum amaritudine vitae meae. *Equidem scio* Domine, in amaritudinibus vitam trahi, et quod eis omnibus vita mea est obnoxia; et quod tu me somno degravas et expergefacis. Sed ecce bene mecum agi putabo, si eas amaritudines mihi concedas. Hic tu vitam meam fulcis quo minus pereat;

dum abiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Neque enim aut mortui te laudant, neque admirantur fidem tuam qui in foveam descendunt. Sed vivens, vivens inquam, canit te, quemadmodum et ego hoc die facio; et patres liberis exponunt fidem tuam. Domine salvos fac nos! et carmina nostra cantabimus omnibus diebus vitae nostrae in domo Domini.

Praecepit autem Iesaias: Accipite carycam et imponite eam ulceri, et convalescet. Et dixit Ezechias: O rem admirandam, quod in domum Domini ascensurus sum!

CAPUT XXXIX.

Eodem tempore misit Merodach Baladan filius Baladan, rex Babyloniae, literas et donarium ad Ezechiam. Audiverat enim quomodo aegrotasset et convaluisset. Et laetatus est Ezechias super illis ostenditque eis cellas opum suarum, argenti, auri, odorum, olei defaecati, omnes domos armorum suorum, et quicquid erat in thesauris suis. Nihil erat quod non ostenderet eis Ezechias quum domi suae tum per omne regnum.

Venit autem Iesaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque ad eum: Quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui respondit Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, a Babylone. Et dixit Iesaias: Quid inspexerunt domi tuae? Respondit Ezechias: Quicquid est domi meae inspexerunt. Nihil est in thesauris meis quod non ostenderim eis. Tunc dixit Iesaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum: Ecce venient dies, ut auferatur quicquid est domi tuae, et quicquid reposuerunt patres tui usque ad hunc diem, Babylonem; nec quicquam fiet reliquum, ait Dominus. Quin et ex filiis tuis, qui ex te prodibunt quosque generabis, auferentur, et erunt eunuchi in aula regis Babylonis.

Dixit autem Ezechias ad Iesaiam: Bene vertat consilium Domini quod exposuisti; sed pacatae sint, ait, atque tutae res, obsecro, diebus meis!

CAPUT XL.

Bono animo, bono, inquam, animo sis popule mi, dicit deus vester. Consolemini ἱερεῖς Hierosolymam, et invitetis eam, quoniam rude donabitur, et venia dabitur peccatis eius, quum plenam castigationem acceperit de manu Domini pro omnibus sceleribus suis. Unde et vox clamat: Parate viam Domino in deserto; et in solitudine planam facite semitam deo vestro! Omnis vallis exaltetur; omnis autem mons et collis humilietur! Fiant quae curva sunt recta et praerupta planities! Apparebit enim maiestas Domini, quam videbit universa caro, quoniam Dominus promisit. Eadem vox iubebat: Clama! inquiens. Et percontabar: Quidnam clamabo? Quae respondit: Omnis caro foenum, et omnis gratia eius sicut flos agri. Foenum ubi exaruit decidit flos; sic et populus foenum est, ubi spiritus Domini flaverit in eum. Veruntamen ut foenum exarescat et flos decidat: verbum tamen dei nostri permanet in aeternum.

Iterum praecipiebat ea vox: Ascende in montem excelsum o Zion, quae evangelizas! exalta quantum potes vocem tuam, quae evangelizas

Ierusalem! Exalta inquam, et ne cuncteris, ac dicito civitatibus Iuda: Ecce deus vester! ecce Dominus omnipotens cum fortitudine veniet, et brachio suo imperabit. Ecce opes suas secum advehit, consiliis et rebus bene gestis clarus. More pastoris pascet gregem suam, brachio suo colliget agnos inque sinu suo feret; gravidas autem fovebit. Quis mensus est pugillo aquas, et coelos quis palmo aestimavit, aut universam humum terrae tribus digitis? Quis adpendit montes in statera et colles in trutina? Quis formavit mentem Domini, aut quis adfuit ei consilio ut eum docuerit? Quem consuluit ut se erudiret ac viam iudicii doceret? ut se scientiam doceret, et iter intelligentiae declararet ipsi? Ecce omnes gentes ad ipsum, tanquam gutta situlae comparata, et momentum quod bilancem propendet, reputantur; insulae vero sicut atomi umbra. Totus Libanus non sufficiet ad incendendum ignem, neque pecora eius ad holocaustum. Omnes gentes, si illi compares, velut nihilum sunt, et res inanes ac frivolae inveniuntur. Cui ergo similem facietis deum? Aut quam similitudinem adornabitis ei? Num faber idolum concinnabit ei? num argentarius e laminis aureis vel argenteis eum statuet? num, ne propenso desit quod statuat, gnarus faber lignum quod non putrescat inquiret aut eliget, ut simulacrum erigat, quod loco moveri nequeat? Num horum rudes estis? Nonne audivistis? nonne a rerum primordio exposita sunt vobis? nonne docti estis a iactis terrae fundamentis? nonne *ille* super mundi globum sedet, et qui eum inhabitamus locustis sumus similes? nonne coelos tanquam cortinam extendit, et instar tabernaculi quod ad inhabitandum figit? nonne principes in nihilum redigit et iudices terrae ad inane, ita ut iterum neque plantentur neque serantur neque radicem fundat in terra stirps eorum? Protinus enim ut in eos flavit exaruerunt, et turbine tolluntur sicut stipula. Sed cui me similabitis, aut cui similis ero, ait Sanctus? Attollite in sublime oculos vestros, et considerate quis creaverit ista, quae copias suas magno numero producunt, quorum ille singula suis nominibus vocat. Nam pro immensitate virium, fortitudinis ac roboris eius ne unum quidem illum latet. Cur ergo cogitaret Iacob, et diceret Israel: Latent viae meae Dominum, et deum meum iudicium meum praeterit? Num enim aut ignorare potes aut non audivisse, quod sempiternus deus? Dominus qui orbem condidit non laborat nec fatigatur, neque prudentia eius pervestigari potest? Sed ipse dat lasso virtutem, et quem vires deficiunt abunde restituit. Adolescentes fessi et anheli redduntur, et iuvenes porro concidunt; qui vero Dominum observant, iis augetur robur, eis crescunt aquilarum alae. Dum currunt non deficiunt; dum ambulant non fatigantur.

CAPUT XLI.

Auscultent mihi insulae, et populi animum resumant! accedant ut causam agant! Accessamus nos mutuo ad iudicium! Quis excitat ab Oriente vindicem, evocando eum ut proficiscatur, subdendo ei gentes, et reges detrahendo? ut gladio suo humi deiiciat, et arcu suo tanquam stipulam dissipet? ut eos persequendo absque periculo transeat, neque per semitam elabi cogatur? Quis condidit, fecit et vocavit generationes

a principio? Ego Dominus, qui et primus sum et post ultimos. Videte insulae *hoc est gentes*, et miremini! obstupescite anguli terrae! accedite et venite! Quisque vestrum proximum ac fratrem suum invitavit et adhortatus est. Traxit faber fusorem, et qui malleo maximo tundebat eum qui leviore operabatur, dicendo: Hoc pulchre adfigetur; et clavis *Idolum* firmaverunt quo minus moveatur scilicet.

Tu quoque Israel serve meus, Iacob electe mi, semen Abrahami quod amo! ego adduxi te de finibus terrae: nam de longinquis regionibus eius vocavi te, ac dixi tibi: Servus meus eris tu, elegi te neque unquam repudiabo. Noli timere, quia ego tecum ero; neque circumspectes, quoniam ego deus tuus sum, qui te confortabo, adjuvabo, et hac iusta dextera mea tenebo. En confundentur et pudefient omnes qui te provocant, redigentur in nihilum et peribunt adversarii tui, eo ut qui eos requirat non inveniat. Vastatores tui quique bellum contra te movere audebunt, erunt sicut nihilum. Ego enim Dominus deus tuus confortabo dexteram tuam, quique tibi edico: Ne formides; quia ego feram tibi auxilium. Noli trepidare vermicule Iacob, tenuis ac contemte Israel! quoniam ego adjuvabo te ait Dominus, et vindicabo sanctus Israelis. Quin et plaustrum faciam te, et tribulam novam dentatam, ut tritures montes atque comminuas; colles autem in scobem redigas. Ventilabis eos atque instar venti auferes, et sicut turbo dissipabis eos; quum tu interim in Domino exultabis, ac sanctum Israelis laudabis. Quum adflicti et egentes aquam desiderant neque inveniunt, et lingua eorum siti marcescit, ego Dominus do eis. Ego deus Israelis non derelinquo eos. Produco in editis flumina et in medio camporum scaturigines. Desertum verto in stagnum aquarum, et terram siticulosam venis aquarum irrigo. Consero eremum cedro, buxo, myrto et olea; terram autem aridam abiete, ulmo et platano. Haec, inquam, facio, ut intelligant et cognoscant, ut alta mente reponant, et perpendant simul omnes, quod manus Domini haec fecit, et sanctus Israelis ea creavit. Adeste igitur causae vestrae, mandat Dominus; adferte robur vestrum! iubet rex Iacobi. Imo dii ipsi accedant, et exponant vobis quae olim evenerunt, ac prisca quaenam fuerint. Exponant, inquam, ut memoriae mandemus, et cognoscamus quae aliquando ventura sunt aut quae in foribus sunt nuncient! Quin vos ipsos alloquar: Nunciate quae posthac eventura sunt, et sciemus vos Deos esse. Benefacite aut saltem malefacite, ut omnes videamus et enarremus! Ecce vos estis ex eorum numero quae non sunt, et factura vestra ex nihilo; abominatio elegit vos. Ego autem excitabo ab aquilone qui et veniet, atque ab ortu qui invocabit nomen meum; et veniet ad principes tanquam figulus ad lutum, et conculcabit quemadmodum figulus lutum. Quis annunciavit haec antea, ut agnoscamus et confiteamur quod iustus sit? At nullus est qui haec praedixerit aut nunciaverit, neque qui audiverit verba eorum. En primum Zion et Hierusalem Evangelistam dabo. At quum considero, ex istis nullus est qui haec monuerit; quumque eos interrogo; verbo non respondent. En vobis eos omnes! Talia sunt opera hominum: scelus et nihilum, ventus et inane, quae ipsi conflant.

CAPUT XLII.

En igitur vobis servum meum quo nitar, electum meum quo unice placatur anima mea! Ditabo eum spiritu meo; aequum et iustum in Gentes propagabit. Non erit clamosus neque elatus, neque audietur in foro vox eius. Arundinem fractam non conteret, et linum fumigans non extinguet; vere atque ex fide ius reddet. Non halucinabitur neque praeceps erit, quo terrae iustitiam conciliet; et legibus eius Gentes utentur. Sic enim alloquitur eum Dominus deus, qui coelos et condidit et expandit; qui orbem cum germine suo extendit; qui respirandi vim tribuit populo eum inhabitanti, et vitam his qui versantur in eo. Ego Dominus vocavi te iustitiae gratia et manu tua adduxi te. Servabo igitur te, et faciam te foedus populi et lucem Gentium, ut aperias oculos caecorum; ut educas vinctos de custodia, et e domo carceris qui in tenebris sedent. Ego, inquam, ille, cui Domino nomen est, quique maiestatem meam alteri non do, neque gloriam meam sculptilibus; quandoquidem priora cuncta evenerunt, nova ista nuncio ac praedico vobis antequam nata sint. Cantate igitur Domino carmen novum! resonet laus eius ad fines terrae! Canant qui versantur in mari et quicquid in eo est; insulae et qui in eis habitant! Vocem tollant desertum et urbes eius; vici quoque qui habitantur in Cedar! Exultent qui edita petrarum incolunt, de montium verticibus plaudant! Tribuant Domino omnipotentiam, et inter Gentes laudem eius annuncient! Dominus enim tanquam gigas prodibit, et sicut miles in procinctu stans animum inhortabitur, clamabit, vociferabitur, et contra hostes suos vires exeret. Num quoniam hactenus tacui, perpetuo tacebo et feram? Quin more parturientis clamabo, subitoque vastabo ac devorabo; desolabo montes et colles, et omne germen eorum arefaciam. Convertam flumina in torridam et stagna exiccabo; inducam caecos in viam quam ignorabant, et dirigam eos in semitam quam nesciebant. Convertam tenebras coram eis in lucem, et recurva in rectum. Haec faciam eis nec derelinquam eos. Avertantur ergo retrorsum, et confusione confundantur, qui fidunt sculptili quique dicunt conflatili: Vos estis dii nostri. Audite o surdi, et aciem ad videndum o caeci intendite! Porro quis caecior est quam servus meus? aut tam surdus atque legati mei quos ad eos misi? Quis, inquam, tam caecus est ac populus Domini, et principes eorum? Perinde sunt ac si tu multa intelligas, nihil tamen serves; aut si quis audiat quidem nec tamen morem gerat. Propensus etenim est ad ignoscendum Dominus propter iustitiam suam, quo cultum ac legem suam amplificet et augustam reddat. Sed populus iste perditus est ac proculcatus. Laqueo igitur dedentur omnes iuvenes eorum, et in penetralia carcerum retrudentur! Abibunt in praedam, et non erit qui restituere cogitet. Quis ex vobis haec ita capit, ut prospiciat et moneat in posterum? Quis autem tradit Iacobum ut conculcetur, et Israelem in praedam, nisi Dominus? Nos vero haec designamus contra eum, et nolumus incedere in viis eius, neque legi eius obtemperare. Effundit ergo in nos iram furoris sui, et bella gravia quae nos undique tentant, sed nolumus resipiscere; quae nos incendio divexant, sed nolumus intelligere.

CAPUT XLIII.

Porro sic locutus est Dominus, qui te creavit o Iacobe, et te finxit o Israel: Noli timere! ego enim redimam te. Adoptavi enim te mihi simul cum nomine tuo, ut meus esses; quum transires aquas, tecum ego essem: quum vero flumina, non obruerent te; quum incederes in igne, non te adureret neque flamma te incenderet. Ego enim sum Dominus deus tuus, et sanctus Israelis servator tuus. Aegypto redimebam te; Aethiopes et Sabaeos pro te dabam, eo quod tanti esses in oculis meis, quodque tanti te facerem et amarem. Imo quodvis hominum genus pro te expendebam et populum quemlibet pro salute tua; quo minus timeres, eo quod tecum essem. Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente colligam te. Dicam Aquiloni: Da! et Austro: Ne prohibeas; sed adduc filios meos de longinquo, et filias meas de finibus orbis! omnem videlicet qui censetur nomine meo. Eum enim creavi, finxi et feci ad gloriam meam. Adduc populum, oculis tam captum quam praeditum, aeque surdum atque audientem. Omnes gentes et populi congregentur, et colligantur in unum! Quis deorum istorum nunciet ista, et ventura significet nobis? Producant testes suos et absolventur: qui enim audient, dicent firmum ac verum esse. Quum et ego ipse, ait Dominus, vos testes adpellem, servum, inquam, meum quem elegi; propterea quod conscii estis, et veritatem mihi tribuere res ipsa cogit, atque intelligitis, quod Ego ille sum, qui neque ipse secundus sum, neque secundum habeo; quod Ego solus Dominus sum quodque praeter me non est salvator. Ego moneo, ego servo, ego doceo, quo minus alienum recipiatis. Et vos ipsos testes meos adpello, ait Dominus, quod ego sum deus, quodque a temporum exordio ille sum; nec est qui quid de manu mea eripiat, aut quod facio infectum reddat. Sic ergo locutus est Dominus redemtor vester, Sanctus Israelis: Propter vos mittam Babylonem et arcessam omne robur eorum, nempe Chaldaeorum, belligerandi peritia gloriantium. Ego, inquam, Dominus sanctus vester, conditor et rex Israelis.

Sic itidem locutus est Dominus, qui viam per mare praebet, et iter per aquas vehementes; qui educit currus et equites, exercitum et robur, ut simul consopiantur neque resurgant; ut extinguantur, quomodo lucernae stuppa extinguitur. Veterum quum sitis male memores, et priorum nullum habeatis intellectum: en ergo rem novam faciam, quae iamiam efflorescet. Vultis eam scire? *Dixi eam prius*, et iterum dicam. Dabo in deserto viam et in solitudine flumina. Honorabunt me agrestes beluae, dracones et struthionum filiae. Dabo in deserto aquas et in solitudine flumina, ut potem electum populum meum, populum istum quem mihi formavi, ut laudem meam enarret. Tu enim Iacobe noluisti me invocare; sed fastidisti me, o Israel. Non enim obtulisti mihi pecudem in holocaustum, et victimis tuis non honorasti me. Aere tuo non emisti mihi calamum, et adipe hostiarum tuarum non imbuisti me; quamvis non exigerem a te sacrificia neque suffitu onerarem te. Tu vero oppressisti me peccatis tuis, et impietatibus tuis obruisti me; quum ego ille solus deleam transgressiones tuas propter me, et peccatorum tuorum obliviscar. Memora mihi: contendemus enim simul,

atque narra id, cuius causa absolutionem speres! Pater tuus iste primus primo peccavit; deinde et praefecti tui praevaricati sunt in me. Quapropter et magistratus sacrosanctos interfeci: Iacobum consecravi, et Israelem profanis tradidi.

CAPUT XLIV.

Nunc ergo audi Iacobe, serve meus, et Israel electe mi! Sic enim locutus est Dominus, qui fecit et finxit te quique ab utero auxilio tibi fuit: Ne te male habeat serve meus Iacobe, et eximie mi quem elegi! Quoniam effundam aquam super siticulosam, et flumina super aridam. Effundam, *inquam*, spiritum meum super semen tuum, et bonitatem meam super germina tua, et mixtim florebunt sicut herbae, et sicut salices ad rivos aquarum. Alius dicet: Ego Domini sum: alius nomine Iacobum invocabit. Alius autem manu sua scribendo nomen dabit Domino, et nomine Israelis censebitur. Sic inquam, locutus est Dominus rex Israelis et redemtor tuus Dominus exercituum: Ego sum primus et ego sum novissimus; et praeter me nullus est deus. Quis mihi similis unquam fuit, ex quo ab aeterno sum? Nominetur et exponatur, quanam re mihi comparetur! Nuntient huiusmodi et quae evenerunt et quae ventura sunt: id autem citra metum et cunctationem! Nonne enim ego ab aeterno expono et nuntio vobis? Cuius vos testes meos produco. Num est deus praeter me? num est formator quem ignorem? Vani sunt igitur universi plastae idolorum et studia eorum inutilia. Ipsi enim testimonium sibi praebent quod, dum neque vident neque sentiunt, iure pudefiant. Quis ergo fingat deum, aut fusile ad nihilum utile conflet? quum omnis sodalitas eius pudefiat. Colligantur enim mihi ex hominibus et adsint omnes fabri! efficiam ut simul omnes pudefiant et attoniti reddantur. Faber ferrum corripit, prunis macerat et malleo illud format: idque advocatis omnibus lacertorum viribus, imo nonnunquam ita esuriens ut vires eum deficiant; potus adeo abstinens, ut lassus concidat. Iam et materiarius regulam supra lignum tendit et creta delineat illud, diametris aequat et circinis tornat; quodque exit opus viro simile est ac formoso homini, ut in aede sedeat. Accingit se inquam ad incidendum cedros, ad advehendum ilicem, quercum et reliqua ligna saltus, aut quam domi plantavit quamque imber auxit pinum: quibus homo utitur ad incendendum ignem. Accipit enim de his et calefit, ac rursus incenso furno panem coquit. Deinde et deum ex his facit et adorat; sculptile facit, et procumbit ante ipsum. Partem eius incendit igni, parte carnem torret ut assam edat et saturetur, parte calefit ut dicat: Euge caleo, ad ignem fui. Reliquum autem eius in deum et simulacrum sibi facit; ante illud procumbit, illud adorat, huic supplicat et dicit: Libera me! deus enim meus es tu. Nihil neque sentiunt neque intelligunt; quoniam capti sunt et oculis ne videant, et corde ne intelligant. Nullus ad se ipsum redit (neque enim sensu pollent aut intellectu), ut sic secum reputet: Partem eius igni combussi; super carbones eius et panem coxi et carnes cremavi ac comedi. Reliquum vero eius cur abominabile simulacrum faciam et ante putridum lignum procumbam? Vanum otium et cor stultum huc eos devolverunt,

ut nullus mentem suam adserat, aut sic cogitet: Nonne fieri potest ut erres? Haec memineris Iacobe et Israel: tu enim servus meus es, quem in hoc finxi ut servus meus esses tu o Israel, neque venires mihi in oblivionem. Ego transgressiones tuas ut nubem deleo, et sicut nebulam peccata tua. Revertere igitur ad me! nam liberabo te. Exultate coeli quos Dominus fecit! iubilate fundamenta terrae, plaudite montes, laetemini silvae et omnes arbores earum! quia redimet Dominus Iacobum, et in Israele gloriam suam amplificabit. Sic enim locutus est Dominus defensor tuus, qui te ab utero formavit: Ego sum Dominus qui solus omnia facio, qui coelos solus extendi, solus terram firmavi; dissipo signa divinorum et ariolos irrito, averto sapientes retrorsum et scientiam eorum stultam reddo. Erigo propositum servi mei et consilium nuntiorum meorum perficio. Qui dico Hierosolymae: redi in pristinum statum! et civitatibus Iudae: aedificemini! quique deserta eius restituo. Qui mando abysso: Aresce! et flumina eius exicco. Qui dico Cyro: pastor meus est et omnia pro mea voluntate perficiet. Qui dico Hierosolymae: aedificare! et templo: fundare!

CAPUT XLV.

Sic, inquam, locutus est Dominus Messiae suo Cyro, cuius, inquit, dextram prehendi, ut Gentes ante eum procumbant. Balteum regum solvam, ut sub adventum tuum portas reserent et fores non claudant. Ego ante te procedam, confragosa aequabo, portas aeneas conteram et vectes ferreos confringam. Dabo tibi thesauros in tenebris latentes et quae in occultum abstrusa sunt, ut cognoscas quod ego Dominus deus Israel nominatim vocaverim te, propter servum meum Iacobum, et Israelem electum meum. Vocavi enim te nomine tuo et exornavi, quum nondum haberes mei notitiam. Ego Dominus, praeter quem nullus est, praeter quem nemo est Deus. Accinxi te quum adhuc ignarus esses mei; ut cognoscerent ab oriente sole usque ad occidentem, quod praeter me omnia nihilum sunt, quod ego sum Dominus et nullus alius. Fingo lucem, creo tenebras, concilio pacem, produco miseriam. Ego Dominus, facio haec omnia. Rorabunt coeli desuper et nubes depluent iustitiam, aperietur terra et germinabit salutem; iustitia quoque simul germinabit: hoc itidem ego Dominus creabo.

Vae disceptanti cum auctore suo, testa cum figulo scilicet! Num enim lutum figulo suo dicit: Quid facis? aut: Operis tui nullus est usus. Vae qui dicit patri: Cur generabis? et matri: Cur parturies? Haec dicit Dominus sanctus Israelis, et auctor eius: Ventura interrogate me super filiis meis, et super opere manuum mearum requirite me! Ego terram condidi, et hominem super eam creavi; ego manibus meis coelos extendi et omni militiae eorum impero. Ego excitabo illum cum iustitia et omnes vias eius dirigam. Ipse civitatem meam aedificabit et captivitatem meam dimittet: id autem neque pretio neque muneribus adductus, ait Dominus exercituum.

Sic item locutus est Dominus: Negotiatores Aegypti et mercatores Aethiopum ac Sabaeorum tributarii facti ad te transibunt et tui erunt, te sequentur, in compedibus transibunt; ante te flectentur et supplices

te precabuntur: profecto enim deus tecum, praeter quem nullus est deus. Quam profundus es tu o deus, deus et salvator Israelis! Erubescant, pudefiant et cum ignominia abeant simul omnes idolorum cultores. Porro Israel salvus erit in Domino salute sempiterna. Non erubescent, neque notabuntur ignominia per aeterna secula. Quoniam sic locutus est Dominus qui coelos creavit, deus ille qui terram finxit, fecit et paravit. Non frustra creavi eam, sed ut habitetur eam finxi. Ego Dominus praeter quem nullus est. Neque in occulto locutus sum, aut in obscuro terrae loco. Nec vero temere dixi semini Iacobo: Quaerite me! Ego enim Dominus: quum loquor, quod iustum et rectum est adnuntio. Congregentur et veniant! accedant simul reliquae gentes, num intelligant qui ligneum simulacrum extollunt, et ad deum orant qui salvare nequit. Accedant, inquam, in unum concilientur et adnuntient, quisnam prodiderit ista olim, quis primo exposuerit. Nonne ego Dominus, praeter quem non est deus? ego deus iustus et salvator praeter quem nemo? Convertimini igitur ad me et salvi eritis omnes fines terrae, quoniam ego sum deus et nullus alius. Per memet ipsum iuro: iustitia egreditur de ore meo, et verbum meum non redditur irritum. Sed omne genu mihi curvabitur, et iurabit omnis lingua atque dicet: In Domino sita est mihi iustitia et fortitudo. Ad eum venient; sed confundentur omnes provocantes eum. Iustificabitur autem et collaudabitur in Domino omne semen Israelis.

CAPUT XLVI.

Concidet Bel, corruet Nebo, quorum idola bestiis ac iumentis oneri erunt, pondus et gravamen ad defatigationem. Corruent ac concident simul: non enim possunt onus ponere; unde et in captivitatem abibunt.

Audite me familia Iacobi et omnes reliquiae domus Israelis! quos tuli ab utero, quos a partu portavi; imo usque ad senectam feram et usque ad decrepitam portabo. Ego enim quum fecerim, etiam feram, ego baiulabo et liberabo.

Cui quaeso me adsimilabitis, aequiparabitis aut comparabitis, et cui similis sum? Num vani aurum vel argentum e marsupio ad stateram adpendetis, ac fusorem conducetis ut deum ex eo faciat, ante quem procumbatur? qui adoretur? qui tamen humeris imponatur, gestetur ac in locum suum sistatur, ut stet neque ex eo moveatur? deinde et clametur ad eum, qui tamen non respondeat neque de angustia liberet? Considerate istud, et animum resumite o praevaricatores, atque ad bonam mentem redite! Memineritis veterum a condito mundo quod ego sum deus, et non est alius deus neque quicquam mihi simile: Qui nuncio a principio postrema, et ab exordio ea quae nondum facta sunt; dicto consilium meum constat, et omne placitum meum perficio. Voco ab Oriente volucrem, et de terra longinqua quicquid constituero, simul atque iussi, adduco; protinus atque inveni, effectum do ipsum. Audite me elati quidem corde, at alieni a iustitia! Adducam iustitiam

meam, neque longe aberit; et salus mea non cunctabitur, daboque Zioni salutem et Israeli decus meum.

CAPUT XLVII.

Descendes autem et consides in pulvere, o virgo filia Babel! sedebis in terra non in solio, filia Chaldaea! Desines enim vocari tenera et delicata; corripies molam et moles farinam, fasciam pones, nudabis plantam et retecta sura flumen transibis. Revelabuntur pudenda tua et verenda tua videbuntur. Ultionem enim capiam, neque patiar ut quisquam intercedat. Haec locutus est redemtor noster, cui nomen est Domino exercituum, sancto Israelis. Sede tacita et in obscurum locum ingredere, filia Chaldaea: desines enim vocari regnorum domina. Equidem ita iratus eram populo meo, ut hereditatem meam adfligerem et traderem eos in potestatem tuam. Tu vero nihil miserta es eorum, sed in senes eorum degravasti iugum tuum supra modum; sic cogitasti: In perpetuum ero domina. Verum tamen ista non tractavisti in corde tuo, neque quod venturum est perpendisti.

Nunc ergo audi haec o delicata, quae secura sedes quaeque sic tecum reputas: Ego sola et praeter me nulla est; nullatenus autem sedebo vidua neque orbitatem experiar. Attamen duo ista usu venient tibi repente in die uno, nempe orbitas et viduitas. Usu, inquam, venient tibi pro omni virili sua, quum in tanta multitudine incantatorum tuorum tum in robore tot auxiliariorum. Confisa enim in versutia tua dixisti: Nemo videt me: sapientia et scientia tua seduxerunt te. Sic enim praesumsisti corde tuo: Ego sola et praeter me nulla. Veniet igitur super te malum cuius ortum ignorabis, et incidet in te calamitas quam non poteris expiare. Veniet repentina vastitas super te imprudentem etiam. Tum quaeso adeas auxiliares et incantatores tuos, quorum et adfatim tibi est, quosque ab incunabulis coluisti: an forte iuvari possis ab eis, an confortari. Laboravisti enim hactenus copia consiliorum. Prodeant oro atque te servent coelorum contemplatores, stellarum inspectores, et nuncient undenam super te ventura sint haec nova. En similes erunt stipulae, quam, ubi igni incensa est, nemo a vi flammae potest eripere, quaeque nec ad prunam qua incaleas, neque ad focum cui adsideas, prodest. Tales, inquam, erunt tibi quos coluisti, quibus cum negotiata es ab infantia tua. Quisque iuxta professionem suam seducet: at interim nemo est qui tibi salutem adferat.

CAPUT XLVIII.

Audite haec domus Iacobi, qui cognomento vocamini Israel, et ex eo fonte quo et Iuda profluxistis, quique iuratis per nomen Domini et per deum Israelis testamini, etiamsi non ex fide et iustitia; qui nomine civium urbis sanctae censemini, freti deo Israelis Domino exercituum! Nonne quae a primordio nuntiavi, quum de ore meo exirent, et vobis exponerem, protinus ea feci, usuque venerunt? Quamvis non ignorarem quod durus sis, quod nervo ferreo rigeat iugulum tuum, et quod tibi aenea frons sit? Attamen ab exordio priusquam fierent nuntiavi et exposui tibi. Ne, inquam, diceres: Idolum meum fecit haec aut sculptile

ac conflatile meum mandavit ea. Considera et vide haec omnia, num vos praedixeritis! Ego vero et olim praedixi tibi quaedam nova atque abstrusa quae ignorabas. Et nunc recens creavi quaedam, quae neque olim neque ante diem creationis audivistis, quo minus diceretis: Ecce praescivi. Deinde quaedam nec audivisti nec praescivisti, neque olim revelata sunt auribus tuis. Sciebam enim quod transgressurus esses: ab utero Praevaricatori tibi nomen datum est; quamvis propter nomen meum distulerim iram meam, et propter gloriam meam defenderim te, quo minus perires. Ecce enim repurgavi te, at non pro pecunia; sed in camino paupertatis elegi te. Propter me, inquam, feci (nam gloriam meam alteri non do), ut me nulla ratione profanares. Audi me Iacobe, et Israel quem vocavi! Ego sum ille qui est. Ego sum primus; ego novissimus quoque sum. Manus vero mea fundavit terram et dextera mea coelos firmavit; Ego quum ea vocarem protinus constiterunt. Congregemini ergo vos omnes, et audite: Quis de istis nunciavit haec, quae Dominus per Babylonium quem amat, per Chaldaeum quo delectatur quoque vice brachii sui utitur, facturus est? Ego solus praedixi; ego solus quoque vocabo et adducam eum, prosperamque faciam profectionem eius. Accedite, inquam, ad me et audite istud! Num ab exordio rerum obscure locutus sum? qui in ipso articulo dum quodque fit adsum? Ob hanc igitur causam Dominus deus misit me et spiritus eius. Et sic loquitur Dominus redemtor tuus, sanctus Israelis: Ego sum Dominus deus tuus, docens te quae profutura sunt, dirigens te in viam qua tibi eundum est. Quod si praecepta mea observaveris, redundabit instar fluminis pax tua, et iustitia tua sicut fluctus maris; semen tuum aequabitur arenae et germen uteri tui calculis eius. Non excindetur neque exterminabitur nomen tuum e conspectu meo. Egrediemini ex Babylone, elabemini a Chaldaeis cum voce exultationis: quod et narrabitur, nunciabitur et praedicabitur usque ad fines terrae, ac dicetur: Redemit Dominus servum suum Iacobum, ut non sitiverint quum per aridam proficiscerentur. Aquam enim eis de petra promanavit; saxum scidit ut latices effluerent. Impiis, ait Dominus, non est pax.

MESSIAS.

CAPUT XLIX.

Audite me insulae, et populi longinqui attendite! Dominus vocavit me de ventre, et de utero matris meae nomen meum prodidit. Os meum fecit gladio acuto simile. Umbra manus suae protexit me, et tanquam sagittam eximiam abscondit me in pharetra sua. Dixit etiam mihi: Servus meus es tu Israel in quo glorificabor. Ego autem dixi: Frustra laborabo, inutiliter ac temere vires meas insumam. Attamen causam meam Domino et opus meum deo meo offeram. Quapropter locutus est Dominus, qui me ab utero servum suum finxit, ad reducendum ad se Iacobum, etiamsi futurum sit, ut nolit ad eum colligi; in cuius oculis magnus sum, quique est deus meus et fortitudo mea. Et dixit: Parum sit hoc quod servus meus sis ad erigendum tribus Iacobi et ad restituendum vastitatem Israelis; nisi te lucem Gentium

fecero, ut veniat salus mea ad fines terrae. Sic locutus est Dominus vindex Israelis, et sanctus eius, super contemto et neglecto a gentibus, super servo omnium qui dominantur: Reges et principes videbunt et consurgent, ad adorandum, propter Dominum quia fidelis est, et Sanctum Iraelis qui te elegit.

Iterum sic locutus est Dominus: In tempore constituto adero, et in articulo salutis adiuvabo te atque servabo; et dabo te in foedus populi, ut instaures terram et vendices hereditates dissipatas, ut dicas vinctis: Exite! et his qui in tenebris sunt: Revelamini! ut ad vias pascant et in omnibus locis pascuis suis fruantur. Non esurient neque sitient, non feriet eos aestus aut sol; quoniam dux eorum benigniter curabit eos et ad venas aquarum potabit. Omnes montes meos reddam pervios et semitae meae conspicuae erunt. Ecce enim alii de longinquo venient, alii ab Aquilone et mari, alii vero ab Austro. Laetamini coeli, exulta terra, plaudite montes prae gaudio; quia consolabitur Dominus populum suum et pauperum suorum miserebitur. Hic dicet Zion: Dereliquit me Dominus, et herus oblitus est mei. Num oblivioni tradit mulier infantem uteri sui, natum de ventre suo? Quod si ista per oblivionem accidant: at ego tui non obliviscar. Ecce enim in manus istas inscripsi te; muri tui nunquam excidunt mihi. Properabunt ad instaurandum te qui te disiecerant, et qui te vastarunt in te versabuntur. Attolle et circumfer oculos tuos et vide! Omnes isti congregabuntur et venient ad te. Vivo ego, ait Dominus, quoniam eis omnibus amicieris tanquam ornamento, et sicut sponsa mundo suo induitur. Terra enim tua, quae desolata, vastata et perdita iacet, iamiam angustior erit, quam ut habitatores capere possit; et qui te devorent longe aberunt. Tunc in aures tuas dicent filii, qui tibi sterili nati erunt: Angustus est locus; concedatur mihi ut sedere possim! Sic ergo tecum reputabis: Quis genuit mihi istos, quum ego sim sterilis et orba, relegata et repudiata? istos quis educavit? En ego derelicta et sola sum; isti vero undenam sunt? Sic ergo loquitur Dominus deus: Ecce extendam ad gentes manum meam et ad populos levabo signum meum. Et adferent tibi filios in sinu, et filias in humeris adportabunt tibi. Et erunt reges nutritii tui, et reginae uxores eorum nutrices tuae. Vultu ad terram demisso adorabunt te et pulverem pedum tuorum lingent. Et scies quod ego sum Dominus, in quem qui sperant non confunduntur. Quis eripiat heroi praedam, aut captivos robusto quis auferat? Propterea Dominus sic est locutus: Et captivitas heroi eripietur, et auferetur violento praeda. Causam enim tuam ego contra adversarium tuum defendam et liberos tuos ego salvabo. Hostes tuos cibabo suis carnibus et sanguine suo ceu musto inebriabuntur. Quo videbit omnis caro, quod ego Dominus salvator, et fortis redemtor tuus sum, o Iacobe!

CAPUT L.

Sic locutus est Dominus: Ubi est libellus iste repudii matris vestrae quem ei miserim? Aut quis est foenerator cui vendiderim vos? Ecce propter iniquitates vestras venumdati estis, et propter praevaricationes

vestras dimissa est mater vestra. Cur quum ipse venirem nemo erat *qui reciperet*; quum vocarem nemo responderet? Num sic praecisa erat manus mea ut liberando non esset? aut virtus mihi deerat ad redimendum? qui solo iussu pelagus exicco; qui flumina in aridam converto, ut pisces eorum aut aquae penuria putrescant aut siti pereant. Coelos tristi caligine vestio et sacco operio eos. Dedit mihi Dominus deus linguam eruditam, ut sciam tempestive cum adflicto loqui. Summo diluculo vellicavit et expergefecit aurem meam, quomodo praeceptores assolent, ut auscultem. Dominus deus aperuit mihi aurem; ego vero quomodo non parerem? aut quomodo deprecarer? Tergum igitur meum praebeo percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non averto a contumeliis et sputo: Dominus enim deus auxilium mihi fert; idcirco non confundar, idcirco faciem meam instar silicis obduro. Scio enim me non pudefactum iri. Nam patronus mihi adest qui efficiet ut absolvar. Quis ergo mecum litiget? Adeamus simul! Si quis volet iudicio mecum contendere, huc accedat! Ecce Dominus deus causam meam suscepit! quis porro me damnabit? Ecce omnes isti sicut vestimentum veterascent, tinea corrodet eos. Quisquis ergo inter vos est qui timeat Dominum, audiat vocem servi eius; et quicunque in tenebris ambulat et luce caret, fidat nomine Domini et nitatur deo suo! Ecce vos omnes ignem incendistis, et flammis cincti inceditis in fulgore et flamma ignis vestri quem incendistis. At a manu mea factum est hoc vobis, ut in doloribus obdormiatis.

CAPUT LI.

Audite me qui sectamini iustitiam et quaeritis Dominum: Considerate petram de qua excisi estis, et lacum ex quo effossi et hausti estis! Considerate, inquam, Abrahamum patrem vestrum, et Saram matrem vestram, quomodo unum ac solum vocaverim eum, sed ditaverim quoque et multiplicaverim; quomodo consolatus sit Dominus Zionem, consolatus omnem tenuitatem eius! Desertum eius reddidit paradiso simile et aridam eius horto Domini. Gaudium et laetitia habitabunt in ea, gratiarum actio et vox collaudantium.

Ad me igitur respice gens mea, et popule meus aurem mihi praebeas! Quoniam lex a me egredietur, et iudicia mea ad illustrandas gentes transferam. Prope est ut iustitia mea et salus mea egrediatur, ut brachio meo populi iudicentur. Suspicient me insulae et brachio meo nitentur. Attollite oculos vestros in coelum et terram subtus inspicite! Nam coelum sicut fumus dissipabitur; terra vero sicut vestis deteretur, et qui in ea habitant ad eundem modum peribunt. Salus autem mea in aeternum durabit et iustitia mea inconcussa manebit. Audite me qui amatis iustitiam, praesertim tu o popule, qui legem meam in corde tuo tenes! Nolite pavere ab opprobriis hominum, et contumelias eorum ne formidetis; quoniam sicut vestem et lanam, tinea ipsos comedet. Iustitia vero mea in aeternum durabit et salus mea ad perpetuas generationes. Excitare, excitare, ac robur indue brachium Domini! Excitare quemadmodum retro temporibus per singulas aetates! Nonne tu idem es, quod fastuosum luciferum concidisti? quod vulneribus

draconem confecisti? Nonne tu id ipsum es, quod mare et immensam abyssum hausisti? Quod pelagi profunda complanasti, ut transitum praeberet liberatis? ut per Dominum liberati reverterentur ac redirent in Zionem cum exultatione, ut laetitia sempiterna fruerentur? ut iucunditas quidem et gaudium eis adessent; fugerent autem dolor et gemitus? Equidem, *respondit Dominus*, ego, inquam, is sum, qui vos per omnia consolor; tu vero quis es, ut hominem mortalem et sicut foenum interiturum reverearis? obliviscaris autem Domini qui te fecit, qui coelos extendit, qui terram fundavit? Hinc est, ut omni tempore metuas a furore contristantis, qui ad perdendum accinctus est. Attamen diceres: Eius furor ubinam est? Festinat et accelerat ut appareat. Non intercidet quo minus perdat, neque deficiet eum commeatus. Ego igitur Dominus deus tuus qui aequor interim complano, interim suis fluctibus tumultuari sino, cui nomen est Domino exercituum; ego ponam verba mea in os tuum, et obiectu manus meae protegam te, ut plantes coelum et fundes terram, et dicatur Zioni: Populus meus es tu.

Expergiscere, expergiscere, surge Ierusalem, quae bibisti de manu Domini calicem furoris eius, quae bibisti et exuxisti vel cum fece calicem soporiferum, neque est qui prehensa manu tua te ducat ex omnibus filiis tuis quos educasti! Haec duo usu venerunt tibi; sed quisnam propterea contristatus est? Ista quoque, vastitas, pestis, fames et gladius. Sed quis te consolatus est? Filii tui conculcati iacent in capitibus omnium platearum, sicut oryx funibus implexus, saturati furore Domini et indignatione dei tui. Idcirco audi hoc obsecro misera et ebria, etiamsi non a vino! Sic loquitur herus, Dominus ac Deus tuus, vindex populi sui: Ecce auferam de manu tua calicem soporiferum cum fece calicis furoris mei, ut postmodum non bibas eum ultra, et tradam eum in manum adfligentium te, qui dixerunt animae tuae: Sternere ut transitum nobis praebeas, et aequa terrae corpus tuum ut sis vice plateae praetereuntibus!

CAPUT LII.

Exurge exurge, et indue robur tuum Zion! indue vestes honorificentiae tuae, Hierusalem, civitas sancti! Non enim ultra veniet in te incircumcisus et pollutus. Excute te a pulvere, surge sede Hierusalem, explica te de vinculis colli tui, o captiva filia Zionis! Sic enim loquitur Dominus: Gratis venumdati estis, unde et absque argento redimemini. Quia sic loquitur Dominus deus: Olim descendit populus meus in Aegyptum ut inquilinus esset isthic; Assyrius autem temere vim fecit ei. Porro, quis mihi isthinc usus est, ait Dominus, quum populus meus gratis abducitur? quum Domini eius ad eiulatum adigunt, et nomen meum iugiter omni tempore blasphematur? Quapropter? ut sciat populus meus nomen meum. Ideo in illa die ego ipse loquar: Ecce adsum. Ut nitidi erunt pedes de monte Evangelizantis et adnuntiantis pacem! evangelizantis bonum, annuntiantis salutem, et dicentis Zioni: Regnet et vivat deus tuus! vocem quum tollent speculatores tui, voce cum simul demonstrabunt. Oculis enim suis clare videbunt quum Dominus redibit Zionem. Sed o deserta Ierusalem, exultate et plaudite simul! quoniam

consolabitur Dominus populum suum, et Hierosolymam redimet. Renudabit ac proferet Dominus brachium suum sanctum in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terrae salutare dei nostri. Recedetis omnino et egrediemini isthinc, pollutum non tangetis! Exibitis de medio eius. Mundi igitur estote qui fertis vasa Domini! Sed neque tumultuose exibitis neque fugitivorum instar properabitis. Dominus enim ante vos incedet, et agmen vestrum colliget deus Israel. Ecce prudenter geret rem servus meus, unde et exaltabitur, evehetur et honorabitur vehementer. Quemadmodum enim super eo admiratura multitudo est, quod adspectus eius deformior quam viri futurus est, et species quam hominis: sic gentium quoque multitudo ipsum deprecabitur, et reges ora sua continebunt. Visuri sunt enim quibus nihil memoratum est de eo, et intellecturi qui nihil audierunt.

CAPUT LIII.

Sed quis credit nostrae praedicationi? aut brachium Domini cui perspectum est? Crescet autem coram Domino tanquam virgultum et sicut radix in humo siticulosa. Non erit ei species aut decor. Quum intuebimur eum nulla erit forma, neque desiderabimus eum. Despectus et contemtissimus erit omnium, qui tamen dolorum et aegritudinum peritus est. Sic inquam despectum et nihili eum reputabimus, ut vultus ab eo simus absconsuri; quum tamen languores nostros vere ipse ferat et dolores nostros baiulet. Nos autem existimabimus eum plaga a deo percussum et humiliatum; etiamsi ille a transgressionibus nostris vulneretur et propter iniquitates nostras conteratur. Mulcta enim correctionis nostrae ipsi imponetur, et livore eius sanabimur. Nos omnes tanquam ovis erravimus; quisque viam suam sectatur. Dominus autem imponit ei omnes iniquitates nostras ad propitiandum. Ipse angustiabitur et adfligetur; sed non aperiet os suum. Sicut ovis ad immolandum ducetur, et mutus erit sicut agnus coram tonsore suo nec vero aperiet os suum. Indicta causa citraque iudicium tolletur; cuius tamen sobolem quis recenseat, etiam quum e vivis extirpatus esse crederetur? Quae ei plaga propter transgressionem populi sui usu veniet. Quin et sepulcrum illi dabitur inter impios et exaltatio inter praedones; quamvis injuriam nullam fecerit, et dolus non fuerit in ore eius. Dominus tamen decrevit eum infirmitate conterere, ut ipse pro peccatis oblatus videat longaevam posteritatem. Et decretum hoc Domini in manu illius prospere cedet: periculo animae suae inveniet opes, et arte sua justificabit multitudinem iustus servus meus: nam scelera eorum ipse asportabit. Idcirco ei et multitudinis et fortium praedam partiar; eo quod ad mortem animam suam effundet et inter praevaricatores reputabitur. Qui tamen multitudinis peccatum auferet et pro transgressoribus intercedet.

CAPUT LIV.

Exulta igitur sterilis quae non paris! plaude, cane, gesti quae non parturis! quia plures erunt filii desolatae quam conjugatae, dicit Dominus. Dilata locum castrorum tuorum, et cortinae tabernaculorum tuorum protendantur! Cave cesses! diduc quam longissime funes tuos

et clavis tuis firma; quia tam ad dexteram quam ad laevam erumpes. Semen tuum gentes possidebit et urbes desertas habitabit. Ne, metuas! non enim pudefies. Ne verearis! non enim confunderis. Nam et pudoris adolescentiae tuae oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuae non recordaberis ultra. Herus enim et maritus tuus erit qui te fecit, is videlicet cui nomen est Domino exercituum; cognatus autem et vindex tuus vocabitur Sanctus Israelis et deus universae terrae. Dominus enim vocabit te veluti foeminam dimissam et adflictam spiritu; veluti uxorem adolescentem quae fidem fregerat, ait deus tuus. Pusillo momento dereliqui te, sed misericordia multa colligam te. Per momentum quo irascebar abscondi vultum meum a te, sed misericordia sempiterna complectar te, ait Dominus redemtor tuus. Nam istud erit mihi, sicut aquae Noachi. Ut enim iuravi, me aquas Noachi non ultra super terram adducturum: sic iuravi, ne irascar tibi aut obiurgem te. Citius enim et montes locum deserent et colles nutabunt, quam vel bonitas mea te deserat vel foedus pacis meae nutet, ait Dominus miserator tuus. En o paupercula, adflicta et desolata! ego constituam e carbunculo muros tuos et fundamenta tua iaciam e sapphiris. Fenestras tuas e cristallo faciam, portas tuas perspicuo lapide inflammabo, et omnes fines tuos nobilibus gemmis consternam. Porro universi filii tui docti erunt a Domino et pace multa donabo eos. Iustitia constabis, longe aberis a vi, unde neque timebis; et a plaga: non enim adpropinquabit ad te. Ecce advena qui alienus erat a me incolet, et qui peregrinus tibi erat ad te concedet. Ecce ego condo fabrum istum, qui flatu primum carbones incendit, deinde arma pro ratione artis suae producit. Ego quoque vastatorem ad perpetuum creo; sed omnia arma contra te facta non prosperabuntur, et omnem linguam, quae contra te surget in iudicio, superabis ac damnabis. Talis erit hereditas servorum Domini, et haec eis a me iustitia donabitur, dicit Dominus.

CAPUT LV.

O vos omnes igitur qui sititis pergite ad aquas! etiam quibus deest argentum ite, comparate ut comedatis! Ite, comparate sine pecunia, et sine pretio vinum et lac! Cur enim expenditis pecuniam pro eo quod non cibat, et laborem vestrum pro eo quod non satiat? Quin potius mihi auscultate, ut opimis vesci et in pinguedine delectari possit anima vestra! praebete aurem vestram et concedite ad me! Auscultate et reficietur anima vestra! Feriam enim vobiscum foedus sempiternum, indubitatas misericordias Davidi promissas! Ecce dabo eum testem populis, principem ac ducem gentibus. Ecce gentem ignotam vocabis, et gens cui tu quoque ignotus es ad te properabit. Id autem propter Dominum deum tuum et sanctum Israelis, qui te honorificum reddit.

Quaerite Dominum dum invenitur! invocate eum, dum prope est! Derelinquat impius viam suam, et omnis iniquus consilia sua ac redeat ad Dominum! et miserebitur eius; atque ad deum nostrum, quoniam propensus est ad ignoscendum. Sic enim ait Dominus: Consilia mea non sunt sicut consilia vestra, et viae vestrae non sunt sicut viae meae. Sed quemadmodum coeli terra sublimiores sunt: ita excedunt viae meae

vias vestras et cogitationes meae cogitationes vestras. Nam perinde atque imber aut nix de coelo descendit et illo non redit, sed irrigat terram et parere atque germinare eam facit, ut det serenti frumentum et panem ad edendum: ita et verbum meum, quod de ore meo exit, non redibit ad me vacuum; sed faciet quaecunque volo, et prosperabitur in his, ad quae misi ipsum. Cum laetitia enim vivetis et in pace versabimini. Montes et colles exultabunt vobiscum prae gaudio, et omnia ligna agri manibus plaudent. Pro rubo surget abies et pro spina myrrhus. Id erit Domino in nomen et signum sempiternum, quod non exscindetur.

CAPUT LVI.

Sic locutus est Dominus: Servate aequitatem et facite iustitiam, quia properat ad veniendum salus mea, et iustitia mea ut reveletur! Beatus homo qui hoc fecerit, et filius hominis qui hoc adprehenderit, qui custodit sabbatum ne ipsum profanet: nempe, qui custodit manum suam, ne faciat quicquam mali. Hic ne dicat filius alienigenae, qui Domino adhaesurus erat, hoc modo: Separat me proh dolor a populo suo Dominus. Neque dicat eunuchus: En ego lignum aridum! Sic enim promittit Dominus primum eunuchis: Dummodo custodient sabbata mea, hoc est, summa putant quae ipse decerno, et firmiter tenent foedus meum, dabo eis in domo mea et intra muros meos et partem et nomen melius, quam filiorum et filiarum: nomen, inquam, sempiternum dabo huiusmodi, quod nunquam abolebitur. Deinde filiis alienigenarum qui Domino cupiunt adhaerere promittit, quod ministraturi sint ei et amplexuri nomen Domini, et futuri servi eius: omnes scilicet, qui observant quo minus polluant nomen meum, hoc est, qui firmiter tenent foedus meum. Adducam enim eos ad montem meum sanctum, et exhilarabo eos in aede mea oratoria; holocausta et victimae eorum gratae erunt super aram meam. Aedes enim mea aedes orationis erit cunctis gentibus. Nam sic loquitur Dominus deus, qui profugos Israelis colligit: Ultra congregabo ad eum qui ad coetum eius pertineant, omnes bestias agri et omnes bestias nemorum eius, quae venient ad devorandum eum. Episcopi enim eius omnes caeci sunt, omnes ignari sunt, omnes canes muti sunt, latrare non possunt. Dormitant, torpent ac somno indulgent. Canes impudentissimi sunt et modum nesciunt. Pastores quoque nihil norunt intelligere. Quisque consilia sua, quisque avaritiam suam sequitur pro omni virili sua. Quin et venite! aiunt, vinum adferam, ut perpotemus ad ebrietatem; atque adeo sicut hodie ita et cras, imo longe amplius.

CAPUT LVII.

Interim damnatur innocens quisque, et nemo reputat hoc in corde suo; optimi quique ducuntur, et nemo considerat, *ut dicat*: Ecce iustum tollit sceleratus, ut pace fruatur, ut securus sit in cubili suo et ambulet pro sua libidine. Vos ergo huc accedite, filii veneficae, nati ex adultero et meretrice! Quid vos delectat? Super quem dilatastis ora et linguas exeruistis? Nonne filii estis ex adulterio concepti, et

degener posteritas? libidinantes ad quercus et sub omni ligno frondoso? iugulantes liberos in vallibus et petrarum latebris? In partibus torrentis pars tua est. Torrentes ergo sors tua erunt. Tu enim et libamen eis fudisti et munus obtulisti. Num ista aequanimiter ferrem? In montibus editis et sublimibus posuisti lectisternia tua, eodemque ascendisti ad offerendum victimas. Post ianuam et postes reliquisti monimentum tuum, quum alii quam mihi te ipsam renudasti. Abiisti et ampliasti lectum tuum; quum scilicet ex deorum gente quosdam tibi excidisti. Amplexa es lectos eorum ubicunque videres. Recta quoque unguento et variis pigmentis delibuta ad reges abiisti, quum in longinquum legationes tuas amandasti, qua tu re ad inferos decidisti. Laboras copia viarum tuarum neque unquam cogitas: sufficit. Tuopte Marte vitam te invenisse credis, quo fit ut languere te non credas. Quem enim timeres aut formidares, posteaquam fidem fregisti? quae mei rationem nullam habes neque in cor tuum revocas. Num me, quod hactenus feci, perpetuo taciturum speras, ut me nihil metuas? Quin potius iustitiam tuam, et opera tua prodam; quamvis tibi non sit profuturum. Liberent te in necessitate hi, qui ex foedere tibi iuncti sunt! Sed universos istos tollet ventus, rapiet vanitas. Qui autem in me sperant possidebunt terram, et montem meum sanctum haereditabunt. Propterea sic dicit: Munite viam et iter concedite! Tollite offendicula de via qua itur ad populum meum! Quia sic locutus est qui in excelso et sublimi in perpetuum habitat, cuius nomen sanctum est: Ego simul excelsum et sanctum inhabito, et cum contrito qui est humiliato spiritu, ut reficiam spiritum deiectorum et cor contritorum sanem. Non enim in perpetuum aut iurgor aut irascor, sed abest a me stomachus, qui tamen halitum creo. Ego pro scelere cupiditati dediti, quum abit et consilia cordis sui sequitur, irascor, percutio, aversor et indignor; at rursum vias eius contemplatus sano ipsum, reduco in viam; et quibus solatium adfert quique desiderabant eum restituo. Creo commercium et colloquium, pacem et securitatem quum his qui longe, tum his qui prope sunt, ait Dominus et sanator eius. Impii autem, Euripi instar, qui nescit quiescere, quum aquae eius limo et luto turbantur, sic non habent pacem, ait deus meus.

CAPUT LVIII.

Tu ergo quisquis es, verus propheta, ex omni gutture clama! cave cesses! Exalta instar tubae vocem tuam et adnuncia populo meo praevaricationem suam, et domui Iacobi peccata sua! Me enim quotidie quaerunt et scire vias meas volunt, velut gens quae iustitiam operetur et iudicia dei sui non derelinquat. Rogant me iudicia iustitiae, et contendere cum deo satagunt. Quare ieiunamus, aiunt, quum tu non aspicias? adfligimus animas nostras quum tu ignores? Ecce quum ieiunatis manent studia vestra: nam omnes debitores vestros nihilominus urgetis. Ecce ieiunatis, ut litibus ac iurgiis vacetis et damnatum immaniter tractetis. Non ieiunatis hodie ut in sublimi exaudiatur vox vestra. Num huiusmodi ieiunium amo, ut die aliquo adfligat homo se, et retorqueat caput suum tanquam hamum? saccum et pulverem sternat?

Num istud ieiunium, et diem domino gratum adpellabis? Nonne vero contra hoc ieiunium potius amo, ut aperias nervum tibi addicti; ut solvas nexus violentorum contractuum; ut mittas liberos aere alieno oppressos et omne iugum dirumpas? nonne ut dividas esurienti panem tuum, et egenos et extorres domum ducas? quum nudum videas vestias et carnem tuam ne averseris? Tunc erumpet velut aurora lux tua, et salus tua protinus herbescet. Iustitia tua coram te incedet, et maiestas Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: En me tibi! si modo onera tua ponas, digitum demittas et impiam loquacitatem; si offeras esurienti animam tuam et animam adflictam reficias. Iam orietur in tenebris lux tua, et caligo tua erit sicut meridies. Dominus quoque semper diriget te, desideria animi tui satiabit et ossa tua saginabit; erisque sicut hortus irriguus et sicut rivus aquarum, cuius venae perennes sunt. Colentur a te sempiternae solitudines, et fundamenta posteris generationibus excitabis. Vocaberis etiam rupturae munitor et refector viae sabbathi. Si referas pedem tuum a sabbatho quo minus facias, quod tibi placet in die meo sancto: iam vocaberis ad sabbathum Domini iucundum, sanctum, et honorificum; si inquam ipsum honoraveris ita, ut neque vias tuas feceris neque voluntatem tuam quaesieris, neque verbis tuis loquaris. Iam delectaberis in Domino, qui te vehet super excelsa terrae et nutriet hereditate Iacobi patris tui: sic enim os Domini promittit.

CAPUT LIX.

Ecce non est amputata manus Domini quo minus salvare possit, neque obtusa est auris eius ut non exaudiat; sed iniquitates vestrae discriminant inter vos et deum vestrum, et peccata vestra abscondunt vultum eius a vobis ne exaudiat. Manus enim vestrae pollutae sunt sanguine et digiti vestri scelere. Labia vestra loquuntur mendacia et lingua vestra malitiam concinnat. Nullus advocat iustitiam in consilium; ex fide iudicat nullus. Quisque spem ad frivola adiicit, vana cogitat, concipit molestiam et parit flagitia. Ova Basilisci incubant, et araneae telam texunt. Qui de ovis eorum ederit morietur, quod si conculcaverit excludetur vipera. E tela ipsorum non confit vestis, ut operibus suis sese operire queant? opera enim eorum scelesta sunt opera: nam opus rapinae in manibus eorum invenies. Pedes autem ipsorum ad malum currunt, et ad effundendum innocentem sanguinem properant. Consilia eorum sunt nefaria. Vastitatem et perniciem quoquo versum secum trahunt; at pacis iter non agnoscunt. Non est aequitas in profectione eorum. Semitas suas ita depravant, ut omnis qui per eas transit nesciat pacem. Idcirco longe exulat a nobis aequitas et iustitia non adpropinquat nobis. Expectamus lucem et ecce tenebrae; auroram, sed in media caligine ambulamus. Palpamus sicut caeci ad parietem; palpamus ut exoculati. Impingimus in meridie tanquam in crepusculo, ad tumulos velut semimortui senes. Grunnimus omnes instar ursorum, et sicut columbae incessanter gemimus. Expectamus aequitatem, sed nusquam comparet; salutem, sed longissime abest a nobis. Veruntamen ideo quia multiplicatae sunt praevaricationes nostrae coram te, et

peccata nostra respondent nobis. Nam transgressiones nostras non inficiamur, et peccata nostra agnoscimus: videlicet praevaricari et mentiri adversus Dominum, deficere post tergum a deo nostro, cogitare calumniam et defectionem, concipere et meditari in corde falsos sermones et res. Unde a nobis defecit aequitas, et iustitia eminus cunctatur. Veritas enim in plateis concidit, et integritas nequit prodire. Quin potius veritas vim patitur, et qui a malo recedit diripitur. Haec quum videret Dominus: male ipsum habuit, quod nulla esset aequitas. Vidit quoque quod nemo esset qui intercederet, et pertaesum est eum. At consolatus est se brachio suo, et iustitia sua nixus est. Ac protinus iustitiam tanquam loricam induit, et salutem pro galea capiti suo imposuit; ultionem induit tanquam vestem, et zelo amictus est vice pallii. Ac omnino talis fervor erat qualis esse solet quum res repetuntur, et iniuria data redditur hosti et inimico, ut vicissitudinem redderet feris hominibus. Timebunt ergo ab Occidente nomen Domini, et ab ortu solis maiestatem eius; quoniam veniet sicut flumen violentum, quod Dominus vento concitavit. Zioni autem, et eis qui de Iacobo resipiscunt a transgressione, veniet redemtor, dicit Dominus: ego enim, ait Dominus, hoc foedus cum eis pangam: spiritus meus quo te imbuam, et verba mea quae inseram ori tuo, non excident de ore tuo, neque de ore filiorum tuorum, neque de ore nepotum ac pronepotum tuorum posthac usque in sempiternum, dicit Dominus.

CAPUT LX.

Surge igitur ac matura! venit enim lux tua, et maiestas Domini super te orietur. Ecce enim tenebris et caligine terram ac populos tegentibus tibi orietur Dominus, et maiestas eius apud te adparebit. Pergent ergo gentes ad lucem tuam, et reges ad splendorem tibi exorientem. Attolle oculos tuos per circuitum, et vide! Omnes isti congregantur et veniunt tibi; de longinquo venient tibi filii, et filiae ex omni parte adfluent. Videbis et effunderis; admirabitur et laetabitur cor tuum, tunc quum pelagi immensitas ad te convertetur et gentium copiae ad te venient. Abundantia camelorum obruet te, dromedarii, Madian et Epha. Omnes Sabaei venient, aurum et thus ferentes et laudem Domino adnunciantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi; arictes Nebaioth ministrabunt tibi. Offerentur ad aram meam quam elegi, et ad domum magnificentiae meae quam magnificavi. Porro, qui sunt isti qui advolant tanquam nubes, et tanquam columbae ad fenestras suas? Sed et insulae mihi colligentur atque adeo marinae naves, ut de longinquo advehant tibi filios cum argento et auro ipsorum; ad honorem Domini dei tui, et sancti Israelis qui te magnificabit. Et aedificabunt filii alieni muros tuos et reges eorum ministrabunt tibi. Nam quum irascerer percussi te, et quum mihi visum erit miserebor tui. Portae tuae apertae erunt die ac nocte: in perpetuum non claudentur, ut perveniant ad te copiae gentium, et reges eorum adducantur. Nam gens, populus aut regnum, quae te non colent, peribunt et gladio occumbent. Ipsae Libani opes ad te venient; cyparissus, pinus et cedrus ex aequo illustrabunt locum sanctuarii mei: locum enim pedum

meorum augustum reddam. Et venient ad te humiles ac demissi qui te adflixerunt, et adorabunt plantas pedum tuorum omnes qui te blasphemaverunt, et adpellabunt te civitatem Domini, sanctam Zionem Israelis. Pro eo quoque quod fuisti derelicta, exosa, ut nemo per te transiret, claram te constituam in sempiternum, et laetam per omnem posteritatem. Lac gentium suges et mamma regum nutrieris, ac scies quod ego Dominus salvator et vindex tuus sum, heros Israelis. Pro aere aurum dabo et pro ferro argentum; pro ligno aes et pro lapide ferrum. Praefectos tibi dabo, pacem et exactores, iustitiam. Rapina non audietur ultra in regione tua neque vastitas et perditio in finibus tuis. Muri tui vocabuntur salus et portae tuae laus. Sol non erit tibi in lucem diurnam et splendor lunae non lucebit tibi; sed Dominus erit tibi lux perpetua, et deus tuus claritas tua. Sol tuus non occidet ultra et luna tua non abscondetur; sed Dominus erit sempiterna lux tua, et compensabuntur dies luctus tui. Populus tuus universus innocens erit, et in perpetuum possidebit terram. Flos plantationis meae erit, et opus manuum mearum quo glorier. Minimus sobolescet in mille et ultimus in gentem robustam. Ego Dominus accelerabo istud in tempore suo.

CAPUT LXI.

Spiritus Domini dei mecum est: me enim unxit Dominus et misit ad evangelizandum adflictis, ad alligandum vulnera corde contritorum, ad nunciandum captivis liberationem, ad aperiendum vinctis carcerem, ad promulgandum annum a Domino decretum et diem ultionis dei nostri, ad consolandum omnes qui lugent, ad dandum his qui Zionem lugent pulchritudinem pro pulvere, unguentum laetum pro luctu, stolam gratulationis pro animo tristi, ut vocentur dii innocentiae, germen ad magnificentiam Domini natum; ut instaurent deserta perpetua et priscas solitudines colant, urbes vastatas reficiant, et eremos multarum generationum; ut stent alieni et gregem vestrum pascant, et extranei agricolae et vinitores vestri sint, vos autem sacerdotes Domini vocemini, et ministri dei nostri adpellent vos, substantiam gentium comedatis, et in abundantia eorum deliciemini. Pro ingenti confusione et ignominia vestra exultabunt, sortem suam vobiscum habere communem; ut divitem hereditatem in terra eorum partiantur; ut laetitia sempiterna fruantur. Ego enim Dominus aequitatis amans, et rapinam odio habens, etiam si quis eam in holocaustum offerat: efficiam ut opera eorum fideliter respondeant, et pactum sempiternum feriam cum eis. Et cognoscetur inter gentes posteritas eorum, et germen eorum in medio populorum. Omnes qui videbunt eos cognoscent, quod benedictum semen Domini sint. Impense igitur gaudeo in Domino, gestit anima mea in deo meo, quoniam induet me veste salutari et pallio innocentiae operiet me. Similis ero sponso eleganter decorato, et sponsae quae mundo suo venustata est. Nam quemadmodum terra germen suum profert, et hortus semen suum producit: ita Dominus deus germinabit iustitiam et pietatem apud omnes gentes.

CAPUT LXII.

Idcirco propter Zionem non tacebo, et Hierosolymae gratia non cessabo, donec prodeat velut lux iustitia eius, et salus eius ut lampas ardeat. Videbunt enim gentes iustitiam tuam, et omnes reges gloriam tuam; et adpellabunt te nomine novo, quod os Domini denunciabit. Et eris splendida corona in manu Domini, et diadema regium in manu dei tui. Non adpellaberis ultra derelicta, nec terra tua appellabitur ultra vasta; sed tu quidem vocaberis Haephziba, (hoc est) mihi grata, et terra tua Beula (hoc est) nupta; quia Dominus propensus est tibi, terra vero tua marito nubet. Sicut enim adolescens virginem sibi maritat: sic maritabuntur filii tui; et sicut sponsus gaudet super sponsa: ita gaudebit super te deus tuus. Super muros tuos, o Hierosolyma, constituam custodes, qui neque die neque nocte tacebunt, annunciando Dominum. Quin et vos de plebe nullo pacto silebitis, donec reparetur Hierosolyma et donec laudatissima reddatur in terra. Iuravit Dominus per dexteram suam et per robur brachii sui, non daturum se ultra frumentum tuum in cibum hostibus tuis, neque mustum tuum pro quo sudasti in potum filiis alienis; sed qui illud colligunt etiam comedent, et gratias agent Domino. Et qui hoc congregant, etiam bibent ipsum in atrio sanctuarii mei. Recedite ac digredimini qui in porta statis; viam praebe, o popule! Iter munite atque a saxis repurgate, et signum date populis! Ecce enim Dominus nunciat ad fines terrae: Dicite filiae Zionis: Ecce salus tua venit! Ecce opes suas secum advehit, et gestae ab ipso res ante ipsum praecedunt. Et vocabuntur qui a Domino redemti erunt, populus sanctus; tu autem vocaberis frequentata civitas, non deserta.

CAPUT LXIII.

Tunc dicetur: Quis vero hic est qui venit de Edome, tincta veste de Bozra? Ille tam honorifice paludatus ac tanto robore suo gradiens? Ego sum, inquiet, qui et iusta moneo et ad salvandum dives sum. Cur ergo, *dicent*, rubra est vestis tua, et indumenta tua uvida sunt sicut in torculari calcantis? Torcular, *inquiet*, solus calcavi, et ex omnibus populis nemo mihi adfuit. Calcavi igitur et conculcavi hostes in ira et furore meo, diffususque est sanguis eorum ad vestem meam et omnem amictum meum, et sic commaculatus sum; quia dies ultionis quem corde praeceperam et annus redemtionis meae venit. Circumspiciebam autem, sed non erat auxiliator; destituebar omni spe, sed non erat qui fulciret. Nitebar ergo brachio et fervore meo, qui me sustinebant. Calcavi igitur populos in ira mea, et in furore meo sic eos imbui, ut sanguinem eorum in terram derivarim. Misericordias Domini memorabo, et gratias ei referam super omnibus quae nobis donavit: innumera videlicet bona domui Israel, quae pro sua misericordia et bonitate largitus est eis. Dicebat enim: Profecto populus meus erunt isti, et filii qui non degenerabunt. Et fuit salvator eorum, factumque est, ut in omni tribulatione eorum non pateretur eos adfligi, sed angelo quem a se mandabat liberaret eos. Idcirco autem, quod amaret eos et indulgeret eis, ipse quoque vindicavit, baiulavit et portavit eos a temporum

exordio. Porro ipsi, quum rebellarent et exasperarent sanctam mentem eius, ut in hostem eorum converteretur et pugnaret contra ipsos, meminit tamen retro temporum, Mosis et populi sui, quomodo duxisset eos de mari, tanquam pastor gregem suum; quomodo dedisset eis spiritum suum sanctum; quomodo duxisset brachio magnifico Mosen adprehensa dextera eius, findendo aquas ante eos, ut sibi nomen sempiternum compararet; quomodo duxisset eos per abyssum, et per desertum velut equum, quo minus impingerent. Spiritus enim Domini direxit eos, quemadmodum iumentum quod in campo graditur. Sic duxisti populum tuum o deus, ut clarum faceres nomen tuum. Respice igitur de coelo, et de habitaculo sanctuarii ac maiestatis tuae vide! Quomodo factum est ut zelus tuus, fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum et misericordia tua se mihi inexorabiles faciant? quum tu sis pater noster: Abraham enim non cognoscit nos, et Israel nescit nos; tu autem Domine pater ac redemtor noster es; nomen tuum ab aeterno est. Quare abduxisti nos Domine a viis tuis? Induravisti cor nostrum quo minus timeamus te? redi nobiscum in gratiam propter servos tuos, qui sunt de tribubus hereditatis tuae. Parum diu possedit populus tuus sanctus sanctuarium tuum: hostes enim nostri diripuerunt illud. Et nos quidem a condito seculo fuimus; illorum autem Dominus non fuisti, neque ipsi nomen tuum super se invocaverunt.

CAPUT LXIV.

O si coelum scindas ac descendas, quo montes a facie tua tanquam ab ignis incendio colliquescant, et violenti velut aqua ab igne inflammentur, ut notum fiat nomen tuum hostibus tuis, et a conspectu tuo gentes contremiscant. Descendas, inquam, cum admirandis et inexpectatis operibus tuis, quo montes a conspectu tuo diffluant. Nam ab omnibus retro temporibus nemo audire aut auscultare, sed neque oculis videre voluit, o deus, praeter te unum, quae tu facis expectantibus te. Adiuvas qui iustitiam intrepide sectantur, quique te suspiciunt ut in viis tuis incedant. Ecce autem iratus es, quia peccavimus; in peccatis consenescimus et salvus non est. Omnes enim immundae rei similes sumus, et pannis menstruo pollutis pares sunt omnes iustitiae nostrae. Caduci sumus omnes sicut folium: iniquitates enim nostrae instar venti tollunt nos. Non est qui invocet nomen tuum aut sese incitet ad assequendum te. Idcirco vultum tuum abscondis a nobis et adfligis nos propter iniquitates nostras. Nunc ergo, quum tu pater noster sis, nos lutum, tu vero figulus noster, et omnes opus manus tuae simus: ne quaeso irascaris Domine ultra modum, neque velis eousque iniquitatis meminisse! Quin potius oro, considera nos omnes populum tuum! Ecce urbes sancti tui in eremum versae sunt; Zion eremus est, atque adeo ipsa Hierosolyma eremus est; aedes nostra sancta et decus nostrum, ubi te laudarunt patres nostri, igne conflagravit, et omnes amoenitates nostrae in solitudinem conversae sunt. Num post haec omnia te inexorabilem exhibebis, Domine? dissimulabis atque ad satietatem nos adfliges?

CAPUT LXV.

Quaerent me qui me nunc non quaerunt; invenient me qui me nunc non investigant. Quibus protinus dicam: En en me vobis! id autem ad gentem quae non invocat nomen meum. Expandi enim manus meas omni retro tempore ad populum desertorem, qui via non recta graditur, nempe post consilia sua, et qui nunquam desinit me praesentem etiam exasperare, in hortis offerendo et suffitum in ara coctili incedendo. Consident ad busta, in delubris pernoctant, suillam edunt et ius profanum in vasis eorum est. Dicunt si ad eos accedas: Ne tangas me quo minus te consecrem. Fumus erunt isti quum irascar, et ignis qui in perpetuum ardebit. Ecce designata sunt haec iuxta me, ne obliviscar, sed retribuam. Retribuam igitur in sinum vestrum iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, ait Dominus, qui in montibus suffitum incenderunt et in collibus adfecerunt me contumelia. Idcirco remetiar pristina facta eorum in sinum ipsorum. Haec dicit Dominus: Quemadmodum dicitur ei, qui musti gratia in vitem sacram forte inciderit: Noli decerpere! sancta enim est: sic propter servos meos agam ne cunctos perdam. Sed producam e Iacobo semen, et e Iuda haeredem montis mei. Hoc est, electi mei possidebunt ipsum et ministri mei habitabunt illic. Saronae gregum caulae erunt, et vallis Achor bobus populi mei qui me quaerit cubilia praestabit. Vos autem Dominum prodidistis et obliti estis montis mei sancti; mensam Fortunae adornavistis et Censui consecravistis libamen. Censebo igitur vos gladio, ut omnes caede corruatis; eo quod quum vocarem non responderetis, et quum loquerer non audiretis; sed faceretis malum in oculis meis, et quae ego odi eligeretis. Idcirco sic locutus est Dominus deus: Ecce servi mei comedent; vos autem esurietis. Ecce servi mei bibent; vos autem sitietis. Ecce servi mei laetabuntur; vos autem erubescetis. Ecce servi mei prae salute cordis exultabunt; vos autem prae dolore cordis exclamabitis et prae contritione spiritus ululabitis. Cessabit nomen vestrum esse iusiurandum electis meis. Vos enim occidet Dominus deus, et nomine alio vocabit servos suos. Qui collaudandus erit in terra in deo vero collaudabitur, et qui iuraturus est in terra per Dominum verum iurabit. In oblivionem enim venient priores inimicitiae, et auferentur, inquit, e conspectu meo. Ecce enim ego condam coelos novos et terram novam, et veterum nulla erit mentio, neque ad cor humanum ascendent; sed laetabuntur et gaudebunt in sempiternum hi quos ego condam. Ecce enim ego condam Hierosolymam exultantem, cuius populus iucundus erit, quacum ipse exultabo; et laetabor cum populo meo. Neque audietur ultra in ea vox fletus aut clamoris; non erunt isthic ultra aut infans aut senex qui non impleant dies suos; sed adolescens quum centum annos natus erit morietur, et transgressor etiam centum natus annos damnabitur. Aedificabunt domos atque inhabitabunt, plantabunt vineas atque fructum earum edent. Non aedificabunt deinde alius inhabitabit, non plantabunt deinde alius comedet; sed arbori similis erit vita populi mei et opus manuum eius. Electi mei ad multam aetatem venient, non laborabunt in cassum neque parient cum conturbatione. Sunt enim benedictum semen Domini et germen

eorum cum eis. Futurumque est ut priusquam invocent ego respondeam; quum adhuc consultant, ego exaudiam. Lupus et agnus pascent simul. Leo sicut bos foenum comedet; serpentis autem cibus erit lutum. Nulla erit afflictio, nulla clades in universo monte meo sancto, ait Dominus.

CAPUT LXVI.

Sic dicit Dominus: Coelum solium meum est; terra vero scabellum pedum meorum. Ubi erit igitur ista domus quam aedificabitis mihi, et ubi est locus iste in quo requiescam? quum haec omnia fecerit manus mea, et inter ea quae facta sunt computentur, ait Dominus. Ad quem autem respiciam? Ad eum qui est humili et fracto spiritu, quique contremiscit ad sermonem meum. Porro qui bovem caedit hominem occidit; qui mactat ovem canem iugulat. Qui munus offert eadem opera offert suillum sanguinem; qui thuris commeminit, perinde facit ac qui scelera laudat. At ista elegerunt isti, et animus eorum his viis et abominationibus delectatus est. Quapropter ego quoque eligam ludibria eorum, et quae metuunt adducam eis; eo quod quum vocarem nemo audiret; sed malum fecerunt me vidente, et elegerunt quae ego reprobo.

Audite verbum Domini, qui sermonem eius reveremini! Dicunt fratres vestri qui vos odio habent et aversantur propter nomen meum: Magnificet se Dominus ut videamus laetitiam vestram! Sed confundentur huiusmodi. Imo iam audiri incipit de urbe et templo vox Domini retribuentis et remetientis hostibus suis; perinde ac dum praegnans foemina priusquam parturiat aut nixus veniant marem effundit. Quis audivit talia, aut vidit similia? Num gignit terra die uno, aut gens tota nascitur vice una? sicut parturiet et pariet etiam Zion filios suos. Num ego perdo et non genero? Nonne ego genero et constringo? ait deus tuus. Laetemini cum Hierosolyma, et cum ea exultate omnes qui diligitis eam! Impense gaudete cum ea omnes qui luxistis pro ea. Sugetis enim et saturabimini de mamma eius consolatione ipsius; sugetis et delectabimini ab ubertate gloriae eius. Quia sic locutus est Dominus: Ecce ego derivabo ad eam pacem tanquam flumen, et gentium vim tanquam fluvium inundantem. Sugetis ergo, et in latere feremini, in genibus autem delectabimini. Perinde enim atque mater sua quempiam consolatur, sic ego consolabor vos, et in Ierusalem consolationem accipietis. Id quum videbitis gaudebit cor vestrum, et ossa vestra tanquam gramen virescent. Et probabunt manum domini servi eius: sed hostibus suis comminabitur. Ecce enim Dominus cum igne veniet, et quadrigae eius turbini similes erunt, ad reddendum cum furore vindictam suam, et increpationem suam flamma ignis. Igne enim et gladio suo iudicabit Dominus omnem carnem, et erunt desiderati eius multi. Nam qui sese initiarunt et mundaverunt in hortis, deinde qui palam inter se carnem suillam ederunt, glires, et id genus abominabilia, simul tollentur, ait dominus. Ego enim veniam ad colligendum quum gentes omnes et linguas, tum opera eorum; et venient et videbunt maiestatem meam. Deinde imponam eis signum, et mittam de eis quosdam electos ad gentes, ad Cylicas, Lybes, et Lydios arcu valentes,

ad Italiam et Graeciam, ad Insulas remotas quae non audierunt praedicationem meam, neque viderunt gloriam meam; et praedicabunt gloriam meam inter gentes. Et adferent omnes fratres vestros de cunctis gentibus oblationem Domino, in equis, curribus et lecticis, in mulis et carrucis, ad Ierusalem, sanctum montem meum, ait Dominus: quemadmodum tulerunt filii Israelis oblationes domum Domini in vasis mundis. Et de eis sacerdotes quoque et Levitas accipiam dicit Dominus. Quoniam sicut coelum novum et terra nova quae conditurus sum, permanebunt coram me ait Dominus: ita permanebit semen et nomen vestrum. Eruntque perpetuae neomeniae et perpetua sabbata; et omnis caro veniet ad adorandum coram me, ait Dominus. Et exibunt ad contemplandum cadavera eorum qui praevaricati sunt adversum me. Nam vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt fastidio omni carni.

HULDRICI ZUINGLII

AD PIUM LECTOREM PRAEFATIO

IN APOLOGIAM COMPLANATIONIS ISAIAE.

Quam difficile sit hoc tumultuoso saeculo quicquam in lucem edere, satis experti sumus annis iam aliquot: quibus tot clari animi, qui ad hoc nati videbantur ut unam veritatem et e tenebris eruerent, et erutam σύμμαχοι, id est, iunctis copiis defenderent: ita tamen fere dissident, ut ignem aquae, et astra telluri citius quam istos concilies. Id quod vere piae, circumspectae ac religiosae menti satis dives testimonium praebet, non omnes eo pollere spiritu, proh dolor, quo videri volumus. Hinc quicquid Dominus ecclesiae suae revelat per servos suos, tantâ impetitur contumacia, tantis oppugnatur viribus, tot artibus lacessitur: ut non iam qui peperit, verum etiam illud ipsum quod natum est infelicissimum esse oporteat, nisi qui pectora nostra solus format Deus, donet, ut aut qui scribunt, nullius faciant iniquorum hominum iudicium, aut Ecclesiam suam ita intus doceat, ut invidiosuli isti vitilitigatione sua nihil proficiant. Quum igitur Isaiae Complanationem ordiri sumus ausi, non potuit nos terrere, quod istos non ambigimus dicturos esse, vel nos ἐν πίθῳ τὴν κεράμειαν experiri: vel quod in subselliis sedeamus, quo minus minutum nostrum in gazophylacium Domini reponeremus. Praesertim quum sic habeant humana, ut nemo unus omnia videat: sed per partes constet in membris singulis, quod unius corporis est. Et si oculus, mirabile ac praeclarum sane organum, eo insolentiae evehatur ut pedem negligat, iam indignus erit ut sit de corpore. Vellicavit ergo nobis quoque aurem Dominus: hinc nefas duximus si cunctaremur: iniquius esse arbitrati, lucernulam quam ille dedit, metu quorundam odii, sub modium abscondere, quam veritatis donum, inculta et rustica veste, in medium proscenium constituisse. Quum interim et Gentes consentiant, simplicem esse veritatis orationem. Dedit ergo Dominus, ut iam inde a puero lectioni tum divinarum tum humanarum rerum incubuerimus: ne ille nos ὀψιμαθέα sed ὀψιγραφέα, qui annos iam quadraginta literarum candidatus sum, scriptor vero annos modo sex, iure possit adpellare. Neque enim aliter ulciscar impotentem hostem. Quam bonis autem studuerim, (nihil enim refert quanta, sed quam optima legas) aut quantum profecerim, id omne piorum iudicio subiacebit. Nos enim quam mediocria et paupertina sint omnia nostra, nobis probe sumus conscii. In eo tamen studiorum curriculo tam sumus hilariter et dextere versati, ut quocunque magistro proficeremus, ab aliis tamen

non desponderemus animum, ut si quid gravius vel dilucidius protulissent quam ille noster, nollemus recipere: sed omnium qui unquam uspiam fuerunt, tum eruditorum tum piorum coetus, unum veluti convivium visus est, in quo symbolum suum quisque profert, ac nisi proferat praevaricatur. Arbitratus ergo sum semper quod quisque scripsisset, nostrum non illius esse. Nam et Socrates sapientem publicum bonum esse definivit. Expertus autem simul sum, neminem sibi sic in ipsa veritatis et cognitionis rerum omnium perfectione constitisse, ut quid liquido esset in quavis re, quidque res quaeque esset, absolute intelligeret. Quae me reputatio huc impulit, ut multa cum gratulatione amplecterer, quicquid in medium proferretur: publicum semper ac necessarium ratus quod daretur. Publicum, quod non ambigerem divina providentia prolatum quod dabatur: quae si noluisset publicum esse, diutius celasset. Necessarium autem, quod eius rei quae dabatur scientia mortalibus deesset: esset autem profutura si prodiisset. Platonis facultas, splendor, et amplitudo, non tanta unquam fuit apud me, ut Aristotelis acumen, lucem, et eruditionem fastidirem: Quin potius nunc istum aliqua in re illi, et contra illum in alia isti praetuli. Non alia quam dixi causa, quod et nemo unus omnia novit: et quod omnes norunt, publico omnium bono norunt. Versatus itaque annos aliquot in literis recte Sacris adpellatis, magistros multos habui, Hebraeos, Graecos, et Latinos. Hic ergo malignus omnino futurus eram, si cui ingratus fuissem, qui me ad veritatis adyta contendentem iuvisset, quoque autore profecissem: praecipue quum impossibile sit unum, praeter unum Deum, omnia nosse. Multis ergo omnino opus erat magistris, ad expediendum literam divinae legis. Inveniebam enim apud Septuaginta quae Hieronymus ignoravisse videbatur: et contra apud Hieronymum multa, quae isti ignoraverunt. Quum igitur apud utrosque proficerem, et apud utrosque nonnulla desiderarem, non potui alteros repudiare, propterea quod quaedam ignorarent quae alteri scirent: neque in alterorum verba iurare, quum quiddam non scirent quod alteri non ignorabant. Isaiam ergo prophetarum omnium principem, ab annis aliquot, vel ob hoc ipsum, quod Paulum apostolum olfecissem nullo magistro magis profecisse, quum pro virili tracto, invenio Septuaginta pluribus ferme locis ab Hieronymo dissentire quam convenire. Dum tamen interim deprehendo istos, interim hunc ad lucem penetravisse: quid porro hic facerem? An Hieron. contemnerem, sine quo ad prophetae sensum multis locis nunquam pervenissem? An Septuaginta spernerem, citra quorum indicium nonnunquam cum Hieronymo halucinatus essem? Sed deo gloria, qui me adduxit ut utrisque gratiam ita habuerim: ut si qui alteris propter ignorata quaedam impensius maledicerent, ingratus audirem. Dedit nobis post istos Isaiam et Oecolampadius, vir undique absolutior quam pro multitudinis opinione, adeo Commentariis illustratum, ut quod ad sensum attinet et sacrarum literarum collationem, nullum unquam opus exierit a quoquam, quod aequius possit κέρας ἀμαλθείας, cornu copiae adpellari. Ipsum autem prophetae sermonem, et Hebraicae linguae dictionem, aliis in Latina lingua complanandum reliquit, sive quod hoc tempus, propterea quod

sacrae linguae candidati etiamnum teneriores essent sic postularet: sive quod nonnullorum superstitio indignius stomachari audet, quum non verbum verbo respondeat, etiam si sensui nihil defiat. Post illos igitur magistros, Septuaginta, Hieronymum, et Oecolampadium, nos quoque aliquid molimur. Non Hercle tam grande quam fuit quod Septuaginta praestiterunt, qui primi in peregrinam linguam sanctissimum prophetam transtulerunt: Quorum opera Hieronymus ita videtur adiutus esse, ut citra ipsam nullatenus esset legis interpres factus. Neque tam grande quam Hieronymus et Oecolampadius praebuerunt: Quorum ille Septuaginta interpretum errata multa corrigere fuit ausus, quo prophetam Latinis purius redderet ex Hebraeorum fontibus, quam lacunis Graecorum: Iste vero utrorumque industriam velut conciliaret, ut quicquid apud eos invenisset recte dictum adprobaret, ac obscurius vel dicta vel intellecta commentariis illustraret. Quis hic rem indignam ab aliquibus istorum factam clamet? Quis adcuset Septuaginta quod vertendo nonnumquam lapsi sint, quum nemo inter mortales non labatur? Quis damnet Hieronymum et Oecolampadium, sanctissimos homines Dei, quod id agere aggressi sunt quod Septuaginta? Non ut actum agerent: sed ut ambo, post istos spicilegium faciendo, nos iuvarent, quo commodius ad divini prophetae mentem perveniremus. Gratiae Deo, qui nobis hos magistros dedit, quorum labore et excitati et adiuti sumus: ut quae isti religione prohibiti noluerunt planius dicere, familiarius ac vulgarius interpretati simus, publico omnium bono. Non ut ab illis dissentiremus, sed popularius loqueremur. Admodum enim pauca sunt a nobis prodita, quae ipsi aut non viderint, aut dissimulaverint. At indubie nonnulla sunt, quae et nos aliis, ceu lampada (quod dicitur) praebentes, explicanda relinquimus. Quin etiam quaedam adnotamus, quae in secunda (si Dominus vitam superstitem fecerit) editione aliter sumus daturi. Quod si quis mihi dicat: Qur ergo novum non premis in annum, ne non absolutum exeat opus? Ille profecto coget nos ingenue fateri quod res est, sive zelum quis vocet, sive φιλαυτίαν. Postquam coepimus Hebraica non tantum agnoscere, verum etiam expendere, visa est nobis lingua sacra supra omnium existimationem esse docta, lepida, et gravis: non propter stridorem aut halitum quibus perstrepit: non propter voculationem illam rusticam, aut ronchos, quibus eam Rabbini non iam barbaram, sed ferme mutam reddiderunt: negatur enim quibusdam linguis Hebraicae (ut ab istis effertur) prolatio: Sed propter frugalitatem. Angusta enim quum sit, si vocum abundantiam recenseas, nihil tamen patitur sibi deesse: tam varie utitur sua suppellectile: id autem honeste, diligenter, ac erudite. Quin hoc dicere audeo: sive gravitatem sive iucunditatem consideres, nulla lingua paucioribus et potentioribus tum verbis tum sententiis tantum perficit, nulla crebrioribus et civilioribus tum loquutionibus tum tropis pollet. Nulla enim oratio sic humanam mentem iuvat ac reficit, ut quae figurarum ac troporum flosculis variegata est. De qua re et ante annos aliquot in praefatione Pindari, et hic paulo post seorsim disseremus. Quum ergo eruditionem tantam cum summa gravitate (quomodo enim non essent gravia, sancta, inviolabilia, quae coelo demissa sunt oracula?)

coniunctam esse deprehenderem, ad hanc (fateor) opinionem deveni, ut crediderim tum Iudaeos ipsos tum nos, non adeo omnes penetrare ad eius aetatis, qua et vixerunt et scripserunt divini vates, proprietatem: Etiamsi omnes strenue certemus nihil non ediscere. Hoc autem non aliunde usuvenire, quam quod persuasi sumus, nil nisi rusticum, indoctum, et infans in illa lingua reperiri. Hinc factum est ut interpretes Hebraeorum locutiones nobis propinaverint, ut tropos qui in linguam peregrinam non transponuntur non reduxerint, ut figuras illorum in alia lingua non transformaverint. Hinc numeratae verborum translationes, sententiarum autem vel negligentia vel ambiguitas. Hinc tenebrae, inscitia, et quid sequaris, incertitudo. Haec sequuta sunt, dissidium, audax in rebus incompertis definitio, et impudens in adversarios convitiatio, nocentiora mala. Verbis enim utcunque iuxta elementorum rationem intellectis, non etiam sententiis, iam aniles allegorias coëgit asciscere ac fingere cum pudor, ne quid ignorare videremur, tum amor nostri, quo nobis plus quam par est, credimus, et maiora quam vires nostrae possint tribuimus. Quum interim uni antiquitati studendum erat, ut cuiusvis saeculi, in quo qui scripsissent, ingenium ac consuetudo perspecta fuisset. Iam deprehendissemus, orationis quidem artificium quod Graeci et Latini observarunt, in constituendis partibus, nonnunquam desiderari apud istos, quamvis orationes multas deprehendamus quibus iusti quoque artificii nihil desit: verborum autem ac sententiarum lucem et splendorem incomparabilem. Iam in sententiarum et dictionis figurarum cognitionem, in troporum et locutionum facultatem irrupissemus, ex quibus divina eloquia ita constant, ut nulla plane sit periodus per universa Biblia quam possis aliis quam hisce clavibus reserare. Iam luculenter videre potuissemus divinorum hominum sententiam, neque intulissemus nostra tam audacter figmenta. Iam dudum esset omnis sublata ambiguitas: non quod nos, quasi haec commoda habeamus, triumphemus, ut qui acu tetigerimus omnia: sed quod deprehenderimus antecessores nostros interpretes, nusquam planius, incunctantius, et certius transtulisse, quam ubi istorum instrumentorum nihil defuit. Quum ergo viderem hoc erudito quidem, sed non perinde felici saeculo, tot esse qui sacrorum eloquiorum commentationes et enarrationes tentare audent, et ipse existimem quibusdam nostrum discendum potius esse quam commentandum, ut scilicet oracula divina suis in fontibus ac linguis intelligantur, et non hauriantur ex omnium commentariorum lacunis, facturum putavi operae precium, si eum quem certum et indubitatum, Isaiae prophetiarum sensum esse autumo, planum et obvium, divinarum literarum candidatis redderem. Rationem autem seorsim adsignavimus cuiusque complanationis, in hunc praecipue usum, ut si pii homines nostrum institutum probaverint, iam quasi adsuescant ad troporum, figurarum, et locutionum leges ac lora. Ut postmodum dilucidiora et planiora nostris istis in lucem ipsi edant, donec ad eam doctrinae mensuram perveniamus, ut ipsa eloquia divina possimus citra hominum commentationes pervadere. Haec, inquam, causa est cur maturaverimus stromata nostra, ut si quibus fastidiosi incipiant esse commentarii, mox velut index adsit labor noster, qui manuducat ad ea instrumenta quibus

commode tractari divina eloquia existimamus. Non, Deum testor, ut quae optime sunt dicta per istos qui diversos in diversa scripserunt commentarios, sugillem, sed ut leviore opera et iucundiore, quemadmodum in mechanicis artibus quotidie faciliora et expeditiora prodire videmus, tantundem perficiamus ac longis et anxiis commentationibus. Volumus exempli causa unum ex infinitis locum, et eum omnibus planum, troporum et locutionum instrumentis expedire. Apud hunc prophetam Cap. 11. sic vertit Hieron. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. In hunc locum quae obsecro et quot angustae commentationes passim etiam apud veteres excusae sunt? Alius quaerit, qui fiat ut requiescere super Christo dicatur spiritus, quum ipse sit natura Deus perinde atque spiritus. Alius, qui fiat ut istae solummodo dotes annumerentur, quum in Christo fuerit omnis opulentia divinitatis corporaliter, hoc est, vere et per essentiam. Alius ex hoc loco certum numerum colligit donorum spiritus sancti, quasi intra hos cancellos definiantur. Et breviter anxia sunt omnia quae hic dicuntur. Quomodo enim non quisque est anxius dum rogatur, quae non ex fontibus ac penitus novit? Nunc autem tropos ac figuras in consilium advoca, et videbis quam iucunda sint omnia, et citra ambiguitatem pia mens certa fiat de sententia divini eloquii. Primum, habet ipsum Requiescendi verbum Emphasim quae Prosopopoeiam resipit, puta columbae aut venti, ut Quiescendi verbum iam pro Adflandi et Adsidendi, ac protinus pro Praeditum esse accipiatur. Praeditum ergo fore Christum praedicit spiritu etc. Iam Idiotismum in voce spiritus perspectum habere necesse est, quo utuntur pro Vento, flatu, mente, animo, atque pro divino spiritu. Praeditum ergo fore promittit spiritu ac mente divina, sapiente, prudente etc. Tertio, figura dictionis consulenda est, quae συναϑροισμός, hoc est, coacervatio adpellatur. Non est enim prophetae mens, quasi intra hunc numerum vel ipsas spiritus dotes coërcere velit, vel ipsi Christo ad certam mensuram datas esse docere: sed ut aliquot insignioribus donis ipsam divini spiritus praesentiam essentialem commendet, virtute cuius omnia possit ac velit. Postremo quod Replendi verbum positum est pro, Gratum faciendi per Hieronymum. Iam nullo negotio videmus prophetae sensum hunc esse: Spiritu Domini praeditum fore Christum, ut omnia sciat et intelligat, ut consilio et viribus polleat, ut omnia praevideat et patrem observet tamen, quae illum observantia commendabilem sit factura, tum apud Deum, iuxta humanam naturam, tum apud homines iuxta utramque. En ut iam non numerari, sed de inexhausta spiritus virtute et ubertate quaedam illius dona pro universa substantia recenseri palam videamus. Hic tamen quidam sunt usque adeo intempestive curiosi, ne dicam invidiosi, ut contendere audeant, fore, ut quisque troporum ac figurarum praetextu errorem aliquem proferat. Quasi vero spiritus ille veritatis adflare suos unquam sit desiturus; aut humana quoque ratio, quae inter infinita figurarum, troporum, et locutionum genera, etiam in quotidiano et vulgari sermone, genuinum verborum sensum perspicit, sic possit praestigiosa garrulitate et audacia prae-

stringi, ut nemo ex omni mortalium genere queat veneficium male feriatorum retegere? Quin et illi ipsi, quod piis obtrudere volunt, instinctu spiritus a se factum esse, verborum incantamentis effecerunt. Quid enim? an non ubicunque mendacio creditur, verborum veneficio perfectum est? Ipsa mendacii origo et fons, cacodaemon, an non verisimili oratione publicos omnium parentes seduxit? Invidiam esse ac metum quod ab ea arbore interdictum esset eis, de qua quum edissent conditori suo pares fore. Sed ad nos redeo. Φιλαυτίαν licet aut Zelum voces quod adgredimur, nempe, quod post tot ac tantos viros complanationem orsi sumus, haud tamen alia causa factum est, quam ut ad facultatem interpretandarum sacrarum literarum nostrum quoque symbolum adiiciamus. Nec enim quisquam Evangelistam Marcum aut Lucam citra impietatis notam adcusabit, quod Evangelium, alter Matthaei κατ᾽ ἐπιτομήν retractavit, alter vero novus autor protulit. Quin ut prisci tradunt, Ioannes quum vidisset horum trium divinos de vita et doctrina Christi commentarios, id enim sunt libri isti, quos Evangelia vocamus, operam admiratus est, fidemque probavit. At quum videret aeternam filii Dei generationem, non tam luculenter ac sequens tempus et contumacium haereticorum error requirebat, proditam, orsus est et ipse Evangelion. Sic nos magnopere miramur quae in hoc opus Iesaiae ante nos scripta sunt: sed licere nobis quoque putamus de subselliis loqui. Omnia tamen ut piorum, qui spiritus divini dotibus praediti sunt, iudicio subiaceant. In hoc enim semper fuimus a multis annis, ut sacrae literae ipsae et manibus versarentur et intelligerentur, et ex commentario sapere finem tandem inveniret. Adpellavimus autem foeturam primam, vel ob id quod dictum est, quod immaturam foetum extrudimus, non ad hoc ut nomen nostrum notum fiat: plus enim satis apud pios bene, apud alios male audimus; sed ut eruditi de isto sacra tractandi genere iudicent et si illis probetur, sectentur. Proclivius enim in omnes prophetas commentarios cuderem, si hisce rapsodiis quales iam multas a multis cum in Psalmos, tum in alia retro tempore vidimus, speraremus divinorum genuinum sensum oraculorum produci, quam istam operam sumpserim, quum propter difficultatem ac novitatem: tum propter sciolorum intractabilitatem. Ut ut enim sudaverim, omnis tamen labor ab istis sic proscindetur, conculcabitur, ac devovebitur, ut ni conscientia, quae nobis non iam millium, sed centum millium vice testis est, constarem, solius veritatis ac proximi amore et causa susceptum esse onus, manum prorsus a calamo revocaturus fuerim. Sed quum hoc unum spectandum omnibus censeam, ut veritati, a quocunque tandem proferatur, cedamus: iam extra omne periculum constituti sumus. Quisquis enim quotiescunque deprehenderit, nos hallucinatos esse, caritate in consilium vocata, libere moneat, imo si lubet, nobis inconsulto, veritatis lucem publico omnium bono prodat. Assuetum est enim collegium nostrum ad admonitionem fratrum audiendam. Quoties enim factum est ut Pellicani et Leonis commilitonum nostrorum, admonitione allata, sententiam mutaverimus? Quoties ut et isti suam, reclamantibus licet Rabbinis omnibus? Nos veritatem id humanis mentibus esse putamus, quod sol mundo est. Ubicunque is oritur laeti amplectimur,

atque ad operam alacres accingimur. Sic undecunque veritas irradiet, gestit ad eius lucem animus, suspicit, gratulatur, et ignorantiae tenebras dispellit. Ut quicquam gratius possit mundo contingere quam solis iubar: at menti amabilius, pretiosius, et antiquius veritate, nihil potest. Nolo nunc huius rei aliud testimonium adducere, quam omnium qui vivunt conscientias. Eae enim norunt ut nulla re perinde reficiantur, ac dum rei anxie ignoratae veritatem indipiscuntur. Deum cupiamus cognoscere an sit, quid sit, quomodo sit, et ille spiritu suo nos illuminet, ut incunctanter videamus, et esse: deinde et optimum ac perfectissimum esse per omnia: postremo sempiternum et incommutabilem esse, oportere: Quae obsecro ex hac veritatis luce animis nostris gratia et felicitas, quae iactatae mentis securitas et tranquillitas, quae spiritui nostro sagina et refectio repente nascitur? Eam ergo quisquis, etiam cum nota nominis nostri, proferat, iam meus est, iam mentem meam ille ditat, beat, et auctiorem facit. Eant omnes hostes nostri, et ab omnibus errorum tenebris nos liberent, proscissa pro sua libidine fama et existimatione nostra, dummodo nos illustremur et hic incipiamus fieri quod in ultramundano Dei regno erimus. Integrum ergo sit cuique a nobis dissentire, ubi nos cum veritate non consentimus. Et postremo quod admonitum omnino oportet: Vaticinia quae de Christo in hoc propheta habentur nonnunquam ita versa sunt, ut genuinus sensus prorsus alius sit, quam in Evangelicis commentariis continetur. Sunt enim vaticinia, in triplici differentia: quaedam sunt mera vaticinia; ut: Ecce virgo concipiet, et totum. 53. Caput. Quaedam autem prophetarum sermones ita sunt, ut ad sui temporis homines sint tamen dicti, et nihilo secius tempore Christi resumta, sed in alium usum, ac velut propria facta sint. Ut Isa. 40. Vox clamat: in deserto parate viam Domino. His verbis alloquitur aetatis suae homines propheta, ut omnia praeparent, redeunti ex captivitate Babylonica genti Israëliticae. Quae res typus fuit, quamvis obscurior quam Aegyptiaca liberatio, eius, qua totus orbis liberatus est, adsertionis. Ioannes autem Baptista, Iudaeorum legatis respondet se esse, vocem clamantem: Parate viam Domino in deserto, hoc est: Se perinde clamare, ut poenitentiam agant, Dominum enim adesse, atque olim Isaias fecisset, quum admoneret advenientis liberatoris Cyri. Hic Isaiae verba non sunt vaticinium proprie, sed typus ac simile eius quod Ioannes agebat. Postremi generis vaticinia sunt res gestae. Earum quaedam sunt, quae non sic sunt gestae, ut aliquid aliud quam significarent, ut quum Ieremias foemorale abscondit, et Ezechiel capillum et pilum omnem demetit. Aliae vero, ut re ipsa ac vere gestae sunt, typus tamen sunt rerum a Christo et Apostolis actarum. Ut Iacobi reditus cum tot liberis ex Mesopotamia, de qua re alias fusius. His praemissis, iam prudenter cavendum est, ne quae non sunt primi generis mera vaticinia, pro meris vendamus. Damnabunt enim nos criminis stellionatus Iudaei, quum adperte viderint, vere dictum et factum esse prophetae tempore id de quo est dissidium. Mixtis enim nihil obtinemus adversus perduelles homines, sed puris ac meris tantum. Nam si mixtis pergimus pugnare adversus eos tanquam meris, iam praevaricatores et depravatores pro suo more adpellabunt. Sic sentien-

dum est de tertio genere, quod, si voles, typos vocare licebit. Meris enim recte agitur et adversus Iudaeos, et adversus omnes impios. Mixtis autem ac typis non aliter debemus uti quam ταρίχων, hoc est, garis et condimentis. Nos igitur, ne inviolata et irrefragabilia de Christo vaticinia essent obnoxia perduellium hominum calumniae, si mixta et typos contenderemus iuxta atque mera defendere, pro insuperabilibus, ea modo quae ádamantina sunt sic vertimus, ut nullo sint adversarii ferro cessura. Caetera noluimus ulla vi torquere, quam Apella posset reflectere, atque in nos retorquere. Id autem iterum piae offerimus eruditioni. Nunc tractabimus quaedam quae ad nostrum institutum factura, et sacrarum literarum studiosis profutura sunt: De modo scilicet studendi in Hebraicis literis, et de prima interpretatione quae Septuaginta dicitur. Sed quoniam res exigit, ut sententiam nostram de Septuaginta interpretibus in medium proponamus, priore loco de eis dicemus.

DE SEPTUAGINTA INTERPRETIBUS IUDICIUM.

Nos septuaginta interpretes fuisse, quomodo et rerum scriptores ac Patres prodiderunt, et nomen ipsum testatur, facile credimus. Aeque credimus omnes sacra Biblia transtulisse, sed non singulos. Quum enim Demetrius Phalereus cuperet in eam bibliothecam, quam auspiciis Ptolemaei Philadelphi susceperat instituendam, sacros libros referre, et in eum usum recepisset ab Eleazaro de singulis tribubus senos homines, Legem et Graecam linguam doctos, in locum quendam maritimum, ut refert Iosephus lib. antiquit. 12. cap. 2, deduxit eos, ubi intra septuaginta duos dies totam istam interpretationem, quae ab ipsorum numero nomen invenit, absolverunt. Hic non meminit Iosephus, vir quantum ipse video veri amans, quod quisque seorsim universa biblia transtulerit, quodque singulae omnium interpretationes sic ad verbum eaedem fuerint, ut una essent singulae. Quomodo enim intra tam paucos dies hoc fieri potuisset? Nolo enim miraculo quis istuc mihi persuadere conetur: quum eius nullam faciat, non indiligens populi sui praeco, mentionem Iosephus. Nam si, quicquid fingere audebimus, miraculose factum adseramus, mentiendi nullus erit exitus. Est et illud reputandum. Si omnes simul cogitemus omnia interpretatos esse, itidem non posse constare. Ut enim omnes fuerint Graece doctissimi (nam alias quidam ex eis deprehenduntur vix mediocriter eam linguam fuisse docti); sed da inquam, ut omnes doctissimi fuerint: An non unum aliquem oportuisset primum Hebraice praelegere? Deinde quod lectum esset, ut putas expositum iri posse? Si unus aliquis hoc faciebat, iam reliqui omnes erant supervacanei. Deinde, hoc non erat opus duum et sesqui mensium: sed humanum saeculum ad hoc requirebatur. Tanta res est interpretatio. Si vero quod praelectum erat ex ordine omnes aut interpretabantur, aut quod unus aliquis recte vertisset, solummodo adprobabant, quemadmodum sententias rogati suffragantur: iam iterum non erat opus septuaginta duum dierum, sed tot annorum. Quomodo enim (ut ne duo quidem unquam reperti sunt, qui ulla in re pares fuerint, nedum in sapientia et eruditione) non alius alio, nunc dilucidius, nunc

commodius, nunc potentius verbum attulisset? Quomodo non voluisset ille schemata Hebraica in Graeca mutare, ille vero minus? Et sexcenta alia incommoda, quae simul interpretantes sequi oportuisset: quibus non iam septuaginta duo, sed septingenti anni dandi fuissent. Id quod Tiguri sumus in Ecclesiae negotiis probe experti. Quoties enim senatus quosdam ad προβουλὴν designat, (ea est rei paulo magis arduae tempestiva per paucos expensio ac deliberatio) semper usuvenit, ut quae a multis ultro citroque ventilata et iactata sint, uno aliquo Notario in scriptum redigantur. Ac dum qui hoc ruditer adumbravit praelegit, iam additur, minuitur, mutatur, pro ratione probuleutarum. Quae res, ut ut in hoc fit, ne totus senatus aut toti diacosii moram potius quam maturitatem iniiciant, multum tamen temporis insumit. Unde quantum temporis requirerent universa Biblia, si simul omnes suam sententiam dicerent, existimari facile potest. Relinquitur ergo, quod solum verisimile est, seorsim et per partes quemque, non iam totum librum (sunt enim quidam et longiores et difficiliores, quam ut tam brevi tempore possint ab uno aliquo, etiam doctissimo, recte verti) sed pro magnitudine, aut ratione materiae suum demensum interpretatos esse, et perfecto universo opere in unum consarcinavisse codicem. Et hinc mendacibus sciolis imposturae materiam quaesitam, quod quisque seorsim transtulerit. Sed non cuncta Biblia, ut isti vanissime fingunt, verum quisque suam partem, quae inter dividendum vel sorte vel consilio ei obvenerat. Cuius sententiae argumentum est, quod eaedem voces, dictiones, figurae, et loquutiones, non tantum in diversis libris, sed in eisdem nonnunquam, diversimode translatae sunt. Ubi nemo unus potuisset sibi ita excidere, ut non meminisset quomodo prius eundem sermonem aut sensum reddidisset. Quanto minus si omnes simul communibus opera et sententia vertissent? Adde quod quidam felicissime interpretando, facile probaverunt mundo quantum antecelluerint eos, qui indocte provinciam istam gesserunt. Nactus est Isaias interpretem sese indignum. Sed iam longius esset per singulos libros ostendere, quam erudite aut minus traducti sint: quod in ipso publicae lectionis curriculo semper prodidimus. Hoc non est omittendum, eam interpretationem plurima incommoda, etiam post istam festinatam operam, esse passam. Puta, imposturas et importationes, nunc sciolorum, qui ex Aquilae, Symmachi, Theodotionis, aut quintae traductionis, aliquid ingerere sunt ausi. Quoties enim deprehendimus duplices translationes? Nunc vero imprudentium, qui ut doctum, docti alicuius, qui ad marginem vel sensum suum, vel similem locum adscripserat, in codicem inciderunt, putarunt ex Canone et substantia scripturae sacrae esse; ac mox describendo retulerunt in suum exemplar. Adde quod non tantum in Ieremia, sed multis in locis multa videmus alio posita esse ordine quam habeant Hebraica. Etiam si Graeca nonnunquam melius suo loco habere videantur quam Hebraica. Id quod non alia factum esse ratione puto, quam quod Graecorum docti viderint negligi ab Hebr. nimis anxiam ordinis observationem, quae tamen eis nullo pacto visa sit posthabenda esse. Contra vero infiniti sunt loci, quibus manifeste deprehenditur Septuaginta et aliter et melius tum legisse tum distinxisse, quam Rabbini postea vel

legerint vel distinxerint. Quae omnia probe norunt, qui integro iudicio ipsorum interpretationem cum Hebraeis conferunt. Haec de Septuaginta in hoc adduximus, ut neque nimis vilipendantur, qua in re peccasse videri poterit Hieronymus, nisi quod adversariorum indocta importunitas doctum virum excusare potest; neque eis par autoritas tribuatur, atque ipsis Hebraeorum fontibus. Quum autem sine ipsis non possunt recte proficere sacrae linguae studiosi, ut in illis versandum sit iam ostendemus, quum de modo studendi in Hebraicis loquemur.

DE HEBRAICARUM LITERARUM STUDIO.

Hebraeorum literas aliquando caruisse vocalibus notis, quas parum civiliter ipsorum Rabbini et finxerunt et supposuerunt, non tantum hinc colligitur, quod et divus Hieron. nullam prorsus ipsarum facit mentionem, et vetustissimi eorum codices, etiam si nunc habeant eas notas, aliquando tamen non habuisse cum ex atramenti dissimilitudine, tum ex situ earum deprehenditur; sed vel hinc maxime, quod vocalibus nunquam caruit ea lingua. א a. enim ע e. י i. ו o. et u. nunquam eis defuerunt. Quamvis hae voces in quibus tot consonantes sine vocalibus constipantur, videantur contra venire: sed vulgare fuit eis advoculare ad huiusmodi. Quomodo si Germanice scriberetur Flſch, id est, Caro: iam Helvetii legerent fleiſch, Suevi fluaſch, Doggenburgii fläiſch, Rheti flaiſch etc. quum interim eaedem manerent Originales, quas ipsi radicales vocant, et substantiales, literae. Usu igitur constabat huius generis lectio: qui tamen posteaquam toties in captivitates varias abducti sunt, et peregrinae Gentes aut patriam ipsorum, aut ipsos in patria non sua tenuerunt, prorsus exoletus est factus. Quamvis in istis legendis etiam nonnihil deprehenderimus, quod tamen ad hoc institutum propter prolixitatem parum congruit. Ubi vero cunque tantum sit respirationis eis datum, ut vel redire ad literas suas, vel hunc voculandi modum excogitare potuerint, incertum est. Hoc tamen ambiguum non est, tunc tandem inventum esse, quum eis omnis ferme peritia perierit. Cuius rei argumenta sunt plusquam barbarae voculationes, quibus (nisi quod veritas contaminari nequit) tantum non foedant divina eloquia. דריוש an non sese offert quomodo legi amet? nempe Darius. Aeque כורש, si puncta indoctorum magistrorum auferas, nonne sua se sponte legit κύριος Cyrus? Quae ergo intemperiae monent, ut pro Darius legant Dargafaesch, et pro Cyrus Koraesch? Sic quum pro יון hoc est, Ion, Iafan; et pro כרכר hoc est, Carruca, Kirkar, et sexcenta huiusmodi legunt. Taceo enim quae apud Danielem adperte comprehenduntur esse depravata, ex Graecis allata vocabula. Quis non videt, non alium cacodaemonem? Quam inscitiam rerum priscarum, tam inurbanam lectionem persuasisse? Nobiscum sensit Ioannes Picus Mirandulanus, acuto vir ingenio, et si Dominus ad maturitatem pervenire dignatus fuisset divino futuro: id quod Politianus, homo sempiterna memoria dignus, de illo scribit. Ista in hoc tam evidenter probo, ut quandoquidem res Grammatica huius linguae tunc tandem orta est, quum eam Rabbini ingesserunt, pro prisca illa linguae suae scientia, quam a captivitate [illegible]vlonica vereor non ultra suo nitori unquam esse restitutam, etiamsi

unus et alter cum antiquitate et facultate certare tentaverint, quales sunt Zacharias et Malachias. Veruntamen si eruditionem penitius intro spectes, *οὐδὲν πρὸς τὴν χαρμένοντος ὗν*, etiam si spiritui nihil desit. E diverso autem quum LXX. totam nimirum chiliada, ante natam istorum Grammaticen, verterint sancta volumina, adparet plurimum illis fidei deberi; atque hinc factum esse ut veteres Theologi tantopere commendaverint eos. Hinc modum quendam brevem, studendi Hebraicis literis, expiscatum esse arbitror. Quandoquidem citra Rabbin. puncta vocalia Hebraicae literae nobis plane sunt illegibiles, iam velimus nolimus cogimur ea recipere. Sed quum Hebraice volumus legere. Nam alias dum Latine legimus et scribimus, ubi Hebraica nomina incidunt, ipse malo cum Graecis et Latinis efferre, quam cum Rabbinis. Reliquimus ergo Isaiam aut Esaiam, ne diceremus Ieschaiahu ישעיהו, praesertim quum in eiusmodi nominibus videamus adpertas crases servavisse Septuaginta et nihil quam ultimo loco inflexionem iuxta Graecae linguae analogiam formavisse. Admisimus vocales notas. Nunc de Grammatice. Eam perinde credimus nunc non esse posthabendam: viderunt enim multa et Rabbini, sed perfunctorie, puta sic, ut non ignores illorum Canones; nec tamen eis aut ad miraculum ediscendis insenescas, aut secure fidas. Ut enim per variarum rerum imperitiam, puta rerum veterum et cyclopaediae, temere hallucinantur, ita in Christum perfidia contenebrati et occaecati, non satis firmi ac fidi sunt ut eis tuto credas. Septuaginta vero interpretationem omnibus et propter vetustatem anteferas, et propter dissimilitudinem in numerato habeas. Quae duo sic accipi volo. Ducentos circiter annos ante Christum natum Septuaginta verterunt: quo sane tempore interciderat magna parte Iudaeis suae linguae cognitio, adhuc tamen in universum non conciderat. Hinc fiebat ut essent qui probe verterent creditam sibi partem, aut sorte datam: quales ferme fuerunt qui Mosis libros transtulerunt. Essent simul qui hallucinarentur, quum ad aetatem Isaiae, quae doctissima fuit, tum ad linguae Graecae proprietatem. Hinc tot obliqua, torta, et nonnunquam etiam diversa. Quid ergo? ut, quod ad secundum attinet membrum, in numerato habere oporteat eorum interpretationem: ea potissimum causa, ut si quo loco aliquis interpretum sit lapsus, iam ex alio possis eum in locum restituere. Fieri enim nequit, ut si probe memineris similium locorum, aut vocum, aut constructionum, ut similes non possis expedire. Quamvis quidam sint qui similes nullos habeant. Sed hi pauci sunt, et iuxta fidei et circumstantiarum analogiam, de quibus iam, enodandi. Si ergo nunc quis mihi dicat, intolerabilem esse operam quam parem: primum enim perhibes in eam linguam esse penetrandum, quae sit Rabinorum punctis tum vocalibus tum sententialibus viciata non mediocriter. Deinde penetrandum esse instrumentis, quibus non tuto undique credas. Quis ergo iudicium meum ita illustrabit, ut et apud illos videam ubi depravaverint, et apud hos quid ipsi non viderint? Pete et accipies. Pulsa, et adperietur tibi. Porro quis aedes pulsabit eius, de quo nihil boni sperat? Fide igitur opus est. Pete itaque in fide nihil haesitando. Fidem si habeas, iam Olympo dices: Facesse hinc in Euxinum, et abibit, hoc est: Nihil erit tam

densum et impermeabile, quod fide non penetres. Fides loquentem spiritum semper intelligit. Cognoscunt enim bonum illum pastorem Christum oves eius, et vicissim ab eo cognoscuntur. Quod si literam nequeas expedire, memineris volo, plures esse in ecclesia qui literas indocti, quam qui docti sint. Caritate fervere de omnibus requiritur; eruditione pollere de paucis. Et ferme quod exponendo non possis in aliquo loco propter obscuritatem literae, id ex alio efficies. Tota enim lex et prophetae ex duobus principalibus praeceptis dependent. Ora igitur, ut fides augeatur, ut inflammetur charitas, et iam nuspiam labi poteris. Caritas enim non labitur, etiamsi linguis quid desit. Fide igitur accedito ad hanc perpendorum divinorum oraculorum consultationem: ea si inanis eris, inanis abibis. Nam divina scrutari sine fide, curiositas est, non pietas. Fide igitur instructus, et rudimentis Hebraicis mediocriter imbutus, Graeca quum probe tenueris, huc adi, et confer! non oscitans, ne quid caecam (quod dicitur) manum fallat, sed vigilans et alacer: ut memoriae thesauro commendes, quaecunque ex Graecanica luce intellexisti, quo deinde possis, quum similes tum voces tum loquutiones obviae fiunt, quae servaveris repetere. Iam fiet, ut si interpretis alicuius expositio huc non quadret, alterius quadret: ut non modo praesentem locum, verum etiam illum in quo alius iste interpres hallucinatus est emendes et illustres. Habent inter haec Hebraei duo commoda, quae secum plurimum lucis adferunt. Unum, quod verba habent mascula et foeminina: alterum, quod relativis suis, quae ipsi adfixa vocant, personam referunt non rem, quemadmodum processu patebit. Flere licet interim indocti doctoris huius, qui ad irritandum animum nostrum, ut vel iratus in manifestas insidias, quas Pontificii nobis in disputatione Badensi tetenderant, irruerem, nescio nunc quot nominibus ignorantiam nostram adcusabat, insaniam. Quum enim alicubi stromatum meorum אתי (quae vox, si Rabinorum puncta tollas, et Me, et Mecum significat) Aut me, aut mecum, contra hominis sententiam, vertissem, hoc spectans quod LXX. tempore puncta ista vocalia non fuerunt: mirum ut in me debacchando inscitiam suam prodiderit, videlicet, quod ne unum quidem librum per tota Biblia Graece et Hebr. tunc contulerit. Id enim si factum ab eo unquam fuisset, iam potuisset deprehendere quid sequutus essem. Pari furore invehit, quum propter מטה, quae vox Lectum, et Virgam significat, extra puncta Rabinorum: tum quod קהל quemvis coetum significare prodiderim: quod ipse negat, deierans, pro bonorum tantum ecclesia capi. Tum denique quod מקהלה pro מקלה synaeresi ה mediae literae crediderim poni. Quae omnia ut non sunt dicta praeter rationem, aut artem: ipse tamen scripsisse nuspiam commemini. Quisquis autem scripsit, recte et artificiose scripsit. Iste autem nondum vidit, nullum ferme esse librum, in quo קהל non perinde in malam atque in bonam partem accipiatur. Id quod proclive est videre, quum Levit. 4. Num. 20. Psal. 25. Ieremiae 50, tum locis alias infinitis. Sed quid multis opus est? Nullum librum contulit Hebr. et Graece: nec enim potest. Quum enim nondum vidit quibus adducti rationibus hoc pacto

vel nos vel alii ex ore nostro scripserint, certum est eum non iam in sacris literis tanquam ὄνον πρὸς λύραν versari, sed ὄνον αὐτολυρίζοντα perinde esse atque eum, qui quum nugis fateretur ita deditam esse urbem suam, ut nemo non ferret annulum, mox tamen se ipsum quoque αὐτοδακτυλιοφοροῦντα fecit. Nonne enim ambo αὐτολυρίζοντες ὄνοι iure vel ab ipso Luciano vocarentur οὕτως λῆρος ληροῦντες? Tu ergo mi lector, cuius causa ista protulimus exempla, quum Hebr. secundum puncta Rabinorum legeris atque contuleris, mox alteram collationem redordire, qua omnes ipsorum voces ne mutire quidem sinas! imo sententialibus quoque punctis nolito credere, donec et LXX. quid interpretando spectaverint videris, et Hebraei quid non viderint expenderis. Iam orietur tibi velut aurora (ut simili huius prophetae utar) lux uberior, quam ipse vel polliceri audeam, vel praestare possim. Atque ut omnino vela colligam: id age, ut sacras literas perpetuo legendo et conferendo, maxime Hebr. et Graeca linguis, huc evadas tandem, ut sine cortice nates: hoc est, non magnopere desideres eos commentarios: qui ut nativum sensum non referunt, ita nonnunquam frivolis ac inanibus allegoriis scatent. Nam et illi ipsi qui commentarios scribunt (nolo autem suspiceris me Oecolamp. doctissimos ac piissimos comment. in dubium vocare) collatione et commemoratione collatorum niti oportet, si naturalem sensum volent eruere. Id autem quur tibi negatum credas? Praesertim quum qui hactenus commentarios, paraphrases, aut annotationes scripserunt, eius fere fuerint aetatis, qua iam labi memoria incipitur; Tu autem et valeas per aetatem, et adolescas quotidiano exercitamento. Quum igitur, quicquid profuturum esse deprehenditur, ex nostris hisce stromatis desultorie scriptis, excerpseris, iam nihili pensis pyris istis ac rogis, quos tyrannorum maiestas scilicet optimis quibusque libris struit (insuperabilis est enim veritas), bene et vale et iudica. Nam si haec tibi opera probabitur, dabimus aliquando Ieremiam quoque, et Psalmos: quos interim etiam complanavimus; at vulgare temere non est animus. Deo gloria, Amen. Tiguri, vigesimosecundo die Maii. Anno 1529.

APOLOGIA COMPLANATIONIS ISAIAE,

PER HULDRICUM ZUINGLIUM.

Haec est. Hic titulus est orationum sive sermonum prophetae.

Prophetia. Hebraei habent חזון. Quam vocem omnes visionem sunt interpretati: eo quod visio diversimode apud prophetas accipitur. Aliquando pro spectro: ut quum Isaias videt speciem Babylonis nocte expugnatae; Hieremias, virgam amygdalinam, ollamque ferventem, et Petrus linteum, omnigenis quadrupedibus refertum, coelo demitti. Aliquando autem pro revelatione interna, qua mens citra omne spectrum illustratur, ut quod prius ignorabat videat: quemadmodum 2. Reg. 7. David dicit auriculam sibi a domino esse revelatam, hoc est, menti ac cogitationi inspiratum, ut ad aedificationem templi materiam contrahat. Et 1. Corinth. 14. Quisque revelationem habet: hoc est, pro mensura quae ei coelitus est data videt atque intelligit. Et paulo post: Quod si sedenti revelatum erit, primarii isti taceant. Hoc est, si inter subsellia erit qui videat atque intelligat de quo est sermo, primariis istis hallucinantibus, amplectendum est ecclesiae quod spiritus eius humiliori membro revelavit. Quum ergo ad hunc modum accepta visio, nobis videretur amplitudinem propheticarum lucubrationum de integro non complecti, (debent enim tituli tales esse, ut summam totius operis comprehendant, et oculis offerant) visionem in prophetiam vertimus. Nam etiam si propheta nihil docuerit, quam quod dominus aut spectris, aut mentis adflatu suggesserit, vividius tamen pollicetur in ipso titulo Prophetiae nomen, non tantum rem et orationem, sed etiam functionem et actionem, quam Visionis. Paulo enim latius patet prophetiae nomen, quam visionis. Accipitur prophetia pro expositione oraculorum coelestium, ut dicto loco 1. Cor. 14. habetur. Et 1. Paralip. 15. Choneniae prophetiae praeerat, hoc est doctrinae sacrorum oraculorum, exponendae legis, formandae mentis, castigandorumque morum disciplinae praefecturam gerebat. Accipitur deinde prophetia pro adportatione aut praedictione rerum futurarum: ut quum adflictis salus promittitur, aut sceleratis exterminium. Cuius generis plurima sunt cum apud hunc nostrum, tum apud omnes reliquos prophetas, ut exemplis nihil sit opus. Modo istud non praetereamus, Prophetarum praedictionem sive denunciationem, procedere oportere aut ex divinis responsis et oraculis, vel adflatu, vel Angelorum ministerio allatis: sive id voce, spectro, insomnio, sive paradigmate aliquo fiat; aut ex lege recte perspecta. Ista enim cognita, facile est contumacibus praedicere, quantum malorum impendeat; piis autem ac deum metuentibus, quae bona sint vindemiaturi. Sed utrobique requiritur fidei certitudo ista, quam Paulus πληροφορίαν adpellat. Angelus enim mortalem alloquatur, nihil fidei inveniet, nisi is qui audit persuasus sit dei vocem esse; et is qui legis librum ita devorat, ut ad verbum etiam recensere possit, nisi persuasus sit dei verbum esse, hoc est divinae voluntatis nuncium, nunquam sese opponet

pessimorum conatibus, nunquam aequanimiter feret omnem fortunam. Harum rerum exempla sunt. Abraham credidit voci quae iubebat iugulum unice dilecti filii incidere: quum tamen prius responsum tulisset, In Isaac vocabitur tibi semen: quia nihil ambigebat dei vocem esse quae loquebatur. At unde veniebat ista certitudo? Ex fidei mensura. Tanta vero fides humanarum virium an divinarum erat? Non humanarum. Sic enim nemo esset, qui non vellet fide Abraham superare. Contra vero Ahab tam aberat ut dei vocem esse crederet, quae ruinam arae praedicebat: ut neque quum brachium emarcuisset, neque quum prophetae nuncii precibus restitueretur, ipse pietati posset restitui. Deerat igitur hic fidei certitudo. Secundi membri, quomodo scilicet ad legis cognitionem *πληροφορία* requiratur, haec sunt. Excutiebant legem Ezechias et Iosias ex fidei plenitudine. Quo fiebat, ut crederentur omnia servanda esse, quae lex mandaret, et quaecunque vetaret, profliganda. Nisi enim hanc fidei certam scientiam habuissent, non magis penetravissent ad legis observantiam, quam reliqui hypocritae, qui in expositione legis gloriabantur, attamen legem sic non credebant a deo esse, ut ea non urgerent ad recte vivendum modo, sed ad materiam argute disserendi abuterentur. Divus baptista, qui in hoc praecipue missus erat, ut quae Christus et acturus et dicturus erat, ruditer praeiret, ex fidei certitudine incestum regem adit, atque denunciat, per Legem non licere, fratris uxorem suam facere. Videbant enim istud alii quoque: sed nemo per dei timorem a tam spurca libidine tantopere abhorrebat, ut se murum tantae impudentiae opponeret. Currebant falsi prophetae, et pacem praedicabant: sed non ex fide. Iniussu enim Domini, prophetarum sibi provinciam sumebant. Veruntamen ad pacis vocem quis non gestiat? Quis non dicat a deo missum esse qui pacem adfert? Sed aliud adornabat Dominus: Quem si timuissent, nullo negotio in illius scripturis invenissent regulam, qua praesentem hominum vitam metirentur: Quam quum impiam offendissent, tantum abesset ut pacem adnunciarent, ut gladii, pestis, famis, cruoris, vocibus omnium aures defatigassent. Inflati apostolo Paulo dicuntur doctuli isti, qui se Corinthi magno quidem propter eruditionem vendebant: sed eum qui perfricta fronte cum noverca consuetudinem, imo si placet, connubium conciliaverat, perfrictiore ferebant, quo minus quenquam offenderent, qui quid in illorum alimoniam contribueret. Hi ergo aeque si inconcussa in dominum fide fuissent, offendissent prius hominem quam deum. Id enim inter prima requiritur, ut qui dispensandi verbi curam gerit, fidus sit non sibi, sed Domino. Est igitur prophetia (omittam enim quod nonnunquam pro auditorio fidelium ponitur, 1. Cor. 11.) denunciandi exponendique divinos iussus cum fide officium. Absit invidia. Hic et istud non est praetereundum, fidem nobis in hac definitione extendi, ut non modo spem in deum ac fiduciam complectatur, sed fidem quoque istam quae in rebus gerendis requiritur: quemadmodum dicimus, ex fide agi aliquid, aut gestum esse. Quomodo Paulus quoque accipit 1. Cor. 4. cum dicit: Istud unice requiritur in dispensatoribus, ut quisque (est enim Hebraismus) fidelis sit. Ad hunc ergo modum

consideratam prophetiam ex Visione fecimus. Haec est Prophetia: Id est, hic est commentarius dictorum gestorumque Isaiae prophetae: qua scilicet fide in grege domini vigilaverit, qua constantia monuerit, qua correxerit acerbitate.

Isaiae filii Amoz. Hic est cantatus Isaias ille, prophetarum omnium facile princeps. Davidem enim aut Heliam conferas, antecellere hunc nostrum longo intervallo videbis. Est quidem David Hebraicorum poetarum antesignanus, si facultatem, gratiam, et claritatem aestimes. Pondere enim multos habet ipso nihilo leviores, qualis et Isaias est. Attamen Davidis non fuit officium, sed ipse potius prophetas duos habuit moderatores, Nathan et Gad. Exposuit ille quidem eleganti carmine divinorum consiliorum abstrusa, et laudes dei sui canendo, auditorum animos inflammat. Denunciavit quoque universo orbi, quantam aliquando essent per dei filium haereditatem adituri, si modo cooptati id facerent quod filios familias decet: ac rursus quas aerumnas passuri, si contumacia et rebellione abdicari mererentur. Sed quae est altera denunciandi pars multo periculosior, nunquam functus est, puta vigilis, episcopi prophetaeque illius officio, quem hodie Evangelistam, pastorem, ecclesiastamque vocamus. Cuius hoc munus est, ut vocem suam instar tubae exaltet, populoque dei scelera amanter opprobret: ut hac in re principum ac tyrannorum vultum non reformidet. Hic autem noster sic est eo munere functus, ut nulli acrius increpavisse videantur omne hominum genus. Fuit quidem Helias hac parte, nostra sententia, superior. Quid enim eo vehementius aut acerbius inter prophetas fuit? Sed cura non tam late circumspexit, contentus intra Hebraici populi civitatem correctionis uti magisterio. Tum deinde quantum fuerit nostro eruditione inferior, vel isto omnium consensu liquet, quo eruditionis palmam Isaiae tribuunt. Superat ergo prophetam regem provinciae gravitate. Prophetarum autem exemplum (id enim ferme omnes, et praecipue Christus ipse, Heliam faciunt) eruditione; fide, quantum fas est homini videre, utrumque aequat. Incidit in tumultuosa tempora Isaias, qualia ferme haec nostra sunt: quibus omnia vi gerebantur, non aequitate et iudicio. Qua in re divinam bonitatem deprehendimus, quae tali in rerum statu, tale ingenium adflat et erigit. Quoties enim cunque mortalium genus (id quod per omnes omnium quoque Gentium historias cernitur) sceleribus sese ac cupiditatibus prostituit, simul tam diligentem operam hypocrisi dedit, ut quicquid designaret, arte posset interpolare, ut recte iureque factum adpareret. Eam vero hypocrisim quum firmissime nixuram crederent superstitione et eloquentia tanquam columnis, (nolo enim audaciam inter columnas ponere. Ipsa enim hypocrisis audacia summa est) superstitione pietatem simularunt, eloquentia eruditionem ac scientiam. Huic inquam malo divina bonitas semper opposuit pietatem et eruditionem: non istam gloriae vento inflatam, sed charitatis oleo inflammatam: quo facilius et clarius per velamen hypocriseos penatrarent vere pii ac eruditi homines. Veram enim pietatem quo fugiet, ut lateat supertitio? Et piam eruditionem quomodo non metuat fucata loquacitas? Quum ergo Isaiae temporibus regnarent vitia quidem, sed hypocrisis beneficio pro virtutibus iudica-

rentur, et polita loquacitas pro divino sermone, instinxit dominus amoenissimum hominis ingenium, quod in hoc ipsum antea condiderat, ut cum sceleribus bellum gereret, arbitratus eidem rerum statui convenire, si elegantes copias in delicatum hostem educeret, quae non tantum viribus, sed arte quoque pugnarent: hoc est, ut spiritui non deesset ornatus: ideo nimirum, quod tunc omnes fuco verborum studerent. Cessit feliciter consilium eius qui falli nequit. Fit propheta Isaias vir pius, prudens, constans, vehemens, doctus, humanus, facetus, nasutus. Et cunctarum dotium nervos in miserorum mortalium usum sic intendit, ut ex aequo certent in eius lucubrationibus pietas et eruditio, prudentia et humanitas, constantia cum urbanitate, et nasus cum vehementia. De pietate, non est cur testimonia producam. De eruditione vero omnes testamur: sed pauci ex nobis in abyssum eius descendimus, et haurimus. In hac enim sententia ferme sumus, ut nihil eruditum putemus, nisi quod opiparis e Graecia aut Latio allatis pigmentis conditum lenocinetur; Hebraeis, propter ruditatem (quam parum civiliter eis imputamus) ac rusticitatem, a convivio exclusis. Quamvis si de eruditione certemus, et eruditum sit quod mundum est, tersum, grave, ác penetrans, quod omnigenis figurarum cum sententiarum tum dictionis coloribus discriminatum est, quod tropis tanquam floribus variegatum, quod comparationibus et similitudinibus adpositissimis refertum: nihil sit apud ullos ullius linguae doctos, sive poëtas sive rhetores, quod quorundam illorum possit eruditioni ac tersitudini conferri, nedum anteferri. Hoc uno excepto, quod Hebraei plerunque non tam diligenter ordinem et artem servant, atque Graeci et Latini. Id quod ipsi providentiae acceptum fero: Ut scilicet Spiritus, non Oratoris impetum agnosceremus: palamque fieret, mentes aculeo Spiritus non Orationis capi. Iuncta autem est eruditio firma ista atque tenax piae doctrinae, quo commodius arguerentur adversarii. In summa, si omnes Prophetae dotes incorrupto aestimes iudicio, tulit omne punctum Isaias: qui fideli prophetiae officio summam eruditionem ac gratiam coniunxit. Quamvis omnia ex deo: qui sua benignitate nobis (nobis inquam, non enim veteribus tantum est datus) talem virum dedit. Qui nobis duo lumina praecipua e schola sua misit, divum Baptistam, et Paulum Gentium doctorem. Quorum in illo huius nostri et vehementiam, et orationis bonam partem deprehendimus, ut non modo Helias, verum etiam Isaias dici possit. At in Paulo sic (nostro iudicio) omnia sunt amoena, docta, tersa, gravia, et penetrantia, ut eum a multis annis arbitratus sim hortos suos ex nullo alio rivo irrigavisse, quam isto. Non enim solummodo illius totis sententiis utitur ac testimoniis: sed eius idiotismos quoque sibi domesticos facit. Sed quid ministros commemoro? Herus ipse Christus, nullius prophetarum testimoniis impensius est usus, quam filii Amoz. Nobis ergo nocturna versandus est manu atque diurna. Apud eum enim omnium quae nostrae sunt religionis quaestionum resolutiones divinas et eruditas inveniemus: Imo tantas ad omne pietatis aedificium extruendum opes, ut copiae cornu dici merito possit, si quicquid ad Episcopale munus pertinet existimes. Scio Mosis libros, Davidis, et Solomonis, ac reliquorum prophetarum oracula. Sed Mosis

libris talem episcopum adime, qualem Isaias et praestitit, et formam quam sequamur adumbravit: legem in scrinium reclusisti, et antiquavisti. E prophetarum vero numero finge istum excidisse, iam prophetalis maiestas maxima parte conciderit. Rursum da reliquos omnes (de officiis tantum loquor) e medio sublatos, Isaia solo superstite, non fecerimus tantam iacturam, ac dum ille nobis periret. David et Solomon ocium suum sanctis lucubrationibus atque doctis nobilitarunt: At hic noster eruditione par, officio quod ex fide gessit, utrunque longo intervallo antecedit. Haec de Isaia, pro nostra tenuitate. Tu pie Lector maiora invenies omnia, quam ipsi polliceamur, modo eum tibi familiarem facias.

Quam prophetavit ad Iudam et Ierusalem. Transtulimus pro, Quam vidit super Iudam et Ierusalem. Sensus enim est: Haec est oratio quam Isaias habuit ad Iudam et Ierusalem: qua et illorum perfidiam taxat, et peregrinas spes convellit. Id autem adnotandum est, Hebraeis fere hunc esse morem, ut quum de actione alicuius mentionem faciunt, capita tantum et praecipua quae in actione dicta sunt, commemorent. Ut cum de divo Baptista Evangelistae scripserunt quod praedicaverit: O viperarum proles, quis vobis viam ostendet, qua venturam effugiatis iram? contenti fuerunt insigne istud propheticae acerbitatis memorasse, quo reliqua quam acria et constantia fuerint, facile videatur. Praedicavit multa multis divus Baptista, nimirum antequam tantus ad eum fieret populi concursus. Sed priores Evangelistae pauca in monimenta sua retulerunt. Ioannes autem paulo post universam Evangelii summam ab eo praedicatam esse tradidit. Cicero vehementius ac solidius scripsit orationem pro Milone quam egisset. Unde nobilis ista Milonis in Massiliam deportati vox, quam edidit, cum orationem potentius scriptam quam dictam legeret, extat: Si sic egisses o Tulli, non manducaret barbaros Massiliae pisces Milo. At hic noster, quum indubie plurimis per tot annos (de quibus mox) apud Iudaicum egerit et Hierosolymitanum populum, summa contentus est in commentarium redigere. Ex isto autem titulo, sequentium quoque (qui plerunque sunt brevissimi) vim debemus discere. Ut enim isthic dicitur: Onus Moab, Tyri, Babylonis, et caeterorum tum urbium tum populorum: sic isto loco potuisset dicere: Onus Iudae: sed maluit a principio late exponere inscriptionis vim, ut in sequentibus non esset opus tam longos titulos praefigere. Quum ergo dicet, Onus Tyri, nihilo minus debemus hoc modo intelligere: Haec est prophetia quam Isaias, Domino iubente ac revelante, habuit aut scripsit ad Tyrum, quam hic.

In diebus Oziae, Iotham, Ahaz, Ezechiae regum Iuda. Ozias idem est qui Azarias: sive binominis fuerit, sive per Syncrasim ex Ozaria Ozias factum sit: sicut 4. Reg. 15. patet. Regnavit autem Ozias annis quinquaginta duobus: Iotham sexdecim: Ahaz totidem: Ezechias viginti novem. Ex quibus colligimus, Isaiam quinquaginta haud dubie prophetali munere functum esse. Ut enim demus, sub Ozia paucissimis annis prophetavisse, attamen triginta duo anni quibus Iotham et Ahaz regnarunt, et quatuordecim, quibus (ut minimum) sub Ezechia ophetavit (Fuit enim adhuc Isaias in humanis, quum Ezechias aegro-

taret) efficiunt quadraginta sex annos. Istis deinde addas paucos, quibus sub Ozia, et paucos, quibus post convaletudinem Ezechiae prophetaverit, ad quinquagenarium numerum ascendes. Quam supputationem in hoc colligo, ut nullorum nos pigeat laborum, nullae adversitatum terreant procellae, metus omnis absit atque taedium; adsint autem alacritas, constantia, et operum omnium absolutrix perseverantia, ac longanimitas: quum videamus nobilissimum ac amoenissimum prophetae nostri ingenium, divino auxilio fultum, per omnes eius aevi tempestates constitisse, ac tandem capulare corpus immani supplicio (perhibent enim ferme, istud Apostoli verbum: Secti sunt, de ipso dictum esse) incunctanter obiecisse, Manasse filio Ezechiae regnante.

CAPUT PRIMUM.

Audite coeli: ausculta tellus. Vide qua hyperocha utatur in ea exordii parte, qua intentus reddi debet auditor. Coelum et almam tellurem advocat: hoc est, quicquid uspiam est, cuius interest verbum dei audire. Auribus percipe, periphrasis est auscultandi verbi.

Quia Dominus loquitur. Vividius est Loquitur, quam Loquutus est. Et verbum grave hanc vehementiam et adsiduitatem efficit. Ego maluissem dicere: Quae dominus loquitur. Etiam si כי Hebraicum rarius capiatur pro אשר, hoc est, nota causalis pro relativa: capitur tamen nonnunquam; sed quum pondus habeat, Quia dominus loquitur, reliqui vetus, Quia. Inducitur enim dominus loquens, quod omnino pertinet ad authoritatem prophetae, ne scilicet loquatur, nisi dominus miserit atque praeceperit.

Filios educavi. Hebraei habent magnificavi. Sed eo frequenter utuntur pro educandi verbo, quod et ipsum Latinis familiarius est, quum de liberorum educatione loquuntur (ad quam divinus sermo hic alludit) quam enutriendi verbum.

Et evexi. Latius patet evehere quam exaltare: visumque est huic loco accommodatius esse.

Ipsi vero coniuraverunt in me. Spreverunt me, mitius est quam hic fervor exigat. פשע enim Hebraeis praevaricari, deficere, ac prodere significat. Unde quum perpetuo perstet in perduellium et conspiratorum metaphora, malui dicere, Coniuraverunt in me. Id enim ferme solent tyrannorum filii, conspirare et coniurare in parentes. Habent alias קשר pro coniurandi verbo: sed hic nullum aliud posset vim prophetici sensus exprimere.

At Israel nihil sentit. At, Antitheseos notam ex LXX. addidi: quam Hebraei plerunque omittunt. Neque solum istam, verum similitudinis etiam et relationis, quemadmodum processu patebit. Quem morem, ut ferme omnes alios, Paulus tenuit, ut itidem alias ostendemus. Nihil sentit autem, dixi pro, Non cognovit: eo quod Non cognovit, non facile intelligitur Latinis absolute: sed neque Non novit, absolute accipitur. Vertendum ergo erat ad verbum, Nihil novit. Nobis placuit, quo prophetae vehementiam et antitheseos gratiam adsequeremur, Nihil sentit. Opponit enim homini ingrato grata iumenta: atque deinde homi-

nem per ἐξουθενισμόν, hoc est humiliationem aut deiectionem, beluis facit inferiorem.

Populus meus nihil intelligit. Eadem ratione diximus, Nihil intelligit, pro Non intelligit. Quia Non intelligit, Latini non intelligunt absolute: quum tamen utraque oratio Hebraeis sit absoluta.

Vae gentem scelestam. Hic est propheticus fervor, qui subito erumpit. Tota oratio obiurgatoria est. Nobis autem admiranda brevitas docti piique hominis est consideranda. Posteaquam coelestia et terrena in auditorium advocavit, Audite coeli, etc. inquiens, e vestigio proponit indignationis causam: Filios educavi et provexi, qui in me coniurarunt. Ac proditorum causam protinus comparando atque deiiciendo degravat, subitoque in eos invehit. Quis oro Demosthenes aut Cicero tam brevibus omnia perfecit et adparavit, ut ad summam rei cum tanta opportunitate tantoque decoro perveniret? Eant nunc, et Graecorum aut Latinorum artem amplifice laudent, et Hebraeorum vim contemnant, propterea quod non moliuntur et comuntur totum annum, quum interim compendiosius ad id properent quod efficiendum est, quam ulli mortalium. Scimus quaedam apud istos esse satis infantia: sed vetustatem, simplicitatem, atque vim, cum arte, ornatu, ac delectatione, quibus isti unice student, compenses, videbis Hebraeorum pondus multo propendere. An non est hic Oratoris finis, efficere quod cupit? Quum ergo Hebraeus Orator ex fonte bonae conscientiae, ex fide quam in deum habet, quamque proximo et debet et praestat, protinus ad id accedit quod efficere molitur: interea vero artifex iste primum invenit, deinde verba per omnem suppellectilem disquirit ac ponderat, et post multa exordium, narrationem, propositionem, probationem, confutationem, catastropham, et epilogum, domi adumbrat: ac tandem accingitur: Iam noster metam attigit, et bravium aufert. Haec non eo dixerim, quasi Rhetorices praecepta fastidiam, aut supervacanea putem: sed ut ostendam quod nisi ea sic in numerato habeas ut te nulla parte remorentur, sed auxilio sint, ac promtum reddant, potius esse ut ex impetu (non insano isto qui omni ratione caret, sed bonae conscientiae) agas, quam ut artis praesidium expectes. Concinnabit interim et mens, perinde atque dum in medio cursu miles in aliquam aciem coit, ordinem quendam: qui ut natura et sponte videbitur profluxisse, ita multo magis et delectabit, et efficacius penetrabit, quam eius orationis, quae immodico sumptu et sudore est adparata. Quod propter istos huc maxime posuimus, qui ut Rhetorices praecepta primis labiis delibaverunt, iam ubique nihil aliud quam artem moliuntur. Quumque pro publica concione disserunt, seipsos continue produnt, cum longis partibus (quum enim tu ad epilogum spectas, isti putant sibi nondum satis auditorum mentes esse conciliatas) tum verborum adparatu quod non prodierunt gloriae dei, et conscientiarum salutis gratia, sed ut docti videantur. Nos cum Paulo fidem exigimus: haec ubi aderit cum iusta eruditione, iam repente (si usus postulat) prodeundum esse putamus. Tales habet Oratores dei ecclesia: nisi neges omnes prophetas nihil effecisse suo orationis genere, quo tamen nihil est nervosius. Sed ad prophetam redi, et pondus orationis per singula expende: adstipulaberis haud dubie nostrae sententiae.

Populum iniquitate insignem. Diximus, pro populo gravi iniquitate. כבד enim Hebr. maiestatem, gravitatem, potentiam, et magnitudinem habitus significat. Est ergo sensus: Vae populo, qui multis aliis modis celebris erat ac insignis (eius enim est testamentum, eius patres) nunc autem nulla re alia nobilis est, quam scelere, audacia, immanitate.

Prosapiam perversam. Pro Semine nequam. Scimus Hebr. semen esse, et in semine Tropum latere: qui nonnunquam plus efficit quam nudus sermo. Sed non semper in aliam linguam transfusus eandem vim habet quam in sua. Vim ergo ac vehementiam prophetae putamus Prosapia simplicius reddi quam semine. Omnia enim apud eum nasum habent. Est autem Prosapia magnificum verbum: Quod quum ponitur, et mox additur Perversa: iam quod magnum erat futurum, vehementius premitur. Hoc itidem adnotandum est, Hebr. esse Semen malitiosorum מרעים quos Psalm. 63. LXX. πονηρευομένους, noster interpres Malignantes transtulit. Sunt autem Hebraeis et Graecis malitiosi et nequitiosi, qui non modo mali et nequam sunt aut malignantur: sed qui mala irrogare cogitant, quorum omnia consilia ex nequitia dimanant, atque ad nocendum pergunt. Qui quum Latinis perversi dicantur, vertimus Prosapiam perversam. Est autem Hebraicus schematismus, Semen malitiosorum, pro Semen malitiosum: sicut filius perditionis, pro filius perditus: Divitiae, sive Mammon iniquitatis, pro iniquae divitiae.

Filios degeneres. Fecimus ex filiis sceleratis: propterea quod Hebraei habent, Filios corrumpentium, eodem schematismo de quo iamiam diximus, pro filiis corruptissimis. Utuntur enim Hebraei verbis transitivis in alium, non tantum ut in alio quid fieri significent: verum ut eius rei, quam verbum significat, magnitudinem ostendant. Ut hic loci משחיתים, id est, Corrumpere facientes, ponuntur pro tam corruptis ut alios corrumpere possint, hoc est, pro perditissimis et corruptissimis. Quemadmodum Latini quoque perditum adpellant eum, qui non tantum ipse perditus est, sed alios quoque perdit: et corruptissimum, qui non solum ipse corruptus est, sed tam sceleratus ut alios quoque inquinet: Quales deinde scelus quoque per Antonomasiam vocant. Quum autem divinus sermo per hanc obiurgationis partem in metaphora patris filios obiurgantis perstet, maluimus vertere, Filios degeneres, pro filios corruptissimos. Accusantur enim quod religionem, mores, ac leges eas, quas patres ab ipso acceperint, et pro virili servaverint, abiecerint.

A tergo defecerunt. Vertimus, pro Abalienati sunt retrorsum. Sumpta enim est metaphora ab his, qui ducem ac signa a tergo produnt ac deserunt.

Quur ergo vapularem vos ultra? Latinus transtulit, Super quo percutiam vos ultra addentes praevaricationem? LXX. Τί ἔτι πληγῆτε προστιθέντες ἀνομίαν. Id est: Quur ultra percuteremini addentes praevaricationem? Hebraeus ad verbum habet: Cuius causa percuteremini? Ultra adderetis praevaricationem. Utuntur enim futuris pro omnibus modis et temporibus. Hic considerandae sunt primum violentae Apostrophae, quibus Hebrai familiarius utuntur quam alii. Dixerat:

Deseruerunt dominum, sanctum Israelis irritaverunt, post tergum aufugerunt. Et iam subito mutat personam, et praesentes arguit, epiphonemate mire desperabili. Cuius causa vos ultra corrigerem, nequicquam omnia facturus? quum subito aliquod novum crimen designaretis. Faciunt autem eiusmodi subitae ac improvisae apostrophae, quo quidam magis ab Hebraico sermone abhorreant. Sed quibus breve, tersum hoc et pressum dicendi genus placet, nihil suavius offerri potest. Volens ergo divus Hieronymus hanc salebram tollere, dixit: Super quo percutiam vos ultra? etc. quum non sit Percutiam, sed Percutimini: et verbi gravis tanta sit vehementia, quanta ferme esset si diceres: Quo quaeso improbitatis ventum est? Quo enim ego magis percuterem, eo magis laborem luderem. Subito enim recideretis. Si ergo licuit hic Hieronymo (et non solum hic, sed nusquam non) et iure licuit, mutatione personarum, casuum, numerorum, modorum, temporum, et reliquarum passionum, duritiei mederi: quur nobis non idem liceat? Si licuit ei Hebraismos convertere in Latinismos, cur nobis non itidem? Si licuit eosdem interim, nescio cuius gratia, in Latinam transplantare, interim vero in suo solo relinquere: quur fas nobis non sit idem faciendi? Ut cum hic licuit ei primum, עַל־מֶה vertere Super quo, Hebraico schematismo: quur nobis non liceat Latino easdem voces reddere, Cuius causa, vel Cur? Deinde quum licuit illi, passivum verbi gravis, secundae personae pluralis numeri, permutare cum activo transitivo primo, primae personae singularis numeri, et pro Percutimini, dicere Percutiam: quur nobis non idem alibi atque alibi, pro locorum varietate, liceat? Atque hoc semel monuisse sufficiat. Nihil enim unquam sumus vel increpturi vel addituri, mutaturi vel solidum relicturi, citra legitimam causam, aut exemplum.

Quo citius denuo deficeretis scilicet reddidi pro, Addentes praevaricationem. Ponitur hic Hebraeis Ultrà συλληπτικῶς in medio, ut ad utrunque membrum quadret, ad hunc modum: Quur virgis caederem vos ultra? Nimirum ut ultra praevaricaremini. Est autem σύλληψις eis aeque familiaris atque Germanis. *Citius*, de meo addidi, propter celeritatem, quae ex Hebraeis elicitur. Solent enim nonnunquam, dum praepropere aliquid fieri aut factum esse, scribere volunt, id ipsum verborum paucitate significare: ut in Genesi לֶךְ לְךָ annotatum est: et alibi. Quum ergo ad verbum sic habeant, Cur vos ultra corrigerem? Adderetis praevaricationem: videmus id omnino esse de vi verborum, ut sic intelligas: Quo citius denuo deficeretis. Non enim habent aliam celeritatis notam quam Vau. Eam autem videmus hic de industria omissam: ut verborum cursu, propensio ac celeritas malorum intelligatur. Scilicet, etiam addidimus de nostro, ut nasus exprimeretur.

Omne caput vestrum languet. Vestrum, addidi significandi gratia, de quorum capite loquatur, et quos alloquatur. Languere autem omne caput eorum, et moerere omne cor, Tropice dicit, quod et prophetae et magistratus pessime haberent. Sunt enim caput et cor sensus et mentis arces. Videmus hoc loco Hebraeos periodos suas (quas ipsi pasuc vocant) saepenumero adfigere, ubi sententia nondum absoluta est: et contra nonnunquam ubi finita est, non adfigere. Abso-

luta enim est sententia, Quur ergo vapularem vos ultra? Quo citius iterum deficeretis scilicet: Sed ibi non ponitur periodus. Ac rursum quum nova sententia incipit, Omne caput languet, et omne cor moeret: iam ponunt Pasuc, quum solummodo membrum unum de tota sententia sit absolutum. Sequitur enim: A planta pedis etc. quae itidem in hac sententia sunt, in qua, Omne caput languet. Neque obstat quod Hieronymus perhibet sua tempestate per Cola et Commata distinctum fuisse.

A planta pedis usque ad verticem. Posuit et hic Hieronymus verticem pro capite, Tropo commode usus, ubi apud Hebraeos non est. Scimus quidem ראש verticem perinde significare atque caput: sed in his quibus vertex est colophon aut summitas, caput autem non habent. Isthic enim caput tropice pro vertice ponitur: ut quum dicitur, In capite montis: ibi manifestum est caput pro vertice accipi. At in his quae caput habent, Caput in verticem mutare, est Tropum asciscere, ubi natura non est.

In toto corpore vestro. Dixi, pro In eo, mutata persona, et addita voce Corpore, exprimendae metaphorae gratia. Vult autem ostendere, per omnem populum, neque in patribus, neque in plebe, quicquam esse salvum, οὐδὲν ὑγιές.

Omnia vulnus, livor, cicatrix, et tabes occupant. Hic addidi Occupant. Est enim Metaphora tracta ab hominis corpore ad internecionem adflicto, ad Reipublicae corpus, omni flagitiorum genere obsitum.

Non est quur obligetur, aut devinciatur. Hebraeis ad verbum est: Non alligant, et non devinciuntur, et non fovetur unguentis. In quibus apparet, Obligandi verbum perinde in passivum verti debere atque alia duo: et alia duo perinde in singularem numerum atque verbum Obligandi. Est autem minime negligendum, quod Hebraei activis verbis non infrequenter pro impersonalibus utuntur, quemadmodum saepe alias ostendimus, ut לא זרו id est, Non obligant, absolute impersonaliter ponatur pro Non obligatur. Hoc est: tam deploratum est vulnus, ut non sit obligandum. LXX dixerunt: οὐκ ἔςι μάλαγμα ἐπιθεῖναι, οὔτε ἔλαιον, οὔτε καταδέσμους. Id est: Non est ut imponatur malagma, neque oleum, neque alligetur: non nihil immutato ordine. Quorum sententiam sequuti diximus: Non est quur obligetur, aut devinciatur. Elegimus autem Obligandi verbum prae Alligandi. Alligari enim Latinis dicuntur vulnera, quum etiam consuuntur. Hic autem negat propheta medelam mitem (nisi frustra) adponi posse. Quod si cui magis arridet Alligandi verbum, ut omnem curandi modum, etiam acerbum, neget, nihil moror. Abundet quisque in suo sensu.

Aut curetur unguentis. Oleo, dixit Latinus interpres: Graecus μάλαγμα. Malagmate autem Latini quoque utuntur pro eo pharmaci genere, quo dura et acerba molliuntur, aut mitigantur. Hinc est quur dixerimus, Aut curetur unguentis. Quae enim unguentorum gratiam ac lenitatem non amplius recipiunt, proximum est ut ferro et cauteriis oppugnentur.

Regio vestra. Latinus hic posuit Terram, et paulo post Regionem; quum hic sit ארץ aerez, et inferius אדמה adama: quarum dictionum prior tellurem quidem significat, sed simul regionem, regnum,

patriam, locum, quemadmodum apud hunc prophetam crebro habebimus: posterior autem ferme pro alma tellure accipitur, aut orbe: ut quum in Genesi dicitur, In semine tuo felices reddentur omnes tribus terrae, ponitur Adama. Quanquam ista nonnunquam confunduntur, sed rarius.

Vobis videntibus impii devorant. En nobis exaggerationem in Vobis videntibus. Impios autem fecimus ex זרים hoc est alienis. Accipit enim hic propheta familiariter zarim pro hostibus impiis, ut infra in carminibus eius patebit. Adfligebantur autem Israelitae semper angentibus impiis. Facit ergo et istud ad degravationem ac intentationem doloris.

Quemadmodum in eversione hostili solet. Hostili Hieronymus quoque dixit pro Hostium, ubi tamen זרים zarim ponuntur: quos iam docuimus ab hoc propheta pro hostibus et impiis accipi.

Sicut tugurium custodum in rebus dubiis. Custodum addidimus de nostro, quod hic sensus ex Hebraeis facile eruatur, quae ad verbum sic habent: Sicut diversorium in difficultate, vel gravitate: hoc est, temporibus periculosis et gravibus, quibus pervigiliorum et excubiarum stationes servantur, nunc isto nunc alio loco, et pro stationum mutatione pelles, saga, et tabernacula differuntur. Est ergo ἐξουθενισμός deiectio vel extenuatio status tum praesentis, quod omnia essent dubia, atque ad fugam accincta. Vide ergo quam eleganter quadret ista tugurii stationalis in rebus dubiis comparatio: et num iniuria tribuamus Isaiae palmam eruditionis, quum nullum verbum sit apud ipsum sine gravissimo pondere aut gratia. LXX. transtulerunt Cucumerarium, pro rebus dubiis: quos secutus est Hieronymus. Nos tibi sensum tuum lector integrum servamus.

Filia Zion. Prosopopoeiae idiotismus est Hebraeorum, quo urbes et municipia foeminarum aut filiarum periphrasi adpellant: quemadmodum poetae tum Graeci tum Latini, urbes nymphas: fluvios reges, aut deos etiam: montes heroes: aut beluas ex robustissimis istis faciunt.

Sicut civitas obsessa. Diximus, pro Quae vastatur. Non quod procaciter ab Hieronymi interpretatione abhorreremus, (Idem enim apud hunc et nos sensus est), sed quod istud planius esse videretur. Id quod etiam satis sit, optime lector, hic semel admonuisse. Postea enim quam obstinavimus complanationem ordiri, iam levis potuit offerri occasio, quae modo ad claritatem ac planitiem faceret, ut eam sequeremur.

Sodomae et Gomorrae similes essemus. Hebraei habent, Essemus sicut Sodoma, Gomorrae simularemur. Ubi vides quam eleganter isti utantur Asyndetis. Nos ex Similes essemus, zeugma fecimus: ut utrique membro accommodetur.

Audite ergo. Apostrophae gratia imposuimus Ergo. Sufficienter enim exaggerato malo, obiurgationem velut arietem admovet. Quo sic eos concutit, ut externa omnia solo deiiciat, quum videlicet eis niterentur: at interim domesticum cultum, qui ex veritate et spiritu est, negligerent. Tu lector vehementiam ac vim per omnia expende.

Sodomae tyranni. Tyrannos vertimus, ubi Latinus principes facit. Sic enim requirit acerbitas prophetae, et totus orationis impetus. Deinde non utitur vulgari voce שרים qua principes aequam in partem

adpellant; sed קְצִינִים, hoc est, magnatium et potentium, non optimatium: at omnia de industria, ne scilicet pessimis ea nomina daret, quae aliquid boni promitterent. Vertimus ergo tyrannos. Perpende autem ut principes et plebem Sodomae et Gomorrae adoriatur, hoc est universum populum Iudaicum: quem Sodomitas et Gomorraeos propter scelerum similitudinem fecit.

Sic dicentis huc in frontem protraximus, perspicuitatis gratia, quum apud Hebraeos paulo post sequatur.

Quur mihi tot victimas caeditis? Hebraice, Quare mihi multitudinem victimarum vestrarum? Hieronymi translatio non improbatur nobis, Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Ut scilicet per stomachum reticeatur, Offertis, aut caeditis, vel quid simile. Nos claritati studuimus. Id quoque adnotandum est, Hieronymum לָמָּה, id est, Quare, vertisse in, quo: recte, et ex fide. Sic enim vertere debemus aliena, ut sensum plane eruamus: utcunque voces habeant, modo oratio aequipolleat.

Holocausta arietum, et adipem saginatorum fastidio. Hieronymus hunc locum sic est interpretatus. Plenus sum. Holocausta arietum et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui. Ut post Plenus sum, periodus inseratur. Hebraei tamen hunc sensum tenent: Satur sum holocaustorum, arietum, et adipe saginatorum. Nos ut duo membra fierent in una periodo, Hebraeos sequuti sumus, et cuilibet membro verbum suum accommodavimus. Eleganter quoque dixit propheta, Satur sum, pro Fastidio per Metalepsin.

Quum venitis ad comparendum coram me. Habemus duo exemplaria vetustissima: quorum id quod tamen recentius, sed in manibus Hebraice docti fuisse adparet, Veniretis habet; vetustius autem, quod summa fide et elegantia scriptum est, Veneritis. Quod ideo adnotamus, ne quidam perpetuo arbitrentur alienum esse a suspicione erroris, quicquid vetustum est: quum videant omnino vividius esse Veniretis, quam Veneritis; et tamen omnia exemplaria (quae ego saltem viderim) Veneritis habeant cum isto vetusto. Nos in praesens tempus vertimus, propter claritatem: quum et Hieronymus videatur ad hunc modum transtulisse: Quum veniretis ante conspectum meum, quis hoc quaerebat de manibus vestris? Ut utrobique usus sit praeterito imperfecto. Comparere, iam olim a foro sumptum accipiebatur pro adesse, adstare, accedere.

Quis a vobis id postulat? Hebraei quidem habent: Quis quaerit hoc de manibus vestris: sed idiotismus est. De manibus vestris, pro a vobis.

Ut verratis atrium meum. Hieronymus transtulit: Ut ambularetis in atriis meis. Hebraicus sermo miram gratiam habet, hoc modo: Quis quaerit hoc de manibus vestris? Calcare atrium meum? Ut calcare atrium meum, Paragogice veluti caudam cum naso legas. Quasi hoc pacto rideat: Magnum vero obsequium, adesse cum cruore hircino, et calcare atrium meum. Quid enim aliud faciunt, qui me externo cultu demereri pergunt, interno autem offendunt, quam quod atrium meum,

miserum hoc ipso quod eos ferre cogitur, frustra calcant? Nos Verrer- diximus pro Calcare: cum propter viciniam, tum quod non minu- acrimoniae habet quam Calcare. Eodem enim usus est Livius, quur alicubi dicit, Matronas deorum templa verrisse supplicando.

Frustraneum quoque est ieiunium. Hieronymus dixit: Iniqu- sunt coetus vestri. Nos LXX. sequuti sumus, qui ad verbum sic habent: *οὐκ ἀνέχομαι* (*προληπτικῶς γὰρ λαμβάνεται τὸ οὐκ ἀνέχομαι*) *ἀργίαν καὶ νηςείαν.* Id est: Non feram inutile quoque ieiunium. Scio enim mendose *νηςείαν* poni ante *ἀργίαν.* Quamvis nihil addubitem LXX. interpretationem olim habuisse *ἀργία καὶ νηςεία*, id est, vanum quoque est ieiunium. Nec temere sequor Septuaginta, quum hic alioqui iterum atque iterum inculcentur festivitates, Panegyres, Kalendae, feriae. Hi autem erant coetus Hebraeorum. Unde verisimile est, ieiunia quoque illorum repudiare dominum, quemadmodum et in sequentibus fecit.

Odi ex animo. Dixi, pro Odivit anima mea. Ille enim Latinorum, hic vero Hebraeorum schematismus est.

Et ferias. Dixi sine Vestras: ante enim ad Kalendas addidi Vestras. Latini enim possessivo uno ad multa subiecta contenti sunt: ut Argento meo, vesti, supellectili, libris etc. manum iniecit. Hebraei, lucis gratia, interim addunt ad omne subiectum, ubertatem Asiae suae servantes; interim parsimoniam Latinorum hac in re observant. Hieronymus eum morem sequutus, dixit kalendas vestras et solennitates vestras. Id quoque contemnendum non est, quod hae locutiones Feria secunda, feria tertia, feria quarta etc. Latinis a commercio Hebraeorum irrepserunt. Quum enim dicerent: Prima sabbati, secunda sabbati etc. viderunt Latini nihil aliud dici, quam, Prima a sabbato etc. Et Sabbatum in Feriam transtulerunt, ac dixerunt: Feria secunda, sexta, quinta etc. Hebr. schemate.

Quum itaque expandetis etc. Itaque, notam colligendi addidi: quae non modo superiora, sed et inferiora colligeret. Agit enim hoc propheta in universum ista pericopa, ut ante oculos ponat eis hypocrisim, qua deum sumptuose quidem colebant, sed externo tantum obsequio. At interim omni scelere polluebantur: quia a nullo abhorrebant. Unde et minatur, se oculos aversurum ab eis, quum extenderint manus etc.

Nullus exaudiam. Satis poëtice dixi. Sed quum hic propheta multis in locis plane poëtice loquatur, sive quod ea aetas sic ferret, sive quod lepidissimum ingenium huc propenderet, ipse quoque poëtico schemate, non tam specie sermonis quam vi adductus, transtuli: Nullus exaudiam, ex אינני שמע. Vehementius enim negat qui dicit: Nullus faciam; quam: Nullatenus faciam.

Manus enim vestrae sanguine madent. Haec est *προσαπόδοσις*, id est, causae redditio, quur non sit aspectu et exauditione dignaturus. Manus vestrae sunt sanguine plenae. Hoc est: Obruti estis omni flagitio. Sanguinem enim Hebraei capiunt pro crimine. Rapinae ergo, circumventioni, praedae, oppressioni, homicidio, ac omni violentiae generi studere eos adserit. Qui tamen auderent manus eas, quae adhuc a caede et

violentia teperent, in coelum attollere, et verborum examine divinam bonitatem fatigare.

Lavate. Latini quoque dicunt, Lotum eo: pro, Eo ut abluar. Lavate ergo pro Lavamini vertimus: ut videamus Latinis quoque sua quaedam esse reciproca. Quid enim aliud vult qui absolute dicit Lava: quam, Ablue te ipsum?

Auferte studia vestra mala. Latinus dixit: Auferte malum cogitationum vestrarum, Hebraico schemate, de quo antea dictum est: Malum cogitationum, pro: Malas cogitationes. Accipiuntur autem cogitationes hoc loci pro consiliis maliciosis. Quum autem Latini studia saepenumero in malam partem capiant, pro factione, susurris et concursationibus, pro audacibus et perversis consiliis vertimus, studia mala.

E conspectu oculorum meorum. Macrologia propria est Hebraeis: quum Latinus tantummodo diceret: E conspectu meo.

Temperate a vi. Hebraeis ad verbum est: Cessate male adficere. Latinus ergo dixit: Quiescite agere perverse; melius dicturus: Quiescite iniuriari. Planius ergo est: Temperate a vi.

Aequitati autem studete, iustitiam colite. Ad verbum quidem recte transtulit Latinus interpres, Discite benefacere, Quaerite iudicium. Sed quum omnes qui recte ac sobrie sentiunt, in hoc consentiant, ut summum ius sit summa iniuria, nisi rigorem eius aequitate temperes (neque enim praecipiunt, ut misericordia vel teneritudine temperes, sed aequitate) adducor ut et hic prophetam nostrum putem aequitatem et iustitiam coniugavisse. Autem, notam antitheseos, addidimus claritatis gratia. Iustitiam autem colite, vertimus, pro, Iudicium quaerite. Omnino enim videtur aequum et iustum coniungere et contemperare. Et Hebraei non infrequenter Iudicium cum pro iure, tum pro aequitate capiunt.

Vindicate pupillum. Hic quoque iudicandi verbum pro adserendi, vindicandi, ac tuendi ponitur.

Causam viduae suscipite. Causam suscipere Latinis id potest, quod Hebraeis Litem contendere. Saepenumero enim Cicero Causam suscipere accipit pro Patrocinando clienti adesse. Invehit autem hic maxime in magnates et iudices, qui imbellium et tenuium causas cunctanter defendunt.

Adeste quaeso, disputemus inquit dominus. Latinus non respexit ad prophetae ingenium, ad arguendum (hoc est, ad producendum et prodendum quae maxime latere cupias) adpositum. Inducit ergo dominum cum urbe et populo disceptantem: ut ille iustificetur quum iudicatur. Accipiunt autem Hebraei לכו pro adhortandi voce ὄρσεο Age: aut Germanico wolan. Neque est apud Hebraeos: Et venite et arguite me; sed: Adeste obsecro, arguamur. Disputandi autem verbum Latinis pro Conferendi ac ratiocinandi ponitur. Vult enim deus rationem cum eis inire, beneficiorum eius, et ingratitudinis populi sui.

Nonne quum peccata vestra cocco sunt simillima etc. Ego a forma sermonis quam Latinus interpres reddidit, nihil abhorreo: sed per interrogationis notam clarius fit disceptationis negocium, quod propheta acriter urget.

Instar purpurae. Latinus dixit: Sicut vermiculus. Eadem enim vox quae Hebraeis vermem, etiam purpuram significat. Neque scio an vetusti ac recepti authores Vermiculo pro purpura sint usi. Nam pro variegato crustis opere nihil ambigo.

Sicut nativa lana fiunt. Purpura imbuitur lana, ut cum tanta gratia fulgeat. Natura enim, quantumcunque rubeat, purpurae splendorem non adsequitur. Habent autem Hebraei כצמר Sicut lana. Unde adparet, candidissimam apud eos fuisse lanam. Inde adducti sumus, ut nativam lanam verteremus. Veteribus arbitror pullum colorem dictum esse, qui ater potius quam niger, sed nativus esset. Quum ergo lanam hic videamus pro candida accipi, Synecdochice Nativam lanam pro alba dixi: propterea quod sermo Latini interpretis anceps videretur, Velut lana alba erunt. Incertum enim est an debeat intelligi, Erunt alba instar lanae: an erunt instar albae lanae: quum Hebraei non habeant, Albam.

Si morigeri estis. Morigeros ex תאבו, hoc est, amabitis aut morem geretis fecimus.

Dominus ore suo promisit. Latinus ex Heb. recte transtulit: Quia os domini loquutum est. Sed Dicendi verbum pro mandandi, aut concedendi, aut promittendi, creberrime accipitur. Quum igitur dominus in lege promiserit eis, si obtemperarent, cum tranquillitate fruituros promissae telluris opibus; si vero rebellarent, omnia passuros: non dubito prophetam huc spectavisse. Eius ergo causa transtulimus, Sic enim dominus ore suo promisit.

Quomodo igitur meretricum more. Latinus transtulit: Quomodo facta est: quum Heb. habeant היתה, hoc est, Fuit. Utuntur ergo Hebraei היה Fuit, sicut Graeci ἐγεννήθη pro Fuit, et Factus est. Nos Periphrasi sensum Hebraicum reddidimus. Meretricandi enim verbo et scortandi impense delectantur prophetae uti, pro Fidem alienandi.

Quondam fidelis. Dixi, non curiositate adductus; sed quod haec emphasis videretur contineri in Heb. verbis. Intendit enim in antiquitatem urbis, quae priscis temporibus fidem servaverit, nunc mutaverit.

Nunc autem parricidae. מרצחים vehementius est quam homicidae. Vertimus ergo Parricidas: eo quod qui civem trucidavisset, olim parricidii damnaretur. Quum ergo innocentes prophetas ac fidos monitores temere interficerent, verius parricidae quam homicidae dici possunt.

Argentum tuum est scoria factum. Vide ut nihil sit isto propheta eruditius. Scoria repurgamentum est argenti, ut Plin. li. 33. ca. 6. habet. Argento autem passim in scripturis utuntur divini homines, pro fidei doctrinaeque sinceritate. Eleganter igitur taxat impostores ac depravatores coelestis verbi, et eos qui iudicii puritatem avaritiae adfectu adulterabant. Hoc enim est argentum in scoriam vertere, et vino aquam admiscere. Est autem haec allegoria velut argumentum sequentium, quibus planius aperit quos potissimum accuset.

Principes tui praevaricatores. סררים transtulit Hieronymus infideles: quae vox mitior adparet quam prophetae torrens requirat. Sunt autem סררים proditores, desertores, ac defectores. Quum autem

prisci id hominum genus praevaricatores adpellaverint, maxime si pecunia corrupti suos proderent, aut perversis consiliis seducerent: Praevaricatores ex desertoribus feci. In ipsis enim Reip. visceribus quum sedeant, frequentes ac fidi videri volunt. At interim nihil quam privatam rem curant: non tantum de civibus negociantes cum tyrannis, sed omnia (si audaciae illorum obstes) in perniciem trahentes.

Et sodales furum facti sunt. Facti sunt, addidi pro: Sunt. Et sodales Cicero quoque vocat eos, qui communis alicuius dividundi consortes sunt ac participes. Et sodalitates ea contubernia et commercia, quorum hodie Christianus orbis usque adeo repletus est, ut nulli reges aut principes eis non sint obaerati. Tales erant olim publicanorum sodalitates, mensae, et argentariae: quae quos motus dederint, non est quur hic prosequamur. Taceo monopolia rerum omnium in eorum venisse potestatem, *ὦ ποιμένες λαῶν.* Quum ergo principes populi Iudaici eorum sodales clam essent: qui rudem plebeculam circunveniunt, usuris gravant et exugunt, rem autem publicam fraudant, suffurantur, subtrahunt, atque cum consciis participibus depeculantur, iure eos furum socios vocat, sive propter commercium, sive propter similitudinem.

Sectantur depactores. Ad verbum est Hebr. Sectantur retributores. Eos indubie iudices intelligentibus, qui non quid ius et fas, sed quid culina postulet advertunt: et pro eo pronuntiant qui plurimum daturus est, venales habentes sententias. Depacisci, est turpiter pacisci: ff. de calumn. l. Et generaliter. Hoc ergo iudicum genus, quod diximus, cum divite litigatore depaciscitur, aut si hoc minus facit, pro eo tamen decernit a quo sperat aliquid remunerationis datae sententiae rediturum.

Ideo dicit dominus deus exercituum. Sic malo cum Hieronymo dicere, quam superstitiose cavere quo minus יהוה Deum interpreter. Sicut enim Tetragrammaton יהוה Hebr. ab essendo sumptum est, quo videlicet deum intelligant esse rerum omnium Esse, quique solus sit: sic Latini et Graeci per Dei nomen summum numen intelligunt: quod summum esse nequit, ni summa essentia sit. Quae autem alii de hoc nomine docte ac pie prodiderunt, tam abest ut contemnam, ut etiam admirer et exosculer. Sed id solum volo, quum Adonai Iehovah Hebraei habent, mihi probari quum in, Dominus deus transfertur. Quin et Germanos arbitror hac interpretatione delectatos, quum dixerunt Herrgott, id est, dominus deus, ambobus nominibus in unum ferruminatis.

Heros et dux Israel. Latinus: Fortis Israel. Ego fortem arbitror ibi pro officio accipi, puta pro defensore ac duce. Unde et אביר id est fortem, duabus vocibus, Herois scilicet ac Ducis, interpretatus sum.

Heu solatium et poenam de inimicis et hostibus meis sumere cogor. In Heu, divinae clementiae bonitas exprimitur: cui dolet quod ultionem sumere iustitia cogitur. Solatium autem deo non est, quum per iustitiam suam compellitur ad corrigendum peccatores. Dicitur ergo *ἀνθρωποπαθῶς* solatium de poenis nostris accipere. Inimicos

autem et hostes cum Emphasi eos vocat, qui aliquando amici ac domestici fuerant.

Admoliar itaque manum meam tibi. Hieronymus hic utitur verbo אשיבה pro Admovebo: et paulo post pro Restituam. Nobis interim pondus et actio (quam etiamsi non videmus, gestire tamen atque urgere sentimus) consideranda est: *ἁδρȣ̃ γὰρ πλάσματος*, id est, solidi et amplifici generis est. Admoliar manum meam tibi etc.

Et excoquam ad purum putum scoriam tuam. Purum putum veteres dixisse de auro vel argento defecatissimo, Gellius author est. LXX. dixerunt: *καὶ πυρώσω εἰς καθαρὸν τοὺς ἀπειθȣ̃ντας*, id est: Et excoquam ad purum contumaces. En nobis ut isti tropum scoriae per Contumaces exposuerunt. Licebit ergo nobis tropum nonnunquam negligere, dum usus exigit; et rursus reddere, ut paria faciamus, dum fert occasio.

Et auferam omne plumbum tuum. LXX. sic verterunt: *καὶ ἀφελῶ πάντας τȣ̀ς ἀνόμȣς ἀπὸ σȣ̃*, id est: Et auferam abs te omnes iniquos, iterum reducto tropo. Plumbum autem ex stanno fecimus, quod בדיל easdem substantiales habet quas *μόλυβδος*, id est, plumbum Graecis, etiamsi nonnihil transpositas: et quod magis mirum est, habet Graeca vox m. literam ab initio, quae apud Hebraeos formativa est participiorum ac nominum. De excoctione scoriae vide Plinium ubi supra.

Restituam iudices tuos. Videntur haec verba resipere Iudicum desiderium, fastidio tot impiorum regum. Popularior enim erat magistratus eorum quam regum.

Posthac dabitur tibi nomen, civitati iustitiae, urbi fideli. Haec et si parum a Latina interpretatione distant, Hebraeis tamen quum ita sint similia, ut verborum numerus ferme idem sit, sequi malui. Est autem haec catastrophe prophetica: quorum est animos iterum ad spem erigere, quos vi increpationis deiecerant. Iste enim est spei cardo, ut si mores pessimos mutaverimus in aliquantulum tolerabiles, mutetur ira iudicis in gratiam: sin vero pergamus esse scelestissimi, nihil quam ultimum excidium nos maneat.

Aequitate vero redimetur Zion: et captivitas eius iustitia. Anceps est prophetae sensus. Incertum enim est, de dei aequitate et iustitia loquatur: quum multoties iustitia in divinis voluminibus pro misericordia accipiatur; ut: In iustitia tua libera me: An de hominis studio, quo aequitatem et iustitiam (malis doctus) colit. Si priorem sensum sequaris, planior est continuatio. Posthaec dabitur tibi nomen civitati iustitiae, urbi fideli: quum scilicet per dei bonitatem et captivitas erit ablata, et libertas restituta. Si vero secundum, hiabit nonnihil oratio. Verum hoc non est prophetis insuetum; sed tunc melius cohaerebit cum sequentibus, habebitque formam *γνώμης*, hoc est sententiae, hoc modo: Zion enim si aequitati studeat, redimetur: et si iustitiam colat, captivitas eius auferetur. Contra vero conterantur scelerati ac proditores domini etc. LXX. videntur priorem sequi. Hieronymus transtulit Zion in iudicio redimetur, et reducent eam in iustitia. Reducent addidit de suo. Sed indicio est eum posteriorem

sensum esse amplexum, qui et nobis magis probatur. Servat enim propheta rigorem officii sui. Promiserat futurum, ut civitas iustitiae et urbs fidelis vocaretur Zion, sed per *μετάνοιαν*, id est correctionem: addit enim: Modo aequitati et iustitiae postliminio studeat. Nam scelerati et impii, qui non redeunt ad bonam mentem, a domino perduntur.

Simul enim ac prorsus conteruntur ac pereunt praevaricatores, scelerati, et qui a domino deficiunt. Haec quum gravissima sit sententia, ista verborum forma induimus. Nam et Hebraea solidiora et compactiora sunt, quam Latina et Graeca. Rotunda enim ac volubilia ferme sunt huius prophetae dicta. Diximus autem Simul, ac Prorsus ex יחדו quae vox tantum potest nonnunquam atque, In totum, In universum, etiam Subito: sicut Germanis Einsmals.

Quod nisi quercuum vos pudeat, quibus etc. Luctamur hic omnes ad evincendum naturalem sensum; at nescio quam feliciter. Tentavimus igitur et nos in prophetae arcana penetrare, hoc modo. Advertimus iam saepissime Hebr. hanc causalem כי id est Quoniam, varie accipi: et inter caeteras varietates hanc quoque habere vim, si duobus continuo membris praeponatur, ut conditionem significet, sequelam, et exceptionem: ut Gen. 22. Eo quod fecisti rem hanc, ideo etc. Et 4. Reg. 23. Non est tale paesa factum a iudicum tempore, nisi sub rege Iosia. Transtulimus ergo hic pro, Et erubescetis: Quod nisi vos pudeat etc. Deinde quum videremus Hieronymus ex יבשו id est, Pudore perfundentur, fecisse Erubescetis: (id autem non iniuria. Sequitur enim paulo post חמדתם id est, Delectati estis. Quo facilius deprehendit eruditus vir per alloeosim dicendum esse in secunda persona, Erubescetis, pro Erubescent) diximus et nos: Nisi vos pudeat. Est enim apud Homerum simile exemplum soloecismi, Iliad. ρ.

ὦ φίλοι ἀργείων ἡγήτορες, ἠδὲ μέδοντες,
οἵ, τε παρ' ἀτρίδῃς ἀγαμέμνωνι καὶ μενελάῳ,
δήμια πίνουσι καὶ σημαίνουσιν ἕκαςος λαοῖς.

Quercus autem fecimus ex אלים, non ignari, quod ea vox varie solet verti, pro Terebintho, quercu, populo, tilia, imo quum sic scribitur אלון pro אלנו: sunt enim eaedem literae — ea ratione inquam, fecimus Quercus, quod propter lucos et delubra eos obiurget: et quercus per metonymiam vocat idolorum cultum, quem iuxta quercus exhibebant.

Eritis sicut quercus. Hic omisimus secundum כי, quod Hieronymus in Cum, transtulit. Vis enim huius exceptionis, Quod nisi, tanta est, ut nulla nota opus habeat secundum membrum: sicut et praedicto Gen. exemplo, Eo quod fecisti rem hanc. Hieronymus quoque omisit rationalem, ideo. Hic potuisset addi, Iam: Iam eritis sicut quercus.

Redigetur enim splendor rerum istarum. Hic primum fecimus ex חסן, id est, potentia, opibus, amplitudine, Splendorem. Et Rerum istarum, addidimus de nostro. Sequitur enim, Et factor eius. Ubi Eius, pro eorum, per alloeosim ponitur. Deinde hic est Hebraeorum mos, ut adfixa sua, id est relativa, *ζευγματικῶς*, hoc est, coniugative, post duo, aut etiam plura subiecta, ponant: quibus tamen singulatim serviunt.

Et author earum. Authorem pro Factore vertimus. Perpende autem quam eleganti metamorphosi utatur, quum lucos, hortos, et delubra, stuppam facit: et authores atque cultores eorum, scintillam. Quae ubi coniuncta erunt, quid aliud quam ingens incendium dabunt?

EX CAPITE SECUNDO.

Verbum quod revelatum est. Verbum, pro divino responso, et oraculo. Adparet ea quae sequuntur potius esse alterius loci aut temporis sermonem, quam alterius argumenti, etiamsi videatur nobis unus atque idem continens esse. Nec ab hac sententia deterret, quod ista verba, Verbum quod revelatum est Isaiae etc. tituli formam prae se ferunt. Hic enim Hebr. mos est, ut familiarius inserant dei personam. Unde et Moses crebro dicit, Haec dicit dominus: quo videlicet et maior fides dictis haberetur, et prophetarum fastus minus cresceret. Quum ergo nobis videatur Isaias adhuc versari in redargutione et correptione, quam in persona dei indixerat: Disceptemus mutuo, et ea quae sequuntur, ad contentionem pertineant: arbitramur haec verba non esse titulum, sed notam divini oraculi: ne scilicet propheta putetur suo, sed dei ore loqui. Verum utut habeat hic sive novi sermonis titulus, sive ἐπανάληψις, hoc est, resumptio, quisque per nos in suo sensu abundet.

Editior cunctis collibus. Hieronymus transtulit, Et elevabitur super colles. Ubi in, Colles, emphasis est, pro, Cunctis collibus: quemadmodum in, Montium, pro, Omnium montium: hoc sensu: Mons domus domini erit vertex omnium montium, et editior cunctis collibus. Hactenus de verborum complanatione. Nunc de sententia prophetae pauca subiiciemus. Hunc locum nos existimamus primum esse de irrefragabilibus, qui de Christi adventu indubie vaticinantur. Sive enim ista, Et parabitur aut extruetur mons domus domini, et quae sequuntur, in hunc sensum accipias, ut ab his obiiciantur qui iamiam increpati fuerunt, et quibus comminatus est propheta quod perituri sint cum idolis suis, ut contra prophetam responsent et dicant: Quomodo audes nobis tam tristia intentare? quum ex divino oraculo sciamus futurum, ut mons domus domini caput sublaturus sit ultra omnes montes: et quod leges et iura quibus Israël utitur, et quae potissimum Hierosolymis coluntur, in omnes gentes transferantur? parebit nobis aliquando orbis, et nostris utetur tum moribus tum legibus. Iam vicimus. Confitentur enim hoc modo hostes, aliquando futurum, ut orbis ab ipsis leges petat. Id autem quum nunquam factum sit, quam quum Christi Evangelium ab Hierosolymis praedicari coepit in omnem terram. Iam, inquam, vicimus, hunc locum esse irrefragabilem de felicitate Christi, quo per omnia regna, non exercitibus, sed virtute verbi Gentes subigente, factum est ut celebre sit cunctis Hierosolymae nomen. Sive praedicta verba, Et parabitur mons etc. sub persona prophetae intelligas, in hunc sensum: Sed dicat aliquis me iniquiorem esse genti meae, et indignis modis in eam debacchari: Futurum enim esse ut potentissima sit, et iura gentibus dictet, ac leges. (Sic enim ferme senserunt vulgo Israelitae, imperium mundi vendicaturum esse Messiam.

Id autem adeo contumaciter, ut et Christi discipuli abeuntem etiamnunc interrogarent, an esset regnum Israel reparaturus.) Iam iterum vicimus. Praedicit enim (aut saltem vulgarem de Messia opinionem admittit) populo Israelitico iterum splendorem et amplitudinem: quae nunquam nisi Christo de morte triumphante contigerunt, neque unquam contingent. Est autem allegoria: Parabitur mons domus domini, pro instaurabitur et sublimabitur populus Israeliticus in Christo. Non ut ipse populus magnus sit futurus, sed is qui de illo populo secundum carnem est. Ut synecdochice populus pro servatore ac duce, qui de eo populo est natus, capiatur.

Proficiscenturque populi infiniti, diximus. Pro quo Hieron. dixit, Et ibunt populi multi. Id autem hac causa fecimus, quod Heb. הרבים, hoc est, Multos, ferme accipiunt quomodo Graeci τὸς πολλὸς, pro multitudine. Unde potuissemus dicere, Et proficiscetur multitudo populorum. Sed Hebraicum numerum servare volentes, diximus: Populi infiniti.

Sese mutuo invitantes. Transtulimus pro: Et dicent. Tantum enim hoc loco potest Hebraicus sermo.

Ascendamus obsecro. Hier. Venite ascendamus. Utuntur Heb. לך et לכו quemadmodum Graeci δεῦρο et δεῦτε, ad excitandum et inhortandum: sicut Latini, Ades, et adeste. Clarius ergo est, Ascendamus obsecro.

Ad domum dei Iacob. Non dicitur simpliciter a propheta, sed ἐμφατικῶς, pro Ascendamus qui hactenus neglecti sumus, et possideamus montem domini, et inseramur familiae populi dei: hoc est, Cooptemur inter filios et familiam dei Iacob. Nam et si novum quid factum sit, quum Gentes ad legem dei, hoc est, ad Evangelii gratiam ascitae sunt, nova tamen ecclesia, aut novus peculiaris dei populus non sunt factae: sed in familiam dei Iacob adoptatae. Quamvis a divinis hominibus ista confundantur, ut Novus populus aut nova Ecclesia Gentes Christianae adpellentur. Id tamen faciunt non volentes antiquae Ecclesiae abolitionem, sed novae accessionis ad antiquam ampliationem significare. Facta sunt enim utraque unum.

Ut doceat nos vias suas. Vau Heb. litera hoc loco subiunctiva nota est. Scio quam vividum sit: Et docebit nos vias suas. At quod nos transtulimus, clarius est, ac planius. Vult enim Gentes dicturas esse: Ascendamus ad domum dei Iaacob; hoc est: Nomen demus deo summo: cuius familiae quum fuerimus inserti, iam dignabitur nos sua disciplina. Disciplina enim et religio unius dei non uno loco in scripturis Via adpellatur: ut in Actis, Si quos invenisset etc.

De Zion enim profectura est lex. pro: De Zion exibit lex: ideo diximus, quod verbum Exeundi hoc loco per Emphasim pro Ire aut proficisci accipitur: quomodo proconsules, praesides, propraetores, praefecti in provincias proficiscuntur, ut ius dicant. Atque hic locus non debet privative exponi, puta de abdicatione aut repudiatione Iudaeorum: (quamvis Christus praedicat futurum, ut ab eis regnum dei transferatur, veruntamen hic locus non pertinet ad id argumentum) sed honorifice exponendus est ad hunc sensum: Lex quae Iudaeis

tantum nota est, ut puta familiae dei, profectura est ad gentes quoque. Accipiunt autem Hebraei legem non tantum pro decretis et sanctionibus: sed pro omnibus divinis oraculis, carminibus, et rebus in gente sua gestis: quae nos Canonicos veteris Testamenti libros vocamus. Quae omnia quid aliud sunt quam coelestis disciplina? Haec autem quando alias, quam quum Christus per orbem praedicaretur, publica gentibus facta est? Potest igitur hic sermo, de Zion profectura est lex; periade ac si tu iactes: Religio nostra, leges, mores, et constitutiones, apud exteras quoque gentes colentur. Et caute observa ut legem sive coelestem disciplinam synecdochice capias pro gratia et amicitia, quam deus erga genus humanum gerit: quam tamen praecipue genti Hebraicae, atque ante omnes alias, impartitus est, ac tandem misso filio suo in omnes Gentes propagavit. Intellecto igitur undenam metaphora tracta sit, nempe ab ampliatis regni pomoeriis, satis videmus verba prophetica hoc praedicere, futurum scilicet, ut Gentes per praedicationem apostolorum sint veram pietatem amplexurae, et inter eas quoque Christus sit regnaturus.

Ut ius dicat inter Gentes. Iterum ו, id est, et: conditionem significat. Ius autem dicere περιφραςικῶς ponitur pro imperare, primas tenere. Sive enim ad verbum, sive ad rem, hoc est Christum ipsum, referas, iuxta dei sententiam, verbique illius praescriptum transigenda sunt piis omnia. Et Evangelii imperium per orbem propagatum est.

Illi ergo conflabunt. Diximus pro, Et conflabunt. Habet enim Hebraicum ו hoc est, Et, inter innumeras acceptiones istam quoque, ut celeritatem et accinctum significet: ut 1. Reg. 17. Omnis Israël quum vidissent hominem, protinus fugerunt, וינסו. Sic et isto loco vult propheta, quod Gentes, mox ut verbum receperint, omnem immanitatem sint positurae, et arma versurae in falces et ligones. Hoc quoque praetereundum non est זמר Hebr. vocem per metathesim easdem substantiales habere quas Messer, id est Culter, Germanica habet. Quod idcirco dixerim, quo sacrae linguae candidatos intentos reddam, ad considerandum vocum quoque literas. Sic enim fiet, ut in omni ferme lingua deprehendamus nostram, hoc est Hebraicam. Id quod venerandae antiquitatis indubitatum argumentum est. Inveniemus in Graeca longe plura quam pro opinione: Praesertim si elementa ἀντίςοιχα, et alias vocum passiones numeratas habuerimus.

Hic te adpello. Nostrum est. Ut enim Hebraei peculiariter obmittunt, μεταβάσεος καὶ ἀποςροφῆς, hoc est, transitus et aversionis notas, eo quod in eorum lingua nihil incommodi sequeretur, tunc scilicet quum colebatur: ita nobis indulgendum non est, si ambiguitatem non sustulerimus. Hoc enim est fidi interpretis, sensum reddere. Id si opportune licet cum verborum traductorum numero et affectione, omne punctum tulimus. Sin contumacius verba renuent verti, aut reddere in aliena lingua quod domi solebant, iam nostris verbis lucem debemus etiam inferre. Quae enim haec est iniquitas, verba adeo superstitiose suspicere, ut sensum interim prodas? Quum igitur hoc loco propheta gentem suam cuperet acriter ac paterne obiurgare, advocat ... ad tantam felicitatem ac lucem, ut per Ironiam eos non tam excuset

quam increpet. Hic te invito domus Iaacob: sed aliarum rerum studio distractus es etc. LXX. posuerunt γὰρ pro δὲ, quod non raro solent: alioqui nobis adstipulantur. Ἀνῆκε γὰρ τὸν λαὸν αὐτȣ̃ etc.

Sed quid te invito. Nostrum est. Nam כי Hebraicum, adversativa est particula, pro: Sed posita. Est autem μετάνοια, hoc est correctio. Velut enim emendat se ipsum, quasi incircumspecte vocet ad huius lucis communionem, eum qui vanis mundi rebus, tum idolorum cultui, sit addictus.

Abundatis enim plus quam maiores. מקדם supra priscos est: non, Ut olim: quomodo habet antiqua translatio. Quod autem haec omnia in secundam personam transtulimus, quum Hebr. in tertia dicantur, virtutis gratia factum est. Quum enim propheta in tertia persona, hoc est, ut ipsi dicunt, de absentibus loqui videatur: id tamen eo naso facit, ut praesentes alloqui facile intelligas. Sequitur enim post non pauca: Abi.

Tum supervacaneis genethliacis. Ex pueris fecimus genethliacos: Id enim videbatur huius iugi pars altera requirere. Obiurgavit enim quod divinatoribus delectarentur. Addidisse igitur et genethliacos creditur. Nisi Hieron. per periphrasim intellexerit pueros alienos, pro alienis. Tunc erit sensus: Divinatoribus aeque addicti estis atque Palaestini: Alienis quoque adhaesistis. Puncta Rabbinorum libere dissimulamus: quum certum sit aetate LXX. nondum orta fuisse, et quidam ipsorum non tantum vocalium, verum etiam accentuum et distinctionum auctoritatem elevent.

Simul abundavit idolis. Simul, fecimus ex Et. Saepenumero enim duo ו Et, in duobus membris vim habent: Cum et tunc, aut: Protinus enim, etc. Gene. 47. והיה בתבואת ונתתם quumque annona provenerit, dabitis: vel, tunc dabitis. Eodem modo ותמלא ut primum impleta est terra vestra argento, simul abundavit idolis.

Id autem adeo pertinaciter. De nostro addidimus, quo sensus fieret clarior. Ita enim pollent Hebraea, ut sensum hunc proclive videas.

Ut nulla ratione dimoveas. Hebr. habent ad verbum, ut non auferres eis. Varie enim utuntur tollendi verbo נשא. LXX. nostrum sensum agnovisse videntur, καὶ οὐ μὴ ἀνήσω αὐτούς, et nulla ratione indulgeas eis. Lego enim ἀνήσω in 2. pers. Aor. ut sit sensus: Ut tu deus nulla ratione possis connivere ad tam procacem perfidiam. Nos ergo quum videremus dei personam alieniorem esse hoc loco, quam ut ad eum sermo vertatur: ac simul omnibus tribus linguis commune esse, ut 2. persona singulari infinite utantur pro quaque (ut quum Christus dicit: Tu quum volueris eleemosynam dare, Tu quum volueris orare, Tu quum ieiunas, pro: Quisque quum volet eleemosynam dare, orare, ieiunare) Horat. verbo usi, diximus, ut nulla ratione dimoveas: omisso להם Eis, vel Eas: quod Latina hic lingua non recipit.

Abi protinus. Hieron. dixit: Ingredere. Nos ut gratiam Hebr. verborum redderemus, addidimus Protinus. Habet enim unam tantummodo syllabam, בוא, qua summam celeritatem praecipit: alias dicturus ואתה בוא, id est, Tu ergo abi.

A conspectu tremendi iudicis. Diximus, pro: A facie timoris domini. Iudicem ex Domino fecimus, etiam ex tetragrammaton: non volentes quicquam detrahere summo numini; sed quod iudicis persona in nostra lingua cum tremore magis competeret quam domini. Deinde quod sermo minacior fieret eo nomine. Postremo quod non esset periculum ne alius iudex intelligeretur quam is qui dominus deus est, rex et moderator rerum omnium. Id autem beneficio antonomasiae: et quod divus Hieron. aliquando in universum omittit nomen domini. Tremendum autem fecimus ex tremore, timore, pavore: ne quis secus a facie timoris domini intelligeret, quam propheta dixit. Coguntur enim Hebraei plura quam aliae linguae, verbis, rem, non personam, significantibus eloqui: tametsi de persona potius quam de re loquantur. Item autem hac necessitate quod gerundivis carent, et magna participiorum parte: quae semper eam vim habent, ut ex aequo personam atque rem significent. Ut *Superandus* aeque significat eum qui superabitur (quod nos adpellamus personam significare) atque ipsam victoriam, quam nos rem, quae de illo reportatur, vocamus. Quum ergo Hebraeus volet de eo loqui qui superandus est, non potest dicere, Amorraeus superandus; sed: Victoria Amorraei, cogetur dicere: ubi tum victoria passive accipitur, pro eo de quo triumphatur. Sic et hoc loco Timor domini passive ponitur, pro timendo domino. Diximus igitur a facie tremendi iudicis, pro: A facie timoris domini.

Qui supercilium fastuosorum hominum deprimit. Hebraei non habent hic qui: sed frequenter omittuntur illis et relativa, et notae similitudinis כי et כאשר et אשר, hoc est: Sicut, quemadmodum, et qui. Id quod semel admonuisse sufficiat. Exempla magis sunt obvia, quam ut huc debeant congeri: interdum tamen monstrabimus ea. Supercilium autem ex Oculis fecimus, quod ea vox quum in malam partem capitur Latinis, idem significat quod oculi Hebraeis. Quibus superbus oculus, perinde ac Latinis, supercilium, fastum, elationem, ac superstitionem significat. Facta autem est haec metalepsis, hoc est transsumptio *ἀπὸ τῆς σωματοποιΐας*, hoc est, ab ipsa corporis constitutione et habitu. Superbi enim oculos ac supercilia attollunt, et pro frontis vicinia (quae et mentis excubitor ac proditor est, et mirabilis ad simulandum ac dissimulandum artifex) velint nolint etiam, maiestatem amplitudinem, et auctoritatem ipso intuitu effulminant: atque, ut Homerico utar verbo *παπταίνουσι*, hoc est, ampliter ac celeriter circumspiciendo, multitudinis animum et ambiunt et experiuntur.

In die ultionis. Diximus pro: Die illa; ne quis putet aliud tempus posse intelligi quam articulum istum, quo dominus post diutinam emendationis expectationem, sero tandem ac invitus percutit. Die autem Hebraei familiariter utuntur pro hora ipsa, et articulo ipso temporis, de quo fit sermo: quem Germanice das stündlin, hoc est, horulam vocamus.

Superior evadet. Ex נשגב reddidimus, quod hoc verbum plus quiddam significet, praesertim hoc loco, quam exaltari, puta cum gloria, victoria, et triumpho vehi, crescere, sublimari. Clarius ergo protrahit emphasim, Superior evadet, quam exaltatur.

Humiliabit. Pro: Et humiliabitur. Nam vis Hebraici sermonis est, quod dies domini ventura sit super omnia sublimia, quae scilicet adversus deum sese erexerint, et ea humiliatura. Hoc enim cedris Libani, quercubus Basan, montibus excelsis, collibus editis, altis turribus, muris munitis, et navibus Tharsis, vi synecdoches propheta significat, plane ποιητικῶς. Universam enim poesim etiam in prosa oratione sibi permittunt divini poetae, hoc est, prophetae Hebraeorum.

Ingredientur in petrarum specus homines. Homines addidimus propter LXX. qui hunc sermonem ad idola retulerunt. Minatur autem propheta hominibus turpem fugam in die domini.

Tunc tunc abiiciet. Hanc Anadiplosin, quae et Latinis vehementiam et certitudinem adfert, fecimus ex, in die illo. Habet enim vim antitheseos. Quasi dicat: Nunc quidem mordicus retinetis idola: tunc autem malis obruti, abiicietis.

Talpis et vespertilionibus. Sic Hebraei quoque habent. Unde mirum est quid spectaverit Hieronymus, ut talpas et vespertiliones adiective dixerit: quasi istas inter deorum gentem coluerint. Quum et Latinus sermo ferat, si dicas: Obiecit Iezabelam canibus. Vult igitur propheticus sermo, idololatras tunc abiecturos esse simulacra sua vel in hiatus et foramina terrae, ubi talpae habitant: vel in parietinas aut coenacula, ubi vespertiliones regnant.

Quo expeditius subeat in cavernas etc. Hieronymus transtulit, et ingredietur. Quum Heb. sermo habeat לבוא, ut subeat. Mutavimus ergo cum additione paraphrastica: Quo expeditius subeat; id est: Quo commodius irrepere possit.

EX CAPITE TERTIO.

Ei, qui primus capita Bibliorum distinxit in hos numeros, quibus etiamnunc utimur, non immerito quis irascatur: adeo crebro impegit; cum interim totas orationes et argumenta, interim vero sensus et sententias quoque cohaerentes discerpsit. Quod in hoc tertio capite adparet. Quum propheta incipiat a minore ad maius argumentari: puta quod nemo sit qui homini ira percito non cedat: id autem periculi vitandi gratia. Cur ergo Dei iram, latissime quum exarsit grassantem, non aeque declinemus? Hic noster divisor priorem partem superiori capitulo adiecit auctarium, et sequens ἀκεφαλῶς, hoc est, sine capite orditur. Haec moneo Lector, ut Capitum discriminibus nihil movearis. Adde quod haec divisio non tantum segnes et securos facit clamosos istos sciolos: quibus satis est ex magistri, cui iurati sunt, commentariis, falsam opinionem hausisse, si ad eius confirmationem locum aliquem, violenter tortum adduxerit: quem isti deinde ad verbum quidem inveniunt, ut dictator iste mandavit, sententia vero plus quam δὶς διὰ πασῶν distantem: Sed etiam audaces errorum satores. Nisi enim integrorum capitum argumenta teneas, proclive ad quamvis orationem offendas necesse est. Totos ergo libros, totasque epistolas commanducato ac devorato, si animum vere saginare cupis. Nam si ex Capitibus etiam singulis bibas et sugas, quod canis in Aegypto solet, fastidiosum reddes

stomachum, neque unquam ad opimum istum et vitalem succum proficies. Sed iam ad Apologiam nostrae complanationis redeamus.

Vitare et cavere scitis. Dupliciter interpretati sumus Hebraicam vocem חדלו per Vitare et Cavere: claritatis causa. Verbum autem Scitis, ex Emphasi Heb. verbi est, non ex ipso verbo. Utuntur enim Heb. promiscue imperativis pro futuris: et contra futuris pro imperativis. Quod iterum non est ut exemplorum turba firmem, quum et in isto propheta crebro occurrat, et in omni scriptura. Quum autem futuris pro habitualibus utantur, fit ut חדלו cavebitis pro cavetis, aut cavere soletis, hic positum sit. Quum autem sciendi verbo in huiusmodi locis Christus libenter usus sit, et eodem verbo ignorantiae excusatio ante occupetur, transtulimus: Vitare et cavere scitis. לכם, id est vobis, ex ratione linguae est, quam Latina non curat.

Ab homine per iram stomachante. Ad verbum est: In cuius ira flatus est. Scio אף narem et faciem quoque significare. Sed et naris irae symbolum est. Diximus igitur: Ab homine per iram stomachante. Huius enim est spirare minaciter, et instar follis reflare.

Nihil enim cum delectu operatur. Verba si numeres, sic habent Hebraei: Quoniam in quo rationi subditur iste? Utuntur autem frequentioribus epiphonematis Hebraei, quam vel Graeci vel Latini: atque hoc plerunque in *προσαποδόσεσι*, hoc est, in causae redditionibus, quum scilicet eius quod dictum est, continuo propria causa subditur, ut hic. Quum extorsisset quomodo omnes sciamus ab homine stomachante abhorrere, mox addit rationem, quod is per amentiam in quemque citra delectum irruat. Quum ergo causam istam Hebraei per epiphonema enuntient, id autem nobis sit paulo alienius, sic vertimus: Nihil enim cum delectu (hoc est ratione) operatur. LXX. *ὅτι ἐν τινὶ ἐλογίσθη*; id est: Nam cuius reputatur? Qui sensus a nostro non abhorret. Quamvis ipse non dubitem eos verbo isto *ἐλογίσθη* usos esse neutraliter, pro: Nam in qua re ratione utitur? Quae neutralis adfectiò tantam vim habet hoc loco apud Latinos, quantam verbum passivum apud Hebraeos, rationi subditur נחשב.

En ergo vobis. Ergo ex כי mutavimus, hoc est: Quoniam. Quum autem rationaliter ponatur כי id est, Quoniam: Latinis suam rationalem reddidimus: Hieronymus enim causalem posuit: quae plurimum lucis secum adfert. Primum enim cogit nos fateri, quod quae circum eam sunt, causa sint aut superiorum: aut ea quorum causa superiora dicta sint. Hinc enim causales vocant Latini, quod causarum notae sint. Deinde illud idem enim, iam e diverso cogit nos agnoscere, quod causales, propter viciniam, pro rationalibus ponuntur. Hoc enim loco, Enim, Dominus enim tollet de Ierusalem etc. non potest esse causa eius, quod stomachans nihil agat ratione duce: sed quod stomachantem vitare scimus, eo quod modum nesciat impetui ponere, manuducit nos quod longe magis debeamus cavere, ne iustus dei furor in nos saeviat. Transtulimus igitur: En ergo vobis. Nam quae sequuntur, ex anterioribus, tanquam notioribus deducta sunt. Congruit ergo melius rationalis quam causalis.

Dominum deum exercituum. Hieronymus hoc loco, Dominatorem dominum transtulit: quod non perinde assolet, sed nobiscum vertere in dominum deum. Voluit ergo eruditus vir, ne ulla parte obtrectatoribus cederet, interdum Dominatorem dominum transferre. Nos iurati sumus in, Dominum deum.

Omnem substantiam ac robur. Fecimus ex מַשְׁעֵן וּמַשְׁעֵנָה

Omnem vim cibi et potus. Idiotismi Hebraici sunt: ut quum volunt dicere, Omnis commeatus, annona, omne frumentum, omnis copia panis, dicant, omnis substantia, robur: imo omnis baculus aut virga panis: ut Osee 11. וכל תה בדיו. Consumptus erat baculus eius; vel: Consumetur virga eius; pro: Absumetur omnis vis panis eius. Per antonomasiam enim Baculum pro vi et copia panis accipit: propterea quod alias baculum panis vocare solent vim annonae. Deinde peculiare est eis, ut Panis vocabulo omnem commeatum et annonam intelligant: Aquae vero, potum. Id autem ferme quoties coniuncta sunt panis et aqua. Alias non itidem, sed in loco. Diximus ergo, Omnem vim cibi et potus. Si quis dicat, me admonere quae nemo ignorat, Hebraice vel mediocriter doctus: is meminerit primo, me rationem reddere meae interpretationis: deinde nondum esse, qui ad vetustatem linguae sanctae penetraverint: etiam si omnes fideliter sudemus, et velut in obsidione omnia moliamur. Erunt igitur quibus minutiae nostrae proderunt ad aliquem gradum: donec muri fastigio conscenso, cupita praeda potiamur.

Prudentem ac senem. קֹסֵם, tam ariolum quam prudentem significat: quemadmodum et Magi nomen mesum est. Non enim agit hic adversus Mathematicos, aruspices, sortilegos, et id genus fatidicos daemonas potius quam homines: sed ab ipsa Ierusalem tolli perhibet omne robur, quo instructas esse oportet bene constitutas civitates, ubi primas tenet vir sapiens. Prudentem ergo (adstipulantibus Hebraeorum Rabinis) eum intelligimus, qui certius quam ulla Pytho, non tam rerum multo usu, quam veterum exemplorum peritia futura praedicit. Atque hoc modo prudentem descripsimus, ut philosophi quoque suum prudentem possint agnoscere. Huic ergo descriptioni pietatem adde: et non tantum prudentem, sed prophetam quoque nactus es. Non eum qui et spiritu et externa aliqua visione et afflatus et vocatus est: sed qui solo spiritu afflatus, ita in omnibus scripturis et exemplis versatur, ut ubique divinam providentiam agnoscat, in omnibus consiliis aut actionibus finem praedicit. Videt enim quae secundum deum fiunt, quae secundum carnem.. Minatur ergo hic propheta, fore ut nullos prudentes habeant.

Militem. Fecimus ex viro bellatore. Quid enim attinet hac periphrasi uti in Romana lingua quae propriam vocem habet?

Et authoritate venerabilem. Hebr. sermo habet ונשוא פנים, id est, vultu praelatum. Vultum autem pro honore et authoritate poni, nulli dubium est. Comminatur ergo, omnem quacunque authoritate praeditum, ablatum iri in die domini: hoc est, tempore ultionis divinae.

Oratores. Fecimus ex Hieronymi intelligente sive prudente mystici eloquii Oecolampadium imitati. Nam נבון לחש ad verbum est,

Intelligens mussandi, garriendi, insinuandi, suadendi. At quis ille est, si orator non est? Est igitur Oratoris periphrasis, suadendi artifex.

Ut sint principes vestri. Vestri, diximus pro eorum. Nihil enim moramur personarum alloeoses, dummodo sententiam non solum non mutent, sed etiam acriorem (attamen in loco) reddant. Nam et ipsos prophetas temere invenias כם pro הם ponere: et e diverso.

Illusores et effoeminati. Si per omnia permitterem mihi uti mea sententia, transtulissem תעלולים in Versipelles. Nunc autem quum Graeci habeant ἐμπαίκτας, hoc est illusores, et Latini effoeminatos, coniunximus ambas interpretationes. Eo maxime quod versuti homines nihil quam ludunt simplicem gregem: ac plerunque otio et delitiis ita mersi sunt, ut non tantum intus et in cute muliebribus animis praediti sint, sed prae se ferant etiam omni habitu ac vestitu Heliogabalos et Sardanapalos, imo Sporos, et id genus sponsas pontificias. Hoc hominum genus non iam principum aulas, sed mentes terit. Postea enim quam regem nasci oportuit, aut fatuum, et pueri inaugurantur imperio, necesse fuit per alios rem geri. Huc ergo advolat hoc muscarum et nebulonum genus: lingua non tantum viri, sed Thesei, Hercules, Ioves, et si quis ex heroibus his praestantior fuit: corde vero Thersites, imo damae, et dasypodes: habitu foeminae: ventre apri et capri: sed ingluviae ac unguibus harpyiae. Hi stultum aut puerum principem νήπιον tanquam pilam agunt quo volunt: ita tamen ut quicquid eximium in toto regno est, suum faciant: Principem ipsum non tantum ludibrio populi exponant, sed expilent: ut deinde cogatur misellam plebem inauditis vectigalibus, tributis, exactionibus, decimationibus, et operis, non iam onerare, sed perdere. Hoc hominum genus minatur deus sese immissurum contumacibus.

Vim facient, cum populus ipse, tum quisque etc. Hebraea si numeres, sic habent: Vim faciet populus, quisque cuique, et quisque proximo suo. Quae in hanc πρόληψιν, quod mox alia sequatur, coegimus: Vim facient, cum populus ipse, tum quisque proximo suo. Quum enim per impietatem deus immortalis contemnitur: quod facinus tantum erit, quod in mortalem hominem non audeas?

Insolescent, adolescens contra senem, et obscurus contra nobilem. En nobis ad verbum πρόληψιν in ipso Hebraico sermone. Unde decuit, ut in eadem sententia prius membrum etiam in Prolepsim verteremus.

Adprehendet quisque. איש, Hebraica vox, et virum significat, et quemque. Sic Germanica vox Man, id est vir. Ut quum dicimus: Der man gibt so vil, id est: Quisque tantum contribuat. Haec ideo dicimus, ut videamus Germanicam non ultimam esse inter ancillares linguas, quibus in Hebraicae adyta penetretur. Habet enim plurima cum ea communia schemata.

Inquiens. De nostro additum est, quo sensus esset distinctior. Hebraei enim personarum Apostrophas, id est aversiones, et ἐπιστροφάς, id est conversiones, plerunque faciunt sine certis demonstrationis aut distinctionum notis. Id quod rudibus aut tenerioribus hallucinandi magna et frequens occasio est. Eas igitur notas velut emblemata sup-

ponimus: sed ea typorum forma, ut quae nostra sint, minimo negotio videas.

Vestem habes. Vestem, nolui mutare, etiam si videam vestem pro authoritate et splendore, pro substantia et opibus poni. Tam raras isti habent synecdochas. Ut infra 43. Aere tuo non emisti mihi calamum: Odoratum scilicet. Ubi calamus ponitur pro universo condimento isto pretioso, quo et sacra vasa et sacerdotes ipsi ungebantur: cui simile fieri nefas erat, Exo. 30. propterea quod calamus odoratus una ex praecipuis speciebus eius esset. Sic et hoc loco vestis pro habitu, honore, opibus, et authoritate ponitur. Belle autem depingit propheta deploratae rei statum. Tunc enim nemo vult praefici, quum videt ibi maxime contemni imperium, ubi eo maxime opus est.

Praefectus noster sis. Praefectum fecimus ex קצין, quem Hieronymus principem reddidit, eo quod inferius videatur esse nomen קצינים quam שרים et נשאים.

Nam casum istum tu poteris sustinere. Transtulimus pro: Casus vel ruina ista sub manu tua est, quomodo Hieron. transtulit: optime quidem, si omnes idiotismum Hebr. noverimus; quo: In manu esse dicunt, quum nos in potestate, aut facultate esse, aut denique copiam esse dicimus. Casum autem pro ruina posuimus: quod latius pateat casus, nempe pro occasione, et re tam nata quam praesenti.

Tunc protinus deierabit. Tunc, nota est responsionis eius qui praefecturam deprecabitur. Nam et Hieron. de suo similem notam addidit. Respondebitque. *Que* enim coniunctio non habetur apud Hebraeos, sed simpliciter נשא, id est, suscipiet vel recipiet, Nos ergo, quo et sensus fieret clarior, et ipsa ἠθολογία manifestior: Tunc protinus deierabit, vertimus. Hebraicum enim verbum velut ante oculos ponit renuentis habitum et angorem.

Mederi non potero. Diximus pro: Non sum medicus; ex לא אהיה חבש, id est ad verbum: Non ero medicans; pro: Non ero vel sum medendo. Quemadmodum et Latini dicunt: Solvendo non est; pro: Exolvere non potest.

Neque vestis. Hic maxime pro opibus et substantia ponitur Vestis.

Quoniam cadet Ierusalem, et Iuda corruet. Huiusmodi ὑποζεύγμασι impense utitur hic propheta. Deinde et lingua ipsa istud etiam peculiare habet, ut iugis crebro utatur κατ' συνωνυμίαν: ut Iacob serve mi, et Israel electe mi: quum tamen eundem populum velit intelligi. Sic et hoc loco per Ierusalem, non aliud intelligit quam regnum Iuda. Et etiamsi potuisset dicere, Cadet et corruet Iuda: maluit tamen per hypozeugma synonymiam eloqui, Ierusalem cadet, et Iuda corruet.

Sermo eorum. Sermonem pro lingua posuimus: ne linguam quis pro sola contumelia crederet poni. Vult enim omnia consilia, omnes cogitationes, et collationes sive colloquia, impia esse et contra dominum.

Alienatio vultus eorum prodit eos. Vertimus ex הכרת פניהם ענתה בם, id est, Concisio vultus eorum respondet in eis. Vultus autem concisionem iterum posuit pro lapso, macerato, et veluti conciso

moerore vultu: id est, rem pro persona. Diximus igitur, Alienatio vultus eorum prodit eos: ut qui hactenus vultu hilari, et oculis illecebrosis ac paetis prodierint, squalidi ac tristes vultus proferant: testes doloris ac desperationis. Vertimus autem in praesens tempus, quod Hebraeis praeteritum est, quodque Hieronymus in futurum transtulit: non ut ab illo dissentiamus, sed quod videatur nobis propheta non tam prospicientem etiam tunc calamitatem demonstrare, quam Chria, hoc est, usitata et vulgari sententia uti. Omnes enim crimen vultu prodi praedicant, id quod poeta queritur:

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.

Quibus docti, dicent. Quibus docti, non est ex verbis, sed ex veritate Heb. Dicent, pro: Dicite vertimus. Aufer enim Rabinorum vocalia puncta de אמרו, et habebis indefinitum praeteritum pro futuro, Dicent.

Beati iusti. Ad verbum est: Quod bonum iusto צדיק כי טוב. Quum autem sequatur, Quoniam fructu consiliorum suorum fruentur: vertimus non tantum in pluralem numerum, sed etiam superiorem orationem futuram fecimus.

Vae contra impio et iniquo. Traduximus ex רשע רע. Est enim ἀσύνδετον, id est, inconiunctum. Nisi tu putes רע Malum, esse epitheton, ut sensum reddat malum, vel sceleratum impium. Et nihil obstrepemus.

Popule mi, improbi regunt te. Ad verbum est, Populi mei exactores aut praefecti circumventores fallaces. Nos ergo ut sermo esset et vividior et cohaerentior, vertimus in secundam personam. Sequitur enim, duces tui, aut iuxta Hieronymum. Qui te beatum dicunt: etiam in secunda persona. Graeci habent οἱ πράκτορες ὑμῶν καλαμῶνται ὑμᾶς, id est, Exactores racemantur vos: hoc est, exhauriunt et expilant.

Duces tui. Duces ex מאשריך hac causa fecimus, quod ipse sensus et argumenti analogia de his cogit intelligere, qui ad hoc praesunt ut beate ac feliciter vivat populus, ut Beatificatores posuerit pro Salvatoribus. Celebre enim fuit eis duces suos Servatores vocare. Et Christus ipse dicit eos qui in potestate sunt Beneficiorum nomina sortiri. Quales Romani Patres patriae adpellabant, dum id virtute meruissent. Sed suum per nos quisque sensum sequatur hoc loco. Hieronymi sententia non est magnopere aliena.

Prodit ad contendendum dominus. Nova pericopa est, sed eiusdem argumenti. Intentat enim principibus et potentibus mala quae eos maneant. Stat, recte quidem vertit Hieron. ex נצב, rectius tamen versurus, si Constat dixisset. At nos ne putemus prophetam hic loqui vel de universali iudicio, vel de iudicis officio, quod sibi sumpturus est olim dominus, Prodit interpretati sumus. Stare enim eum propheta perhibet, non ad iudicandum, sed ad litigandum. Et pertinet ad Ethopoeiam, quum dominum litigatorem et actorem facit.

Veniet enim dominus cum senioribus populi sui ad experiendum iudicio. Ad experiendum iudicio, idcirco mutavimus, quod sermo Hiero. ambiguus est, an venturus sit dominus cum senioribus

ad iudicandum: quam sententiam hactenus ferme omnes sequuti sumus: An venturus sit dominus ad iudicandum, hoc est, ad contendendum, et iudicio experiundum, cum senioribus etc. Qui sensus potior est. Non enim vult propheta quod seniores sint cum eo venturi ad iudicandum alios: sed quod dominus sit venturus in iudicium cum eis, hoc est litigaturus adversus eos.

Vos, inquiet. Inquiet, nota est metabaseos, hoc est, personae mutatae. Quum enim propheta prius sit locutus, iam ipsum dominum loquentem facit. Hieron. Vos enim, vertit: quum tamen Enim, non sit de Hebr. veritate: sed de suo addit notam metabaseos.

Vineam. Hiero. de suo Meam, addit. Nec iniuria. Loquitur enim de populo dei propheta. Quamvis amplius et augustius sit quod propheta habet: Vos incendistis vineam istam sacrosanctam. Habent enim Heb. הכרם. Et Latina lingua non recipit multis locis maiestatem ac vim articulorum. Recte ergo quidem Hieron. adhuc tamen gravius pondus habent Hebraea.

Sic istos redarguet. Vertimus ex נאם Ait, sive dixit. Plerumque enim ad finem alicuius sermonis aut sententiae adponunt prophetae, Ait dominus, vel, dixit dominus: ut praecedentibus fidem ab authoritate domini mittentis et mandantis concilient. Congruet igitur ut huiusmodi Epilogulos ita exponamus, ut pateat propter superiorum fidem esse positos. Sic inquam locutus est dominus, Haec mandavit dominus, aut consimili auctario.

Eo quod fastuosae sunt filiae Zion. Haec pericopa mihi semper visa est, non tantum in matronalem luxum esse iaculata, sed in universum populum, quem synecdochica periphrasi Filias Zion, scriptura non raro adpellat. Quamvis interim non ignorem talia esse sequentia, ut praecipue in matronas dici non inficier.

Ideo tondebit. Transtulimus ex ושפח. Est enim Vau rationalis. Tondebit, autem diximus, quum Heb. verbum Ancillabit potius significet. Sed quum istud indubie servaretur, ut quae in servitutem manciparentur, tonderentur, usus est propheta Aneillandi verbo, pro: More ancillarum tondendi. Unde et Hieronymus, Decalvabit mutavit.

Muraenulas. Id colli et pectoris monile intelligimus, quod ritu torquis quidem ambit, sed muraenarum speciem circuli sive partes referebant: ut hodie Delphinorum, cervorum, aut venationis forma fiunt

Fasciculos animae solatia. Vertimus ex בתי הנפש Intelligimus autem globulos istos, in quibus foeminae odores (quibus foetorem suum adulterent) circumferunt. Quos Cicero, aut alius ex priscis. fasciculos nominat. Animae solatia, poeticum plane epitheton est, hoc est, elegans et eruditum. Caeterorum rationem reddere longum esset. Neque dignum est ut in tam obscuris vocibus et obsoletis denuo tempus insumamus. Aliter interpretantur quaedam LXX. quam Hieron. Oecolampadius quam iste. Nos verisimillima secuti sumus, atque in his Oecolam. maxime.

Pro cinctura diffluxus. Hieron. vertit secundum LXX. Pro zona funiculus. At diffluxum vel laxationem potius, Hebraicus sermo habet. Quamvis ponderi nihil decedat, Funiculo: sed eruditioni non-

nihil. Servile enim et miserarum est incinctas incedere: ut alias in prophetis videre est. Huc respexit propheta.

Pro plexis aureis calvitium. Hebraei habent מעשה מקשה, id est, opus implicatum. LXX. καὶ ἀντὶ τῦ κόσμυ τῆς κεφαλῆς τῦ χρυσίυ, φαλάκρωμα ἕξεις. Id est: Et pro aureo capitis ornamento calvitium habebis. Nos ex divo Petro apostolo, plexa coniecimus esse: atque eadem aurea; hic ex Septuaginta.

Pro venustate adustio. Hoc dulce apud Heb. ὁμοιοτέλευτον obmisit Hiero. כי תחת יפי. Venit hic in mentem haec Comici Psaltria, quam vetulus socer minatur se tam atram redditurum, in sole videlicet laborantem, quam carbo est.

Viri atque robustissimi earum Earum, pro Tui, et Vestri, feci: ne videatur propheta populum alloqui, sed matronas. Ut ergo discrimen generis minime esset amphibolum, coactus sum in tertiam personam vertere, quae Hebraeis constantius et solidius in secunda dicuntur. Certe hac parte egens est lingua Latina. Hebraei autem commode possunt dicere, Viri tui: ut foeminae vel foeminarum (est enim alloeosis synecdochica) viros intelligas. De qua re postea.

Portae earum. Eadem ratione Earum, coacti sumus dicere, pro Eius: quod eius commune est utrique generi Latinis.

Et desolatae in terra sedebunt. Numerus immutatus est a nobis, quo planior esset sermo.

EX CAPITE QUARTO.

Tunc adprehendent. Tunc, vertimus: quum Hieron. Et, verterit. Est enim Vau. hic consecutionis nota. Fit et hic perspicuum, distinctorem Capitum non satis cerebri habuisse, quum hic continentem materiam dilacerat.

In commune conferimus. Transtuli ex נאכל et נלבש, id est, Comedemus et vestiemur. Sensui enim nihil decedit. Quo rectius intelligeretur, quo redactura sit calamitas mulieres, animal natura contumax, et communionis abhorrens. Praedicit autem maritorum tantam raritatem et angustiam fore, ut septem sint se matronae, cum omni dote sua, uni oblaturae in coniuges. Et hic videmus Panis et vestis nominibus Hebraeis venire omnem substantiam, aut rem.

Uxores nomini tuo accenseamur. Hoc est, invocari nomen eius super eis: ut vocentur omnes septem mariti nomine. Idiotismus autem Hebraicus hoc loco praetereundus non est: ne putemus mariti nomen vocari ab uxoribus, debere aliquo pacto intelligi: quomodo pontificii (contra fidei canonem) voluerunt ista verba Iacobi, Gen. 48. Invocetur super eos nomen meum, huc torquere, ut mortales nomen Iacobi, iam immortalis et indigetis facti, super se invocent. Quum tamen divinus patriarcha nihil aliud agat, quam ut Manasse et Ephraim in numerum liberorum suorum censeantur, non in numerum filiorum Iosephi. Sic enim factum esset, ut omnis posteritas Iosephi, una tantummodo tribus censeretur. Nunc autem quum avi nomine censentur, cedit utrique solida haereditatis pars ex uncia. Vocatum est ergo nomen Iacobi super nepotibus, quum filiorum Iacobi nomen indepti sunt,

quemadmodum Ruben, Simeon, Levi, et reliqui. Est autem ea enallage peculiaris Heb. ut dicant vocari nomen alicuius super aliquem, pro: Vocari aliquem alicuius nomine: Id quod praesens locus manifeste adprobat. Vertimus ergo pro, Invocetur nomen tuum super nos, uxores nomini tuo accenseamur. De Divorum intercessione alias in elencticis nostris, cum Latine tum Germanice editis, adfatim scripsimus.

Tollasque opprobrium nostrum. Probrosum fuisse Hebr. genti, si quae non peperisset, notum est; probrosius, si qua scorti aut lascivae suspicionem sustineret. Ego tamen opprobrium hic arbitror liberalius accipi, nempe pro aerumna, calamitate, et miseria: quomodo frequenter in Psalmis aliisque locis accipitur. Cupiunt ergo uxores septem, mariti unius auspiciis atque imperio defendi, ac morem gerere: ut saltem habeant qui imbellibus qualicunque sit praesidio. Verbum autem tollendi sive auferendi אסף est, quod colligere, addere, et consarcinare potius significat, quam e medio tollere: nisi videamus quam propensi sint Hebraei ad metalepses, quamque erudite eis utantur. Quum hi qui soluturi sunt a loco aliquo, aut aliquo quid abiecturi, sarcinas primum colligant, aut ea quae abiecturi sunt: fit ut priore utantur pro posteriore, puta verbo colligendi, pro verbo auferendi. Plutarchus (si recte memini) hunc tropum inter synecdochas numerat. At nihil moramur hanc diversitatem quae apud omnes ferme est, qui de tropis et figuris scribunt: quum alius alii troporum aut figurarum familiae alia atque alia accenseat; modo ubi tropi sunt, non contendamus planum aut simplicem esse sermonem. Sed ad verbum Colligendi et Tollendi redeo. Allusit Rahel ad utramque verbi Asaph significationem, quum filium enixa sic prophetizat Gen. 30. ותאמר אסף אלהים את חרפתי, id est, Et dixit, Abstulit deus opprobrium meum: hoc est, contemtum et vilitatem. Sic enim et LXX. qui ἀφεῖλον habent: et Hieronymus post eos, transtulerunt. Sequitur isthic ותקרא את שמו יסף לאמר יסף יהיה לי בן אחר; hoc est; Et vocavit nomen eius Ioseph, sic reputando: Addet mihi dominus et alium filium. Hic LXX. προσθέτω habent, et Hieronymus, Addat. Quis tam eruditam ἀντίστασιν se per omnia Hebraea inventurum speraret? Abstulit, ait herois, opprobrium, et gloriam multae posteritatis augebit: uno verbo.

Post ista. Diximus pro: In die illa. Qua locutione utuntur Heb. etiam dum per metabasin a priori tempore ad sequens transeunt. Vertit autem nunc propheta sermonem ad Messiae adventum. Postquam enim de visitatione domini multa, multa de repudiatione gentis Israeliticae disseruit: tandem adfore eum dicit, in quo nobis universa restituuntur. Nec est cur Iudaei ista ad reditum e captivitate Babylonica torqueant; quum ille non admodum celebris fuerit, pro magnitudine gentis scilicet; et desiderio patrii soli. Non enim ipsi possunt electus ille amicus esse cui canitur de vinea sua. Neque hi qui sancte sint vocati. Sed neque constat nubem unquam obversatam esse Hierosolymis, neque caetera quae hic praedicuntur unquam esse impleta. Referant autem ad finalem istum reditum suum, licet, (nam et Paulus hunc eis in Rom. pollicetur) allegorica tamen sunt quae de corporea felicitate non tantum hic, sed

per omnes prophetas disseruntur, id quod successu apologiae magis ac magis patebit.

Germen domini laetum et amplum surget. Laetum vertimus ex צבי, quae vox proprie Capream significat. Quae quum sit ex omni damarum genere nobilissima et pulcherrima, fit ut quae isti eximia velint adpellare, Capream vocent. Transtulit ergo Hier. Magnificentiam: nos autem, Laetum: quod et Latini laetas segetes ac germina laeta per ἐναλλαγὴν dicant, quae vel habentem vel videntem laetum reddant. Amplum diximus pro Gloria: quum et amplitudo gloriae ac splendoris magnitudo sit. Competit autem utrunque epitheton germini Christo, et eius corpori Ecclesiae. Quod enim laetius pectus invenias, quam quod uni deo per filium eius fidit? Aut quae numerosior soboles per universam terram unquam est visa, quam quae in Christo renata est? Surget, autem fecimus ex, Erit. Verbo enim Essendi, pro multis verbis utuntur: nemo tamen familiarius quam Ezechiel.

Et ipse fructus terrae magnificus ac splendidus erit, his qui evaserint Israelitis. Magnificus et splendidus, diximus pro, Ad magnificentiam et ad splendorem: propterea quod illi huiusmodi loquutionibus utantur pro finitis et disertis orationibus. Sicut infra 9. cap. והיתה לשרפה erit ad combustionem, pro, Comburitur. Et Hieremiae 51. ונתתיך להר שרפה, id est, Et dabo te in montem conbustionis, pro, comburam te o Babylon: eam enim montem vocat isthic loci. Vertimus igitur, Magnificum ac splendidum fore veris Israelitis, terrae fructum, hoc est, dei filium humana carne vestitum. Evaserint, Hebr. est פליטת, hoc est, Evasioni. Dicunt enim evasionem, pro elapsis et salvatis: sicut captivitatem, pro captivis, et circuncisionem, pro circuncisis. Quemadmodum Latini Deambulationem pro deambulantibus: convocationem pro convocatis dicunt. Quum autem hic allegorice loqui adseramus prophetam, operae pretium duxi nonnihil de hac figura loqui. Allegoria (ex Plutarchi definitione) est alterius per alterum commendatio aut mentio. Quae quidem definitio, nisi interius quam primo intuitu perpendatur, communis erit omni tropicae locutioni. Significat enim omnis tropus aliud quam ipsa vox prae se fert. Et ipsius Ironiae omnes species aliud commendant et adferunt, quam verba sonent. Considerabimus igitur primum, Tropum esse in voce: Allegoriam autem in oratione aut sermone. Deinde, Ironiam non sine naso esse: hoc est, risu, ioco, acerbitate, censura, iudicio. Allegoriam autem, istis omnibus ab ea distare. Ut enim primum abierit in iocum; risum etc. iam non est Allegoria, sed Ironia. Mea enim sententia, Ironia est salsa allegoria. Mentionem igitur facit et commendat nobis res allegoria, alio sermone, aliisque vocibus quam propriis. Non ad hoc ut rideat, mordeat, iudicet, hoc est damnet, aut laedat: sed rerum scitu necessariarum alio verborum habitu mentionem facit, ac veluti demonstrat. Est enim τὸ περίςασθαι, καὶ τὸ ἀποδεῖξαι. Videmus igitur allegoriam, orationis formulam esse, aliud quam species prae se ferat nobis commendantem: ita tamen ut per eam verborum speciem veritas ipsa videatur, non aliter quam verum corpus

in speculo, aut per corpus perspicuum. Exemplis res manifestior fiet. Cum Paulus Actor. 20. Ephesinos presbyteros inter alia sic adfatur: Attendite igitur cum in vos ipsos, tum in universum gregem, in quo constituit vos spiritus sanctus vigiles ad pascendum Ecclesiam dei. Ecce ut hic in prima parte meram allegoriam adfert! Per pastores enim et gregem, episcopos et ecclesias intelligit. Attamen Attendendi verbum hanc secum lucem adfert, ut citra laborem videas, de cura episcopali mentionem fieri. Altera parte, Vigiles ad pascendum ecclesiam allegoricῶs dicuntur; sed lucem praebet ista vox Ecclesia, etiamsi nulla alia adesset, ut proclive intelligas eum de pastu verbi loqui. Quod Io. 10. de officio et fide tum pastoris tum ovium disserit Christus, allegoria est: etiamsi divinus Evangelista *παροιμίαν* vocet. Aliud enim est *παροιμία* quam allegoria; sed neque parabola est. Ea enim simile quiddam adfert, cui quid comparet. Allegoria non tantum comparat, sed nomina rerum comparatarum imponit rebus comparantibus. Sed non sunt anxii observatores vocum Evangelistae. Quin potius ut Hebraei ex Hebraeis fuerunt, suos per omnia imitati sunt. Isti ergo quum omnem quacunque ratione alienatum aut tectum sermonem משל vocent, fit ut citra discrimen paroemia pro parabola et pro allegoria utantur; et rursus parabola pro allegoria: ut Matth. 13. Haec est parabola; id est: Hic est sensus allegoriae. Et ibidem crebro parabola pro allegoria ponitur. Quum Christus inquit: Simile est regnum coelorum homini regi, homini nobili, decem virginibus, sagenae in mare expansae, et id genus reliqua, parabolae sunt, id est, collationes et comparationes. Atque eae nihil dissimulant, sed manifeste quo tendunt pergunt, et simili tanquam duce utuntur. Allegoriae autem plus dissimulant, etiam si noliut non intelligi; sed cum exercitio, studio, et diligentia auditoris, quo res intellecta magis delectet. Preciosiora enim sunt quae nostro sunt perfecta labore. Summa: Parabola manifeste comparat, allegoria dissimulat, nec tantum in similibus versatur propinquis et perspicuis, sed alienioribus, ac ferme aenigmaticis. Haec de ingenio allegoriae; nunc de luce eius. Temerarium enim et frivolum est, didicisse claustra aliqua esse reserabilia, ni simul astum et artem qua reserentur indagaveris. Quum ergo in allegoriam incideris, considerabis primo ista, quibus allegoricus sermo simillimus videatur. Ut quum Paulus pastorum et gregis in superiori exemplo mentionem facit, iam primi occurrunt reges et principes, qui et Graecis *ποιμένες λαῶν* vocantur: quomodo et hic noster, et Ezekiel non unis locis vocant. Deinde comparatorum ratio probe tenenda est. Postremo eorum quae diserte dicuntur proprietas. Hae duae posteriores leges efficiunt, ut saepenumero cogamur priorem intellectum deserere, et alium sequi. Ut iterum in praedicto exemplo, si mox ut pastoris ac gregis voces audieris, populum ac principes concipis: deterrebit primum ratio comparatorum. Non enim erant reges quos istic pastoribus comparabat, sed paupertini homines, magnae tamen rei ministri. Deinde deterrebit proprietas eorum quae diserte dicuntur: puta, Attendite, non imperate. In quo grege spiritus sanctus vos constituit, non prin-

cipum electio. Ad pascendum ecclesiam dei, non ad exigendum tributa et vectigalia, non ad tumultuandum et belligerandum. Et caetera quae sequuntur. Hoc modo si rationem allegoriae perspectam habueris: iam tibi nemo facile imponet, alio torquendo scripturam quam spiritus sanctus inspiravit. Esto enim (ut iterum ad exemplum redeam)! pontificii veterem interpretationem adducant quod ea regendi verbum habeat, regere Ecclesiam, ut per hoc tyrannidem suam fulciant: nihil obtinebunt. Ita enim obsepta sunt omnia, (si comparata, comparatorum rationem, et proprietatem dictorum recte tenueris) ut quocunque se vertant, nequeant ex Regere, aliud fingere, quam, Praeesse exemplo et doctrina. Sic ergo in praesentiarum primo expendes superiora: in quibus manifeste vides populum Israëliticum esse contra quem agitur. Vides et Christum, quem sub Evangelio intelligis, cum Ecclesia sua. Iam habes comparata. Secundum autem quod expendes, comparatorum ratio est: Dei, ut benignus sit in suos, Populi vero ut iussis obtemperet. Postremo non ignorabis eorum quae diserte dicuntur proprietatem. Intelliges igitur quod deos alienos coluisse, maiestatem summi numinis perinde offendit, ac dum quis senatum, patriam, parentes, ac necessarios prodit. Contra vero, si qui paulo ante hostes erant, culpam et crimen agnoscant, veniam orent, iussa capessant, omni studio demereantur, quod ista eos numini conciliant! Quum igitur offendimus gentem Iudaicam, non iam divinarum literarum, sed etiam profanarum testimonio perfidam, deos alienos coluisse, leges dei ac principis sui non tantum violasse, sed etiam abrogavisse, suis interim in earum locum rogatis: et quem a natis hominibus promiserat salvatorem crucifixisse: ministros eius virgis cecidisse, neci dedidisse, pepulisse in exilium; exuisse bonis. Et quid multa? innoxium domini sui gregem tanta pertinacia usque ad hunc diem, tanto odio atque ira persequi, ut si hodie tanta esset apud reges autoritas quanta olim erat, tot clades Ecclesiae Christi darent, quot unquam. Quum inquam talem offendimus populum Iudaicum, cur non videmus prophetam iam olim eis praedicere, cum repudiationem tum diuturnam captivitatem? Nobis autem, quamvis ascititis et adoptivis, dummodo coelestem principem et leges eius recipimus, dum sub illius signis cum fide meremur, bonitatem, gratiam, amicitiam, auxilium, et curam principis cui nomen dedimus? Ubicunque igitur allegoriam esse dicemus, certis argumentis et notis probabimus. Antea tamen illud quoque monebimus, quosdam adeo perverse doctos esse, ut nunquam satis cavere possis, ne errorem aliquem concinnent. E quorum numero isti sunt, qui quicquid non intelligunt, allegoriam faciunt, profitentes interim divinorum librorum enarrationem. Cuius farinae sunt ferme omnes quos hactenus videre licuit, in Psalmorum librum commentarii, et Gregorii, in Iob moralia. Sunt et alii, qui totas pericopas, totos sermones Christi filii dei, totas historias ἀλληγορίζεσι, id est, allegoricώs exponunt: etiam ubi nulla prorsus est allegoria. Cuiusmodi naenias quidam mihi ante annos aliquot offerebat: in quibus quidam primi nominis totam Christi nativitatis historiam allegoriam fecerat. Hic erat praesepe quiddam, non enim commemini, quod hominis iracundiae allubebat: fasciae incunabulinae tantundem atque humanae

traditiones. Imo omnia aliud erant, plane alienissimum ab omni eruditione, analogia, et salubri puerperio. Atque simul credebat bonus vir, nescio quas opes se attulisse. Quamvis non sim in hac sententia ut nusquam liceat ἀλληγορίζεσθαι, nisi ubi autor ipse allegoria utitur: sed dexteritatem in istis desidero. Puta, quum ille noster esset allegoriam coram imprudenti plebe ex natalitia historia facturus, non debuit ad hunc modum praefari (quod tamen ferme faciunt): significationem habet historia ista longe aliam. Iam enim credit stulta plebs ex virtute sive literae sive rei gestae hanc significationem extrahi: quum sit humanum figmentum. Ac deinde vel pro authoritate adnunciantis, vel pro sua contumacia, nititur huiusmodi figmento: et veram historiam, quaeque circum illam consideranda sunt, negligit. Nam quae est audacia aut curiositas, in historia saluberrimae nativitatis allegorias quaerere? An non satis rarum et admirabile est, Deum hominis habitu prodire in scenam humani theatri? Nasci de virgine? In parietinis et horreis? Abesse humana solatia virgini puerperae, divina vero superesse? Moneri pastores, non magistratum? Moneri eos qui in agro erant, non eos qui in urbe? Adparuisse unum principio, deinde examen Angelorum? Cecinisse eosdem כבוד nimirum, hoc est, gloriam, honorem, omnipotentiam nato? Abiisse in urbem agrestes homines, et Christum invenisse? Imo cum illo matrem, nutricium, et omnia quae Angelus iste praeco oraculo praedixerat? An hisce rebus considerandis et suspiciendis fastidio capi potest humana mens, si modo humana, non vulpina est? An modum in re nulla servabimus? Quum igitur usus postulat ut omnino allegoriis pascendi sint animi credentium, quod tamen rarissime usuveniet, nisi melius agat cum istorum ecclesiis deus quam cum nostris, quae quotidianis artibus ac timoribus tentantur et petuntur: ut quicquid uspiam sit consolationis et confirmationis insumamus. Si, inquam, eiusmodi condimentis, quale est Allegoria, cibandi erunt animi: iam eis uti convenit ut salsamentis, parce videlicet ac frugaliter. Quod si paulo amplius uti volemus, praemonebimus nostra esse quae prolaturi sumus, non huius loci quem tractamus. Ut quum historiam illuminati caeci pro virili tractavimus, et commendavimus quae potissimum in ea sunt consideranda: iam non licebit dicere, Potest hic locus et alium habere intellectum: sed, Nunc vobis ex isto loco allegoriam concinnabo: quae quidem non est ex necessario huius loci sensu, sed ex aliis scripturae locis huc adscita. Caecum erat genus hominum antequam Christus veniret (nam neque Iudaeos eximo) et salutem ab omni praetereunte emendicabat: Hoc est, vel ignotos deos pro salute colebat, vel huius mundi sapientes de illa indipiscenda percontabatur etc. Sed quanta pars iam erit allegoriae? Minima quidem, at non ingrata: si modo condimentum esse dixeris. Alias enim fieri potest ut venenum fiat: si scilicet humani figmenti species pro naturali sensu proponatur. Nitetur enim rudis authoritati doctoris, et genuinum credet sensum qui asciticius est. Breviter, scripturae allegorias debemus scripturae clavibus reserare. Nostras allegorias ne quisquam pro genuino sensu recipiat, debemus tempestive nostrum condimentum esse admonere. Usuvenit enim infinities, ut allegoria plurimum efficias; at tum maxime quum sunt et breves, et nasutis perspicuae. Quod si ad

satietatem lubeat allegorizare, cavendum est ne quod te summopere delectat, aliis pariat fastidium. Haec tumultuarie de Allegoria: quum viderimus multos ab ea in scripturis adeo contumaciter abhorrere, ut multos locos parum pie exposuerint: multos quoque ea tam impense et citra delectum uti, ut pari impietate multos non recte exposuerint. Nunc ergo ad prophetae verba redeo. Post haec, inquit, germen domini laetum et amplum surget. Et ipse fructus terrae, qui iam germen domini adpellatus est, his Israëlitis qui salvati aut servati supererunt, quos perfidiae contumacia non in transversum egit, magnificus erit ac splendidus. Non enim solet prosapia carnalis Israëlis in scriptura Terrae fructus adpellari. Deinde hunc fructum claritatem Israëlitis veris allaturum promittit: non contra, Israëlitas terrae fructui. Quod ergo aliud germen, qui alius fructus erit quam Christus, cum corpore suo Ecclesia?

Tunc autem quum abluerit. אם Hebraica vox isto loco non est conditionalis, Si: sed temporalis, et pro Quum ponitur. Quum abluerit dominus luem filiarum Zion. Est autem sensus, Israëlitis tunc semen istud laetum fore, sanctasque tunc adpellandas esse reliquias, quum dominus Ierusalem expiaverit vento urente, et flatu vindictae. Hoc est, ut allegoriam reseram: Quum Ierusalem (hoc est, gens Iudaeorum) variis adflictionibus et ignibus lustrabitur, interea Gentes (veri Israëlitae) et Gentium Ecclesia (quae est vera Ierusalem) Sancta domini vocabitur. Bona enim pars perfidae gentis caeca manet, donec Gentium copiae ingrediantur, quemadmodum Apostolus quoque censet. Traduximus igitur: Tunc autem, quum etc.

Super omne aedificium. מכון aedificium potius sonat et structuram, quam locum.

Et super omnem coetum eius. ועל מקראיה, id est, Et super coetum eius. Omnem vero non de nostro admensi sumus, sed vi *συλλήψεος*, hoc est, conceptionis, ex praecedenti membro huc detraximus. Frequens enim est apud eos, ut adfixis hoc est relativis, notis similitudinis, et distributionis nota sylleptice utantur, hoc est, ut eas notas ad unum tantummodo membrum adponant, unde tamen alteri quoque eadem virtute serviant. Vertimus autem Coetum, ubi Hieronymus vertit, Et ubi invocatus est: ex מקרא. Ponunt Hebr. eam vocem pro concione aut coetu: quomodo in libris Moseos saepenumero reperitur מקרה קדש, hoc est, Concio sacrosancta. LXX. propius ad nos accedunt quam Hieronymo. *Καὶ πάντα τὰ περὶ κύκλῳ αὐτῆς*, et omnia quae circum eam sunt. Qua periphrasi מקראיה viciniam aut agrum Ierusalem notare voluerunt, in hunc sensum: Universus locus montis Zion cum omni *περιχώρῳ*, id est, regione aut agro.

Nubem ac fumum per diem: nocte vero splendorem ignis flammantis. Haec indubitata nota est allegoriae. Nunquam enim legimus haec esse facta sensibiliter. Fit ergo manifestum haec omnia ex historia veteri allegorice adduci: puta quod deus opt. max. coelesti Hierosolymae, hoc est Ecclesiae, quae coelitus, hoc est e supernis nata est, nempe ex aqua et vento, hoc est, ex luce divinae inspirationis, et spiritu consolatore ac confirmatore, semper adest protegendo, ducendo,

monendo, et fovendo. Haec enim quae hic dicuntur, quum neque sensu neque vere populo Iudaeorum fiant, iam res ipsa cogit allegoriam esse agnoscere. Habent enim Hebr. et hoc familiare, ut frequenter allegoriis, comparationibus, hoc est similibus et dissimilibus utantur, citra manifestas notas, id quod in allegoriis aequanimiter et Graeci et Latini suis legibus coacti ferrent, non etiam in parabolis, id est, comparationibus similium dissimiliumque. Hinc dissidia ista de divite epulone, historia sit an parabola: quum sit parabolica narratio ficti exempli. Quo tamen docet, ut res vita defunctorum habeant. Quemadmodum et ista qua narratur, quendam descendisse ab Hierosolymis Ierichuntem. Et hominem quendam duos habuisse filios: quorum alter partem haereditatis suae postulaverit, et peregre profectus dilapidaverit. Et ista qua dicitur, homo quidam nobilis abiisse in regionem longinquam, ut regnum assumat isthic etc. In his enim et similibus locis, si tu protinus per hominem nobilem Christum intelligis, allegoria est. Si non intelligis, nisi ad hunc modum audias: Quemadmodum saepenumero reges abeunt in alias quoque regiones et provincias, domi relictis quibus rerum summam et imperium credant, atque dum redeunt, omnes aut pro recte factis remunerant, aut propter proditas res puniunt: Ita Christus abiturus est, ac ad ultimum diem rediturus, redd2iturusque ministris suis pro ratione negotiorum gestorum. Si, inquam, ad hunc modum tibi praemandendum erit, iam fiet ex allegoria parabola. Huc pertinent quae de ecclesia Christi allegorizat Paulus ad Galatas quarto, et hoc quod ad Hebraeos decimo scriptum est: Habentes igitur fratres indubitatam certitudinem introitus in sancta, per sanguinem Iesu: quem ille nobis introitum vivum de novo munivit, per ipsum velum, hoc est, per mortem sive carnem suam. Hic enim citra notam allegorizare incipit Apostolus; sed instrumenta quibus hoc agit, altius e veteri testamento depromit. Ac tandem notam addit allegoriae, quum carnem, hoc est, mortem Christi hoc velum esse ait, de quo allegorice ludens locutus erat. Sic quae eo loco dicuntur de summo sacerdote, de aspersione cordis a malignitate et labe conscientiae, de ablutione corporis aqua munda: omnia sunt allegorica. Quae dum imperiti Catabaptistae et Papistae non vident, tot errores nobis propinant, quot verba profundunt. Vult enim Apostolus ostendere, longe praestantiores esse lustrationes et expiationes nostras, quam veteres. Sanguine enim Christi ac corpore, hoc est morte eius ita nos aspergi, ut nullus per velum transitus cum sanguine, nulla aspersio, nulla ablutio potuerit veteres sic mundare, ut nos sanguis Christi; nihil hic de Baptismi sacramento agens. Iam ergo dum rudes allegoriam non olfaciunt, coget te inscitia, ut omnem rem in comparationem redigas, hoc modo: Sicut olim in figura haec servabantur ad externam expiationem et reconciliationem, ita nunc interiorem hominem totum purgat Christus etc. En nobis viam aperiendarum allegoriarum per comparationem. At eruditis, et quorum mens per allegorias (non aliter quam qui equo) vehitur, puta ut quemadmodum ille regit, non regitur, etiam si vehatur: sic litera vehiculi vice utantur, non quae eis imperet, sed quam spiritu moderentur. Eruditis, inquam, et exercitatos sensus habentibus, suavior est et iucundior allegoria parabola.

Sic igitur patere arbitror hic loci meram allegoriam esse, ecclesiae dei ex Gentibus congregatae, quae iam est Zion, Iuda, Ierusalem, Israël, populus dei, Iacob rectus ille, et caetera quae passim per scripturam carnali Israëli tribuuntur.

Quia cum omni magnificentia sua protecta erit. Haec ad verbum Hebraeis hunc sensum reddunt: Quoniam super omnem maiestatem protecta, sive protectio passiva, subintellige *erit*, κατ᾽ ἔλλειψιν, id est, per omissionem sive defectionem. Omittunt enim verba substantiva multis locis. Nos igitur sic vertimus: Quia cum omni magnificentia sua protecta erit. Sua, adsuimus de nostro. Adfert enim secum quiddam lucis. Id autem fecimus, LXX. imitati, qui sic transtulerunt: πάσῃ τῇ δόξῃ σκεπασθήσεται, id est: Cum omni gloria protegetur. Nam et Graecis huius coniunctionis, Cum, σὺν, Ellipsis familiaris est. Magnificentiam autem vertimus ex כבד, quae vox Hebraeis pro gloria, maiestate, honóre, gravitate, splendore, imo pro omnipotentia, cum deo tribuitur, accipitur.

Ut tabernaculum futura sit. Ierusalem scilicet, quae per diem nube, nocte vero flammante igni protegetur. Omnes enim qui intra coetum gregis Christi clauduntur, securi sunt ab omni tempestatum genere. Non ut istis non petantur, sed utcunque saeviant adversae potestates, vinci tamen non possint.

Receptaculum. Ex מסתור vertimus: quae vox tantum potest, quantum Latinis absconsaculum: si eis hoc modo loqui liceret. Unde et Hieronymus Absconsionem transtulit, pro loco in quo quid absconditur. Sicut Latini Deambulationem vocant locum in quo deambulatur, ut supra monuimus.

EX CAPITE QUINTO.

Quin potius canam dilecto amico meo. Ex inhortatoria particula נא fecimus, Quin potius. Et ex לידידי Dilectum amicum meum. דוד enim dilectum, et patruum, et cognatum significat. Adparet autem apud Hebraeos morem fuisse, ut gratulandi gratia canerent vicini et cognati, si quis novam vineam plantavisset: quemadmodum et annona collecta gratias canebant: in quem usum Psalmi sunt conditi, qui Pro torcularibus inscribuntur. Quomodo apud nos gratulatum venitur ad eum, qui novam domum incolere, et ignem ac fumum primum in ea excitare incipit. Sed inter coniecturas hoc numerabimus: quamvis hanc non frivolam autumem; cum quod titulus ipse tale quid insinuat: tum quod carmen ipsum demonstrativi generis, eam vineam a loco, ab ornatu, a munitione, a custodia laudat, id autem priore parte. At posteriore vituperat ac reiicit, quae alium quam haetenus consuesset fructum reddere coeperit. Canitur autem a propheta carmen domino sub amici persona, quomodo eam conseverit et munierit: at illa spinas reddiderit, quum ipse uvas expectaret. Deinde canitur domini deliberatio, quidnam facturus sit vineae suae. Nisi quis dominum canentem facere velit, ut ille indignatus populo Iudaico, se de eo cantaturum minetur, dilecto scilicet amico suo, hoc est sibi ipsi in aliena persona: quemadmodum et in Evangelio sub persona patrisfamilias de se ipso

loquitur: ac deinde sic ordiatur: Vinea erat dilecto amico meo; qui quidem amicus ego ipse sum. Mutat enim post pauca personam, atque ipse dominus loquitur, et dicit: Decernite intèr me et vineam meam etc. Veruntamen quocunque vertas exordium, hic plane sensus manet, quod postea quam dominus ferendo et sustinendo populi scelera, omnia tentavit ut ad bonam mentem reduceret: illi autem tam abest ut errata corrigerent, ut etiam sese acrius domino opponerent: coëgerunt eius bonitatem iustitia experiri in eos: Iure ergo repudiaturum perduelles, et alium sibi populum asciturum. Huc respexit Christus Matth. 21. quum allegoriam hominis qui vineam conseverat, quamque locavit agricolis, attulit. Hoc quoque non est negligendum, hunc nostrum prophetam, sive ab afflatu, sive ab ingenio tam festivum fuisse, ut crebro delectatus sit orationem solutam ligare, et a prosae orationis curru descendere, ac pedibus incedere. Etiam si candide fatear, nondum compertum esse, quibus illi carminum generibus usi sint. Abolevit enim ista vetustas, et Rabbinorum audacia, qua pro sua libidine distinxerunt non pauca, non pro ratione sensuum et eruditionis. Sudavi nonnunquam, si quid huius fodiendo et inquirendo invenire possem: sed aliud (quod certum habeam) non potui deprehendere, quam quod dum carmine ludunt, nullum ferme sensum omittunt, qui non insigni aut tropo aut figura picturetur. Deinde quod in carmine grandius tubam sensuum inflant ac incendunt. Postremo quod sese in arcana omnigenae eruditionis summo conatu ita abstrudunt, ut pleraque videantur oraculorum formam induisse. Imo prorsus faciunt quod Tragici in choris solent. Qui mihi tum videntur eos aemulari musicos, qui dum canendi vel peritiam ostendere, vel gratiam occultam inire cupiunt, aliquo se abdunt, ac deinde argutissime ex eo loco canunt: et quod alias praecipue in usu habent dissimulant, quo minus internosci possint. Hic protinus ad Chelis aut Citharae auditum consurgitur, inquiritur, censetur, quid, quis, aut cui canat. Sic novus ille poëtarum Hebraeorum incessus, per troporum ac figurarum ordines: nova granditatis sententiarum incensio: admiranda ex abruptis et inaccessis locis detonatio, sollicitum tenet auditorem ad auscultandum, ac inquirendum, quid dicatur, cui aut de quo dicatur. Omnis enim adparatus arduum quid prae se fert. Ad hunc modum hic noster Carmen hoc loco interspargit, et sic occinit:

Vinea fuit. Diximus pro, Vinea facta est. Etiamsi non me praeterit Hebr. verbum היה, id est Fuit, perinde pro Factum est, poni, atque Graecis ἐγένετο, ἐγενήθη, et similia. Sed hic quum vineam a loco describat, opportunius visum est Vinea fuit, aut, Vineam habuit dilectus amicus meus, quam, Vinea facta est.

In loco uberi. Hebraea habent ad verbum, In cornu filio olei, aut pinguedinis: quomodo Hieronymus transtulit. Quod equidem vehementer admiror. Existimo enim hoc licere interpreti, ut si lingua quam in aliam transmutat, quid peculiare habeat, quod domi quidem sit et elegans et usitatum, at si in aliam transfundas, gratiam suam amittat: ea quaerere quae aequipolleant. Id quod Hieronymus ipse perhibet. Sed noluit religiosus homo, de Oraculo divino vel verbis hoc loco recedere. Utuntur autem Hebraei hac voce קרן, id est Cornu,

pro radio, flamma, aut splendore; Quamvis metaphora a bovis cornu ad Solis radios ac iubar, et ad flammam tracta: ut saepenumero inter enarrandum ostendimus. Hinc quantum ego video, per errorem Moses ille supra omnes mortales lenis, iucundus, suavis, et patiens, cornutus nobis est factus; quum scriptura voluerit nobis gratiam, splendorem, et authoritatem, quae ei ex colloquio domini accesserant, ita ut per omnia augustior esset quam prius, commendare. Ponitur ergo cornu hic pro loco aprico: quemadmodum et in Germanica lingua cornu vocamus chersonesum in mare aut stagnum procurrentem: aut etiam colliculum oblongum in latam planitiem expatiantem: quales loci ferme aprici sunt, et serendae viti accommodatissimi. Hoc et LXX. viderunt: qui non satis duxerunt transtulisse ἐν κέρατι, id est in cornu: nisi ἐφεξήγησιν, id est, expositionem addidissent ἐν τόπῳ πίονι, id est, in loco pingui. Filio olei, transtulit Hieron. ex בן שמן, non habita ratione idiotismi Hebraici, quo solent בן בקר Filius vaccae, dicere per Periphrasim, pro, Ex boum armento. Quamvis בן בקר suam quandam maiestatem habeat, ac ferme ingenuitatem in sua lingua, quae non transit in Latinam: sive bovis filium dicas, sive ex armento: quomodo ferme Filius, in paroemia ista, Albae gallinae filius Augustus est. Hanc ergo amplitudinem periphraseos transtulit lepidissimus poëta, ab animatis ad rem inanimatam, et dixit, In cornu filio pinguedinis: hoc est, in aprico loco adprime pingui et crasso. LXX. ἐν τόπῳ πίονι, in loco uberi (quomodo prisca Latinorum ex LXX habuit interpretatio) verterunt, quos hic imitatus sum.

Quam et maceria sepivit. Hebraea quidam sic transferunt: Et sepivit eam, et lapidibus circundedit eam. Ut secundum Vau, sit exegeticum. Quos secuti sumus: sed omissis cum altero relativo, tum altera coniunctione, Quam et maceria sepivit. Septuaginta ad primam personam transierunt, quum Hebraei nondum habeant Eam. In hanc enim sententiam verterunt, Et sepem circumdedi, atque fodi etc. Hieronymus sic transtulit: Et sepivit eam, et lapides elegit ex ea. Dixit autem, Lapides elegit, pro, Lapides legit. Maceriam vel hodie Latinis hominibus perhibent murum e lapidibus constructum significare, qui tamen coemento non sint coagmentati.

Nobili vite consevit. Habent quaeque regiones, quibus Bacchus est propicius, peculiaria vitium nomina. Quum autem hic Sorec indubie pro optimo vitium genere positum sit, Nobilem vitem fecimus.

Sed spinas reddidit. Hieronym. Et fecit labruscas. Nos LXX. maluimus imitari. Nam et Iob 31. באשה spinam interpretatus est Hieronymus. De spinis autem coronam Christo perfida gens contexuit.

Ad vos provoco. Exaggerandae pervicaciae causa admensus sum. Vehementer enim iniquam causam habet adversarius, cui litigator suam quoque offert. Docent autem sequentia, Dominum degravandi gratia ad illos ipsos quibus minatur provocare. Hic arbitror iterum prosam orationem incipere.

Decernite. Diximus pro, Iudicate.

Quur igitur me sperante. Hebr. habent מדוע קויתי, id est, speravi. Egent autem Hebraei subiunctivis, optativis, et praesentis

temporis indicativis verbis. Coguntur ergo ea praeteritis, futuris, et participiis farcire. Dicunt itaque, Cur speravi, pro, Cur quum sperarem. Vertimus ergo, Cur igitur me sperante.

Exponam itaque vobis. Hieron. Et nunc ostendam vobis etc. omissa נא inhortatoria particula. Licuit ergo viro in loco omittere, nimirum ubi sensui nihil decedebat, etiamsi hypocrisis iacturam faceret. Vehementius enim urgent ista, Quapropter רעתה sinite amabo exponam vobis etc. quam quae Hieronymus transtulit. Sed brevitatem venando eum sequi maluimus hoc loco.

Auferam sepem eius. Sic transtulit Hieronymus ex הסר, quod potius Auferre, quam Auferam, significat. Sic paulo post פרץ Diruam, quod potius Diruere ac rumpere significat. Sed imitatus est Septuaginta, quoniam vidit Hebraismum sic verti posse. Quum enim persona est sive a fronte sive ad finem expressa, tum et infinitivi (qui et istis sunt sine numero et persona) et participia in eandem personam vertuntur: quod superius etiam attigimus. Hic ergo quum praecedat, Quidnam ego facturus sim vineae meae, facile est videre, Auferendi et Rumpendi verba transire in personalia, Auferam et Rumpam.

Ut diripiatur. Vertimus pro, Erit in direptionem, quomodo ipsi loquuntur. Latinus non itidem. Quamvis ab Abire in direptionem, non abhorreat. Ut, autem vertimus pro, Et, quoniam ponitur in consequutione. In hoc enim auferet dominus sepem, ut direptioni et praedae pateat. Considerabis autem lector, citra nostram admonitionem, Allegoriae tum vim tum gratiam. Quomodo enim alia ratione potentius posset edici, dominum populum contumacem omni praesidio suo destituturum? Id autem quomodo elegantius fieri posset, quam vineae publicatae et sepibus nudatae comparatione? Nos enim rationem nostrae versionis reddimus, non Commentarium scribimus.

Vepres gignet ac spinas. Ad verbum est Hebraice, Et crescet dumus ac spina. Vel, Et, crescet (vinea scilicet. Ut Crescet transitive ponatur pro, Producet) sentem atque spinam.

Veruntamen vinea domini exercituum. Haec est clavis qua universa Allegoria dissolvitur. Vinea ista, de qua tam multa, domus Israël est. Maceria igitur divinum praesidium. Turris pastores, id est, principes, lex, sacerdotes, et prophetae. Torcular verbi ministerium, et oraculorum expositio. Nobilissima vitis primatus et praerogativa huius populi, qui ex omnibus Gentibus sacerdotalis erat. Uva aequitas, iustitia, innocentia. Sentes et spinae scelera et perfidiae. Caetera paulo ante attigi. Quemadmodum autem is qui Achillis scutum fecerat, ita imaginem suam in loco iuncturae maxime necessariae infixerat, ut qui hominis eius imaginem sustulisset clipeum solveret: ita in omnibus allegoriis notas quasdam tanquam fibulas invenire licet, quibus quicquid obscurum est facile illustratur. Non aliter quam occultae et artificiosae serae uno aliquo inexistimato tactu totae panduntur.

Laetum seminarium eius. Iterum Laetum diximus pro delectabili: et Seminarium pro Germine, ex Hebraeis נטע שעשועיו, id est, Plantarium desiderii eius. Seminarium autem Latinis est locus et surculi, qui in hoc plantantur ut transponantur: quod ferme in vitium

satione fieri solet, atque arborum quarundam. De qua re Budaeum legere potes lector, in annotationibus Pandectarum.

Quicunque expectaret. Hieronymus vertit ex ויקו Et expectavi: ni mendosa sint exemplaria. Quum sit, Et expectavit, Dominus scilicet. At non male, quamvis violenter faciat dominum loquentem. Videbis ergo lector, quantum interpreti alias fido liceat. Ne ergo simus supra modum superstitiosi. Nos igitur ut omnia planiora essent, relativum iunximus, Qui quum expectaret etc.

Iudicium, ecce calvitium. Lusit hic propheta eleganti paronomasia in משפט et משפח: in צדקה et צעקה. Quae (quod ego sciam) in alias linguas non temere transfundi potest. Nos homoeoteleuton, id est pariter finiens reddidimus, Iudicium et calvitium. Ut hic sit sensus, Expectavisse dominum ut iudicium facerent: hoc est, quod aequum esset et ipsi implerent, et aliis pro tribunali pronunciarent. At illos magis ac magis admisisse supplicio et luctu digna. Hanc enim vocem שפח Hieronymus quoque supra 3. cap transtulit pro, Decalvabit. Unde autem eius verbi etymon dimanet, isthic diximus.

Aequitatem, et ecce querimoniam reddiderunt. Aequitatem pro Iustitia vertimus, ut aliqua ratione Paronomasiam imitaremur. Et Querimoniam, pro Clamore. Perhibet enim dominus gentem Iudaicam, quo magis ipse ab eis aequitatem ac iustitiam speraverit, eo magis vim fecisse, et iudicium pervertisse: unde oppressorum querimoniae quotidianae ad se ascendant. Perhibet ad Herennium Cicero, Paronomasias non magnum pondus aut dignitatem habere: quamvis gratia non careant. Unde et monet parcius esse utendum. Recte quidem ille de parsimonia praecipit. Verum de pondere et dignitate nescio an itidem. Quantum enim hic pondus habet, simulatus cum industria lapsus? Haec enim est Paronomasia. Videmus igitur in loco dignitatem quoque sumere, quae alias levia et diluta videntur.

Vae vobis qui coniungitis domum domui. Nobis videtur unus ac continens esse sermo, qui ab initio coeptus est. Etiam si prophetam interim delectavit alligata oratione moerorem suum magnificare, quem de repudiatione suae gentis praevidebat. Transit enim ista pericopa ad omnium tum praefectorum tum privatorum avaritiam. Id quod ferme omnes prophetae assolent, quum vulgaria scelera, velut idololatriam, aut legis neglectum, generatim redarguerunt. Inde ad privata, velut avaritiam, gulam, luxum, libidinem, loquacitatem, et similia transeunt.

Donec vos continens deficiat. Hebraica ad verbum habent, Donec non sit locus.

Quasi orbem soli sitis habitaturi. Hebraea sic habent ad verbum: Et habitabitis vos soli in medio terrae. Hic primum Vau, per consequutionem vertendum est, non per coniunctionem. Unde et Hieronymus totam sententiam interrogatione amicivit: Nunquid habitabitis soli in medio terrae? Deinde, In medio, ista ratione omisimus, quod Hebraei hac loquutione interim παραπληρωματικῶς, id est, impletive ac obiter utuntur: interim cum emphasi, sed rarius. Ut ego deus vester in medio vestri ero. Certos enim facit, se tanquam unum de coetu inter

eos fore. Ponitur denique ea locutio pro, Ducem esse, sicut, In conspectu esse: de quibus alias. Hic ergo quum obiter impleat, omittendum duximus. Quod verum semel monuisse sufficiat.

Sed in aurem loquitur mihi dominus exercituum. Hebraeis ad verbum: In auribus meis dominus exercituum. Satis quidem ambiguum est, quo referenda sit possessiva particula, Meis, ad Dominum, an ad prophetam. Hieronymus ad dominum retulit. Unde et de suo addidit, ut Paraphrasi lucem adferret, ac dixit, In auribus meis sunt haec, dicit dominus exercituum. Sed iam malignius cohaerent sequentia, Nisi domus multae etc. Haec enim quum deierantis dei minas complectantur, satis obscura sunt, quum comminantis persona nulla exprimatur. Quae incommoditas tollitur, quum, In auribus meis, ad prophetam refers: et de tuo addis, Loquitur. Vult enim propheta ostendere, dominum (se audiente) iurasse. Habet quaeque gens iurisiurandi suas formulas. Nos pacti aut stipulationis formula ferme utimur: ut, Haec servaturus sum: sic me deus servet. Si haec praevaricer, dei et religionis hostis iudicer. Hebraei vero conditionem quidem exprimunt, sed stipulatum reticent, hoc modo: Abraham, si non multiplicavero semen tuum pro numero siderum. Haec est conditio. Sed stipulatum sive consequutio omittitur, puta, quidnam luiturus sit deus si non faciat. Unde in Regum volumine stipulatio sic adumbratur: Haec faciat mihi deus, et haec addat. Ubi nondum produntur quaenam sibi iurans imprecetur, aut quibus se malis ac diris devoveat. Quod ego religiose fieri arbitror. Caveri enim, ne dira devotio vulgaris facta, in contemtum abeat. Videmus enim prohdolor, iusiurandum non modo vilipendi, ac praeteriri, sed pro quavis levissima re interponi: imo in quotidianis fabulamentis, in frivolis commentationibus, in singulis contractibus, temere, et asciscí mendaciter, et si non mendaciter asciscatur, irreligiose violari.

Sed et vinea decem iugerum faciet amphoram unam. Amphoram ex batho fecimus, amphoram inquam eam quae quadrantal est. Itidem ex Homer medimnum. Quoniam propheta indubie tantam annonae angustiam comminatur, ut nusquam spei respondeatur: sive vineta, sive sementes suspiciant. De mensurarum differentia exactam rationem qui requirunt, a Budaei Asse petant.

Vae qui mane surgunt ad sectandum ebrietatem. Proxime avaritiam corripuit: nunc vero crapulam et ebrietatem taxat.

In quorum conviviis citharae et nabla. Ex כנור citharam fecimus: non ignari quod quidam Canoram, sive Latinam vocem à canendo vel sonando dictam, sive Hebraicam Chinnor Latinitate donatam, pro Cheli accepit. Nablum enim (quantum ipse coniectura adsequor) Chelis est: quam Germanicolatine, hoc est barbare, Lutinam vocamus; quaeque alio vocabulo Barbiton dicitur. Organum limacis speciem repraesentans, chordis undecim praeditum: quarum paria tria Diatessaron distant, hac tamen lege, ut quodque par διὰ πασῶν concordet. Quartum vero par unisonum quidem, sed tritono distat a tertio pari. Quintum aeque unisonum, sed Diatessaron distat a quarto. Iam sextus ordo unico nervo constat: sed a quinto pari Diatessaron abest: ab imo pari δὶς διὰ πασῶν. Chinnor autem vel cithara plerunque τρὶς

διὰ πασῶν constat. Et abest chorda ditono a chorda: ita tamen, ut in omni Diapasῶn duo hemitonii habeantur, quorum lentore aliarum vocum praefractio compescatur. Taxat ergo divinus vates immodicum profusumque gaudium: quo quidam non satis habent quod vino exhilarescant, nisi ad insaniam asciscendam ipsa Musice quoque abutantur, quae hominibus data est ad moderandum et demulcendum feros adfectus; non ad magis ac magis extimulandum concitatos. De Musice non est hic tractandi locus. Veruntamen hoc mirum est, nullius disciplinae rationem tam profunde omnium animis immersam atque innatam esse, atque huius. Nulli enim tam stupidi sunt qui ea non capiantur, etiamsi artem prorsus ignorent. Nulli, contra, qui vocum confusione et inconcinnitate non offendantur, etiam ii qui rationem reddere non possunt dissonantiarum et incommoditatum. Adeo potens est ingenium omnium ad iudicandum de concentu; porro de arte ac ratione perpaucorum.

Hinc et inferi ingluviem suam dilatant. Inferos fecimus ex שאול, id est fovea. Hac enim voce Hebraei perinde utuntur atque Latini inferorum. Sunt autem inferi Latinis interim, omnes qui hac vita defuncti sunt: interim hi qui suppliciis addicti cruciantur. Unde quum Christus descendisse ad inferos adseritur in symbolo, vere mortuus esse dicitur: atque ad eos inferos venisse, qui eius adventum expectabant. Nam inferos aeternis cruciatibus mancipatos non invisit, sed eos modo qui tali fide et innocentia hinc emigrarunt, ut spem de illo bonam quum adveniret iure habeant. Illis ergo praedicatum est Evangelium, non vocis sono, sed virtutis efficacia: puta quum eius morte vivificationis donum senserunt. Qui aliquando cum universo hominum genere iudicabuntur secundum carnem; interea cum deo spiritu viventes, iuxta Petri verbum. Hic loci Inferos damnatorum locum intelligimus: et est Prosopopoeia. Ingluviem fecimus ex נפש, quia Hebraeis Anima saepenumero pro cupiditate aut propensione ponitur. Quomodo Latini quoque Ingluviem nonnunquam accipiunt pro edendi ac vorandi cupiditate.

Et ore suo in immensum dehiscunt. Hebraei sic ad verbum habent: Et hiat os eius supra praeceptum. Praeceptum autem pro more, modo, aut usu ponitur. Quasi dicas: Supra modum, inusitate, immaniter. Vertimus igitur, In immensum.

Hoc pacto. Diximus pro, Et. Ponitur enim Hebraica ו pro illationis et epistrophes nota. Convertit enim Orator noster vim orationis in eos quos corripit: ac insultat propter finem qui eos manet.

Et deus sanctus sublimis sit et inviolatus iustitiae exemplis. Sanctum, et sacrosanctum, etiam Romanis pro inviolato, firmo, et religioso poni crebro monuimus. Nam sacrosanctum (quomodo Tullius pro Cor. Balbo definit) est id quod populus sanxit. Id autem praetergredi fas non erat, aut abrogari, ne senatus quidem et patrum authoritate ac praerogativa. Attingit autem quod optimum est in exemplis, puta quod legum authoritas non tantum vindicatur, verumetiam sancitur, hoc est, firmatur, et augustior redditur: sic et deus iustitiae exemplis religionem suam ac reverentiam adserit, magnificat, et inviolatam reddit. Iustitiae exemplis autem, diximus pro, Iustitia:

ne quis non videret prophetam de exemplis, sed de ingenio iustitiae dei tantum crederet loqui. Impiis enim ad cruciatus damnatis, iam cunctis fit manifesta dei iustitia.

Ut agni pascant iuxta demensum suum. Adparet proverbialem esse sermonem, quo Hebraei ius atque ordinem cuiusque servandum fore significent. Opprimunt, qui optimates esse debebant, plerunque gregem sibi creditum. Contra vero insurgunt nonnunquam servi in dominos. Quum tamen populi cuiusque corpus non aliter habeat quam hominis: quomodo Romanus ille commode ostendit, quum plebem ficto membrorum cum ventre dissidio flexit, ut ad officium rediret. At quum dominus per iustitiam suam in contumaces animadvertit, iam quemque in viam redire, ac suum officium facere compellit. Tunc ergo pascunt agni (hoc est, rustica plebs, quae sibi et aliis alimoniam parat) iuxta demensum suum. Contentus est magistratus aequabili et comparabili tributo. Abiguntur otiosi et contumaces, quos per vagabundos hircos aut arietes significari autumo, ut quum nolint laborare, cogantur et nolle edere: ac piis cum magistratibus tum populis ac plebibus tranquillis vivere permittere. Sed dissidere videmur a Hieron. in secundo membro adagionis, quum nos sic verterimus.

Arietes autem vagabundi eremos detondeant. Hieronymus vero sic: Et deserta in ubertatem versa advenae comedent. Hebraea ad verbum sic habent: Et solitudines deletas peregrini vel vagi comedent. Hic vertit Hieron. מחים, id est Deletas (Nam non est cur moneam, Hebraeos familiariter epitheta et subiecta, perinde atque inter Graecos Athenienses solent, diversi generis coniungere, ut hic חרבות מחים, quum et Rabini ipsi subter istas duas dictiones subunionis virgulas posuerint). In ubertatem versa: mutationem nimirum, complanationem, et cultum, per abstersionem ae deletionem veprium arbustorumque intelligens. Nos per deletas, steriles, ac vastas, maluimus intelligere. Quamvis eremos tantum reliquerimus, ut si peccaremus, non nimium tamen peccaremus. Vagabundos autem sive errabundos arietes fecimus ex גרים. Hieronymus Advenas. Ubi ille vulgarem significantiam vocis sequutus est: nos vero Divisionem. Dividit enim propheta contumaces et violentos istos, qui ex rapto victum parant, ab his qui sua sorte contenti, moderamen ac perseverantiam per omnia servant. Et fieri perhibet, ut deo ultore, innocentes ac pii homines pacate suis fruantur: otiosi vero et audaces ablegentur. Adde quod מחים arietes quoque significare perhibent. At per nos cuique sit integrum sequi, quod verissimum esse crediderit hac in re.

Vae vanis istis etc. Recte Vanos pro derisoribus, ac divinarum rerum contemtoribus accipit: qui scelus scelere augent: qui mala sibi suo iumento asciscunt: qui ubi in abyssum peccatorum venerunt, contemnere divina et humana iura audent. Hos ergo nunc taxat. Hebraea sic habent ad verbum: Vae trahentibus iniquitatem funibus vanitatis. Ubi nos primum Funes vanitatis, idiotismum perpetuum, in Funes vanos vertissemus. Deinde quum haec hypallage (non enim funes vani sunt, sed hi qui istis funibus trahunt) nobis esset alienior, maluimus tropicum et picturatum sermonem, in planum et omnibus obvium convertere.

Quibus in ore est. Haec verba clarius exprimunt consuetudinem dicendi, et audaciam violentorum, quam si solummodo dicatur: Qui dicunt.

Opus eius. מעשה non tantum opus, verum etiam consilium quo perficitur significat. Eius autem, Deum refert. Assolent enim, sive per Emphasim, sive per Antonomasiam, Ille, Ipse, ac reliquis tum demonstrativis tum relativis in loco, pro nomine dei ac domini uti. Cuius hic locus irrefragabile testimonium adfert.

Vae qui malum dicunt esse bonum. Nunc malignos istos perversores taxat: qui huc sceleris accedunt, ut quod malum esse sciant, sua tamen causa bonum esse adseverent. Quod genus hodie orbem tenet. Huc enim impudentiae ventum est, ut non iam plebs indocta, sed doctissimi (contra conscientiam retrahentem) nunc malum dicant quod paulo ante bonum dixerant: nunc bonum esse negent, quod bonum et sciunt, et esse confessi sunt. Id autem omne vel compendii vel gloriae causa. Ad quae aliquando hypocritae miris artibus penetrabant: nunc impudentia, scelere, audacia. Ad vim enim et scelus quum primores convertantur, iam a vero avertuntur, quos columnas esse oportebat. Sed quum haec querimonia praeter institutum sit, commendare eam bonis omnibus malo, ut malo isti pro virili occurrant, et sese murum aheneum opponant; quam multa, nec tamen sufficientia aut satis digna dicere.

Vae qui in oculis suis sapientes sunt. Divus Heronnymus quo magis in rem praesentem adduceret, in secundam personam transtulit: quum Hebraei tertiam habeant: cui quum sua maiestas non desit non mutavimus. At interim admoniti simus, istas vocum passiones cum ratione semper mutari posse, dummodo sensui et sermonis virtuti nihil decedat. Taxat autem nunc vane gloriosulos istos, qui soli sapiunt. Quae pervicacia et nunc mundum pervadit, ut pauci admodum ex doctis sint quos pestis ista non infecerit. Ubi vero hic relinquimus considerationem corporis Christi, quod est Ecclesia? quod non aliter quam humanum corpus et ex variis membris compingitur, et diversis muneribus fungitur? Errat aliquis: Cur non dico, Infans est? Si quidem pueritia, non malitia in transversum itur. Vastat aliquis religionem, publicam innocentiam et pacem, cur me iam non virum, imo murum, obiecto? Praeteriit Hieronymum aliquid: Cur non compenso per quot nos iuverit? Reseravit quaedam abstrusa: Cur credamus divinam lucem in eo effoetam esse, ut quae illi non revelavit, perpetuo dissimulatura sit? Quin si sumus συμμορία, id est, inter nos membra, imo corpus: cur non favemus incremento nostro? quum omnia membra nostra sint, etiam elegantissima, etiam robustissima? Noster est Paulus et Cephas, Erasmus et Budaeus, Oecolampadius et Melanchthon, Capito et Bucerus. Cur ergo non potius medemur errori membri, quam ut sic proscindamus? Quum sese in humano corpore membra lacessunt, omnes occurrimus φρενοβλαβείᾳ et rabiei. Et in Christi corpore audemus omne contentionis incendium non iam inflammare, sed dissipare: in integra aedificia iniicere, hoc est, impatientiae furore, quo nolumus a vero superari, etiam quae recta et sancta sunt in ruinam potius trahere,

quam noxia modo recidere? Sed a dolore ad sanum ac salvum prophetae sermonem redeo.

Vae ad hauriendum vinum strenuis. Hic non tam iterum res ebrietatis taxatur, quam prius acriter accusavit, quam homines: puta hoc iudicum genus, quod venum exponit sententiam: deinde ex depactionibus ditatum, edit, bibit, ludit, scortatur, deierat, ad lucem dormit, sub noctem vigilat. Qualis ferme est bona ignobilium ista hominum pars, qui se nobiles adpellant. Quorum furor quum admonitione magis crudescat, nolo *τῇ μαχαίρᾳ τὸ πῦρ.*

Et iustum propter iustitiam reum faciunt. Hebraei habent ad verbum, Et propter (est enim עקב, id est, Propter, syllepticon; ut utrique membro serviat) iustitiam iustorum, amovent ab eo. Ubi Iustitia iustorum, non respondet, Ab eo, propter numeri discordiam; sed ex eo discimus quam proclive utantur numerorum alloeosibus. Accusari autem iustum, imo damnari propter iustitiam, ab hoc hominum genere queritur. Quale quid passum esse Aristidem Atheniensem produnt, quum ostracismo relegaretur, non aliam causam ei oblatam, quam quod nimium iustus esset.

Lingua ignis. Lingua pro flamma non uno loco ponitur. Nam et Latini flammae tribuunt quod linguae est, puta lambere. Hinc metalepticῶς Lingua pro flamma.

Radice eorum putrefacta. Heb. ad verbum, Radix eorum ut putredo erit. Unde et Septuaginta ὡς χνῦς, sicut pulvis vel lutum, verterunt. Nostra interpretatio sufficienter, ni fallor, protrahit sensum.

Sicut pulvis evanescet. Hebr. Sicut pulvis ascendet. Sed Ascendendi verbum pro Evanescendi illis ponitur, iterum per metalepsim: quod quae evanescunt, plerunque ascendendo in aerem vertuntur. En nobis linguam incivilem, si quibusdam crederemus.

Ut montes contremiscant. Hyperbola est: et Vau per consequutionem ponitur pro Ut.

Et post haec omnia. Diximus pro, In his omnibus.

Nihil remittit. Pro, Non est aversus. Sed non arbitror esse necessarium, ut aequipollentium sermonum rationem reddam. Quod enim antidotum adversus invidiam concinnarem?

Sed ultra extendit manum suam. Periphrasis est irati ac minantis dei, quam diu mores non mutantur.

Et signum dabit peregrinae genti. Hieronymus verba non improbe annumeravit. Sed quum Hebraei Signa levare, interim dicant de quovis signo aut symbolo dando ad aliquid designandum aut annuendum, interim vero pro, Signum militare proferre ac proponere, ut milites nomina dent: transtulimus, Et signum dabit peregrinae genti. Pro Longinqua, peregrinam dedimus. Degravat enim minas irati dei. Et Iudaeorum genti intolerabile videbatur, si deus (cuius se populum gloriabantur) ignotae et irreligiosae genti eos traderet.

Ad longinquam terram. מקצה, id est, De longinqua. Nos propter planitiem diximus, Ad, pro De. Sunt enim apud eos multi huiusmodi loci, ubi De, commodius per Ad, exponunt: quamvis hac re hic non est opus. Nostra enim interpretatio quod prius est, pro

posteriore ponit, puta, Vocationem pro adventu: vi Synecdoches. Hebraica vero posterius annuunt, quod ex priore sequitur. Ex vocatione enim dei sequitur ut de longinquo veniant. Fines terrae, aliquando pro angulis et plagis orbis apud eos sumuntur: aliquando vero pro remotissima regione, ut hic.

Quae confestim. Vertimus ex והנה, id est, Et ecce: quarum utraque pro notis celeritatis ac praesto existendi utuntur. Piget nos tam levia excusare. Sed ne literatoribus non fiat satis, semel dixisse ac breviter, ignoscendum arbitror.

Imbecillem. Fecimus pro laborante: quem Hieronymus vertit non inepte ex כושל, id est, ex lapsante et caduco. Sed noster imbecillis hic visus est commodare.

Baltheum renum suorum nullus aperit. Baltheus militaris est: Cingulum omnibus familiare. Non posuimus autem Zonam, ne quis crederet prophetam de notatione loqui. Zonam enim ademisse militi ignominiosum erat. Baltheum autem non aperuisse, strenuitatis ac roboris signum est. Unde et Scipioni Africano (quamvis falso delato) fraudi vertebant adversarii, quod solutus et fluxus sectaretur balneas: quod militem, et eo magis ducem semper instructum esse oporteat et accinctum. Hinc et nobis mandat dominus, ut lumbis simus semper accinctis. Non quemadmodum foeda et ficta ista castitas praecipiebat, ut essemus sine coniuge; sed ad opus Evangelii expediti.

Nec erit aut qui evadat, aut qui liberet. Isaias dixit ויפלים ואין מציל, id est, Et effugiet, et non erit liberans. (Nam amplexandi verbum quod Hieronymus transtulit, hic non habetur, quamvis ad sententiae claritatem faciat) pro ואין פלט ומציל, id est, Et non erit neque qui evadat, neque qui liberet. Tam fortiter enim negant illis in loco negativae notae, ut toti iugo aut colo sive orationi ex membris compactae sufficiant.

Tunc si terram intuebimur. Tunc, ex ו interpretati sumus: Ordinat enim hoc loco. Utitur autem κοινωνίᾳ, id est communione, quum non loquitur in tertia persona, Tunc si terram intuebuntur. Dixit enim paulo ante, Frendet in eum: populum Israël intelligens. Neque in secunda, ut diceret, Tunc si terram intueberis: sed se quoque comprehendit, Intuebimur dicendo. Sive moderandae sententiae gratia id fecit, ne nimis acriter vulneraret; sive ampliando, ut innuat sic cladem grassaturam, ut et ipse sit ultima experturus.

Si vero sidera. Hebr. ad verbum, Et lucem: sive, Si vero lucem. Nos quo apertior esset antithesis, terrae opposuimus astra.

En nobis. Hic non habetur: sed sylleptice ex superiore loco huc accommodatur. Haec enim est vis copulationis, ut והנה, id est, Et ecce, ad utrunque membrum antitheseos pertineat.

Caliginem, tristitiam, ac desperationem. Hebraea si numeres sic habent: Caligo cum desperatione sua. Maluimus enim עריפה in Desperationem vertere, Septuaginta imitando, quam in Caliginem cum Hieronymo. Quanquam ad veram sententiam prophetae propius quam Septuaginta accedit. Vult enim hac tota pericopa divinus vates praedicere, quum hostis tam acer, violentus, et audax adsit, quae tenebrae

desperationum sint gentem suam obruiturae, quae cunctatio, incertitudo, et cessatio mentes turbatura. Et quod sic omni solatio destituendi sint, ut sibi omnia persuadeant infesta esse, coelum, terram, et quicquid his continetur. Nos ergo hyperochen, huiusmodi sententias quibusdam in locis esse arbitramur: non quod talis caligo re ipsa fuerit, quum Babylonius in urbem irrumperet. Sed liber sit per nos cuique suus sensus.

EX CAPITE SEXTO.

Anno quo mortuus est Ozias. Hic Ozias binominis fuit, nisi per literarum synaeresin aut abbreviationem Ozias dicitur pro Azarias. ע enim Hebraica litera utrique vocali sufficit. De eo rege vide 4. Reg. 15.

Vidi dominum. Missionem ac functionem suam hoc loco adserit. Quomodo Paulus a quo missus sit Galatis significat. Qui autem fiat, ut vidisse se dominum (quum deum nemo unquam viderit) asseveret, proclive expediunt qui linguarum tropos in promptu habent. Dominum enim hic per Metonymiam vocat spectrum, paradigma, imaginem, aut formam: quae prophetae ostensa est pro sacramento eius rei, propter quam praecipue missus est. Vidit ergo domini sacramentum, typum, aut spectrum: quod tamen dominum vocat.

Syrmata eius. Expressimus ex שׁוּלָיו, id est, fimbriae eius. Nam per fimbrias vestis laxationem et amplitudinem designare voluit, ac per hoc splendorem et magnificentiam. Unde LXX. δόξαν, Hieronymus Maiestatem, verterunt. Nos Syrmata protulimus, hoc est, sinuosam laciniosamque vestem: quali ferme Reges utuntur, quum splendorem, aut authoritatem suam ostentant. Adeoque maxime, quod videmus divinos homines, ab omnibus quae in mundo magna et eximia sunt μεταφέρεσθαι, id est transferre quaedam ad ipsum numen. Nostris enim verbis loqui oportet, qui nos docere volunt. Quum ergo, sive sermonem voces, sive nutum, quo deus cum coelitibus suis colloquitur, nobis ignotus sit, comparatum est ut non iam homines, sed deus ipse nobiscum nostris loqui verbis consueverit. Et contra, ut quum nos de illo mentionem habere volumus his utamur, quae nobis sunt usitatissima et expositissima.

Implebant templum. In Implebant, hyperbole est. Templum autem, vel quod Hierosolymis erat, in spectro oblatum est prophetae; vel templum vocatur exemplar domicilii aut palatii, quod quacunque ratione propositum est vatis aciei.

Seraphim autem superne imminebant ei. In Seraphim et Cherubim, ut vocem, sic et adfectum Hebraicum reliquimus. *Ei* vero, nos putamus referri ad dominum debere, quum Hieron. ad templum retulerit, qui inquit: Seraphim stabant super illud. Nisi per Illud, ipsum paradigma sive spectrum demonstret. Neque vero periculum est, quasi deus non sit super omnia, si Seraphim ei superne immineant: quum videamus visum esse, non rem. Deum enim, ut dictum est, nemo vidit unquam. Fuerunt autem duo Seraphim (volumus enim brevibus visionis mysterium quoque attingere) qui numerus nostrae religioni inauspicatus est: nisi quatenus commercium et amicitiam dei

et hominis portendit. Duo igitur Seraphim, sive duos angelos, sive duos ordines ex Seraphim intelligas, nihil aliud designant, quam eundem Christum et patribus et nobis esse sanctissimis oraculis oblatum.

Quorum utrique erant sex alae. Maluimus Latina formula dicere, quam Hebraica, Sex alae uni, et sex alae uni. Senae alae duplicatae duodecim sunt Apostoli, qui spiritu sancto poti, eundem Christum qui patribus promissus, et mundo exhibitus est, per universum orbem distulerunt ac praedicarunt. Non aliter quam in hac visione adumbratus Christus a Seraphim circumvehebatur.

Duabus alis uterque vultum eius tegebat, et duabus pedes. Quid porro nobis hoc tectorium, quam utriusque in Christo naturae arcanum ingerit? Tectum erat caput, quum eius divinitas sentiebatur quidem, sed non videbatur. Non enim vidit propheta caput quum duabus alis obvelaretur: sed iuxta analogiam scivit caput istic esse. Sic non tantum homines, verum etiam cacodaemones ex hominibus pulsi, augustiorem quam hominis virtutem sentiebant. Unde et clamabant: Quid rei tecum nobis est Iesu etc. Tecti erant et pedes: non propterea quasi eius humanitas non esset adparitura: sed quod praesentem quidem sentiremus; at quomodo nata et concepta esset, id omnino nos lateret, quantum ad modum attinet. Nam alias non ignoramus spiritu sancto conceptum, et illaesa virginitate prognatum. At is modus creaturae inusitatus et ignotus est.

Duabus reliquis volabat. Alarum duo paria, quatuor mundi plagas ad quas perlatus est Christus, terrenis Seraphim, hoc est apostolis, dei amore incensis ac flagrantibus, designare puto. Fuit enim humana species quam vidit Isaias. Quo quid aliud discere contumacissimus etiam Iudaeus audeat, quam deum humana aliquando assumturum fuisse, et omnibus familiarem futurum?

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus exercituum. Audiant Catabaptistae, coeli κήρυκες, id est praecones, quemnam esse adnuncient quem circumferunt: Ter sanctum, ter beatum, terque potentem dominum exercituum. Porro quis est dominus exercituum? Nonne is cui omnes pii conditum mundum, eiusque curam, imo rerum omnium imperium semper obtulerunt? Cur igitur insanorum hominum contumacia cum Iudaeorum perfidia conspirat, ut Christi interim humanitatem, interim vero divinitatem in dubium vocet? Cur pari audacia, qui carnem eius vere, per essentiam, et quatenus caro est, mandere pergunt: non contenti dum spiritus ad satietatem suum ederit, (si modo per spiritum ederunt) eius humanitatem in suspicionem (quasi spirituale corpus habuerit) cum Marcione trahunt? Praesertim quum sequatur.

Plena sit universa tellus maiestate eius. Maiestas eius meat per omnia: virtus mortis eius omnia vivificat: commercium et convictus eius beatificat omnia. Caetera mittamus, nisi aut μικρολογίαν (ne quid gravius dicam) aut curiositatem prodere malimus.

Commovebantur postes cum liminibus. Quod universus orbis commotus sit sub Evangelii Christi adventum, optime docent haec tempora. Postes autem et limina summa esse nomina nemo non intelligit, vi metaphorae.

Domus autem ipsa replebatur fumo. Quomodo enim non omnia inundarent fumo, quocunque venisset summus ille sacerdos? qui se ipso in cruce incenso et oblato perlitavit? Domus igitur, id est mundus, impletus est fumo, hoc est, virtute et fructu passionis qui est redemptio.

Eram enim attonitus. Rationem reddit cur ad hanc visionem exclamaverit: Vae mihi. Reputabat enim suam secum infirmitatem, Quumque iam occurreret cogitatio quae diceret, Populi causa, non propter te, ostenditur tibi sacramentum: respondet: At populus non minus pollutus est quam ego. Quod occupationis genus Ulpianus in Demosthenem ἀντιπίπτον, id est, obiter occurrens vocat. Et meo iudicio non aliter differt ab ἀνθυποφορᾶς, quam Fabius Anteoccupationem interpretatus est, quam quod haec est apertior et dignior; illud autem obscurius, et non tam necessarium.

Et in populo polluta labia habente. Mendum hic expunge Lector, et Habente pro Habentis lege, quomodo superioris paginae finalis index habet. Sic enim ferme fit, ut nusquam citius menda invenias, quam a capitibus paginarum. Ipse enim quum ultimam revisionem sine Exemplari inspiciam, non semper formulae superioris sermonis commemini; deinde fiducia sententiae pergens, credo hanc esse formulam quam invenio. Porro quod de labiis pollutis tantopere est solicitus, ut non dicat, Polluto corde sum, quomodo et populus est; sed, Quod ipse polluta labia habente populo habitarem; hac causa factum esse arbitror. Insinuabatur prophetae in ipsa adparitione numinis adflatu, in quem usum ei visio ostenderetur: videlicet ut ad propheticum munus esset mittendus. Queritur ergo, rudiora et immundiora esse labia sua quam ut divinus sermo eis commendetur; imo totius populi mores abhorrere a tam sancta administratione. Denique difficile esse ut quisquam sermonem suum a contagio custodiat, qui inter tantopere contaminatos versetur,

His verbis. Transtuli pro, Et dixit. Quo sancti homines viderent, nos non esse Sacramentorum hostes, quomodo nos quidam per calumniam infamant, sed in hoc sumus, ut neque sacramenta faciamus illa ipsa quorum sacramenta sunt; neque sacramentorum signis tribuatur quod solummodo divini spiritus est, ac divinae virtutis. Ut hoc loco, Agnoscimus carbonem ardentem, forcipe ad os vatis admotum, sacramenti symbolum et materiam esse. Et haec verba, Ecce iste tactus symbolum est quod auferuntur peccata tua, Sacramenti formulam esse: hoc est, vere quidem prophetae remitti peccata scimus: sed virtute numinis, non virtute signi. Sed signum externum internae expiationis spectrum esse. Isti contra verbis tribuunt et signis, eam operationem, quae nullius quam spiritus esse potest. Quae enim in homine interno sunt, ut nemo nisi solus deus novit, ita immutare nemo alius potest; quanto minus res aut verba? Sed de hac re alias.

En protinus ut hoc tetigit labia tua. Per consecutionem transtulimus, addita celeritatis nota. Hebraicum enim הנה κατ' ἔμφασιν, id est, ecce per emphasim, tantum pollet. Ponitur autem in secundo membro ו in וסר, quod nota est consequutionis ad verbum, hoc modo:

Ecce tangit hoc ad labia tua, et recedit iniquitas tua. Vel, Ecce isto tangente labia tua (nam puncta Rabinorum non sacrosancta putare debemus) recessit iniquitas tua. En ut iam Hebraicum ו evanescit. Planius igitur erat, En protinus ut hoc tetigit. Subducitur enim Vau, in superius membrum, et in Ut transit.

Sic deliberantis. Vertimus ex אמר, id est, Dicentis: propterea quod dicendi verbo ampliter abutuntur ad cogitare, constituere, deliberare, praecipere, mandare etc.

Quem vero mittam. Hic videmus, divino adflatu intellexisse prophetam, quod adparitio ista κατασκευὴ, id est, adparatio esset missionis. Nam quamvis hactenus de missione mentio nulla praecessit: nihilo tamen secius de qua re agatur intelligit. Quod equidem in hunc usum prosequor, ut videamus numinis actiones tales esse, ut lucem secum ampliorem et clariorem adferant, quam verbis tantum capi possit, aut credi. Hoc enim nisi fieret, non crederet Abraham dei vocem esse quae dicebat: Offer, id est macta, mihi filium tuum etc. quomodo inter initia diximus. Et quod per omnia responsa aurem prius spiritui debemus accommodare, quam voci aut literae. Hoc enim daduchо verba perspiciemus; non contra spiritus sensum vi verborum evertemus.

Ibit nobis. Nobis, mihi, vobis, eis, saepenumero ponuntur Hebraeis, παραπληρωματικῶς, id est, obiter implendi hiatus scilicet, aut numeri dictionis gratia. At hoc loco ἐμφατικὸν videtur esse. Quasi deliberent vel tres isti, qui unus sunt, secum, vel cum aulicis suis, ut ad ἠθοποιίαν, qua deo tribuitur magnorum hominum utputa Regum et principum mos, quo cum prudentibus suis deliberant, pertineat.

En me tibi quem mittas. Propterea quod, En me tibi, se ipsum dedentis ac offerentis apud Hebraeos sunt. Quomodo, Ecce ancilla Domini, id est: En me totam domini obsequio offero ac dedo. Ideo simul usum, in quem se propheta dedidit, attexuimus.

Diserte quidem audietis. Audiendo audietis: vel, Audite audientes, et id genus ἀναδιπλώσεις, id est, conduplicationes, Hebraeis sunt familiares. Sed variam virtutem habent. Nonnunquam enim celeritatem, nonnunquam vero diligentiam designant; at semper eius verbi quod duplicatur vehementiam. Diserte (igitur) audietis, vertimus. Sic et

Manifeste videbitis. Transtulimus, pro, Videndo videbitis. Ubi nobis alta mente ponderandum est, quo calamitatis miserorum mortalium audacia tandem cadat: ut monitorem vere ac sancte monentem, imo dei vice terrentem, vera quidem dicere concedamus, at non obtemperemus, neque quicquam ad divina iussa mutemus: Ut tandem pars e vivorum numero extirpemur, pars bello capiamur, et infelicem servitutem servire cogamur.

Crassum reddito cor populi huius. Ad verbum est, Pingue facito cor populi huius. Quod indubie Isaiae tempore, Pinguiter intelligere dicerentur, qui parum aut difficulter intelligerent. Quomodo Latinis et Graecis ii qui tardius capiunt, crassa et pingui Minerva esse dicuntur. LXX. verterunt ἐπαχύνθη pinguefactum est aut crassum, Hos imitatus est Matth. 13. cap. Hieronymus Excaeca, dixit: vere quidem ac probe sensum prophetae reddendo, sed reducto tropo.

Aures eius fac difficiles. Dixi pro, Degrava aures eius. Difficilem enim aurem habere vel praebere dicimur, quum gravatim et contumaciter intelligimus. Nolui tamen Obtunde vel Obtura dicere, ne tenerioribus nimis a verbis prophetae recedere viderer.

Oculos autem ei obnubito. Sic Livius alicubi loquutus est: Caput obnubito, pro Obvela, obtegito, et contenebra. Imperative autem dicuntur Hebraeis multa, quae per praedictionem debent intelligi. Unde et vicissim imperativis pro futuris, et futuris pro imperativis utuntur. Praecipit ergo, hoc est, praedicit dominus fore, ut monitore propheta populus Israeliticus pervicacior fiat. O miserum populum quemcunque tandem, qui deum ita offendit, ut missos ad se prophetas negetur auditurus esse. Hunc enim ocyus mala ista assequentur, quae et Iudaicam gentem exciderunt. Pertinent autem haec omnia ad ἠθοποιίαν, id est morum humanorum affictionem: quum deo adfingimus quod hominum est. Solent autem patres, qui paulo firmiore sunt mente praediti, rebelles et contumaces filios nonnunquam gravissimis istis tentare: Non recipiam ultra domum, non suppeditabo sumptus, non adspiciam, abdicabo, nolo admoneatur, nolo corrigatur: satius est eum semel mihi periisse, quam saepe reconciliatum semper et mihi perire, et aequales suos perdere. Quos tamen sperant hac acerbitate salvos fore. Hoc more hic loquitur deus.

Hic ego suscipiebam. Hebraice est, Et dicebam. Utuntur autem et futuris pro praeteritis imperfectis, quorum penuria laborant. Ponitur autem Tullio suscipiendi verbum pro, Partes agendi, defendendi, ac patrocinandi. Hoc igitur modo suscipiebat Isaias, id est, interpellabat.

Eritque desolatio multa in terra. Hebraea sic habent: Et multa derelictio in medio terrae. Hieronymus Septuaginta imitatus est, qui sic verterunt: Et multiplicabuntur qui derelicti sunt in terra. Quum Hebraei hic non habeant וירבו.העזובה, id est, Et multiplicabuntur: sed ורבה.העזובה, id est, Et multa derelictio. Scio multoties promitti, quod gens Iudaica post Babylonicam captivitatem in terram suam reditura sit; at hic loci nondum istud agitur. Praedicit igitur propheta immanem desolationem in terra, Palaestina scilicet, fore. Crebro enim Multum pro ingenti et magno ponunt. Et terram pro regione. In medio autem, pro In: quamvis omnia in loco.

Attamen iterum erit in ea decimatio. Nunc tandem promittitur terrae restitutio. Porro decimationem arbitror hic pro deminutione accipi, quomodo militari decimatione decimus quisque tollitur. Sic isto loco pauci perhibeantur esse redituri. Hebraei intelligunt de decem regibus, post quos terram praedicat in potestatem hostium venturam; et tunc sic interpretari cogemur: Et adhuc decas, et vertetur, et erit incensa etc. Per nos amplectatur quisque quod verum aut verisimillimum videtur.

Ut denuo sit pascua. Quae scilicet desolatione vehementi obriguerat.

Quin etiam sicut quercus et terebinthus fructus suos mittunt. Hebr. בשלכת מצבת בם, id est, Quum abiiciunt quod in eis stat. Ubi, Quod in eis stat, glandis et fructus est periphrasis. Quemadmodum

et Germanice dicimus, Alles das am boum staat, id est, Quicquid stat in arbore, pro universo arboris fructu. Mittendi autem verbo usi sumus pro Abiiciendi: quod hoc commune cum omnibus linguis habeant Hebr. ut crebro utantur vehementiori verbo pro mitiori, et contra. Sic hoc loco Mittendi pro Abiiciendi verbo sunt usi.

Sic semen sanctum fructus eius erit. Mihi videntur Rabini tum in omnibus ferme, tum in isto quoque loco, pervicacia caecutire: dum cavent, ne nobis ulla de Iesu Christo vaticinia integra relinquant, etiamsi de Messia compellantur fateri non pauca esse. Quem tamen expectare malunt nunquam venientem, quo modo ipsi putant, quam nobiscum semper praesente frui. Nam quid hic aliud promitti potest, quam, eam gentem tam abesse ut Babylonica captivitate universa deleatur, ut etiam sit sanctum semen mundo datura. Quod semen Christus Iesus est, ut in Galat. Paulus docet.

EX CAPITE SEPTIMO.

Ahaz homo supra modum impius fuit: ut qui sustinuerit peregrina sacra in templum domini inferre. De qua re 4. Regum 16. cap. et 2. Paralipom. 28.

Quam tamen interim non potuerunt expugnare. Interim, de nostro addidimus, notam mentionis. Ut videamus summae rei mentionem tantummodo fieri ab initio historiae, non ideo poni ut iam consistas. Habent enim hoc Hebr. familiare, ut summae rei mentionem inter principia faciant ac deinde rem totam digerant. Quemadmodum in Genesi et Exodo annotatum est. Sic et hoc loco narratur Ierusalem non potuisse capi: quo magis cognoscatur quo bello facta sint, quae hic narrabuntur. Potuerunt, recte vertit Hieronymus, Septuaginta imitatus: etiam si Hebraica Potuit, habeant, κατ᾽ ἀλλοίωσιν.

Domui David. Periphrasis est regis Ahaz.

Quod Syrus societatem iniisset cum Ephraim. Primum ex לאמר, id est, Dicendo, fecimus subiunctivam coniunctionem. Ponitur enim hic Lemor, pro nota eius quod perlatum sit ad domum David. Deinde pro, Requievit, vertimus, Societatem iniit, ex נחה, quod quidem quietem significat, et Inclinavit aut Decubuit. At hoc loco pro, Nixus est, poni nobis videtur. Syrus enim societate Ephraim fretus cogitabat expugnare urbem Hierosolymam.

Ut convenias Ahaz. Hic nomem Ahaz ex superiore loco in hunc detraximus quod clarius pateret prophetae sensus, ubinam convenire regem iubeatur. Deinde ex אל קצה, id est, ad fines, vel ad locum, aut situm, vertimus: Ut convenias. Eo enim loci, hoc est, eo termino, aut fine aut tractu, congredi cum rege iubetur.

Observa ut securus sis. Observa, vertimus ex השמר, quod paulo vehementius est quam Custodi, et Vide. Securus sis, autem ex השקט, id est, taceas, vel quiescas, quibus verbis otium et securitatem, quae habent qui deo fidunt, significant. Sic in Exodo: Vos tacebitis, et dominus pugnabit pro vobis: hoc est, Vos otium ducetis et securi eritis; nam dominus pugnabit pro vobis. Dixit autem Observa. Semper

enim tentatur fides quantacunque sit. Non quod Ahaz fidem habuisse putemus, quo nihil fuit perfidiosius: sed cum eo loquitur propheta perinde ac cum fideli; propterea quod reverendum mandatum domini adferret.

Aut labascat cor tuum. Verbotim est Hebraeis, Et cor tuum ne tenerescat. Tenerum pro imbecilli et languido. Hieron. non inepte vertit, Et ne formidet cor tuum: sed propter tropum iucundiora sunt Hebraea.

A duobus istis titionibus fumantibus. Caudas omisimus propter claritatem. Quamvis non recte factum cuiquam videri poterit: quod forsitan credat prophetam ad vulpes Samsonias allusisse. Quod ut istae faces ardentes caudis per sementes distrahebant: sic Rezin et Paecam incendium quoquo versum incenderent sequeretur. Quum autem haec omnia sine caudis perinde intelligantur, omisimus. Vocat autem titiones sive torres fumantes, propter crudelem rerum omnium vastationem, qua quaeque ferro et flamma perderent.

Hoc est. Lucis causa adposuimus.

Syrorum. Diximus per asyndeton, pro, Et Syri. Non enim est epitheton: Syri: sed proprium subiectum. Hieron. vertit, Regis Syriae. Ubi Regem, de suo addidit. Et Vaf coniunctionem, id est, Et, neglexit. Qua in re palam videmus, doctum hominem etiam hoc observavisse, ut Vaf nonnunquam obiter ponatur Hebraeis. Quamvis hoc loco, nostro quidem iudicio, potuerit non negligi. Etiamsi non sit magni momenti, sive vertas sive negligas.

Sic conspirando.) Vertimus pro, Sic dicendo, vel deliberando.

Et adfligemus eum. Translulimus ex ונקיצנה: Hieronymus, Et suscitemus eum, vertit, ad aliam huius verbi significationem spectans.

Atque ad nos transferemus. ונבקיענה, id est, Et scindemus aut dividemus eam.

LXX. *ἀποςρέψομεν αὐτὸς πρὸς ἡμᾶς*, id est, avertemus eos ad nos: mutato genere, et per alloeosim contento pro continente posito, civibus scilicet pro urbe.

Vertimus ergo: Transferemus ad nos. Transferendi enim verbum, regnis accommodatur et imperiis.

Sic enim loquutus est dominus. Enim, iterum ex nostro est. Nunc enim ostendit cur non debeat concidere propter conspirationem Syri et Ephraim: quia dominus constituerit eorum consilium irritum facere.

Non surget, neque fiet hoc. Hieronymus vertit, Non erit istud, et non stabit, immutato membrorum ordine. Quod in hoc annoto, ne quem male habeat, quum nos in loco ordinem viderit mutavisse, quum hic levi causa Hieronymus adductus inverterit, puta quod Fiendi verbum natura prius sit Standi verbo. Quanquam non est proprie Standi verbum עמד, sed Surgendi קום.

Damasci vero caput Rezin. Antithesis est praesumptionis Rezin et Paecae, qua praeceperant: Transferemus Hierosolymam ad nos. Ait ergo deus: Damasci caput erit Rezin, non Ierusalem. Eodem modo dicitur, Caput Samariae filius Romeliae.

Si non credideritis, non servabitur vobis fides. Rabini videntur hoc loco non inepte sub תאמנו, passivas vocales posuisse. Est enim haec sententia ad finem promissionis posita, ut fidem impii regis excitet. Quasi diceret: Vulgare imo aequum est, ut qui nulli credit, nullus fidem servet. Non quod deus non servet fidem; sed quae promisit tum dat, si in fide permanserimus. Ea prodita, negat quae daturus erat. Κατὰ μίμησιν igitur, id est, secundum imitationem, dicitur non servare fidem, pro, non praestare quae promisit: dum non implevimus conditionem. Quod si magis placet, Si non credideritis, non habebitur vobis fides, non reluctor; attamen paulo alienior fit sententia. Nam alius sensus, Si non credideritis, non intelligetis, non habetur hic apud Hebraeos: sed Septuaginta est. Promiserat enim deus, se huius gentis deum ac patrem fore, et Palaestinam donaturum, ac de semine David accepturum in reges Iuda; si modo leges et iusta eius servarent. Vulgari ergo sententia ad fidem hortatur perfidum regem: ac minatur, nisi fidem servet, hoc est, credat quae dominus praedicit, negaturum esse quae promisit.

Neque tentabo dominum. Ex desperabili metu potius dixit impius homo, quam religiose.

Audite igitur domus David. Periphrasis regis est.

An parum est quod molesti estis etc. Propius et penitius vulnerat tyranni conscientiam. Quum enim adeo inter mortales scelerate vixisset, ut dei nullam reputationem habere probaretur, iam dignam illo plagam infligit ei propheta, propterea quod non verecunde dixerat, Non petam, et non tentabo dominum; sed desperata simulatione. Et, An (inquit) parum flagitii designas, quum omnes mortales pessimo vitae exemplo contaminas, nisi dominum quoque irrites? quum te petiturum negas perfidiose, quae tibi ultro ab illo offeruntur? Κοινωνίᾳ tamen usus est propheta, quum non solum regem verbis adfatur, ad quem tamen solum missus erat quemque tum solum alloquebatur.

Virgo concipiet, et pariet filium. De hoc loco satis firma et vera prodiderunt Hieronymus et Oecolampadius. Nos adversus Papistas, qui dicunt, perpetuam virginitatem divae θεοτόκου, id est Deiparae, non posse ex sacris literis probari; sed Ecclesiae (intelligunt autem Romanam, quod hactenus dives fuit) pronuntiatione constare, hoc dixisse contenti erimus. Interrogamus primum, an ipsi hoc credant. Receptum est enim, philosophos (quales ferme sunt pontificum patroni) plerumque non credere deos esse. Si annuunt: rogo, Quid credituri essent, si Ecclesia pro Helvidio pronuntiasset, non fore posthac virginem? Si dicant, Ecclesiam suam nunquam isthuc pronuntiaturam: rogo, Quam ob rem? Obstitit scriptura? At negatis eam suffragari hac in re. Vetuit spiritus et religio? Iam ex spiritu est et fide non ex Ecclesia nisi ex instrumento. Et spiritus per omnia consentit scripturae, et scriptura spiritui. Nam citra spiritum litera occidit. Si igitur ex spiritu est, perpetuo esse virginem, iam ex authore ipso est: id quod longe potius est quam ex scriptura. Imo si ex spiritu sancto est, iam velimus nolimus litera quoque adstipulatur: etiamsi isti qui spiritus inanes sunt, ex litera non deprehendant. Consentanea enim est scriptura θεόπνευστος

ei spiritui, a quo suggesta et suppeditata est. Secundo, interrogo suaves viros, an sacer Hieronymus Helvidii deliria solis argumentationibus, an solis scripturae testimoniis, an argumentationibus ac scripturae testimoniis simul, confutaverit. Si solis argumentationibus dicent: iam obstat universa ratio. Nam virginem concipere ut virgo permaneat, non recipit ulla mens. Si solis scripturis: ergo scriptura constat perpetua virginitas. Si ambobus simul: iterum vicimus. Nam argumentationes eae, quae ad hanc materiam valent, ex divinis literis trahantur necesse est. Quod si haec in divinis literis latent: in scripturis ergo est, perpetuam virginem esse; quamvis Helvidius istud non videret. Apparet igitur istos homines, si non aliud aliquid sunt, aut Hieronymi propugnationem frivolam ducere; aut, si hoc non faciunt, frivole dicere, scripturis perpetuam virginitatem demonstrari nequire. Sic prodere debent audaciam et imperitiam, adde incogitantiam quoque, qui gloriam deo dare, et veritati cedere non sustinent. Postremo interrogamus eos, an hic ista vox, Virgo, personam tantum significet: an rem tantum: an rem et personam simul. Si personam tantum, iam nihil erit miraculi, eam concipere et parere quoque quae virgo est. Vulgo enim fit, ut quae hodie virgo cubitum eat, cras matrona surgat, eadem persona manente. Si rem tantum significat: iam erit sensus, virginitatem concepturam esse, quod omnibus auribus absurdum videtur. Constat igitur, hanc vocem hic tam praegnantem ac praedominantem esse, ut eam significet quae conceptura est, hoc est, Mariam. En personae significationem! et virginitatem ei personae tam indissociabiliter coniunctam, ut concipiendo et pariendo simul adsit, et illibata permaneat virginitas. Quo deinde manifestum fit, tantam esse hoc loco huius vocis emphasim, ut concipiendi et pariendi verbum sibi vendicet. Nisi enim concipiendo virgo permaneret, pariendo virginitatem muniret: non esset signum aut miraculum. Hic protinus insultabunt, Tu nos istas doces? Quis ignorat virginem in partu quoque fuisse? Hactenus convenit nobis tecum. At post partum, unde scripturarum constat virginitas? Audite obsecro. Primo hinc constat, quod scriptura virginem facit, quae iam peperit. Nunc ergo si quis negabit virginem esse, necessariis utetur testimoniis, quibus probet eam virginitatem non esse perpetuam. Quae enim haec est iniquitas dicere, non constare perpetuam virginitatem Mariae? quum primum constet esse virginem; secundo per scripturam omnem ne iota quidem invenias, quo haec virginitas insimuletur? Qui enim eam in suspicionem detrahet, necesse habebit scripturae locis id facere. Quos quum non habeant, (nisi velint Helvidianam improbitatem aemulando per calumniam eis abuti, quos divus Hieronymus erudite adseruit et vindicavit) cessent impiis conatibus ac blasphemiis in dubium vocare, quod irreligiosum est quaerere, et invenisse inutile. Audite igitur secundo. Ubi fides et pietas regnant, citra operam sentitur, cum hunc locum, Ecce virgo concipiet et pariet, augustiorem esse, quam ut virginem intelligamus aliquando maritandam. (Quomodo enim non in suspicionem vocaretur salutaris partus, si copula eius secuta fuisset, qui tum quoque maritus, at innoxius erat ac castus, quum conciperetur et effunderetur?) Tum alias

quoque graviores esse ac sanctiores, quam ut vana et otiosa mens aliquid huiusmodi arbitrari debeat. Quam enim vel humanam verecundiam tribueremus credito marito, posteaquam audisset, Ne verearis coniugem tuam accipere! quod enim in ea natum est, ex spiritu sancto est: si haec claustra tangere tentavisset, quae rex ipse suo transitu intacta non tantum reliquerat, sed omnibus inferioribus, vel solo exemplo ab eis interdixerat? Quae enim filii sui partu dedicaverat et servaverat, improbae unquam cupiditati permitteret? Neque ista patiemur inter coniecturas reiici: quum pietas ipsa sic moneat, quum fideles omnes sic sentiant, quum scripturae authoritas et sanctitas, imo vis, succus, et sanguis, haec prae se ferant. Sed missa istorum calumnia, ad divini vatis oracula redeamus. Invito Ahaz obtruditur salutare oraculum, de nascituro ex prosapia sua salvatore: ut iam in ipsis elementis praeciperetur, quomodo in signum cui contradiceretur staturus esset.

Et vocabit. Hebraeus sermo nominis impositionem virgini tribuit. Nam et angelus Lucae 1. *καλέσεις* vocabis, ait, nomen eius Iesum.

Immanuel. Periphrasis est Iesu Christi. Nobiscum enim deus, quod Immanuel expositum sonat, et salvator, et unctus, aequipollent. Nobiscum enim est, cum in humanitatem descensu, tum ope sua salutari. Iesus quoque, hoc est, medicus et salvator, nobis adest: et Christus, hoc est, unctus; ubi alius est qui ungitur, alius qui unctum ungit: quum tamen ambo unus sint Christus. Nobiscum deus est, quum nobiscum ut sanet et beatos reddat versatur et moritur, resurgit ac coelos conscendit. Adde quod Hebraeis עמם, id est, cum eis esse בתקם, id est, In medio esse, לנגדם, id est, Coram eis esse, in loco ponuntur pro, Praeesse, praefectum ac principem esse, familiarem quoque esse: id quod prae omnibus principis est munus. Unde quum promittit deus, Et ego in medio eorum ero deus eorum, ducem se fore, imo familiarem quoque gregario cuique similem pollicetur.

Butyro et melle. Vesci idcirco dicitur, quod et verus homo esse demonstretur et simpliciter ac pure victurus praenuncietur.

Usque dum sciat. Ad verum parvitatis humanae incrementum pertinet. Proficiebat enim puer aetate et sapientia. Et nos quoque plenitudinem, hoc est perfectionem et similitudinem aetatis Christi moliri docet Apostolus. Est mensura iuxta quam prodire convenit, etiam si facultas maturius adsit.

Priusquam puer sciat. Antequam veniat Christus, captivam fore gentem istam comminatur.

Sibilabit muscae. Id est, Sibilo muscae, hoc est, Aegyptio signum dabit: eo quod insectis Aegyptus scateat. Vide autem *χρησιμὸν* in Sibilabit. Quae enim dignitas in hac una voce surgit? Quum enim muscas Aegyptios fecisset, iam non dicit, Vocabit muscas, sed, Sibilo incitabit: quo et insecti proprietas servaretur, et gentis maiestas elevaretur; quum luem potius facit quam exercitum.

Et apibus quae sunt in terra Assyriorum. Apum abundantiam significatione non obscura tribuit Assyriis. Unde earum nomine ipsos appellat.

Intima vallium. Ex הבתות fecimus intima. Nam et Latini,

Domi dicunt pro Intus. Neque me movet quod בתות, non בתים sit scriptum.

Omnemque recessum. נהללים fecit Hieronymus Foramina: Septuaginta nimirum secutus, qui ῥαγάδα verterunt, hoc est, Rupturam. Nam adduci non possum, ut eam vocem bic ἀντὶ πήλυκος, id est pro galea, posuerint; sed a ῥήγνυμι, id est Rumpo, ῥαγάδα dixerint, non ad miraculum docti peregrinam linguam Hebraei hominis. Nobis non est leviter transmittenda felicitas Allegoriae: qua hostiles exercitus omnia impleturos, vastaturos, et foedaturos dicit. Id autem comparatione muscarum et apum, quae inusitatis examinibus ingruunt et occupant; quomodo et locustae et bruchi faciunt. Et Plinius testatur, urbes ac populos minutis animalibus periisse.

Novacula trans flumen mercede conducta. LXX. verterunt Novaculam ebriam, falsi ambiguitate Heb. vocis. Hieron. autem Novaculam acutam cur verterit, non video: nisi per Mercedem ductus sit ad acumen. Nos, quum Graecis et Latinis videamus Mercenarios et Mercede conductos adpellari Milites, qui Carum more vitam pro aere venalem habent, adducti sumus, ut prophetam credamus anthropopathῶs deo tribuisse mercenarii militis conductionem, hoc sensu: Conducet dominus novaculam trans flumen, regem Assyriorum. En notam allegoriae! Novaculam autem pulchre fecit eum, qui gentem Iudaicam vel cum minimo pilo, hoc est, cum pulvisculo e sua terra abrasit, hoc est, deportavit.

Ipsam quoque barbam demetet. Ad verbum habent Hebr. Barbam quoque addas. Aut, Ipsam quoque barbam colligas. Aut, Ipsa quoque barba auferetur. Ut articulus et את, hoc loco nominativo serviat: quod non uno loco deprehendimus. Transtulimus ergo: ipsam quoque barbam demetet. Capitis pilo principes, pedum autem plebem indubie significat. Porro barba tam certum est senes, et qui a consiliis principum sunt, designari: ut eadem voce barbam et senatorem adpellent, זקן.

Ut quisque victitet. Hieron. vertit Nutriet, Septuaginta secutus, qui dixerunt τρέψει, sed nimirum pro θρέψει. Mihi quum per σαρκασμόν, hoc est, per amaram concessionem loqui videatur, Victitabit vertere placuit ex יחיה. Sequitur enim

Tunc fiet, ut per ubertatem nati lactis butyrum comedatur. Quae nostro iudicio Ironiae expositio est. Oportebat enim iuxta promissionem terram lacte et melle manare. Huc torquet propheta nasum.

Vinea mille drachmis caempta. Hoc mirum est, Siclum apud LXX. interim in διδραχμὸν, interim vero in δραχμὴν verti: et hoc loco, quum Hebraei non habeant Siclum, sed Argenteum ipsi Siclum verterint: nos Drachmam ex Argenteo fecimus. Budaeum adeant, qui haec discrimina ponderum nosse cupiunt. Valet autem Drachma nostris Cruciatis octo.

In vepretum ac spinetum vertetur. Hic videmus manifeste verbo יהיה Erit, pro Vertendi verbo usum esse prophetam.

Ut enim ille spiculis et arcubus eo perveniet: sic omnia per

universam regionem vepres erunt ac spinae. Hebraea sic habent ad verbum: Cum sagittis et arcu eo veniet, sic vepris et spina erit per totam terram. Videmus hic iterum comparationis notam omitti: at intelligi ex comparati nota, videlicet, Sic. Adnotandus est igitur paucis eorum in comparando modus. Primo faciunt comparatum quod est ἀδύνατον, hoc est, impossibile impossibilius ac difficilius, cum ipsum comparant alii impossibili, quod nos comparans adpellamus: ita tamen ut tam Comparans quam comparatum notis suis careant. Ut Isaiae 51. Coeli sicut cera liquescent: salus autem mea in sempiternum erit. Hic utrobique omissae sunt notae, tam Comparati, quod est, Salus mea, quam Comparantis, quod est, Coeli. Quod autem comparatio sit, ex ipsa antithesis nota Autem, patet: quum dicit, Salus autem mea etc. Et habent hunc sensum dicta verba: Sicut coeli non liquescunt: sic multo minus evanescet aut peribit salus mea. Aut, Citius liquescent coeli, quam salus mea non duret. Possibilius est coelos instar cerae defluere, quam quod salus mea mutetur. Hoc comparandi modo usus est Christus quum diceret: Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Pro, Quod si fieret ut coelum transiret, aut in nihilum redigeretur (id quod interim impossibile est): attamen verba mea non transirent aut immutarentur. Aut, Citius coelos destruas, quam verba mea. Possibilius est coelos concidere, quam verba mea. Secundo, hunc modum habent, ut Comparanti notam Comparationis apponant, non etiam Comparato, ut Isaiae 57. Sicut aqua maris, quae quiescere nescit, sed limo et luto turbatur, non est pax impiis. Hic comparans est Aqua maris: comparatum vero Impii. Habent igitur ea hunc sensum verba: sicut aquae maris quietis nesciae sunt, sed perpetuo turbantur limo et luto: sic nulla est pax aut quies impiis. Infra cap. 62. Sicut maritat adolescens virginem: maritabit te et filios tuos. Pro, Quemadmodum (est enim isthic כִּי comparandi nota) adolescens connubio virginem sibi iungit, sic te sibi iunget dominus etc. Tertio istum, ut comparato notam comparationis adponant, non etiam comparanti: ut hoc loco, Sagittis et arcubus eo veniet, comparans est: sed notam comparationis non habet; sed comparatum, puta, Sic vepres et spinae erit universa regio. Ioannis 3. Aer sive ventus quo fert impetus spirat (sic enim παθοποιίαν in verbo, Vult, imperitiorum gratia traduco) et vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Ecce hoc totum comparans est, et comparationis notam non habet ullam. Sed quum sequitur, Sic est omnis qui ex spiritu nascitur: apertam videmus notam, Sic. Qui ergo fideliter volet vertere, comparanti quoque suam notam addet: Quemadmodum ventus aut aer meat quo fert impetus, (etiamsi nos interim carcerem eius unde profectus est, aut metam quo tendit ignoremus): sic spiritus ille divinus quos vult instinguit. Neque fidei lucem quisquam intuetur, nisi quum vivifico eius adflatu novus homo creatur: etiamsi nos interim nesciamus, cur hunc aut alium illustret, istum vero et illum non dignetur; aut cur hunc mature, istum vero cunctantius. Fuit ergo nobis et hoc praesenti loco sua comparanti nota coniuganda, quapropter vertimus: Ut enim ille (Assyrius scilicet) spiculis eo veniet: sic vepres et spinae erunt

tota regio. Quo gratiam prophetae imitaremur. Crescit enim supra modum infelicitas, quum non solum comminatur hostium sagittis occubituros, sed hostilia tela miserum quoque auspicium secum adferre: nempe quod omnia sint vepres et spinae futura.

Ad montes autem omnes qui hactenus sarculo sarriebantur. Hic duas voces de nostro attulimus, Ad, et Hactenus: hac causa, quod Hebraei Prolepsin quandam familiarem habent, qua subiectum illud de quo aliquid praedicaturi sunt, in Nominativo praeponunt. Deinde novam orationem attexunt, in qua pro eodem subiecto relativum ponunt: ut, Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae. En tibi subiectum, Filios hominum. De hoc subiecto praedicaturus est propheta, quod dentes eorum sint magis noxii quam arma et sagittae. Quam sententiam Latinus sic efferret: Dentes filiorum hominum arma sunt et sagittae. At Hebr. subiectum in nominativo praeponit; ac mox quod de illo dicturus est cum relativo in obliquo adiicit. Quem modum sive Idiotismum Prolepsim, hoc est, praesumptionem vocamus Hebraicam. Qualis hoc loco est. Totum enim hoc, Et omnes montes qui sarculo sarriebantur, praesumptum subiectum est. Porro quod de eis montibus dicturus est, subiungit: Non venies illo. Ubi Illo, adverbium vice obliqui est. Quum ergo in Latinam linguam haec sententia traducenda est, quomodo aliter dicere licebit, quam, Ad montes autem etc. non venies? Sentiunt et Hebraeorum Rabini nobiscum, quod punctorum distinctione videtur: in Illo enim punctum membri perfecti posuerunt, ac deinde subiungunt, metu spinarum et veprium. Hic iam Athnaheta ponunt, hoc est, signum solidae, quamvis nondum ratione firmatae, sententiae: etiamsi nihil adiungas. Nolui igitur LXX. imitari, propterea quod paulo ante praedixit, Vineas in dumeta degeneraturas. Non est ergo verisimile quod nunc meliora montibus polliceatur. Distinguit autem, de quibus montibus loquatur, videlicet de apricis et cultis collibus, qui hactenus sarculo sarrirentur: quod et ista in silvas et tesqua nemorescerent, ut isthic non essent sementes demessuri, sed pecora ad pascendum acturi velut in solitudinem.

Sed mittetur illo armentum. Ad verbum habent Heb. Et erit in missionem bovi. Cerne quae loquutio in quam nobis vertenda sit.

Pecudes quoque isthic errabunt. Et ad conculcationem pecoris, sonant Heb. Sed posteaquam Conculcandi verbum videamus ab eis pro Conversandi verbo accipi, et Errare de pecoribus pro Versari aut Habitare dicitur, traduximus, Pecudes quoque isthic errabunt, Pecudes autem diximus pro Pecoribus, eo quod שה Hebraicum pro eo armenti genere accipitur, quod Latini Pecudem vocant.

EX CAPITE OCTAVO.

Dixit ergo iterum ad me dominus. Haec alia visio et revelatio est: qua tamen de Messia eadem praedicuntur, sed de rerum statu non eadem. Prius enim liberatur etiam impius rex metu grassantis exercitus, quod indubie tempus a deo definitum nondum adesset. Nunc autem interitus, atque idem velox, intentatur. *Iterum,* autem admensus sum: quo videatur alia quidem esse revelatio, sed eiusdem populi causa facta.

Corripe tibi paginam magnam. Lepos est in Paronomasia Hebraica גליון גדול, hoc est, Volumen, sive libellum: hoc est, Paginam, ut hodie vocant. Magnam autem propter rem potius quam in eam scribere iubetur accipere, quam mensuram aut modum paginae, καθ' ὑπαλλαγήν.

Et scribe in eam stilo et more humano. Ego, si meam sententiam sequi fuissem ausus, vertissem, Et stilo in eam scribe, homini Maherschalal. Quamvis Hebraei hominem ad stilum referant. Sed quum, Hominis stilo, omnes transtulerint, nolui in re non admodum ardua dissentire. Quamvis clare faceret ad humanitatem Christi, si non tantum Maherschalal, sed etiam homo vocaretur. Neque enim obstat articulum dativi casus non positum esse ad Homini, sed ad Maherschalal. Huiusmodi enim prolepses multas, praesertim in Psalmis, invenias, ubi vox altera ante praepositionem ponitur, quae tamen ei perinde servit atque ei quae sequitur. Quomodo Cicero creberrime loquitur, Qua de re: pro, De qua re. Et, Re qua de agitur. Ubi praepositio post utramque vocem, relativi et antecedentis, ponitur. Addidi autem, Et more: quod viderem, Stilo hominis poni pro stilo humano: hoc est, Scribe in eam paginam stilo, quomodo vos homines consuevistis. Et est sermo iste Macrologiae aut Pleonasmi generis. Satis enim erat dixisse, Scribe in eam: sicut satis est dixisse, Audivi. Sed quum per Macrologiam dicimus, Audivi hisce auribus, aut, Oculis meis vidi, iam crescit Macrologia et ἐπιδείξει, id est commonstratione oratio.

Maherschalal Haschbaz. In textu habes, Et haschbaz. Expunge Et! Nescio enim quomodo semel scriptam coniunctionem semper transmiserim. Reliquimus autem Hebraica nomina in Dativo, et propter articulum eius casus ל (quamvis et alias ad multa serviat) et quod ad rem natam videatur, Dominus proprium nomen quoque fingi voluisse, quod huc faceret. Quae successu omnia clarius patebunt.

Ut properet ad praedandum, festinet ad spoliandum. Hieronymus mox vertit Hebraea, nil suspicatus, quod propheta non tam iubeat, atque futurae rei nomen imponat. Quanquam id ingenue agnoscam, nomina ista Maherschalal et Haschbaz ad hoc imponi ut significent. Ob eam causam subiunximus eorum interpretationem, ne quid quis desideraret.

Asciscebam ergo mihi testes. Omnia in visione fieri videntur.

Deinde ibam. Hebraica habent: Et ibam. Sed ו, id est Et, ordinis est. Verti ergo, Deinde.

Ad prophetissam. Prophetis, honoris vocabulum est hoc loco. Ut enim prophetae vocabulum propter sacratissimum officium summum ei augustissimum est: ita ei, quae dominum prophetarum paritura erat, prophetidis nomen datur. Etiamsi non ignoremus divam virginem sanctissimo carmine cecinisse laudem et gratiarum actionem deo, quum diceret: Magnificat anima mea dominum: adhuc tamen dignius est hoc loco Prophetidis nomen. Habuit Philippus filias quatuor prophetantes: at non pro ecclesia exponebant scripturam, quum id foeminae non esset licitum; magnus tamen honos earum erat: sive propter scripturae [illegible]tiam, sive propter sacrorum carminum lectionem ac cantum,

sive denique propter divini adflatus inspirationem. Sed haec omnia inferiora sunt, quam ea quae haec nostra gessit. Prophetissa igitur tanquam augustissimo nomine adpellata est.

Impone illi nomen Maherschalal. Ex hoc loco credidimus etiam in superiore propriorum vice posita esse, Maherschalal et Haschbaz.

Quae significant, si Latine interpreteris. Visa sunt omnia vividiora, si ipsa nomina in sua lingua videremus. Hanc autem interpretamenti notam non sine exemplo posuimus: quum non uno loco habeatur in divinis literis. Ut, Tu vocaberis Cephas, quod est si interpreteris, Petrus etc.

Sciat effari prima ista, Abi aut Immi. Prima, de meo addidi: quod ista ferme prima sunt, quae infantes moliuntur ex omnibus verbis. Lucem ergo adfert χρηϛιρισμός. Deinde videntur Hebraea ista, Abi et Ammi, balbulae infantium linguae super omnia verba esse obnoxia: propterea quod primis labiis efferuntur. Arbitror enim priscos Hebraeorum, non quemadmodum Rabinos dixisse Immi: sed Ammi. Nam reliquae linguae Ammam pro matre intelligunt.

Tollet opes Damasci. Tollet diximus, ut sermo filio dei acceptus referatur. Huic enim tribuit, quod antea quam nasciturus, sit in nihilum Damascenum, hoc est Syriacum regnum redacturus. Opes autem fecimus ex חיל, quam Hieron. in fortitudinem traduxit, LXX. propius secundum nos δύναμιν.

Opera regis Assyriorum. לפני, id est, Coram, vertimus in, Opera, ablativum instrumentalem. Aeque enim est, Praesente, atque Coram, Liphne: hoc est, duce ac imperatore Assyriorum rege. Atque saeva quidem haec est Antithesis: qua et Syris et decem tribuum regno exitium, pro ea spe quam de subiugando imperio Iudaico ceperant, comminatur.

Iterum loquutus est ad me dominus etc. Diversum argumentum est. Hactenus enim liberavit metu duorum torrium. Nunc autem quum gens Iudaica post liberationis beneficium nihil abhorreret a Syriae Samariaeque tyrannis: offensus deus, qui futura ante videt quam fiant, acriter obiurgat, et stultitiae poenas daturos praedicit.

Siloah. Rivulum esse modicum, et iuxta Hierosolyma grato cum murmure praeterfluere, Hieronymus (si recte memini) narrat. Vide autem qua Synecdoches metaphora utatur. Aquas moderato cursu, murmur tamen, non minacem stridorem edentes, populum suum facit: qui sorte sua quam dominus dederat contentus esse quum renuit, et pompam effusiorem adpetit, impetu periturum esse praesagit.

Corrivabit. Pro, Ascendere faciet, ea causa diximus, quod urbes nonnunquam derivatione et corrivatione captae leguntur. Atque ad antithesim facit, quum immania minatur flumina iis, qui rivos humiles aspernabantur. Dixerunt autem et Latini Corrivari flumina: quum unius alvei aquae in multos diductae sunt, ut transiri possint.

Fluviorum fortium et ingentium. Ingentia flumina, diximus pro, Multa. Nam ex Idiotismo est, Multo illos uti pro Magno, ingenti, eximio, ac praecellenti: quomodo alias, tum potissimum in Ezra videre licet.

Cum omni potentia sua. Potentiam vertimus ex כבד. De qua voce alias.

Redundabit in Iudam. Vide quanta cum gratia perstet in allegoria, et quanta cum eruditione rerum proprietates servet. Inundantes enim fluvii ultro citroque minaciter feruntur: ut non immerito a poëtis sint per Prosopopoeiam saepenumero homines aut Dii facti; ac tandem auferunt, quae non credideramus. Sic ingentes exercitus ac copiae volvuntur ac feruntur vehementium fluviorum instar: omnia occupant, auferunt, ac perdunt.

Refluens et transiens. Refluendi verbo ad vorticosos refluxus fluminum respexi.

Usque dum collum ambiat. Diximus pro, Usque dum collum attingat. Ubi tamen Attingendi verbo usus est propheta in vehementiore significatione per metalepsim, puta pro Strangulat, aut praefocat: quod quae strangulant, ferme ambiunt colla.

Ut extensione alarum suarum impleat. Sive hic per Prosopopoeiam fluvio alas tribuat, sive exercitui novo pigmento adpingat, utrumque eruditissimum est. Instar enim volantium avium feruntur ac circumerrant flumina et rerum scriptores alas aciebus adpendunt.

O Immanuel. Ambiguum est, an o Immanuel pro ea gente accipiatur, per synecdochen, cuius futurus est. Ut quum adversus clamosum aliquem diceremus: Christus non clamat, pro Christianum non decet esse amariter clamosum: propterea quod Christus caput nostrum est, imo omnia in omnibus, Col. 3. Incertum est, inquam, an hoc pacto accipiatur hic gemitus pro ea gente, ex qua et cui nasciturus est; an pro ipso Immanuele ex συμπαθείας, id est, ex commiseratione: puta quod propheta ante oculos videns excidium suae gentis commiseratione inflammatus dicat: O Immanuel, O deus noster, siccine tuis pereundum est?

Coite in concionem populi, et congregemini. Haec (mea sententia) non magis ad gentem Iudaeorum dicuntur, quam ad omnes quae versus orientem sunt. Crescente enim Assyriaca sive Babylonica monarchia, nimirum Comitia passim habebantur, et deliberabatur, venienti quomodo occurreretur regno. At qui de coelis omnia prospicit, nequicquam omnes turbari adseverat; praecipue Iudaeos, propter quos inprimis hanc sententiam concinnat. Apparet autem vel ex hoc loco, Iudaeos aliquid conatos esse adversus Babylonium, societate Syriae et Samariae: ut paulo ante opprobravit. Nobis interim sententiae huius gravitas non est temere transmittenda. Iubet omnipotens, comitia cogant hostes sui, consultent, comparent, instruant; at se omnia ridere, quum stultos conatus momento citius dissipaturus sit. Et plane non est consilium contra dominum. Furant hostes veritatis, ac vi sua sibi tribuant omnia perfecturos! tamen quotidie videmus irrita abire eorum studia. Deo gloria, qui ut natura verax est: ita suos nunquam destituit auxilio et victoria.

Nisi nobiscum deus. Duabus causis diximus. Una quod כי, non minus Nisi significat quam Quia: sicut cap. I. demonstratum est. Altera, quod quae sequuntur, melius quadrant quum Nisi, vertimus.

Perpetuo enim ludit in Immanuel: ut eius nominis significationem ex omni parte et explicet et amplificet. Qua de re, paulo ante attigimus.

Paedagogi instar adprehendens manum meam, ac erudiens. Haec perinde duabus causis hac formula verborum expressimus. Una, quod Hebraea ad verbum sic habent: Quia sic locutus est ad me dominus, velut manus adprehensione, et me docens. Hic primum videmus, Manus adprehensione dici, pro, Adprehensa manu. Deinde, Et, παραπληρωματικῶς, id est obiter implendo, positum esse, et exundare. Etiamsi Rabini Athnabeta praeposuerint, quasi Et sit copulative positum; sed imperitia sui ipsorum sermonis. Fecimus igitur ex velut, Paedagogi instar: quo ἠθοποιίαν, hoc est, moris adfictionem produceremus. Altera vero, quod ut iam dictum est, manifesta ethopoeia videremus vatem usi, qua impensissime delectatur. Ubi enim non plenus est aut ethologiis et chrestirismis quum rebus aut personis aut suas actiones tribuit; aut ethopoeiis, quum propter comparabilem rem personis et rebus mores similes adfingit? Vide ergo qua cum dignitate faciat deum sibi instar paedagogi, discipuli manum adprehendentis, loquentem. Qua fictione certitudo et claritas promittuntur.

Coniurationem nolite condicere. Equidem non memini, praeter unum aut alterum, ullum esse Hebraeis compositum verbum. Cogit igitur eos necessitas uti simplicibus pro compositis, κατ᾽ ἀντίθεσιν. Ita hoc loco, Non dicetis, ponitur, (nostro quidem iudicio) pro, Non condicetis. Nam et Graecis, atque adeo Demostheni ipsi, εἰπεῖν pro Fateri, annuere, concedere ponitur. Quum autem vicissim imperativa pro futuris, et contra futura pro imperativis mutitent, imperativam fecimus orationem, Nolite condicere. Monet enim ex fide propheta, ne cum ullis mortalium qui deos alienos colunt foedus ineant, auxilii gratia; sed ut uni deo adhaereant et fidant.

Ulli qui moneat. Hebraea sic habent לכל אשר יאמר, id est, omni qui dicet. Quod autem Hieronymus ל in Enim, transtulit, non tribuit articulo quod non habeat, si modo in loco istud faciat: sed Septuaginta voluit imitari, qui habent πᾶν γὰρ, hoc est, Omne enim. Nos credimus monentem caveri praecipi. Sic enim ferme comparatum est in rebus humanis, ut si videant adversariorum opes ac vires crescere, ipsi quoque amicos sibi parent et auxiliatores. Sed suos vetat deus huiusmodi praesidiis niti; ac monet ne ullum audiant qui dicat: En adversarii vestri tam fortes sunt: vobis quoque prospiciendum est ut sitis nihilo inferiores. Comparate igitur sodales, et συμμάχους, hoc est auxiliatores.

Populus iste coniuravit. Verba sunt monentis de adversariorum conspiratione.

Sed metus eius populi non recipiatis. Dei verba sunt, quibus suos securos reddit. Est enim Vaf adversativa.

Dominum autem exercituum sanctificate. Quae hic sequuntur, clare exponunt quid per verbum Sanctificate, velit intelligi. Hic enim est metus vester atque formido. Sanctificamus igitur dominum, dum

illum supra universa observamus. Quod quomodo faciemus, nisi si eo religiose fidamus?

Ille enim est et sanctificatio. Iam paulo aliter accipitur Sanctificatio, videlicet pro salute ac felicitate. Si enim dominum colendo et observando sanctificaverimus, ille quoque nos sanctificat, et beatos reddit. Si vero contumaciter ab eo abhorrebimus, offendemus ad eum. Ipse enim ruina est, et resurrectio. Haec Isaiae verba respirant Simeonis grandaevi vatis responsum, quod virgini et Iosepho praesagibat.

Et offendent ad eum multi. Hebraea sic habent: Et offendent in eis multi. In eis, hoc est, Lapide offensionis, et petra ruinae. Refert ergo בם, id est, In eis, voces potius quam res. Idcirco nos ad unam rem, pro qua aliae ponuntur, retorsimus, propter claritatem. Ad dei enim filium offendent multi.

Complica nunc, ait dominus, contestationem hanc. Hic multa adsuimus. Nunc ait dominus, et Hanc. Hebraea enim habent: Clausa contestatio, signata lex cum doctis meis. Quae quidem verba in hanc sententiam capi possunt, ut hic incipiat propheta loqui: Hactenus clausi contestationem istam, ad quam excipiendam iussus eram paginam et stilum corripere; et signo obsignavi cum doctis meis: hoc est, cum doctis istis testibus Uria et Zacharia, quos ad hanc rem per visionem adhibebam. Nobis tamen magis arrisit ut צור imperative legatur: Claude vel complica contestationem. Nam et divus Daniel hoc modo videtur intellexisse, quum et in sua adparitione cap. 8. imperative facit deum loquentem: Tu vero obsigna revelationem. At hic lucis gratia inserenda erat persona iubentis. Adsuimus ergo, Ait dominus. Hanc autem vocem, Hanc, addidimus, ut videremus dominum loqui de ea contestatione, ad quam praeceperat paginam rapi. Sequatur quisque quod verissimum videbitur.

Legemque obsigna. Adparet ab aliquo forensi more acceptum esse, ubi testimonia signari lex esset. Legem autem intelligo ea quae hic praedicta sunt: quae propter firmitatem lex adpellentur. Ut quemadmodum leges sacrosanctae debent ac inviolatae permanere: ita quae dominus hic praedicit firma fore.

Expectabo igitur dominum. Hic putavimus tandem esse Apostropham, qua ad se revertatur propheta, et dicat: Ego igitur in unum dominum intentus ero, qui vultum suum avertit de domo Iacob.

Ego ipse, et pueri quos dedit mihi dominus. Prophetam loqui arbitror et pueros adpellare cum discipulos suos, tum pios auditores, qui monenti prophetae fidem haberent.

Ut miraculo et portento sint. Vita enim innocentium insana videtur esse impiis, et finem, hoc est, mortem eorum ingloriam putant: quum illi in pace et tranquillitate vivant.

Qui habitat in monte Zion. Hoc est, qui Hierosolymis colitur: hoc est, in Ecclesia.

Quum ergo dicent vobis (o discipuli domini pueri mei.) Tota itsa Parenthesis a nobis adsuta est. Munit enim propheta pios, quos iam pueros suos adpellavit, ut omnem seductionem caveant: sive quis

opem quaerere apud incredulos hortetur; sive rerum futurarum ab astrologis eventum percontari.

Respondete. Iterum de nostro est. Quae enim sequuntur, videntur seductioni respondere.

Nonne quaeque gens deos suos consulit? Quae Hieron. vertit, tam abest ut contemnam, ut etiam tester eandem esse sententiam utriusque, quum in eundem finem tendunt. Eius translationis sensus est: Num licebit populo alium quam suum deum consulere? nostrae vero: Nonne quum quaeque gens deos suos consulat, Israel quoque non alium quam deum suum consulere debebit? Visionem autem, Hieronymus de suo addidit, pro oraculo aut responsis: quae Hebraei visiones sive revelationes vocant.

Tam de vivis quam mortuis. Super mortuis non legimus Hebraeos multa inquisivisse a domino. Nam Sauli desiderium, ut erat desperatione plenum, ad sagam potius quam ad deum convertebatur. At Gentes, perinde atque nos hactenus fecimus curiosi, nitebantur scire quae ad se nihil attinebant. Propter istos ergo in genere loquitur, ac dicit, quosque deos suos consulere, quacunque in re, sive ad vivos, sive ad mortuos pertineret.

Porro cui deest lux aut intellectus. Vertimus ex אשר אין לו שחר. Atque ideo in primam frontem posuimus, quod subiectum esse videatur, ad quod hic fit sermo. Docet enim pios quo confugere debeant, si quid ambiguum aut incertum incidat: ut non habeant opus divinatoribus, astrologis, aut incantatoribus.

Legem et contestationem audiat. Audiat, nostrum est. Hebraei enim ad verbum habent, Legi et contestationi, auscultet scilicet cui deest lux. Per legem autem et contestationem non modo praesentem contestationem et legem, ut paulo ante, intelligimus: sed legem et minas cum promissionibus quae in lege continentur.

An non consentiant nobiscum. Hebraice: An non loquantur hac ratione. Quibus nostra aequipollent.

Quod si legem negligat. Legem ex superiore loco mutavimus in istum, quo manifestior fieret sensus. Heb. sic habent: Et praeteriens eam, legem scilicet. In hanc sententiam: Si is cui lux deest legem contempserit.

Impinget et esuriet. Allegoria ab his tracta, qui viam notam et planam obscitantes aut alio rapti praetergrediuntur. Quumque in ignotos anfractus veniunt, nihil quam offendunt et labuntur. Sic qui legem dei negligunt, in omnibus tum consiliis tum actionibus offendunt. Qui vero contestationes, hoc est, promissiones eius posthabent, et suas spes sectantur, esuriunt: hoc est, inanes manent; dum ab his in quos speraverant, nihil horum reportant quae petebant.

Et maledicet deo suo et regi suo. Attende Lector, quam fideliter moneat ne impietati dedamur, quum viam et gressus deploratorum hominum adeo commode annumerat. Quum impii spe sua frustantur, non sic secum reputant: Quo fidebas, auxiliando non fuit. Convertere igitur ad deum verum: sed ab illo quoque abhorrent, quasi numen nullum sit. Dicunt enim tam insipientes et bruti homines: Non est

deus. Tracta autem est allegoria a procacibus mendicis, qui quum nihil accipiunt iurgantur.

Quum vero aut sursum versum, aut ad terram spectabit. Rabini inepte hunc locum distinxerunt. Quod proclive videtur tum apud Hieronymum, tum apud Septuaginta: qui in secundo membro κάτω, id est Subtus, addiderunt de suo. Quo magis ostenderent eiusdem sententiae membra esse, sursum in coelum spectabunt, et deorsum in terram. Nos, quo minus iterum discerpi membra possent, ambo ad unum verbum coniugavimus. Tribuitur autem hoc loco idem status desperantibus, qui superius, Capite quinto, dabatur superatis ab Assyriorum rege.

Circumvolans tribulatio. Quod Hier. מעות צוקה, vertit in dissolutionem et angustiam, hac causa puto fecisse, quod convenire non possent participium masculinum, et nomen foemininum: quum tamen id crebro usuveniat, ut superius demonstratum est. Septuaginta θλίψιν, fecerunt ex מעות, eodem modo falsi. Ad verbum igitur est, Circumvolans, hoc est, circumfusa tribulatio per Metamorphosim, ut tribulatio nebulae similis fingatur. Circunvolans autem ex Volans, iure fecimus, quum isti compositis verbis egeant. Sed quae sequuntur, arguunt hanc esse sententiam.

Et seductrix nebula. Hieronymus vertit ex ואפלה מנדח, Caligo persequens, qua versione palam videmus, Hieronymi tempore nondum fuisse Rabinorum vocalia puncta: quibus doctus homo facile vidisset מנודח, passivam esse vocem, per subscripta kibuzim. Ad verbum igitur sonant Heb. Et nebula dissipata: hoc est, nebula circunfusa; Ut sit velut expositio superioris membri, Circumvolans tribulatio. Nebulae enim erroris commodissimum praestigium, oppanduntur passim apud poetas. Quum autem propheta hic quoque Nebulam his addat, qui furore impietatis ac desperationis insaniunt, propterea quod magis errent: idcirco Seductricem nebulam ex Dissipata fecimus, per metalepsim, hoc est, Postsumptionem. Circumfusa enim nebula, sequitur error. Quod genus Tropi Plutarchus Synecdocha comprehendit, Fabius autem (si recte memini) Metalepsi. Quod in hoc dixerim, ne quis miretur, si quando huiusmodi Tropos interim Synecdochae, interim vero Metalepsi accenseamus.

Quae non avellitur ab eo qui contristatus erit. Primum, Quae, fecimus ex כי, quae vox ut ostensum est, saepenumero pro relativo ponitur. Secundo vertimus מועת in Avellitur. Hic commode transtulit Hieronymus in Avolare. Diximus autem Avellitur, vehementiore verbo quam Avolat. Tertio ex לאשר diximus Ab eo. Sic enim pollet sermo: Non avellitur ei qui. Quarto מוצק לה, in Contristatum traduximus. Etiamsi לה foeminam referat; at indubie animam. Redi nunc Lector ad Hebraea, et vide quam tersa sint prophetae verba. Nec tamen animum suspendas, donec exemplum quod sequitur annectas.

EX CAPITE NONO.

Quemadmodum superiori tempore. כעת, in Tempus vertit Hieronym. Nos non putamus hic obiter positam esse Hebraicam כ,

quod alias in loco facile admisero. Vertimus igitur in Quemadmodum Exemplum enim est, quo futura perinde usuventura probat, atque praeterita gesta sint, et ad maiorem claritatem lege 4. Reg. 15. cap. ubi scribitur quomodo Teglatphalassar Galilaeam cum universa tribu Nephthali ceperit. Adde urbes quoque, quae de Zebulon erant, mea sententia.

Visum est. Nos supposuimus, pro exempli nota.

Leviter adfligebantur. Ideo vertimus ex הקל, quod Leviandi verbo utuntur Heb. quomodo Latini Elevandi. Elevari authoritatem alicuius quum dicunt, intelligunt contemni, et susque deque haberi. Imo Hebraei utuntur pro Excindendi et spoliandi verbo: ut Ier. 4. cap. Nam pro Remittendi verbo Moses usus est Gen. 8. An remisissent aquae. Vertimus igitur in, Leviter adfligebantur. Sequitur enim per climacem: Postmodum vero graviter adflictae sunt.

Galilaea Gentium. Quum propter vetustatem incertum sit, an Galilaea olim id cognominis habuerit, ut Gentium sive Gentilis adpellaretur; an Galilaea Gentium Hebraismus sit, pro, Gens Galilaea: reliquimus Galilaeam Gentium. Tum quod ad Matthaei testimonium quadret.

Postea vero gravissime adfligentur. In futuram adfectionem vertimus, quod sensus hoc postulet. Quod autem Matthaeus aliter usus esse hoc prophetae testimonio quibusdam videri possit 4. cap. mirum non est: quum adeo omnes facti simus scripturarum interpretes ut quemadmodum est in Germanico proverbio, plerique interpretibus ipsi egeamus. Dum Evangelista Matthaeus hunc locum adducit, allegoricῶs eo utitur. Ut quemadmodum olim Zebulon et Nephthali priores exterminium sentiebant: sic aequum esse ut nunc prioribus lux oriatur, dum Christus scilicet Capernaumi propheticum munus orditur. Huius rei ratio reddenda est. Allegoria ergo, hoc est, occulta comparatione, rationem primam reddit, et aequitatem praeponit, ut iam dictum est: Aequum scilicet esse, ut qui aliquando primi periissent, primi instaurarentur. Secundo prophetiam, ut quum hic apud prophetam praedicatur, quod Gentium populus sit lucem divinae cognitionis indepturus, et Galilaea Gentilis vocetur, iterum clarescat, quod iure Christus coeperit Capernaumi praedicare, ut qui Gentium futurus esset post Iudaeorum repudium. Quum autem Isaias terram Zebulon et Nephthalim exempli causa adducat, ac deinde ad vaticinium Gentium vocationis accedat, (in eo enim argumento totus est,) consarcinavit Matthaeus utrunque testimonium: quorum prius allegoricῶs adducit, secundum vero naturaliter. Quum scilicet ostendit tum vere factum esse ut Gentibus lux oreretur, quum Christus Capernaum exordiretur prophetiam suam. Post captivitatem enim Babylonicam gens Iudaica nunquam fuit sibi restituta. Unde et in promissionis terra non soli aut liberi habitarunt: sed Gentibus commixti, et imperio peregrino domiti, sparsim victitabant. Quo factum est, ut Galilaea inter Gentes numeraretur.

Populus autem qui hactenus in tenebris ambulat. Hac forma vestivimus, quod Isaiae tempore sic competeret loqui.

Videbit lucem magnam. In futuro tempore extulimus. Non

tantum quod futura non minus deo sunt praesentia quam praeterita, quae communis est Theologorum responsio; sed quod praeterita etiam Hebraeis in loco promiscue accipiuntur.

Mortalis umbrae. Locutio est Hebraeis צלמות, pro nocentissima nocte, qua premuntur damnati, hoc est, hi qui extra fidem hinc migraverunt.

Sed multiplicabis gentem, et non etc. Sed, de nostro adposuimus, ut èsset index alterius personae loquentis. Percontatur autem propheta in persona admirantium, an deus Gentium populum sit pari gratia prosequuturus, atque Iudaeos hactenus fecerat. Hoc enim *ἀντιπίπτον*, id est obiter occurrens, hic agitur, quo magis amplificetur dei in Gentes liberalitas.

Laetabuntur apud te. Respondet propheta sibi ipsi: sed eius instinctu, cuius auspiciis omnia agit.

In divisione praedae suae victores. Victores, Hieronymus recte suggessit de suo, quamvis Septuaginta non addiderint.

Quia iugum oneris eius gentis. Iugum oneris, locutio est pro, Pondus sive gravamen oneris. Gentis autem addidimus, ut teneriores videant, quo relativum Eius referre debeant. At iterum relinquitur nobis dubium, an Gentis, Hebraicam significet, an Gentilem. Nos breviter Oecolampadium imitati, ad Gentium populum retulimus.

Sicut in die Madian. Historiam lege Iudic. 7. ubi (ut hoc obiter moneamus,) strategema insigne invenies, quo nullus Alexander aut Iulius, nullus Pyrrhus aut Fabius, praesentius unquam excogitavit. Discimus autem hic quomodo Hebraei Diem nonnunquam accipiant, nempe pro relatione et resumptione prisci temporis. Tantum enim pollet haec sententia, Sicut in die Madian, quantum si diceres: Quemadmodum olim a Madianitarum tyrannide suos adseruit deus. Ad eundem igitur modum, Diem, pro tempore constituto, innumeris locis legimus.

Sed et omnis violentia. Hieron. Violentam praedationem vertit, ex Violenter vim faciente. Est enim סאון סאן. Ubi iterum adparet suo tempore nondum nata esse Rabinorum vocalia puncta. Transtulit ergo in rem, non in personam: hoc est, in violentam praedationem, non in violentum praedonem. Eum nos imitati, rem uno vocabulo, absolute quidem posito, sed latius vagante ac plura complectente, expressimus: Omnis violentia.

Imo vestis sanguine conspersa. Nos istum credimus esse sensum, Quicquid crudele sit aut immane, subductum iri ex ea gente, cui dominus omne onus abstulerit. Quomodo superius, et apud Michaeam dicitur: Conflabunt gladios suos in vomeres, et hastas in ligones.

Fomenta erunt incensi ignis. Sensus idem est in nostris qui et in Hebraeis: quamvis adfectiones vocum sint dissimiles. Isti enim ad verbum sic habent: Et erit ad incendium, cibus ignis. Vel, et cibus ignis: ut sit Asyndetum. Vel, Voracis aut vorantis ignis. Est autem elegans enallage, pro Incendetur aut comburetur, dicere, Fomentum ignis erit aut incendii. Unde et hoc modo vertimus: Fomentum erunt incensi ignis: pro, Incendii ignis.

Puer enim nascetur nobis. Non cogit hic Nobis, ut de gente sua tantum loquatur propheta. Per *κοινωνίαν* enim, id est, commercium sese nobis iungit. Non enim ita Gentium est Christus, ut non sit etiam Iudaeorum: sed eorum tandem qui fuerunt quomodo Isaias, puta cum fide expectantes promissum.

Cuius humeris imponetur imperium. Hebraea sic habent ad verbum: Et erit imperium super humero eius. Hieronymus quum sic transtulit: Et factus est principatus super humerum eius: vel hac ratione nobis commodat, quod istud verbum Erit, in Factus est, vertit. Ubi primo probat, Hebraeis Existendi verba accipi, perinde atque Graecis, pro Fiendi verbis. Secundo, quod verba Fiendi et existendi pro aliis quoque verbis ponuntur: ut paulo ante docuimus. Quid enim est, Principatum esse super humerum alicuius, quam imperii molem esse impositam? Tertio probat nobis hac translatione, quam constanter (ne dicam contumaciter) abhorreat a Septuaginta interpretatione: quae tamen, ut in prophetis, est paulo alienior a veritate Hebraica quam Hieronymi, alias autem non itidem: si modo incorrupta est. Sunt enim et mendae et depravationes manifestae in ea. Ita et in prophetis quoque multa et clarius et elegantius habet, quam Hieronymus transtulerit: quomodo et hic locus testatur *ου ἡ ἀρχὴ ἐγεννήθη ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ*, id est, Cuius in humero imperium erit. Vertimus enim praeteritum in futurum. Haec plane non in hoc dixerim, ut sanctissimo doctissimoque viro aliquid derogari cupiam: sed, ut videamus quam nocens malum sit obstinatio; atque ei qui obstinavit plus noceat, quam his contra quos obstipo capite abit. Adime enim tam claro viro hunc rigorem, et iam primum omnium feceris. Ita et maxima nomina habent, quod emendatione dignum est: et egent quod cum primis desideremus.

Admirabilis consiliarius. Ea forma coniunximus, qua subiectum et adiectum *ὑποκείμενον καὶ ἐπίθετον*: quod nostri praeceptores Substantivum et adiectivum vocabant. Propterea autem sic coniunximus, quod Hebraea nobiscum faciant.

Pater aeternus. אבי עד, Hieronymus in, Pater futuri saeculi, vertit. Nos hoc loco credimus magis quadrare, Pater aeternus, quod עד, absolute positum saepius pro aeterno quam futuro saeculo ponitur. Quum enim sic ponitur, ferme habet aliam vocem adiunctam עד עולם. Patrem autem aeternum vocari Filium, non est durum piis auribus: quae didicerunt personas quoque pro essentia per Alloeosim poni. Nam revera filius non est pater, sed id quod pater est. Tribuitur ergo hic Christo divinitas. Nam alias non est Hebraeorum mos quenquam suorum aeternum patrem adpellandi ne Abrahamum quidem Mosen, aut David.

Hic proferendi imperii, servandae tamen pacis finem non faciet. Quum regnorum pomoeria sine tumultu inter mortales nunquam proferantur; immortalis autem deus per Evangelium filii sui mundum sibi subacturus esset, pacifica et humili apostolorum praedicatione: factum est ut hanc sententiam Enantiosi induerimus. Disparata enim sunt, Proferre imperium, et Servare pacem. Id quod nostris tempo-

ribus, proh dolor, miserabili experientia discimus, quum Reges et Imperatores, quorum in primis erat Christiano orbi pacem aut servare aut conciliare, omnia crudelissimis expugnationibus, bellis, caedibus, foedant, vastant, excindunt: id autem nonnunquam propter terrae pugillum.

In solio David et regno eius sedens. Et hic ex irrefragabilibus locus est de Messia, quodque Iosiam suum, optimum quidem regem, Iudaei non possunt eum facere, de quo in praesentiarum vaticinatur Isaias. Iam enim ferme duo millia annorum non sedit posteritas Davidis in avito solio. Domo igitur pellant frivolas spes.

Ut fulciat ipsum aequitate et iustitia. Scio Hebraeis esse, Iudicio et iustitia: pro quibus tamen Latini aequitate et iustitia utuntur. Quid enim aequitas est, quam iudicium? Amat summum ius, ne summa iniuria fiat, summo iudicio expendi: quod aequilibrium Latini aequitatem, Hebraei iudicium vocant. His autem rebus fulta esse oportet imperia: non fastu et violentia, non praecipitantia et vinolentia.

Verbum vulgavit dominus in Iaacob etc. Nos cum Hebraeis putamus hic novam partem praesentis increpationis incipere. Hoc autem ista occasione. Adparet Teglatphalassar Assyriorum regis incursu, de quo 4. Reg. 15. ut supra annotatum est, urbes multas esse laceratas ac dirutas: atque ut fit, dum opes non funditus exportantur, plerosque splendidius aedificasse quam pro priorum statu. Unde ferme ista nascuntur: Operae pretium fuit ista perdi, aut incensa esse, quum adeo magnifica sufficiuntur. Comminatur itaque deus ultimam extirpationem et eliminationem.

Sycomori fractae sunt. Qui Sycomoros caprificos faciunt, nobis notior est arbor. Nos enim facile cedemus his, quibus rerum species magis sunt perspectae. Hoc tamen nonnihil offendit, quod Graeci quoque συκάμινον iuxta Hebraicam orthographiam hoc loco scribunt, non συκόμορον. Quo magis adparet, corruptam esse vocem συκόμορον ex שקמים, συκαμίνων quam apud Graecos natam. Quod si meum augurium sequi liceat de etymo dictionis, Sycomorum ipse potius feram ficum esse crederem, ac sylvestrem, hoc est sterilem, quam fatuam. Nam et Germanica lingua, plantarum et herbarum abortia quaedam, Fatua vocamus. Re tamen vera adparet, Sycaminum arboris genus esse, cuius vulgaris esset ac parabilis inter Syros copia: ut 3. Reg. cap. 10. videre licet.

Eriget ergo dominus cum reliquis hostibus. Reliquos, addere coegit sensus. את enim articulus hoc loco pro Cum ponitur: quo et Rabini propendunt, quum eum ad צרי, virgula makeph alligant. Quum igitur dicendum esset ad verbum, Cum hostibus, aliis scilicet: addidimus Reliquos.

Rezin quoque super eos. Quoque, iterum ex necessitate sententiae est. Super eos, autem ex, Super eum, transtulimus, propter planitiem et claritatem. Ponitur autem Rezin, per Metonymiam, pro Syrorum rege. Nam quae eis hic intentantur, evenerunt Rezino iamdudum ex humanis ablato. Veruntamen non sine naso et sarcasmo inculcat auribus eorum nomen Rezin: quo cum amicitiam iunxerant ὀλιγόπιϛοι, hoc est, male fidi homines, ut paulo ante patuit.

Quos sic temperabit. Quos, vertimus ex, Hostes eius. Quum enim iuxta Asiaticam ubertatem sic ferme habeant Hebraea: Eriget enim dominus cum hostibus Rezin super eum: et hostes eius temperabit etc. satis est Latinis factum, quum posteriore loco relativum pro subiecto ponitur.

A tergo Israelem adoriantur. Apud Hebraeos ἐκλείπει verbum Adoriantur, vel Sint, vel quid aequipollens.

Ac toto rictu devorent. Hebraei habent, Omni ore. At huc competit vox aliqua infestior.

Nam et populus. Vaf hic causalis est, cur scilicet deus non remittat minacem manum. Populus enim correctione non fiebat melior, quomodo et Ieremias queritur: Nequicquam cecidi filios vestros, disciplinam non recipiunt. Ex huiusmodi locis certi reddimur, quod quum divina bonitas nos ut emendemur adfligit, nostra vero contumacia nihil minuitur, in scelere nos promoturos esse, donec omnes perdamur Israelitarum more. Hinc Scytharum sive Turcorum in Christianum orbem irruptio: et, ut paulo ante attigimus, Regulorum mutua bella, quae expilatam ac destitutam undique plebem, velut imbellem damam eius rictui obiiciunt.

Et dominum exercituum non quaerunt. Hic manifeste ponitur Et, ἐφεξηγητικῶς, hoc est expositive. Exponitur enim qui sit ille, quem noluerunt revertendo quaerere.

Ramum et iuncum die una. Ramus et iuncus proverbialiter ponuntur: quod nimirum huius aetatis fuit. Quod tamem Septuaginta intellexisse videntur, quum μέγαν καὶ μικρόν verterunt, id est, magnum et humilem, sive parvum. Nobis videtur a vitium statuminibus, et iuncis ac culmis, quibus vites ad ea maritantur, tractum esse proverbium. Ut quum in Germanica lingua dicimus, Bintz vnd band, id est, Iuncus et salix perieruut.

Qui enim populum istum beatum dicunt futurum. Ideo dicit summos et infimos esse perituros, quia ὐδὲν ὑγιές, id est, nihil salvum in eo populo sit. Quamvis non desint qui beatum eum praedicent, falsi prophetae. Qui et apud Ieremiam promittebant pacem: quum nulla esset pax.

Non gaudet dominus. Nihil moror in futurum tempus transferri ista. Quamvis ipsi latius patere sententiam putemus, si in praesenti legatur. Deinde, quae sequuntur melius cohaerent.

Omnes hypocritae sunt, et maligni. In singulari numero sententiose loqui, vulgare est Hebraeis. Hinc est quod Christus, Qui amat animam suam, potius dixerit: quam, Qui vitam suam plus quam me amant etc. Maligni, potentius exprimunt prophetalem sententiam, quam Mali. Nulla vero re perinde offenditur deus, atque hypocrisi. Qui enim simulare coram deo, omnia intuente, audent: aut non credunt numen esse: aut si sit, oscitans aut caecum putant, ut aut negligat, aut nesciat mortalium negotia.

Omnes stulta cogitant. Ad verbum quidem est, Omne os loquitur stultitiam. At quia synecdochicus sermo est (Non enim solummodo vana tractari ab omnium ore tantopere illius bonitatem irritat, sed

stultitiae deditos esse) ideo in capaciora et ampliora verba transtulimus.

Sed ultra extendet manum. Haec tam minacia velut intercalaria aspergit.

Quam ignis qui sentibus et spinis alitur. Hic ἐκλείπει relativum Qui: sed ex ingenio linguae.

Et sicut in incendio quod in vepres sylvae incidit: sic prosiliunt superbiae fumi. Et hic locus ex harum comparationum genere est, quae apud comparantia notam comparationis omittunt. Ad verbum enim est, Et incendium in vepribus silvae. At iuxta comparatum fecimus ex Vaf, Sic. Ut enim ad iniustitiam contendant Rabini, fateri tamen compellentur, secundum Vaf consequutionis notam esse. Nunc autem quum omnis nota comparati, consequutionis etiam nota necessario sit: idcirco et consequutionis et comparationis notam adposuimus. Vide autem mihi quam elegans sit hoc simile. Ut enim de veprium vehementi incendio toti fumorum olympi ἐκθρώσκουσι, id est, exiliunt, ut Homerico verbo utar: sic superborum hominum tum consilia, tum facta cum tanto fastu ac pompa prosiliunt, ut nescio quae terriculamenta praebeant stultae plebi: quae tamen omnia non aliter quam fumus dissolvuntur. Involvendi vero verbum, quo commodissime usus est propheta, quum superba molimina stultorum hominum frivolis voluminibus fumorum comparat, in Prosiliendi verbum transtulimus. Quod aeque in hac re concurrit, virtute Metalepseos.

Conflagrabit terra. Scio passivam adfectionem esse in נעתם. Sed eam quum hoc verbum Conflagrabit habeat, sic vertimus.

Comedet quisque carnem brachii sui. Ab his qui fame necantur, quos perhibent nonnunquam carnem suam ambedisse, metaphora tracta est. Fratres autem Ephraim et Manasse unam carnem facit. Huc decidunt humanae aemulationes, ut fratri, sine cuius coniunctione constare nequit, non parcat frater.

EX CAPITE DECIMO.

Vae qui conditis leges iniquas. Perstat in increpandis divitibus, et qui in potestate sunt.

Et difficilia ad servandum statuitis. Ad verbum habent Hebr. Et scribentes difficultatem scribitis. Quum autem Scribendi verbo, Graeci quoque pro Decernendi, statuendi, sententiamque dicendi verbo utantur (ut passim est apud Demosthenem, ἔγραψε, hoc est, Sententiam dixit: ille, aut alius scilicet): ideo commodum fore putavimus Statuendi verbum. Videntur nobiscum facere intentantia puncta Rabinorum. Ex hoc loco suum quoque sermonem formavit Christus, dum scribas et pharisaeos taxat, quod leges servatu difficiles rogarent, quas tamen summo digitulo non attingerent, sed qua ratione obnoxiam sibi facerent miseram plebem. Adeo universis aetatibus leges aranearum telis fuere similes. In quas si minuta insecta incidant, retinentur: si grandiora, perrumpunt.

Ut nunquam non incidant pauperes. Ad verbum sic sonant Hebr. Ad declinandum litem sive iudicium pauperum: hoc est, ad

pervertendum causas pauperum. Servavimus ergo Lites, ad sequens membrum, ut isthic cum iudiciis iugarentur. Et hic verbum Declinandi commutavimus verbo Incidendi: quo Iurisperiti frequenter utuntur. In legem enim incidere dicunt, pro, Contra legem praevaricari.

Et discriminis. Discrimen pro vastitate posuimus.

Aut magnitudinem vestram ubi deponetis? Magnitudinem posuimus pro opulentia. De ea enim hic tempestive monet, quod impedimento futura sit. Accipitur enim hic in malam partem כבוד. Deponetis autem vertimus ex Relinquendi verbo: quod locupletes homines ferme in rebus dubiis aliquo rem suam deponant, ubi sit extra periculum.

Quo minus ad compedes redigamini. Hebraea nuda sunt: Quo minus deflexio sub vincula, fiat scilicet.

Cadatis. Id est, desideremini. Cadendi enim verbo cum Graecis et Latinis utuntur pro Desiderandi. Atque hie iterum inculcat, manum irati dei nihil remittere.

Vae Assyrio quoque baculo furoris mei. Confirmatio est: qua ostendat se nullis parcere, qui ut primum evecti sunt, insolescunt.

In manu sua tenet. Hebraea hoc modo habent: Et virgam ipse furoris mei in manibus suis. Tenet scilicet, per ellipsim. Hic primum adnotandum est, Isaiam hic recedere ab idiotismo linguae suae. Qui talis est, ut adfixa, hoc est Pronomina possessiva possessori conforment, non rei possessae. Quae quidem res plurimum lucis in loco conciliat sensibus. Ut si volet Hebraeus de veste sua loqui, non dicet Vestis mea: (ubi possessivum pronomen conforme est Vesti, rei possessae) sed Vestis meus, vel mei: ubi possessivum pronomen conforme est possessori. Et si Hebraea de libro suo loqui volet, non dicet, Liber meus, sed Liber mea: propterea quod possessor foemina est. Huic enim pronomen possessivum conformat, et non rei possessae, puta libro. Hic autem dicit בידם, In manibus suis, (est enim alloeosis numeri,) pro בידו vel בידיהו, In manu sui, vel, In manibus sui, vel ipsius. Quod et si non crebro fiat, in Psalmis tamen atque in aliquot aliis huius prophetae locis deprehendimus. Est et illud non transmittendum, quod Manus hoc loco non habent formam pluralis numeri apud Hebr. sed affixum, hoc est possessivum pluralis numeri, singularem formam ad se trahit: tanquam dignior numerus inferiorem. Plurali enim isti honoris loco utuntur. Hinc Deos plurali numero, non aliter quam Graeci et Latini Deum unum, multo saepius quam singulariter adpellant. Defendi ergo ipse iam, arbitror, causam meam ab impetitione quorundam Theologorum, quorum nomen pacis gratia tacebo: quod Deos immortales, alicubi stromatum meorum dixerim.

Ad gentem hypocriticam mittam. Hypocriticam vertere malui, quam Fallacem. Quamvis omnis hypocrita fallax est. Propterea quod superius causatus est, Deum ob id maxime commotum, quod omnes sint hypocritae. *Επαναλαμβάνει,* id est, resumit igitur pessimum scelus, ne demerito maior putaretur ultio.

Qui indignationem meam commeruit. Dudum diximus, Schema locutionis eis esse, ut dicant, Homo peccati, pro, Homo flagitiosus:

Qui se ad secandum utitur. Se, ipsam securim aut serram refert.

Tractat. Tractat autem verbum frequentativum, hoc est grave, quod continuam actionem significat, est.

Quasi lignum non esset. Hebraei absolute habent, Non lignum: sed indubie ἐλλείψει, id est, omissione notae similitudinis.

Tenuitatem in abundantiam eius. In pinguedinem eius gracilitatem, potius sonant Hebraea. Sed quum tropica loquutio hunc tamen sensum habeat, contenti sumus sententiam reddidisse.

Et in potentiam eius ignis incendium suggeret. Hic quoque contenti sumus sententiam non improbe reddidisse. Gratiam enim Paronomasiae quae est in כבד et יקד: et Anadiploseos quae est יקד et כיקד quis adsequeretur?

Erit autem lucerna Israel ignis. Lucerna Israëlis Periphrasi ipse Israël est: id autem propter aeternos ignes, qui de Mosis instituto iugiter alebantur purissimo oleo. Considera autem quam erudite Israëlis ignes eos fore dicat, qui Babylonium incendant. Commeriturum enim populi sui adflictione exterminium.

Et sanctuarium eius flamma. Sanctuarium scilicet quod ille incenderat. Vide qui mycterismi.

Vepres et spinas eius. Pro rebus Babylonii dixit. Quasi sic vaticinaretur: Res eius velut immanem vim spinarum et dumorum incendet. Et iam per Allegoriam eas res, Vepres et spinas nominat. At sunt et Christo divitiae Spinae vocatae.

Splendor quoque. כבד quod gloriam etc. quoque significat, in splendorem hic vertimus.

Anima et corpore consummabitur. Locus est a sufficienti divisione. Qui enim corpore et anima perierunt, funditus perditi sunt. Quod autem saltibus et collibus corpus et animam tribuit, Prosopopoeiae est, quum quae hominis sunt inanimae rei dantur.

Arbores autem silvae eius. Allegoria quoque est. An autem magnatum et Satraparum tantum habuerit ut silva dici possint, Danielis quinto discitur: ubi mille Megistanes ei tribuuntur.

Ut puer eas recensere possit. En ut huic ingenio nihil ignotum, nihil non praesens fuit. Quidvis eloqui prius discunt pueri, quam numeros ex ordine; ac dum capiunt tandem, paucos servant.

Non ultra nitentur etc. Praedicit libertatem genti suae. Mihi, ut plane dicam, videtur liberatio ex Babylonica captivitate humilior et minor undique fuisse, quam de qua prophetica verba possint intelligi. Unde adducor, pluribus locis quam creditum est hactenus, de liberatione quae per Christum praestita est mentionem fieri. Nam si aeque memini Romanam historiam, non ingens tempus fuit ante natum Christum, quo de Antiocho triumphavit Asiaticus Scipio. Post hoc ergo tempus Assyriacae subiugationis, coeperint reliquiae huius gentis deo niti ex fide.

Ex fide. באמת, id est, In fide, veritate, firmitudine, integritate. Haec enim omnia significat una eademque vox Amen et Aemaeth. Hinc Hebraismi isti: Fidelis sermo, pro, Certa, indubitataque ratio, res, consilium, in aliena lingua.

Stat sententia eius qui abundat iustitia. Hebraea habent ad verbum, Consummatio decreti: Idiotismo pro, Consummatum aut absolutum est decretum. Ubi Latini dicunt, Stat sententia. Quod autem Hieronymus vertit, Consummatio abbreviata, nobis suffragatur. Quum enim non dixerit, Consummatio abbreviationis, testatur aut huiusmodi Hebraismos, recti cum obliquo, poni vice adiecti et subiecti; aut ea coniungi ex diversis generibus: quae ambo in superioribus adnotavimus. Nam כליון foemina est, חרוץ vero mas. Quamvis ea vox quae abbreviationem et praecisionem significat חרץ, etiam pro decreto accipiatur, quomodo nos vertimus: atque adeo Hieronymus ipse, 3. Reg. 2. כן משפטך אתה חרצת, hoc est, Iudicium tuum quod ipse decrevisti. Atque huic translationi etiam sequentia adstipulantur.

Unde et certam atque indubitatam rem faciet dominus deus. Nunc Certam et indubitatam vertimus, pro Consummata sive perfecta re. Rem autem pro Decreto. Quoniam sensui tam abest ut quicquam decedat, ut etiam ad lucem eius accedat nostra interpretatione. Quid enim aliud est, Consummatum decretum faciet (hic enim habetur כלה נחרצה) quam, Indubie faciet eam rem quam decrevit? Hactenus visus est mihi locus iste augustior, quam ut de reditu Babylonico videatur Propheta loqui: sed de adventu Christi, post captum Assyriacum regnum.

Ne formides popule meus. Haec quum consolationem promittant, attamen simul virgam ac baculum intentent, inconstantia potius videntur quam pia aut docta. Apparet igitur aeque ad nostram sententiam facere atque superiora. Tunc enim verum solatium accepit Israel, quum Assyriaco regno a Romanis subacto Christus est natus. Non enim sub eorum liberationem capta est Assyria, sed longo post tempore.

Et sicut virgam suam levavit. Sicut ex superiori membro huc quoque accommodavimus. Sic enim et similitudinis notas *προλαμβάνουσι*, id est praeponunt, ut omnibus membris sufficiant.

Quemadmodum Aegyptios. Est quidem ad verbum, In via Aegyptiorum: sed hac locutione utuntur pro, More Aegyptiorum. Id quod aliis locis saepe monuimus. Et antecedens membrum satis probat exempla esse, quum sic habet Hieronymus: Iuxta plagam Madian. בדרך igitur, id est, In via, similitudinis nota est.

Tunc adimetur onus eius de humero tuo. Post Babylonicam libertatem non fuit eis iugum in universum ademptum. Unde ad haec tempora referri ista debere videntur quae adnotavimus.

Quin prae pinguedine putrescet iugum. Ex ו, id est, Et, fecimus, Quin, *μετανοίας*, id est, correctionis notam. Ex מפני, quod Hieronymus, A facie, transtulit, fecimus Prae. Et ex שמן non Oleum, sed Pinguedinem. Adparet autem proverbialem fuisse sermonem, Pinguedine perit: quum quis nimiis opibus uti nesciret quin se ipsum perderet. Sic et Babylonicum regnum sua mole, sua potestate, sua opulentia ruiturum dicit. Quomodo Livius de Romano imperio: Ut iam, inquit, magnitudine laboret sua.

Veniet ille quidem ad Aiath. Hunc locum ipse arbitror *ἐπάνοδον*,

id est reditum esse, ad hunc videlicet locum, Virga quidem percutiet te. Ut hoc modo agat: Quod praedixi Babylonium te virga percussurum, tam vere usuveniet, ut etiam profectionem eius et stationes dominus mihi revelaverit. Posuimus autem, Quidem, pro nota cum divisionis proxime antecedentis sententiae, tum reditus ad superiorem, Erudite: atque, Unde et proverbium natum est. In tabellam depinxit Oecolampadius ea loca quae hic connumerantur.

Recensebit exercitum suum. Hebraica sic habent, יפקיד כליו, id est, Recensebit arma sua. Non enim vasa aut sarcinae dicuntur recenseri, sed arma cum armatis. Vertimus igitur, Exercitum. Intelligit enim transvectionem sive inspectionem: quam ferme peragunt duces conscripto et coacto iam exercitu.

. *Isthic vadum transibunt.* Isthic, non est ex verbis huius loci. Sed quum ex ordine sic agat propheta, ut et hic servatus esse videatur, addidimus. Etiamsi non sit ad Iordanem Machmas: transitum tamen quendam adparet isthic non longe abesse, sive per iugorum angustiam, aut fluminis alicujus alveum.

Et Gabaam divertent. Gabaa diversorium nostrum, ad verbum habent Heb. Quum autem לנו, vel pro למו, hoc est, Nobis, pro, Eis, positum sit, vel Assyrii loquentes inducantur: satis dictum est, Gabaam divertent. Fit autem hic mentio duarum Gabea, Nobilis, et quae Sauli cognomento adpellatur.

Hinnitu resonabit filia Gallim. Hieronymus recte reddidit verbum verbo. Sed quum adeo violenti transitus et aversiones tam crebrae lectorem remorentur, ubicunque licet libenter complanamus. Filia Gallim Hebraismus est.

Qui usque Lais etc. exaudietur. Enallagen vertere placuit. הסקיבי enim, id est, Attende, ad hinnitum spectat, hoc sensu, In Gallim tantum fore equitatum, ut hinnitus usque Lais et Anathot exaudiatur, quas in hoc auscultare iubet. Vide autem quae ποίησις, et factura verborum, quanta varietas, quam magnificus per omne Troporum genus incessus.

Trepidante Madmena. Septuaginta imitatus sum, qui נדדה verterunt in ἐξέςη, id est, Attonita erit. Nihil enim curandae sunt in loco temporum adfectiones.

Manum suam vertet. In Evangelio κατὰ Λȣκᾶν legitur: Erat facies eius Hierosolymam euntis. Quo discimus eiusmodi loquutionibus uti pro, Versus, Ad, ac similibus ad locum vocibus. Adnotabis iterum iugandi studium, montem Zion, et collem Ierusalem.

Sed ecce dominus deus exercituum pavore gloriationem istam amputabit. Primum ex Vaf adversativa, Sed, fecimus. Secundo ex מסעף praecidens, Amputabit. Utuntur enim Participiis activis praesentis temporis pro futuris. Tertio ex Laguncula Hieronymi, quam de פארה formavit, Septuaginta sequuti qui ἐνδόξȣς verterunt, Gloriationem. Caetera similiter habent.

Praelonga statura praeditos succidet. Praepotentes intelligit ac violentos homines. Septuaginta enim ἐφεξίγησιν de suo addiderant,

καὶ οἱ ὑψηλοὶ τῇ ὕβρει συντριβήσονται, id est, Et praealti cum violentia, conterentur.

Et Libanus potentium cadet. Apud Hebraeos non est, Potentium, sed, Cum potente: Libanus cum potente cadet. Quum autem ב, id est, Cum, vel In, nonnunquam sit Articulus praepositivus intentissime demonstrans et magnificans, ut Iudic. 18. et 3. Reg. 7. patet, vertimus Libanum potentium: Quo clarius videremus qui teneriores sumus, quid hinc inde per Cedros altas et Cyparissos reliquasque arbores velit accipi propheta. Nam et si vertas, Libanus cum potentibus vel potente cadet, iterum intelligimus silvam violentorum hominum.

EX CAPITE UNDECIMO.

Tandem prodibit surculus. Tandem ex Vaf expressimus, sed iure: Est enim ordinis hoc loco. Nam nisi esset, non inciperet novum vaticinium a coniunctione. Est autem hoc Caput ut irrefragabile de Christo domino testimonium, ita mira eruditione fartum, quemadmodum patebit. Post humiliationem regni Assyriaci venturum esse Christum praedicit, nostra quidem sententia, ut antea demonstravimus.

Ac timoris domini. Vertimus: quoniam Hebraea sic habent ad verbum. Nec tamen abhorreo a Pietatis voce, quum pro se mutuo nunquam non ponantur.

Et commendabilem eum faciet. Adparet ריח Hebraicae vocis etymon, quae et odorem et odoratum significat, a רוח, hoc est, a spiritu, aere, aut vento fluxisse, quod eo velut vehiculo trahatur odor. Quum ergo grata deo sacrificia, suavis odor, sive grata fragrantia vocentur, adductus sum ut והריחו verterim, Et commendabilem eum faciet. Septuaginta ἐμπλήσει αὐτὸν verterunt, id est, Implebit eum. Sed nimirum simili ratione qua et Diva virgo κεχαριτωμένη, hoc est, Gratia plena vocatur: hoc est, dei bonitate et gratia ditata et amata. Nam praesens vox nihil magis significat (si sic liceat loqui) quam, Et suaveolentum faciet eum. Hoc igitur sic extulimus: Et commendabilem etc.

Timore domini. Sic vertere coegit instrumentalis Praepositio ב. Neque sic formatus sermo Christo non competit. Is enim, quo verus homo agnosceretur esse, reverentia patris semper religiosus fuit. Atque adeo tam constanter, ut et quum hic ipse viveret, patrem maiorem se esse confiteretur, et nunc quum regnat per Apostolum suum vaticinatus est se regnum patri oblaturum.

Neque ad famam. Auditum vocant Hebraei omnem praedicationem, nuncium, famam, et rumorem. Quum ergo praecipitum Tyrannorum sit, ad unius alicuius perditi hominis delationem ac famam optimum quemque perdere, perhibet hunc nostrum ab eo vitio fore longe alienissimum.

Humiles terrae. Eadem vox quae illis pauperem, significat et humilem. Magis tamen allubebat Humilis, ne solos paupertinos capias, sed omnes depressos. Adnumerat enim dotes boni principes.

Terram percutiet virga oris sui. Occultae Antitheses hic sequuntur. Percutiunt reges ac tyranni ferro, machinis, flamma: Ille vero noster ore, hoc est, clara et constanti praedicatione veri, iusti, sancti.

Ipso autem spiritu labiorum suorum interficiet impium. Sic vertimus, ut ipsa Auxesis magis esset perspicua. Vult enim solo halitu illum perditurum esse hostem suum. Quid enim halitu fragilius? At hic noster tam robustus erit, ut halitu interficiat. Quamvis non ignorem Halitum hic poni per Allegoriam, pro vi veritatis: sicut et Impium pro impietate, res pro persona. Dextere usus est hoc loco Paulus ad Thessalon. 2.

Iustitia cingulum lumborum eius. Amiciuntur Tyranni ferro, nervis, coriis, et quicquid tenax est ac impenetrabile. Plerunque autem ideo, quod iniuria et violentia omnes laeserunt, et hostes habent. Noster vero tanta iustitia, fide, et veritate praeditus erit, ut omnes illum amplexuri sint. En quam doctae ac simul proclivae allegoriae.

Baltheus laterum eius. Baltheus quum militaris sit, huc est a nobis ascitus. Est autem in Hebraicis hoc loco valde concinnum homoeoteleuton in אזר מתניו, et אזר חלציו.

Ut habitet lupus etc. Hieronymus non exposuit Hebraicum Vaf, sed absolute, Habitabit etc. Qua quidem expositione nihil decedit sensui, sed claritati et cohaerentiae. Iustitia enim inter mortales regnante, et veritate ac fide circum omnia negotia praesentibus, fieret ut violentissimi quique (quos per lupos significat) cum humillimo quoque convenirent.

Quodvis pecus. Vertimus ex מריא.

Simul sint. Sint, de nostro addidimus: quum alias omnia ista subiecta ad ירבץ, id est, Accubet (quod per Prolepsim praemissum est) pertineant; quo planior esset et Hebraico ordini similior sermo.

Vacca et ursa erunt unum armentum. Diximus pro, Simul pascent. Habent hic Hebraea summam gratiam propter *Ζεύγματος* virtutem, quod est in יחדיו, id est, Simul. Quae vox in medio posita, ad utrumque membrum servit, hoc modo: Vacca et ursa pascentur simul, simul accubabunt catuli eorum. Catulos autem per Syllepsim ambabus tribuimus. Considera vero mihi, quanta sit in Tropis festivitas, quae dictionis magnificentia: quum et notissima animalia ita coniuget, ut allegoriam nullo negotio perspiciamus, et argumenti pondus tamen vulgaribus non vilescat.

Hic lactens adhuc. Tam magnificam ἐπίδειξιν, id est demonstrationem, energiae et lucis gratia praeposuimus: quo et honorifice demonstraretur tam iustus dux, et sermo non posset alio referri.

Delectabitur aspidis antro. Herculeos labores illi tribuit. Quumque, sive Mercurio sive Herculi (ut solent) infanti, Graecorum docti tribuant, ut in cunis infestum serpentem necaverit, adparet prophetam nihil horum ignoravisse: atque ab istis aliisque summis rebus allegorizandi sumpsisse materiam.

Reguli cubile. Regulus, Basiliscus est Graecis, serpens venenatissimus, ut qui solo tactu herbas flaccescere, imo arescere et perire

cogat, teste Plinio. Neque ut pingitur biceps est; sed qui duo capita habet, Graeco vocabulo Amphisbaena vocatur, quod ambigue, hoc est, in utramque partem cancri more incedat. Neque ea figura est, qua ante annos vigintiquinque Maximilianus Caesar absens et obiter Basileae in aedibus cuiusdam sacrificuli conditum exhibuit. Qui neque ipse, et si caudam exilem et longam (si spicae per ariditatem potuissent explicari) ullum tamen in ea caput habuit; reliqua figura gallinaceum referebat. Unde adducor forte non vanum esse, incubatu gallinacei nasci; sed innoxium hunc sive Basiliscum, sive Ophalectryonem.

Plena enim erit terra. In futura legitime transferuntur praesentia activae vocis, ut iam saepe monuimus. Unde mirum est, quod Septuaginta in praeteritum tempus verterunt.

Scientia domini. Emphaticῶs ponitur hoc loco Scientia, pro Religione, cultu, et observatione. Quomodo isthic, Non glorietur sapiens in sapientia sua etc. sed in hoc glorietur scire et nosse me: hoc est, Agnoscere, vereri et colere.

Ut radicem Iesse Gentes requirant. Radicem posuit pro germine per Enallagen. Quae autem lepidior Allegoria posset de Christo ex semine David nasciturо depromi?

Quae stat in signum populorum. Allegoria tracta est a signis militaribus, ad quae miles spectat et congregatur. Sic Christus et dux et signum est, sub quo militamus. Est et signum cui plurimi non tantum contradicunt, sed hostili animo infesti sunt. Ex his fontibus hauserunt divini homines, quae aliis atque aliis temporibus ac locis reddiderunt. Unde non est ut per omnia ostendamus, quae unde hausta sint. Suo enim Marte qui diligenter sacras literas versant, vident ut ex hoc propheta, qui eum sequuti sunt, omnes velut de inexhausta abysso potaverint.

Erit enim habitatio eius honorifica. Non ausim dicere cur credam Hieronymum vertisse Sepulchrum ex מנחה, quum haud temere (quod ipse meminerim) per universa Biblia pro Sepulchro ponatur, et ipsi Septuaginta ἀνάπαυσιν, id est, Requiem, mansionem, aut hospitium verterint. Adeo volumus omnia nostra, quaeque circum nos sunt, omnibus eximia videri. Sed ad sensum prophetae redeo. Allegoria ludit ad regium Davidis splendorem, atque perhibet Christi habitationem, hoc est, requiem, et aeternam ad dexteram patris mansionem, honorificentia longe antecellere maiestati quum Davidis, tum omnium gentium regum.

Tunc iterum conabitur. Si ista volueris ad liberationem Babylonicam referre, sensus erit ad hoc tempus referendus, quod inter eam liberationem et Christi nativitatem intercessit. Si vero ad praedicationem Apostolorum, quo nos constanter adserimus referenda esse, melius omnia cohaerebunt. Quae enim sequuntur, allegoriam non esse nemo obtinebit. Quum autem hoc saeculo, quo cum praeclaris dotibus et ingeniis mire proficit gloriae quoque cupiditas, quidam omnium hypocritarum princeps certamen nobis (non aliter quam Eris) iniecerit, atque id quidem satis seditiose, (Quid enim seditionem nunquam non spectans plebs cogitabit, dum carnalem felicitatem praedicari audit?)

de ultima Iudaeorum reconciliatione, deque ad literam intelligendis his quae ad eam pertinent; id autem adeo in speciem sancte ac firmiter, ut etiam electis, hoc est, piis, innocentibus, ac eruditissimis fratribus os potuerit oblinere: volo et ipse meam de ea quaestione confessionem ac sententiam brevibus non dissimulare. Ego Iudaeos aliquando copiosius vocandos esse ad Evangelii Christi cognitionem nihil ambigo, doctus istud prophetarum et Apostolorum oraculis. Sed quod tum carnalis, externa, aut sensibilis felicitas ea futura sit, quae passim ad literam quidem promittitur, id vero manifeste abnegamus: his potissimum adductis causis. Una, quod summum errorem esse sciamus omnes, si quis troporum figurarumque variegationem, et pigmenta tum verborum tum sensuum e sacris literis tollat. Si igitur per omnes omnium divinorum hominum scripturas huiusmodi colores, umbras, ac luces invenire licet, quae (malum) ratio his locis negare Allegoriam esse, ubi carnalibus umbris aeterna ac coelestia depinguntur? An iam non quadrat hoc Salvatoris nostri verbum, Regnum meum non est hinc? Nisi quod naso circumducere, imo perdere iterum male consultam plebem satagimus: quum scilicet carnalibus spebus occasionem literatoria expositione offerimus. Facile credunt, qui spiritu pollere videri volunt, si dicas: Hoc pollicentur divina oracula. Iam enim insidians caro gestit ut spiritui imponat: Ecce (inquiens) ut non iure premar, licebit otiosis nobis, o anima, aliquando citra noxam bonis illis etiam frui quibus ego delector. Hic perfossa et traiecta supinatur anima, propter commercium domesticae meretriculae, quae in hoc lenocinatur ut libere deliciari deceat. Hinc nobis Catabaptistarum infamia connubia, hoc est, promiscua et impudentia adulteria. Hinc ὑποπνευματικῶν, hoc est, Subventaneorum sive Contraspiritualium (sic enim non iniuria quis eos vocet) stulti furores, imo temerariae lationes: quum tamen spiritu agere cuncta videri ambiant. Hinc propter rerum communionem tot insurrectiones et tumultus, nunc adesse occasionem dictantium, abiiciendae publicae authoritatis, et magistratus conculcandi. Quum tamen Christus ipse, dum corpore praesens esset, visibiliter tum praedicaret tum signa faceret: cum cibaret etiam, potaret, ac interdum omnem penuriam sarciret, huius tamen rei exemplum nullum reliquerit; deinde huius beatitudinis mentionem nullam fecerit. Quod minime factum esset, si eiusmodi quiddam manere vidisset: qui alias de ultimo die, de falsis prophetis, de periculis in diem emergentibus, adeo tempestive monuit: qui corda nostra tot promissionibus firmavit, tot armis per Apostolum instruxit, ut stare adversus diaboli insultus queamus. Altera vero causa (nam in priore multa subiunximus, quae peculiares causae esse potuerant) est scripturarum testimonia. Divus Ioan. Evan. 1. cap. 2. Quicquid est in mundo, carnis concupiscentia, concupiscentia oculorum, et ipse fastus vitae, non sunt ex patre, sed ex mundo. Et mundus praeterit, et concupiscentia eius etc. His Apostoli verbis videmus breviter, mundana citra dei offensionem concupisci non posse. Et ne quis dicat, Ea concupiscentia vel fruitio de qua loquor sine scelere erit, occurrit et dicit, Quae in mundo sit concupiscentia, non esse ex patre. Aliam igitur beatitudinem, atque alibi expectamus, quam

quae sine offensione non est, et ubi nemo est qui non offendat. Sed dicas: Isti non sic sentiunt, sed solummodo adserunt fore, ut totus mundus pacatus atque tranquillus sit, Id autem ex Fidei unanimitate. Quasi vero ipse contra aliud pugnem. Ego (ut me recte quis intelligat) adversus hanc sententiam maxime pugno. Nunquam omnes credemus. Nam et hodie plurimi, ex his etiam qui se pro Fidei antesignanis indicant, Fidem non habent. At ubi non est fides nisi simulata, quomodo non est ibi sola nocentissima caro? Caro autem quomodo pacem habebit cum spiritu, cui inducias ne in somno quidem permittit? Paulus denique Romanis scribens: Ego, inquit, carnalis sum venumdatus sub peccatum. Qua sententia non tam de se, quam per se velut exemplum de omnibus loquitur. Si ergo carnales sumus, ac tyranno venditi, peccato scilicet: quomodo pax erit per universum mundum, quum Caro sua quaerit, non quae Iesu Christi? Ioannis 17. cap. negat se Christus in mundo fore, nos autem fore. Et ibidem 16. In mundo, ait, angustiam et tribulationem habebitis; sed confidite! ego vici mundum. Hic ego neminem tam rustice doctum arbitror Christianam rem, ut de Apostolis, qui tum in re praesenti erant, Christi verba tantum intelligenda putet, non etiam de omnibus nobis qui credimus. Si ergo tribulationem experturi sumus in mundo, indubie erunt qui nos malis ac suppliciis adficiant. Ubi tunc manebit ista pacis externae felicitas? Quid multa? Aliis parentibus aliaque genitura nasci oportebit, qui sine scelere victuri sunt. Quod si nemo sine crimine vivit, nunquam speranda est, quandiu peregrinamur in hoc mundo, pax. Fingere quisque potest quod lubet; at aliter habere res non possunt, quam Conditor ipse creavit. Atque, ut ingenue dicam, ut de Baptismo et Eucharistia sola ignoratione Linguarum dissentitur: sic et in hac controversia Allegoriarum inscitia erratur. Porro quod Hieronymus transtulit: Adiiciet dominus secundo, neminem huc adducere debet, quasi prior conatus praesente Christo perfectus sit; ac deinde secundus sit (quod ad externam felicitatem attinet) beatior futurus. Id autem duplici ratione. Una, quod שנית, id est, Secundo, Hebraei non tantum pro Secundo utuntur, sed pro, Iterum; id autem multis locis. Quo factum est, ut nos, Iterum, verterimus, antequam quicquam de hac quaestione audivissemus. Altera, quod si maxime nefas esset aliter quam Secundo verti, non tamen ideo quae sequuntur non sunt Allegoria, quam interim suis locis ostendemus. Iterum ergo conabitur dominus gentem Iudaicam per Christum, per Apostolos et Evangelistas, sibi vendicare, usque ad mundi consummationem. Quumque carnalis Israel non vult ad dominum colligi, verus quotidie colligitur ex Aethiopibus et Scythis, ex Indis et Hispanis.

Adserere reliquias populi sui. Adserendi verbo usus sum pro Possidendi, comparandi, acquirendique verbis. Eo enim fere utuntur quum loquuntur de restitutione in libertatem, quum statum et caput defendunt Iurisperiti.

Ab Assyrio. Eas hic gentes recenset, quae gentem Iudaicam semper aliqua clade adfecerunt. Nos per Allegoriam fideles, cum ex

his tum ex universis gentibus, credimus significari. Quod sequentia velle videntur.

Gentibus tunc quoque signum dabit. Tunc, ex Vaf interpretati sumus. Hanc autem putamus esse notam Allegoriae. Nam Isaiae tempore vix in alias quam praedictas gentes, captivi fuerant abducti. Quum ergo Gentibus signum esse dandum perhibeat, de quo alio signo contendemus intelligendum esse, quam de Christo, qui eis praedicandus erat? Si dicas, Prophetam futura praedicere, nempe quod in Babylonica illa liberatione sint undique vocati, nihil dices. Nam in alias quam supradictas Gentes tum quoque non erant dissipati. Deinde non legimus tunc ex aliis gentibus ullos rediisse. Scio manipulum illum, de quo apud Ieremiam, in Aegyptum fugisse: sed Aegypti etiam hic habetur mentio. Et quicquid tandem adducas, vocantur hic aliae quoque gentes: quod, nisi per Evangelium, nunquam legimus esse factum.

Et colliget dispersos Israelis. Dispersi nunc dicuntur ii qui et veri Israelitae facti sunt, Gentes scilicet. Ut enim Israelis nomen ad eos translatum est, ita et Dispersorum, hoc est, passim per orbem dissitorum.

Ephraim non aemulabitur Iudam. Post Hieroboam filium Nabat, qui decem tribus ad se traxit, non tantum simultates, sed etiam iusta bella exercita sunt. Hanc aemulationem sublatum iri promittit, quae et sublata est, quum Apostoli de quacunque tandem tribu essent, velut aquilae in perdices, versus occidentem in Palaestinorum, hoc est, Gentium capita devolarunt, et correptam domino praedam attulerunt. Neque huc modo, verum etiam ad orientem et meridiem, quem Idumaea et Moabitis intelligimus.

Et devovebit dominus. Nihil moror, si Hieronymum placet sequi in expositione verbi חרם, et intelligere, Desolabit dominus, etiamsi nos, Devovebit, verterimus, quum utramque significationem habeat hoc verbum. Nam utraque in eundem tandem sensum redit, videlicet, fore ut et Aegypti flumina iter praebeant festinantibus ad Evangelii Christi auditum. Omnia sunt valde poetica, hoc est, erudita, καὶ ἁδροῦ πλάσματος.

Oram quoque maris Aegyptiaci. Hic linguam in oram vertimus: non per Synecdoches virtutem, sed ideo quod Linguae vocabulo Hebraei nationes ac populos designant. Quomodo Germanice dicimus, Die Teutsch zung: id est, Lingua Germanica, pro Germanis, aut etiam pro ipsa Germania.

Ut pedibus transiri possit. Diximus pro, Ut calciamentis transiri possit. Ponitur enim hic הדריך pro הדריכו, id est, Et vadabilem aut transmeabilem faciet eum, Nilum scilicet. Nam וה ex superiore loco etiam huc servit, quemadmodum in superioribus de adfixis ostendimus: ut sive Proleptice, sive Sylleptice, sive Zeugmatice, hoc est, ab initio, in medio, aut in fine ponantur, omnibus tamen membris serviant.

EX CAPITE DUODECIMO.

Ut tunc sic dicturus sis. Praeparat eruditus homo gratiarum-

actionis carmen, quo vel hodie utimur, dum ex fide Divinae in nos libéralitati gratias agimus.

Gratias ago. Aeque pollent Confiteri, et Gratias agere.

Sed mutato vultu. Idcirco vertimus, quod una voce, Faciem, vultum, et iram nominant אף. Veruntamen Metaleptica ratione, quod qui irascuntur, vultum deformiter immutant. Quomodo et poeta dicendo, Iratum plena minarum Vultum verba decent: Iratum vultum, periphrasi pro Irato dixit. Et sapiens quidam, bene quidem, sed imprudenter praecepit, ut irati vultus suos speculo offerant. Futurum enim, ut odio deformitatis et indecentiae ab ira temperent. Nam qui adeo irati sunt, ut vultus minaces et truculentos induerint, feruntur sicut Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. Non est ergo ut hoc pacto absentes temere se possint sibi restituere, taceo speculo offerre. Quamvis est modus in rebus, et forsan invenias qui non toti corripiantur. Unde excutiendi, magis quam taxandi animo contra consilium istud evecti sumus. Ad nostrum institutum tamen facit. Quo videlicet manifeste videmus, quam lepidis et elegantibus translationibus et transsumptionibus referta sit lingua sanctissima.

Fidam eo et non formidabo. Est et huius verbi, Formidabo, ratio reddenda: cur scilicet non fuerim contentus Hieronymi interpretatione, Non timebo. Gratius voculat, Fidam eo et non formidabo, quam, Fidam eo et non timebo: propterea quod in Fidam et Formidabo, *παρονομαῖον* est. Quod a Paronomasia hoc distat, quod primam literam aut syllabam parem aut vicinam habet: ut, Veni, vidi, vici. Nam in Veni, prima solummodo litera eadem est cum sequentibus; in reliquis duabus, tota syllaba Vi. At Paronomasia universa ferme paria habet, praeter pauca: ut Italus et vitulus, Mendicus et medicus, Ebrius et Hebraeus. Porro Isaias paronomasiam habet in אבטח et אפחד. Ne ergo non imitaremur prophetam, impense hoc tropo utentem, paronomasiam quum non possem, quod potui reddidi Paronomaeon. Atque ista hoc loco ponere placuit, quod non semper cogar cuiusque levis momenti, quod me aliquo impulit, rationem reddere. Fidam eo tamen dixi, et non, Fiducialiter agam: quia antecessit: En deus salus mea, vel Salvator meus est. Nunc ergo Ellipsi deest, Quo: ut sit sensus, Quo fidam. Ut non sit absolute positum verbum אבטח.

Hic erit refugium meum. Hic varietas spectanda erat. Nam ante paucissima verba, Salus aut Salvator erat positus. Quum autem ישועה, non tantum pro salute, sed etiam pro effugio et refugio ipsis accipiatur, in Refugium vertimus.

Haurietis aquas. Hebraei habent, Et haurietis. Hieronymum ergo sequuti obmisimus Vaf. Quamvis dicere potuissemus vel, Tunc haurietis: vel, Haurietis enim. Sed quum neque sententiae neque vaticinio, quo salutis ubertas promittitur, quicquam decederet, suffragati Hieronymo sumus.

Gratias agamus. Gratias agite, habent Hebraei. Veruntamen quum haec inhortatio sit totius Ecclesiae, quae sic per ministros confitetur, virtute *κοινωνίας* in primam personam vertimus.

Vehamus nomen eius. Non tam agitur de invocando nomine domini, quam de laudando eo. Est enim gratiarum actio: quapropter Vehamus, diximus. Verbum enim Hebraicum קרא, non tantum Vocare, sed etiam Enuntiare praedicareque significat.

Memoresque simus. Forte non ineptum esset, Memorate quam sublime sit nomen eius. At versione Hieronymiana stetimus.

Ut sciantur in universa terra. Videmus hic vel invitis omnibus literatoribus, מ, id est De, Hebraicam praepositionem pro Ad, vel Ut, poni: quomodo alias monuimus. Nam et Hieronymus vertit ex מידעת, Annunciate.

Hinni et exulta. Impense utuntur Hinniendi verbo, pro Ingenti gestientique laetitia. Mundis omnia munda.

Quae habitas in Zion. Habitatrix, est Hebraeis, non Habitatio. Nisi Hieron. κατὰ συνεκδοχὴν Habitationem, pro Habitatoribus, dixerit.

Quia magnus est princeps tuus. Principem fecimus ex בקרבך, quae loquutio et ducem et familiarem significat, ut antea dictum est. Christum autem intelligit et ducem et familiarem nostrum, qui sumus verus Israel, dummodo credimus. Quanti enim est carne Israelem esse?

EX CAPITE XIII.

Excidium Babylonis. Hic est titulus Visionis aut revelationis, quam dominus ostendit Isaiae de onere et aerumna quae ventura erant super Babylonem. Excidium, autem fecimus non ex משא, quae vox proprie onus significat, sed per aequipollentiam: quo dilucidius fieret quid Oneris nomine significetur, nempe calamitas et adflictio. Quum autem sequentibus visionibus inscriptio non tam lata praefigatur, sed solummodo, Onus Damasci, Onus Moab, aut Vae terrae etc. dixisse contentus sit, huic inscriptioni est accepto ferendum. Quemadmodum enim hic dicitur, Quod praevidit Isaias, sic et sequentia onera et adflictiones vidit revelante domino. Deinde memori mente tenere debemus, visiones esse rerum gerendarum, nondum gestarum. Postremo habent hic prophetae exemplum, quod non tantum iis quibus cum versantur praedicare debeant, verum etiam absentibus, si modo res postulet. Puta si tuos refert non ignorare scelera eorum quibus addicti sunt, aut aliqua ratione, puta commercio aut situ coniuncti. Quum videamus prophetam hunc nostrum non modo vicinis gentibus, verum etiam longe absentibus quae eos mala maneant praedicere.

Monti edito. Propterea quod alias Babylon mons vocatur, propter immensitatem et aedificiorum fastum: idcirco in dativum vertimus. Hieronymus per Metalepsim posuit Caliginosum, hoc est, nebulosum, pro edito. Visus est autem sibi propheta vocem audire, quae sic inclamaret ac diceret: Recipite vos intra moenia o delicati principes. Ecce enim de montibus irruit in vos hostis.

Ad eos. Expositio est, quosnam montem editum adpellaverit.

Annuite manu. His dicitur, qui principes monere iubentur.

Ego enim (ait dominus) nuntiabo. Ait dominus, exprimendae personae quae loquitur gratia supposuimus. Nunciandi autem verbum ex צוה vertimus pro Mandandi.

Devotis meis. Devotos reddidi ex Sanctificatis. Nihil enim est deo sanctificare, quam Dicare ac devovere.

Atque eos qui maiestate mea gaudent. Ad verbum habent Hebraea: Eos qui ira mea et gloria mea gaudent. Respicit autem ad hoc ducum genus quod bellis gaudet, quodque principis sui triumphis inhiat. Horum morem tribuit ministris suis angelis, per quos visionem hanc excitat. Ponitur autem hic עליזי, id est Exultantes, coniugative, ut Irae et gloriae serviat. Praeposui autem עליזי גאותי, id est, Exultantes maiestate mea, priore loco. Natura enim prius est, ut in pretio habeamus eum, cuius ira nos quoque movemur. Deinde לאפי, id est, Ad iram meam, sive Ira mea, instrumentali casu, non ita vendicat sibi articulum ל ut uni modo subiecto serviat: sed etiam גאוה, id est, Gloriae. Quo ergo universa verborum vis sufficenter exprimeretur, hac paraphrasi reddidimus.

Ut indignationem meam perficiant. Hoc quidem alterum membrum antecedentis est sententiae: sed propter Perficiendi verbum iterum tractandum est. Perficiendi autem verbum ut ex Hebraeis non est, ita ex vi sententiae non potest omitti. Ponitur autem ira seu indignatio pro vindicta et mulcta, quam deus iusto iudicio infligit. Non enim maceratur numen ira, sed anthropopathos ei tribuitur.

Videbar igitur audire. Totum hoc nostrum est, et pro nota consequutionis positum: videlicet, quod post inclamationem et exhortationem istam, Date signum monti edito, et, Ego nuntiabo devotis ac fortibus meis: subito visus sit prophetae ingens exercitus adesse.

Vocem similem populi ingentis et tumultuantis. Hunc sensum habent Hebraea: quamvis pro ratione linguae verborum series obscura videatur.

Quasi regna gentium in unum coivissent. Quasi, notam comparationis expressimus, quam isti de linguae ingenio omittunt. Prorsus (ait propheta) quod vidi eam speciem praebebat, quasi dominus cum universo ministrorum suorum exercitu prodiret ad expugnandum orbem.

Ululate igitur. Rationalem addidimus notam propter apostropham, qua a descriptione tumultus avertitur ad eum, super quem excitatus erat: Sive ad orbem universum referas hanc visionem, sive ad Babylonem, quo nos retulimus. Nec enim obstat ampliorem et augustiorem esse sermonem, quam ut ad unam modo urbem trahi possit. Nam etiamsi omnia huiusmodi esse videantur, fit tamen in descensu conversio ad Babylonem, cuius causa tantus adparatus quaeritur. Quod si cui placeat in communi ad diem domini referre priorem partem, usque ad conversionem, nihil moror. Sed is iam consideret oportet, totum sermonem istum ὑποτύπωσιν esse adventus diei domini, quomodo videlicet copias comparet, atque omnia anthropopathos. Deinde, quod hic non ultimus ille adventus describitur; sed omnis, quoties scilicet cunque deus venit ad excindendum urbes, regna, et populos. De qua re paulo post. Inter postrema considerabit hanc sententiam sequi volens, a generali et communi loco descensum fieri ad particularem: hoc est ad eam rem trahi argumentum, cuius gratia locus communis tractatus est. Locus communis autem est, Adventus ultionis divinae. Quibus expensis, puta

quod locus communis in hoc tractari videatur ut ad singulare veniatur. Ad eam formam transtulimus, ut universus sermo ad Babylonem fiat.

Quoniam prope est dies Domini. Dedit ignoratio locutionum Hebraicarum et metalepsium ac synecdocharum (ex quibus fere constant) occasionem errandi in multis scripturae locis, non iam rudibus et audacibus istis, qui ut antiquitatis expertes sunt, ita obstinatissime tamen de omnibus pronunciant, verum etiam eruditis ac piis hominibus. Hinc et huius loci incertitudo, quonam adventus iste formidabilis referendus sit, emanavit. Quod si videamus Diem domini, interim pro fatali cuiusque hora, interim pro tempore vindictae quam de nobis quotidie sumit deus, interim autem pro universalis iudicii die capi: iam plus lucis adfulgeret, quo obscuriores scripturae locos proclivius perspiceremus. Quum Christus Ioannis 6. sic loquitur, Omnis qui cognoscit aut videt filium, et credit in eum, habebit vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die: hic ultimus etiam dies pro fato cuiusque accipitur. Promittit enim Christus se in vita servaturum eos qui se fidant, quacunque hora hinc migrent: quemadmodum superius quinto Capite dixit, Credentes citra omne iudicium transire a morte in vitam. Atque iterum quum Martha fatetur se admittere, quod Lazarus frater eius resurrecturus esset in novissimo die: hic novissimus dies pro universali die capitur, non pro cuiusque fatali. Secundae acceptionis exempla per omnem scripturam, saepiuscule tamen in hoc nostro propheta occurrunt. Sub qua istud quoque 1. Corinth. 3. comprehenditur: Ipsa dies indicabit quidque quod igne revelatur. Nam hic quoque Dies pro afflictionis momento accipitur, non pro ultimo die. Ultimae vero acceptionis tot sunt exempla, ut eorum vi reliquae duae acceptiones absorptae sint. Et ferme per omnem scripturam Dies domini pro universali iudicio acceptus; etiamsi nonnunquam summo cum veritatis detrimento. Quae Christus apud Evangelistas tres, Matthaeum, Marcum, et Lucam de die domini de quo discipuli percontabantur disseruit: interim de urbis, interim vero de orbis excidio res ipsa cogit intelligere. Quod dum non animadvertimus in mediis tenebris palpitamus. Neque hic error solos Theologos in transversum agit: sed etiam iurisperitos me adolescente vexabat, qui ius civile dicebant esse ius urbis, aut principis Romani. Quum vere sit ius cuiusque civitatis aut principis: modo recte videamus quam late pateat Civitatis vocabulum. Qui ergo de Civili iure in sua civitate disserit, nimirum hoc modo facit, ut sic in genere definiat, ut nulla sit Civitas cui non competat eadem definitio. At mox omnia ad suum propositum accommodat, ut imperito possit videri, vel de sua tantum civitate, vel etiam de generali Civilis iuris loco tantum disserere: quum ille interim ad genus, interim ad speciem desultet. Sic quum dies domini omne tempus divini adventus significet, sive ad vindicandum peculiares tum populos tum homines, sive ad iudicandum universum mundum veniat, fit ut pro sermonum et sententiarum varietate eadem locutio aliter atque aliter accipiatur. Eodem modo dicendum est de resurrectione mortuorum, quae et ipsa semel pro vita ea accipitur, quae protinus mortalem istam sequitur: Iterum vero pro carnis resurrectione quae futura est ultimo die, de quo alias. Item

carnis ipsa resurrectio nonnunquam pro universali iudicio omnium hominum ponitur, quo modo dicitur, Videbit omnis caro salutare dei: quum caro quocunque vertas non recipiat salutarem Christum in hac vita: sed caro pro hominibus accipitur. Nonnunquam autem pro ipsa carnis humanae revivificatione. Sic iudicium aliquando pro ultimo et universali accipitur; aliquando vero pro quotidiano, quod et iuge est: quomodo Christus dixit, Nunc iudicium est mundi etc. Quum igitur haec verba, Prope est dies domini, hic ex propheta audis, manifeste vides eum non de generali aut alicuius fatali loqui: sed de die ultionis ac vindictae, quam acuebat in Babylonios. Unde et ea quae in genere de eius adventu dicuntur, maluimus ad Babylonios convertere. Quod si tu renuas, et contendas de in genere adventu ad ultionem loqui, nihil moror, dummodo id agnoscas sententiose fieri, quo scilicet honoratior et amplior sermo fiat, atque quum ad rem particularem descenditur potentior: quomodo de iure Civili exemplum dedimus: quum communis locus ita tractatur, ut singulari patrocinetur.

Quae sicut vastator ab omnipotente veniet. Scio שד utrunque significare, et vastitatem, et vastatorem. At hic potentior est vastator persona, quam vastitas res. Quod idcirco adnotavimus, ut liqueat non semper esse potentius si rem proferas: sed in loco res, in loco vero persona primatum tenet.

Quoniam omnes manus dissolventur. Ex על כן fecimus Quoniam, potius quam Propterea: hac causa, quod haec est Prosapodosis cur ad ululatum vocaverit, et adnumerat ea mala quae in ultima trepidatione conscios adoriuntur.

Et pudore inflammabuntur vultus eorum. Quid Hieronymus sequutus sit, ut verterit, Facies combustae vultus eorum, non plane video: quum Hebr. ad verbum habeant, Vultus flammarum, id est, Vultus inflammati eorum. Nullus enim idiotismus eis frequentior est quam huiusmodi Genitivorum pro adiectivis positorum: Viri misericordiarum, pro, Viri misericordes etc. Praesertim quum et Septuaginta sic verterint: καὶ τὸ πρόσωπον αὐτῶν ὡς φλὸξ μεταβαλῦσιν, id est, et vultum suum in modum flammae mutabunt. Hos igitur secuti, vertimus ut iam praemissum est.

Donec redigatur terra in solitudinem. Donec, vertimus ex ל, id est Ad. Quo vehementius ac diuturnius fieret quod tam minaciter dicitur.

Nam stellae et planctae coelorum. Hebraei per כסילים planetas intelligunt. Coelorum autem tam ad stellas quam planetas retulimus. Neque quae hic dicuntur maiora sunt quam ut ad alium adventum quam ultimum possint referri. Vidimus enim in superioribus quoque non inferiora intentari filiis Israël, omnia tamen καθ' ὑπεροχὴν, id est Orationis eminentiam. Ita enim ferme comparatum est, ut quum dominus populum aliquem adfligere constituerit, praecedentibus signis denunciet. Quamvis non putem istud hoc loco dici, sed ab his eminentiam trahi: quod hi qui in ultimas angustias detrusi sunt, ita mente capiuntur, ut omne consilium eis ac ratio pereat, et infesta sibi sentiant omnia, coelum, astra, terram, et quicquid in ea est.

Et impiorum scelera mulctabo. Visitandi, hoc est, Corrigendi verbum bis interpretati sumus, ut ἐπίκλεισιν, id est, inclusionem faceremus. Est autem Epiclisis quum duo membra sic comparata sunt, ut prius verbum habeat a fronte, posterius autem a tergo: ut, Perdam sapientiam sapientium, et intellectum prudentium reprobabo.

Massa auri ex Ophir. Ophir ea gratia reliquimus, quod apud Plinium lib. 6. capit. 7. Ophari fluminis, et Opharitarum gentis, accolae nimirum, fiat mentio. Facit huc aureum poëtarum vellus, quod Iason Colchide abstulit. Nam et Opharus Scythiae est.

Haec inquam usuvenient Babyloni. Totum hoc nostrum est, quod cum κατασκευῆς, tum lucis causa supposuimus. Non enim satis clarum est quod Septuaginta transtulerunt διὰ θυμόν, id est, Propter furorem. Nam Hebraei habent, in furore, id est, quum furet dominus. Quum ergo antecesserit causa cur iratus sit, puta impudentia et consceleratio Babylonis, iam et ad Babylonem viam munivimus, et clam causam irati dei non dissimulando attingimus. Haec usuvenient Babyloni in indignatione domini exercit. et in die furoris etc.

Et sicut grex quem nemo colligit. Est hic locus irrefragabilis ו, id est, Et, pro relativo אשר poni, quum Hebr. ad verbum habeant: Et sicut grex, et Nemo, id est, quem nemo colligit. Doctae comparationes.

Quisque ad proximum suum se convertet. Sensus prophetae est: Alius ad populum sive cognatos suos confugiet, alius ad natale solum, qui scilicet advena est. Sic enim comparatur, ut in regiis urbibus bona pars hominum ex advenis et alienigenis coëat. Regno autem ablato, avolat hoc muscarum genus: quod et hic propheta dicit. Noluimus autem Alius, dicere pro Quisque. Deinde, Proximum fecimus ex Populo: quod sensus sit, quemque refugium quaesiturum apud suos, aut proximum quemque, ubi effugium primo pateat.

Qui solus invenietur. Solus, de nostro est. Quamvis dum sententiam prophetae expendis necessario requiratur. Quum enim in posteriore membro sic legas: Et qui concursabit ferro cadet, facile deprehendis Antithesin esse. Quam ubi tenueris, iam vides unde sumptum sit quod dicitur: Ab his scilicet qui praelio superantur. Quibus, si arma abiiciunt, et non coëunt in ordinem, in medio furoris impetu saepe pepercit hostis; non etiam si coëant in aciem, ac pugnam instaurent. Hic autem comminatur Babyloniis propheta, crudeliorem fore hostem, quam ut inermi ac consortium declinanti parcat.

Neque ament aurum. Quum nihil sit milite rapacius, apparet per comparationem haec esse dicta: Nempe quod Medus tam atrociter in Babylonium saeviturus sit, ut aurum potius negligat in occasione, quam ut hostem sinat evadere.

A quibus adolescentium arcus confringentur. Ad verbum est, et arcus iuvenum confringentur: quomodo Septuaginta quoque verterunt. Unde mirum est quo spectaverit Hier. praesertim quum hic tam docta periphrasi Arcus iuvenum, pro ipsis iuvenibus propheta dixerit. Aeque mirum est cur Lactentibus uteri, dixerit, pro

Uterum ferentium non miserebuntur. quum Hebr. habeant, et fructum sive germen uteri non etc. Nisi quod vereor aemulationem nobis imponere, ac mentis aciem praestringere. Ab ea igitur nobis tanquam a venatiss. toxico cavendum est.

Natis non parcet. Natos ex filiis fecimus, ut simul nonnullam speciem antitheseos praeberet, inter eos videlicet qui adhuc in utero latent, et eos qui iam in lucem ac miseriam effusi sunt. Nihilo minus nomen esset Emphaticon. Quomodo hoc Virgilii, Natum ante ora patris, patremque obtruncat ad aras.

Et evertetur Babylon regnorum facile princeps. Evertetur fecimus ex Erit: propterea quod evertendi verbum in comparante sequitur. Videmus hic in Babylonis nomine, omnia superiora in hoc dici, ut eius excidium satis amplificetur. Postremo, Facile princeps, ex Caprea vertimus: qua illi utuntur pro nobiliss. ac pulcherrimo, quod ea ex omni damarum genere sit et pulcherrima et nobilissima.

Non figet ibi tabernaculum Arabs. Quamvis non legerimus Babylonem, sive quum Cyrus sive quum Alexander caperet, huc vastitatis redactam. Attamen firma sunt divina oracula. Quum igitur orientalium historiae sint nobis paulo remotiores, facta esse possunt quae nos ignoremus. Quumque hodie vigere perhibeant Babylonem, nova ea esse potest vetere excisa. Aut si omnino nondum sit eversa, futurum tamen esse ut evertatur. Nisi quis prophetam ex more linguae suae potius locutum esse credat quam proprie, quo illi communia temere omnibus tribuunt etiamsi per partes non impleantur. Ut quum excidium urbi aut genti comminantur, sub oculos ponunt in genere malorum examina omnia, quae expugnatis urbibus evenire solent, etiamsi non singula ab omnibus perferantur: Qualis est parvulorum allisio, matrum exactio, et id genus atrocia: quae tamen deinde in re ipsa gesta non scribuntur, sed ad amplificationem pertinent. Nunc ad verba redimus. Arabs constanter habetur cum Hebraeis ipsis, tum Latinis et Graecis; at indubie propter pastum. Sunt enim et isti magna parte Nomades, praesertim qui Petraeam colunt.

Neque pastores eo pecus agent. Ad verbum habent iuxta Rabinorum puncta Hebraei: Et pastores non facient recubare isthic.

Bubones implebunt domus eorum. Bubones ex אחים fecimus, quod ea vox factitia videatur. Nam alias Hebraei in rerum speciebus, et ipsi inter se et ab aliis, ut plurimum variant.

Et saltabunt ibi Satyri. Satyros ex pilosis fecimus, quamvis ex Latinis Graecos, sed utrisque ex aequo notos.

Alternis canent ibi noctuae. Verbum ענה perinde significat Alternis canere, atque respondere.

In aedibus Babylonis. Proprium nomen hac sola ratione ex relativo fecimus, ne simplices non viderent quo referenda sint omnia.

Et dracones sese in palatiis oblectabunt. Verbotim sic habent Hebraea, et dracones in palatiis aut aedibus delectationis, erunt scilicet. Nos ergo Enallagen vertimus, quo et iucundior esset sermo, et non frustra in ambitiosis aedibus dracones crederentur versari.

EX CAPITE XIV.

Atque tempus eius. Eius; Babylonem refert. Neque enim nova hic incipit materia, sed eadem aerumna Babylonis tractatur.

Nihil cunctantur. Ex לא ימשכו id est, Non trahentur, vertimus. Currunt enim fata, hoc est, divinae providentiae decreta, ut ne momento quidem sistere possit ullus Atlas, aut accelerare Hercules.

Contra vero propitius erit dominus Iacob. Contra, fecimus ex כי, quum et Rabini potentioris quam vulgaris significationis notam addiderint. Contra, pro Sed.

Et Israelem denuo eliget. Gravitatem articuli in בישראל (nam ב isto loco articulus est) Hieronymus noluit exprimere ne LXX. sequeretur, qui articulum τὸν ex ב verterunt, quamvis in loco immensi ponderis sit. Parasceue est restituendi populi dei, non iam ex carnali Israële, sed ex advenis Gentibus.

Adhaerebunt eis advenae. Hic nihil aliud dicam, quam Hebraeis irrefragabile de Gentium vocatione testimonium offerri.

Capient populos. Israëlitae scilicet: ut ם adfixum, id est, Ipsos pro Ipsi, κατ' ἐναλλαγήν ponatur: quod admodum rarum est, sed de ea re superius attigimus. Nisi demonstrativum vice articuli esse positum autumes: Capient ipsos populos. Verum eadem exprimitur sententia. Facit autem haec ipsa Enallage ad homoeoteleuton inter ולקחום et והביאום ulkehum et uhbium. Haec ideo, ut magis ac magis videamus Rabinos linguae suae lectionem ignorare.

Possidebitque eos domus Israel. Et hic pars est homoeoteleuti ותנחלום uthnahalum. Vide autem in postremo verbo quadrisyllabo thesim vocis, non spiritus aut sententiae. Gentes nunquam servi fuisse leguntur domus Israël, post liberationem Babylonicae captivitatis; contra vero ipsos nunquam verae libertati restitutos esse. Servi ergo et ancillae pro Sodalibus ac domesticis ponuntur. Qui enim servus est, dum credit libertus fit domini; et ingenuus fide se domini servituti mancipat.

Et captivos ducent eos quorum captivi fuerant. Quando istud obsecro factum est, nisi quum Gentes veri Israëlis factae, tanquam subditi propter communionem et sodalitatem reputantur?

Quum ergo requiem dabit tibi dominus. Quum, vertimus pro, Et erit in die. Quae loquutio certum tempus, quamvis non definitum, illis in loco significat: ubi, quum, Latinis tantundem potest.

Qua saevitum est in te. Hebr. אשי עבד בך, id est, Qua servitum est in te, non possunt eodem paragmeni cum decore Latinis reddi. Unde et Hieronymus vertit: Qua ante servivisti. Sic enim pollent Hebr. quasi tu dicas: Qua servituti coactus es subiacere. Vertimus ergo in Paronomasiam, quum paragmenon vim Hebr. sermonis non de integro redderet: A servitute qua saevitum est in te.

Assumes threnum istum. Threnum fecerunt LXX. ex משל: de qua dictione supra.

Cessat aurum tributarium. זהב Hebr. aurum significat, Chaldaeis דהב, quod hi nimirum D utantur, ubi illi Z habent. Apparet

igitur eandem inter illos esse commutationem literarum, quae inter Germanos superiores et inferiores etc. Quum ergo Hieron. tributum non indocte verterit, at paulo doctius Oecolampadius: ambos sequuti sumus in complanatione. Adde quod dulcissimus lepos est, quum Hebraeus in ficta lamentatione, eius barbarismo utitur, in quem nasus torquetur.

Virgam impiorum. Virga illis accipitur pro Virtute et potestate.

Qui quum iratus est. Nos ista sententiosa epitheta et praeconia retulimus ad dominum, quo et Septuaginta retulerunt. Ipsa enim species et laevor Hebr. huc inclinant. Quamvis interim non obstrepam Hieronymi interpretationi.

Et persequitur sine intermissione. Pro quo Hieron. dixit Crudeliter, LXX. omiserunt.

Abietes et cedri Libani. Palaestini sunt: propterea quod Libanus promissae terrae limes esset. Considera autem quam suavi allegoria, virtute synecdoches, crudeli victori insultet.

Inferi commoti sunt. Ecce quae verborum pompa, quique ronchi. Tyrannos qui hinc ad inferos descenderunt, producit illi obviam, ad excipiendum eum qui sibi deus videbatur.

Cum turba vanitatum tuarum. Turbam ideo verti, quod LXX. ἡ πολλὴ εὐφροσύνη σȣ, id est, Multa laetitia verterunt. At ubi Oecolampadius Psalteria cum eorum laetitia vertit, adstipulantibus Rabinorum punctis, vertimus Vanitates ex נבל, quia praecedit גאונך, hoc est, Superbia tua. Illi musici strepitus vanitatem intelligunt, nos universam regum pompam.

Subter te sternetur tinea. Ista nunc opponuntur fastui, et stultis regum sumtibus.

Quomodo decidisti coelo Lucifer etc. Quantum quaeso pondus habet ista ironica Hyperbole?

Aurorae fili. Hebraea nobiscum consonant. Hieronymus Septuaginta sequutus est in, Qui mane oriebaris. Nos ad hoc spectavimus, quod superius in eundem Babylonium dicebatur: Visitabo et hunc magnificum fructum. Ubi nos Albae gallinae filium vertimus. Oecolampadius itidem ad nasum respexit.

Ad terram adflictus es, qui imperabas gentibus. Hieronymus reddidit ex חולש Vulnerabas: quod verbum opprimere quoque significat. Unde visus est nobis hic sensus esse: Qui alios opprimebas violentia et imperio tuo, iam ad terram allisus es. LXX. videntur etiam huc respexisse: quamvis periphrasi, qua imperiosa tyrannorum mandamenta et tumultuationes describunt, sensus mitior adpareat, quum sic habent: συνετρίβη εἰς τὴν γῆν ὁ ἀποςέλλων πρὸς πάντα τὰ ἔθνη, id est, Contritus est in terram qui mandabat ad omnes gentes. Nos ergo, ut praemissum est vertimus, quum imperandi verbum videretur propemodum satisfacere virtuti Hebr.

Sursum secundum stellas coeli. Sursum ex ממעל fecimus: quae vox Desuper, aut Superne significat. Sed eo modo etiam quo in Germanica lingua dicimus, Droben, id est, Sursum, aut supra. Quamvis

Latini non habeant aequipollentem loci superioris dictionem. Rarius enim utuntur Sursum, sine motu. Stellas dei, vertimus in stellas coeli: quod loquutio illa Hebr. esset, haec autem Latinorum.

In monte celeberrimo. מועד Celebre, non minus, imo potius significat quam testamentum. Unde et Oecolamp. verbum verbo ferme reddens, Festivitatis montem fecit. Septuaginta vero ὑψηλόν, id est, Altum montem: quo itidem magis ad conspicuum ac celebre respexerunt, quam ad testamentum.

Ad eam plagam unde Zephyri spirant. Est quidem ad verbum, Ad latera Aquilonis. Quum autem elatum regis animum suis coloribus pingat, quomodo se deum esse crediderit, sicut et stulti Romanorum principes, imo reges, etiam si crepant et rumpantur hoc nomine Quirites, imo tyranni tyrannorum; et Macedo ille, qui orbem percurrit potius quam iusto imperio tenuit, vix discebant quod dii non essent, Plagam et Zephyros vertimus. Nam et beatorum sedibus perpetuos adspirare zephyros perhibent etiam poëtae. Inauspicatus enim huc esset dirus ille Aquilo, de quo omne malum exurgit.

Ad plagam abyssi. Hic iterum sunt Hebr. Latera. Nos ergo quo clarius pelluceret antithesis, Plagae zephyrorum Plagas abyssi opposuimus. Hieron. Profundum ex latere facit, sed recte ac docte. At mirum est cur alias a vocum commoditate abhorreat, ut sensum dilucidius redderet: Nisi quod supra monui, religiose cavere voluit, ne quid a quoquam sua authoritate in transversum torqueretur. Quo metu nos liberi sumus.

Idcirco autem non es socius sepulturae eorum. Idcirco, idcirco addidimus, quia sequitur causalis כי. Socium autem sepulturae fecimus ex, Non unitus sive coniunctus est cum eis in sepulchrum. Arbitror autem per prosopopoeiam Babylonicum regnum hic regem esse factum, qui non sit regum more sortitus elationem, sed propter turpem vitam turpiter abiectus. Non enim videntur quae hic dicuntur ulli regum competere.

Terram tuam perdidisti. Non legimus Babylonem, imo ullam terram in hoc fuisse, ut se ipsam perderet. Porro Tyranni omnes suos temere perdunt. Regnum ergo tyrannorum persona induit, ut dictum est.

Ignominiosa enim est in perpetuum posteritas facinorosorum. Gravi sententia utitur valde rhetoricῶs, quae omnibus nota est, quaeque optanda esset in ignobilium hominum cordibus non atramento sed ferro scribi. Quanto enim tyrannidem suam magis instant violentia firmare, tanto citius se ipsos expugnant. Ignominiosum autem vertimus ex non vocato, hoc est, obscuro ac minime celebri.

Filiis eorum quaeritur exitium. הכינו, id est, Praeparant, impersonaliter, sive Parate, si Rabinorum puncta sequamur, in impersonale Quaeritur, vertimus. Omnia enim ad sententiam istam gravem pertinent.

Orbem impleant munitionibus. Exitium ignobilium istorum adumbrari in hac sententia puto, qui in praeruptis et inaccessis locis nidulantur. Unde innoxiae plebi non aliter quam e speculus lupi insi-

dientur. Cui generi Hebraeos semper fuisse infestos autumo. Quid enim Rephaim, Nephelim, Gibborim, et Enakim, quorum expugnandorum acerrimus dux erat Chaleb, aliud sunt, quam hoc praedonum genus, quod inter homines hodie beluinam vitam ducit et ex rapto victitat? Est vera nobilitas inter mortales, quod inter flores rosa. Hoc autem praedonum genus, quod sibi tam egregium nomen ascivit, ne Hominum quidem vocabulo dignum est. Equidem nihil aeque admiror inter humana quam vere nobilem virum. At rursus perinde admiror hominum stultitiam et inconstantiam, quae tam sceleratorum nebulonum audaciam unanimi consensu non amputat, velut deploratum membrum.

Surgam. Recte vertit Hieronymus, Super eos surgam: si verbum commutes verbo. At absolute, Surgam, omnem vim Hebr. sermonis haurit, quum sequatur, Et exscindam Babylonis nomen; ubi exprimitur in quem sit insurrecturus.

Fibris locabo eam. Nos hac ratione Fibrum ex קִפֹּד fecimus, quod idem verbum Praecidere significat: fibris autem horrendam morsus vim tribuunt naturarum scriptores. Plinius lib. 8. cap. 30. Tum quod in stagnum versa Babylon nullam commodius beluam hospitio excipit, quam stagnis et fluminibus gaudentem.

Scopa quoque vastatrice verram eam. Ad verbum est, Scopabo eam scopa vastante, vel vastantis. At emphasis id continet, quod nos vertimus.

In aquarum stagna reductam. Redactam lege! Mendum est ab operis admissum.

Omnino sic fore. Ne loquutio qua utuntur in iurando quenquam moraretur, sic vertimus.

Conteram, inquit. Potuissem dicere, Ad conterendum Assur. Sed notam personae ad quam reditur addidi, ad expeditiorem intellectum.

Adimetur a vobis. Ab eis, esse Hebraice, non me praeterit: sed sententia de Iudaeis cogit intelligere. Nisi tu velis ad omnes eos referre, qui eius imperio opprimebantur. Verti ergo ex Eis, Vobis, per Alloeosim.

Sic habent consilia, quae dominus statuerit. Eadem vox quae Hoc, etiam Sic, vel, Ad hunc modum, significat. זֹאת ergo, id est, Hoc, in Sic, vertimus. Dominum autem addidimus de nostro, ut planum esset de cuius consilio loqueretur in Epilogo vates. Vide autem ut iterum ab exemplo ad locum communem redeat, sic dicens Dominum acturum, non modo adversus Babylonium, sed quoscunque etiam, quorum par culpa sit.

Sic et manus extenditur. In autographo meo habetur, Sic et manus eius extenditur. Adde ergo, Eius.

Sic minatus est. Reddidimus pro, Factum est Onus istud. Intentat autem et Palaestinis sua mala.

Quasi comminutus sit baculus etc. Quasi ex כִּי vertimus. Ponitur enim pro coniunctione, quod.

Prester volans. Hebr. מְרוּת habent, Graeci ὄφιν. Sed Oecolamp. secuti sumus.

Et depascent optima pauperes. Primogenita saepiuscule ponunt pro primariis et optimis, quomodo et hoc loco. Comminatur autem sub Ezechia sanctissimo rege, violentos et contumaces Palaestinos difficulter habituros: contra vero optimum quemque, etiamsi sortis infimae sit, aequabiliter. Ut autem Ezechias eos superaverit, 4. Reg. 18. legitur.

Interficiet. יהרג tertiae pers. non primae est, quo luculentius de Ezechia intelligamus.

Cuius densitatem nemo sustinebit. Hebraica sic habent, et non est qui fuget aut pellat consistentiam eius, sive vehementiam. Vertimus igitur, Cuius densitatem etc. Si mavis dicito, Cuius vim nemo declinabit. Nam בדד Separare quoque significat. Et Zacharias 10. utitur Separandi verbo, pro aversandi et abhorrendi.

Quam tunc satisfactionem legati Gentium adferent? Ad verbum, et quid respondebit. Legati Gentium, hoc est, legatio gentium. Mihi videtur Gentes hic Palaestinos vocare, κατ' ἀντονομασίαν. Deinde habent emphasim quandam verba, quam nimirum prophetae tempore nemo non intelligeret. Quasi ad excusandum, persuadendum, aut fallendum, in dicendo, alios superarent Palaestini.

Zion autem firmabit. Frequens apud eos est, ut Fundandi verbo, pro Firmandi utantur.

Et ea fident pauperes populi. Zioni firmitatem eam fore promittit, ut pauper et contemptus dei populus ea fisurus sit. Quae forsan Ecclesia potius est quam visibilis Ierusalem. Non quod Ecclesia quisquam fidat, sed eo quo fidit ipsa Ecclesia.

EX CAPITE XV.

Onus aut visio etc. Ex superiore loco detraximus hunc titulum. Habemus hic elegantissimam ὑποτύπωσιν, id est adumbrationem, rudemque picturam expugnationis urbium. Omnia tamen visio sunt usque ad 17. caput. Id quod ante finem sedecimi ex ipso Epilogo liquet.

Vidi quod nocte vastaretur. Vidi, de nostro est. Nam כי, id est Quod, a sermonis initio hanc vim habet, ut de improviso citraque prooemium prodeuntem nobis exhibeat, hoc modo: Onus Moab, Nocte profecto vastabatur etc. Aut, quod nocte vastaretur Moab, supple vidi. Nox magnificat miseriam.

Ar Moab. Adparet Moabitarum metropolim Ar adpellatam esse. Alias Benarnon legimus, quod forsan eorum lingua; Interfluvialis est: sicut Confluentia Latina voce Germaniae urbs vocata est, quod inter Rhenum et Mosellam confluentes sita sit. Hoc certum est, sive Arnon vocata sit Moabitarum metropolis, sive per Apocopen Ar in medio flumine sitam fuisse, quantum in hac hypotyposi videmus.

Ascendebat ad excelsa Baith et Dibon. Fugax scilicet populus Arnon. In Nabo et Medeba, vicinis oppidis aut urbibus clamor audiebatur, qui concubia nocte subito erumpebat.

Et omnis barba tonsa. Patrium illis fuit in luctu capite radi, barba tonderi. Unde quum Paulus voti se reum simularet, tonsus est.

Inque fletum solvebantur. Diximus pro, In fletum descendebant. Eleale, Hesebon, et Iahaz, mali-consortes numerantur.

Miles quoque Moabita. Ex accinctis aut expeditis militem fecimus.

Quum classicum caneretur. De incensione et remissione tubarum alias in libris Mosis dictum est. Quum, ex על כן vertimus: quae complexio etiam pro Tunc ponitur. Classicum caneretur, ex יריעו, id est, clangore incitarentur.

Ex animi sui dolore clamabat. Anima eius dolebat ei, sonant ad verbum Heb. Verbum autem Clamabat, ex sequenti membro subduximus: Nam sensui nihil decedit. Imo Rabini videntur non commodissime distinxisse. Est autem hic loci et paronomasia inter יריעו et ירעה

Simulque fugam capessebat. Est quidem ad verbum, Fugientes eius. At non est cur peregrinae linguae verba numeremus. Quamvis, Fugientes ea, hoc est, Ab ea, verti possit. At nolebat eadem planities coire.

Versus Zoar vitulam conternantem. Vitulae trienni sive conternanti similes faciunt bene habitas urbes. Helvetica lingua vocatur eiusmodi bucula Zytchü.

Aquae Nemrim erant desertae. Frequentes adparet fontes Nemrim fuisse. At in tanta trepidatione omnia linquuntur.

Et viride nihil supererat. Praestabat visio ista omnia, ceu ab hostium copiis conculcata.

Secundo flumine Arabiam deportabant. Fluvius Arnon (quo nomine urbs quoque vocatur) quantum ipse intelligo, occidentem versus fluens, Iordani suas aquas propinat. Unde inconstans videretur, secundo flumine in Arabiam vehi res. Sed succurrit quod visio est et spectrum quod hic narratur; et res gerenda, non gesta.

Insidias velut leonis. Pro Insidiis vertit Hieronymus Additamenta. Insidiatorem autem exercitum vidit in revelatione propheta, qui fugientes velut insidians leo exciperet et contrucidaret, ut iam aquae Dimon sanguine tingerentur.

Tam his qui ex urbe, quam qui ex agro evasissent. Quum hic Moab pro urbe, terra vero pro agro accipiatur: hac forma verborum extulimus. Consule Hebraea lector, et videbis in nostra sententia esse prophetam.

EX CAPITE XVI.

Mittebat ergo magistratus terrae militem. Unam eandemque visionem nondum finitam prosequitur. Verba ista non est cur expediam: quum mediocriter docti videant Rabinos quoque nobiscum sentire, quum ad, Mittite, Militem iunxerunt, lineola Makef. Sic et Terrae, ad Principes.

A petra deserti ad montem filiae Zion. Vide hic ἰσοτιμίαν a Petra ad Montem. Deinde Petram deserti, periphrasim Moabitarum. Montem autem filiae Zion, periphrasim Iuda. Mirandam vero commu-

tationem! Moab contemnebat Israëlem; sed eo redigitur, ut pro auxilio ad genua eius procumbat.

Erant enim. Erant, non vertimus ex והיה, id est, Et fuit: sed ex תהיינה, id est, Erant. At prius istud והיה non positum est temere, sed pro, Et usuveniebat. Ea vero oratione quum nihil habeat opus Latinus sermo, aliis rationibus perfecimus sententiam.

Ad vadum Arnon. Hebraice potius est Transmittentes, vel transeuntes. At ista complanatione nihil detrimenti accipit sensus.

Qui sic urgebat. Nostrum est, ut plane distingueretur cur sequentia, et ad quos diceret.

Inite consilium. Consilium inire, pro Consilium capere, deliberare, et quod sequi velis constituere, Latinis proprie significat. Ad consilium tamen exire, alicubi Orationum suarum dixit Cicero, pro ea deliberatione, qua litigantes cum advocatis et patronis per secessum a tribunali consultant. Quomodo hic quoque capi videtur, quasi extra ordinem habitus sit militi senatus: Quod fere in rebus dubiis fieri solet. Omnia tamen per visum.

Coagmentate in noctem umbram vestram etc. Umbram tuam, est ad verbum Hebraeis: sed mutati numeri ratio non est amplius reddenda. At umbram alias pro defensione ac protectione familiariter capiunt. Hinc tamen loci discimus quam vulgare fuerit illis loqui Tropice, quum in tanta angustia anhelantem nuncium figurate loquentem faciat propheta.

Quoniam prophanat hostis. Ad verbum Hebr. Quoniam finitus est pulvis. Hic primum scimus, quod Finiendi verbis, pro Absolvendi, perficiendi, consumendi, et consummandi utuntur. Consummatum ergo perhibet esse pulverem. Secundo videmus ex ipsa sententia, Consummationem pulveris proverbialiter poni, pro Conculcatione aut comminutione. Tunc enim perfecte superatus est adversarius, quum in pulverem conculcatur et lutum, aut quum etiam conteritur et commolitur. Quo igitur virtutem tam elegantis proverbii redderemus, diximus: Prophanat hostis.

Perdit extirpator. Hic videmus in כלה שד, id est, Consummat vastator, utriusque membri sensum esse quem iam probavimus. Sed adhuc tertium clarius testatur.

Consumit conculcator de terra. Hic tertium perficiendi verbum habent תום, quo tamen perinde in malam partem ut superioribus duobus utuntur.

Solium vero regni vestri. Regni vestri, nos militi sermocinanti suggessimus, ne non intelligeret Israël, quodnam solium sic laudaret a misericordia.

Ex fide et veritate. Iam satis crebro videor mihi dixisse, quur Fidem et veritatem ex אמת faciam: quod scilicet una eademque huius vocis enunciatione utraque fides et veritas intelligitur.

Tanquam e tabernaculo David iudicet. Ad verbum est, In tabernaculo David. Sed aeque pollent, In ostio loquutus est mecum, et, De ostio: In tribunali pronunciavit, et, E tribunali. Iudicet, autem deprecative diximus, non Iudicat. Non enim solum laudat, sed etiam obsecrat.

Et iustitiae festinet subvenire. Diximus pro, Iustitiam festinet, aut acceleret.

Cui postulationi sic respondebatur. Etiam in viso, Linguae tamen sanctae proprietatem servat propheta. Omittunt enim personarum sermonem commutantium notas. Cogit ergo necessitas hic addere, Cui postulationi sic respondebatur: in viso scilicet.

Nota est superbia Moab. Diximus pro, Audivimus superbiam: quod nostra complanatio sit Latinis familiarior.

Moab casum suum sibi queratur. Recte quidem vertit Hieronymus, Ululabit Moab ad Moab: sed clarior est complanatio.

Quo totus ululet. Quo, ex nostro est additamento quidem, sed ex prophetae sententia. Ideo enim remittitur ad se ipsum Moab, ut omni spe auxiliariorum destitutus, ad restim se adigi sentiat.

Fractusque ad pedem coctilis muri nequicquam meditetur. Huius complanationis hanc reddimus rationem. Fractum fecimus ex fractis, convulsis, sive claudicantibus נכאים. Pedem vero ex fundamentis. Coctilis murus, per se firmitatem habet in sua lingua. Nobis tamen interim transmittendum non est, periphrasim esse excisae ac solo aequatae Arnonis. Meditetur, ex Meditabuntur, quo omnia essent planiora, in tertiam personam, quam illi absentem recte vocant: (mitior enim est tam minax sermo in absentem quam praesentem formatus) traduximus. Reliqui autem Meditandi verbum, quo fere pro Querendi ac plangendi in loco utuntur, quod huius significantiae nonnihil secum adferat, Meditor. Nequicquam autem ex אך expressimus: quae vox nonnunquam perinde atque Germanicum Ach, id est, Prohdolor, accipitur, nonnunquam pro Veruntamen, sed, duntaxat. Hic quum nequicquam, dolentis nota esset, vertimus ut dictum est. Sub oculos autem ponitur miseranda facies eorum, qui sedibus suis pulsi, quorumque domus exustae, vagantur, et post aliquantum errorem, quum iam hostis recessisse creditur, aedificiorum suorum areas modo inveniunt, atque indidem ad ruinas et parietinas casum suum deflent. Eam Vergilius in Bucolico adumbrat.

Palmites vero suos spargebant trans mare. Vineta Esebon describuntur, nimirum graphice, si compertus nobis esset huius aetatis status. Palmites ergo trans mare mittebant, sive καθ' ὑπερβολήν, sive quod vina versus occidentem quoque aveherentur.

Fletu meo deplangebam Iazer. Visus est sibi propheta deplangere vinearum excidium.

Rigabam lachrymis meis Haesbonam. Vide quam poëtice rigavisse lachrymis se dicat, quae deflebat. Per Hypallagen vites fletu rigat, qui se lachrymis humectabat.

Celeusma periisset. Celeusma cecidisset, ad verbum habent Hebraei. Sed Cadendi verbum non tantum eis, sed omnibus, quas ego noverim, linguis, in loco pro Pereundi accipitur. Celeusma vero, sese mutuo inhortantium carmen est; et vox quoque ea qua signum datur multis, ut simul conentur. In messe vero et vindemia notum est, quibus vocibus et carminibus alia sodalitas aliam et quaeque se ipsam invitet. Quam hic gratiam ablatum iri praedicit. Quod adeo verum est, ut hodie

quoque negent in his partibus vina, saluberrimum humanae vitae condimentum si recte utaris, nasci.

Tam de agro quam de vinea. Lege tam de arvo quam de vinea. Ex Carmelo enim arvum fecimus, quod interim collis fertilissimi proprium sit, interim vero per metonymiam pro omnibus arvis capiatur.

Venter meus instar chelis remurmurabat. Ex cithara כנור nunc Chelim fecimus, quod huic comparationi ventrosum organum magis quadret. Natura vero confit, ut venter solvatur metu aut tristitia obrutis: quam solutionem remurmurantes inflationes praecedunt. Moerore enim et metu vitalia viscera contrahuntur, quo et vitales spiritus auxiliatum concurrunt. Deserta igitur crassiora ista tumultuantur, perinde atque exercitus absente duce. Vide ergo quam nobili ac docta periphrasi moerorem suum decantet divinus vates.

Sed nemo ferebat auxilium. Ad verbum est Hebr. Sed non potuit: id est, Sed nihilo fortior aut potentior fiebat: vel, Sed non potuit invenire auxiliatorem: vel, Sed non potuit succurrere Deus eius. Vertimus ergo etc.

Hic est sermo quem loquebatur Dominus tunc super Moab. Hic, inquam, epilogus satis probat universa visum esse, quo Dominus ventura fata Moab adumbravit.

Nunc autem. Adparet visum praecessisse aliquanto tempore. Deinde adpertiore prophetam monitum esse oraculo.

Cum omni pompa et opulentia. Expressimus ex בכל ההמון, id est, Cum omni tumultu sive magnificentia. Fastum autem regium, ferociam et pompam intelligit.

Quemadmodum mercenarius impletis annis liber fit. Hebraica sic modo habent, Sicut anni mercenarii. Attamen hoc pacto multa desunt *κατ' ἔλλειψιν*. Ea sarcivimus ut vides.

EX CAPITE XVII.

Urbes Aroer gregibus relinquentur. Aroër audio metropolim credi. Attamen quae hic est oratio, regionem Syriae potius insinuat quam urbem. Damasceno, hoc est, Syriaco regno hic quoque inter caetera sua fata canuntur.

Simulque cessabunt. Simul, non tam de nostro est, quam de virtute prolepseos. Verbum enim principale נשבת utrique membro adcommodatur. Cessabit Ephraim et Damascus (iam per epanodum praedicata iungam propter lucem) haec regnum esse, ille munitus ac firmus.

Tunc autem extenuata erit gloria Iacob. Autem, claritatis gratia inseruimus: quo videatur quam ob rem Damascum Ephraimo comparet, puta propter deploratas res.

Crassitudo carnis eius macilenta. Hac allegoria status mutationem belle insinuat: ut qui hactenus ubertate ac deliciis crassiusculi fuissent, extenuatis et exhaustis facti sint similes.

Qui stantem adhuc messem congregat. Congregat lege, non congreget. Comparationem autem paulo altius repetit. Quum enim

brevibus potuisset dicere: Quemadmodum messores spicilegium relinquunt: ita quidem reliqui fient, sed pauci de Israël: maluit paulo altius repetere quomodo messis perficiatur. Est ergo veluti principium haec sententia: Similis erit ei qui stantem adhuc messem congregat. Deinde enim sequitur per Hypotyposim messis, amplificatio comparantis, hoc est, reliquiarum in messe.

Sed quum colligit aut comprehendit manipulos. Hebraea sic habent והיה במלקט, id est, Sed usuvenit, dum colligit. Nos exponendi gratia adsuimus, Aut comprehendit. Videtur enim de ea comprehensione loqui, quae aut sinistra fit in ipso resectionis ictu, aut quum in fasciculos demessae spicae ambabus colliguntur manibus.

Etiam in valle Rephaim. Adparet hanc vallem aut opima messe celebrem (quo facile comprehenderentur spicae) fuisse, aut tenuem praebuisse proventum ac durum, quo studiosius omnia legerentur. Sic enim comparat vates, Ne in valle Rephaim pauciores fieri reliquias, quam paucae futurae sint ex Israël. Equidem non video quo spectaverint LXX. et Hieron. nisi quod verisimile est, distinctionem Rabinorum eis imposuisse. Adparet enim hunc prophetam in periodos, quamvis nondum in cola et commata iam fuisse distinctum, Hier. etiam teste, dum perhibet, eum videri versibus constare, quum non sit. Distinctus ergo fuit maturius quam alii libri canonici.

Spicilegium tamen reliquum facit. Neminem arbitror negare posse, quod Hebr. periodus (quam ipsi Pasuc vocant) hoc loci non recte sit ante istam sententiam posita, sed post eam esse ponendam. Sequitur enim alia comparatio.

Similis erit oleam excutienti. Similis erit ex כ reddidimus, quo nova comparatio magis perspicua fieret.

In universum habet. Vertimus ex פריה, id est, Annona sive fructus eius. Intelligit autem modicas reliquias, quas duobus iugis complexus est, Duabus aut tribus, et Quatuor aut quinque. Quae quidem reliquiae in excussa iam olea in comparationem veniunt cum reliquiis Israëlis; deinde Israëlis cum Syrorum.

In tempore illo redibit homo ad factorem suum. In tempore illo, ponitur pro Tum vel Tunc, in hanc sententiam, Per aerumnas intellecturos esse divinam maiestatem.

Desertae erunt munitae civitates eius. Redit ad Syriacam aerumnam. Eius ergo, Damascum refert.

Quemadmodum desertae fiebant crates et gerrae. Hebr. hoc loco habent, Rubos et spinas. Nos ergo missa interpretum varietate, Crates et gerras fecimus, quibus etiam hodie aggeres funduntur, et militaria tabernacula conduntur. De Gerrarum vocabulo apud Livium arbitror alicubi in rebus Hispanicis haberi.

Quas deserebant metu filiorum Israel. Hanc comparationem arbitratus sum de 4. Reg. 6. et 7. cap. sumptam esse: unde ad hunc modum vertimus.

Quoniam oblita es. Ipse ad Damascum intelligo sermonem fieri. Nec tamen repugno, si quis Israëlem intelligat. Videtur enim propheticus impetus in ambas gentes simul invehere: propter id maxime quod

societatem et foedera iunxerant. Nam et post pauca in eos invehit, qui multitudine fidunt.

Plantationem tam amoenam plantavisti. Ipse de ara ista intelligo, quam ad exemplum Damascenae Hierosolymis extruxit Ahaz, rex Iuda. De quo 4. Reg. 16.

Surculum peregrinum scilicet quem consevisti. Synonymia est cum superiore membro. Sed ad amplificationem facit.

Et maturrime seminis tui fructum promittebas. Ad verbum: Et mane semen tuum efflorebas vel germinabas.

At eo die quo fructus colligendus ac possidendus erit. Hebraei tantummodo habent, In die possessionis. Unde si ea est quae nobis videtur sententia, tam late oportuit alterum membrum παραφράζεσθαι.

Cumulatim demetes. Ex נד קציר, id est, Cumulus messis. Nos verbum ex nomine, et ex nomine adverbium fecimus, ut pressam orationem aliquo pacto explicaremus.

Esto enim populi aeque ac etc. Huius epididoseos, id est concessionis, Esto, egere credimus planum sensum, ideo adsuimus.

Ut eos dominus increpat. Dominum, hac adiecimus causa, ne non adperte videretur, quo increpandi verbum pertineret.

Ut ad vesperam sint maxime formidabiles. Nihil quam repente perire, quantumvis magnas vires, domino indignante ac obiurgante, docet.

EX CAPITE XVIII.

Vae terrae, cuius navigia sunt alata. Hac interpretatione LXX. sumus imitati, Quod si alia periphrasis, Vae terrae locustarum alatarum, magis placet, nihil obstamus. צלצל enim alias locustae genus est: quamvis ipse cycadam potius ea voce significari arbitrer. Adparet enim ex factitiis esse. A velis autem alata vocat navigia.

Quae cis flumen Aethiopiae sita est. Nilum indubie vocat Aethiopiae flumen, quod isthic oriatur. Quanquam sunt qui fontes eius sciri negent. Cis, autem vertimus ex מעבר, quae vox anceps est pro Cis, et Trans.

In navibus harundinaceis sive scyrpeis. Haec omnia Syenes sunt descriptio. Est alicubi historiarum, nescio quas gentes navigiis huiusmodi uti, quum grandium lignorum penuria laborent, virgulta bitumine compacta tergoribus circundare, atque in huiusmodi ratibus vina reliquasque merces, secundo Euphrate Babylonem convehere; complicato deinde corio, atque in asinum imposito, quem in hunc usum domo avexerunt, redire unde venerint. Horum morem adparet eam regionem quae hic describitur habuisse. LXX. ex vasis, quae nos naves fecimus, Epistolas verterunt.

Ite, inquient. Inquient, adiecimus: quo magis perspicuum esset, quinam in rebus dubiis tam anxie sint legatos suos ultro citroque missuri, Isti videlicet qui iam ex descriptione pernoscuntur.

Ad gentem vilem etc. Si non vanum est iudiciolum nostrum, habent reduplicata dissyllaba verba saepenumero contrariam significationem simplici ut קדקד קרקר etc. Unde et hoc loco קוקו, cuius

simplex Spem aut expectationem significat, videtur pro Inexpectato ac vili accipi.

Cuius terram flumina dirimunt. Ego ad Aethiopas ferocem gentem mitti arbitror, qui variis Nili fontibus scinduntur. Nisi tu malis inferiores Aegyptios aut transmarinos accipere. Aut in hanc sententiam: Cuius terram flumina a nobis dirimunt. Familiare autem habent hoc delicatae tum urbes tum Gentes, ut peregrino militi, illique insolentiss. ad propugnationem ascito, non iam fortunas omnes, sed animum quoque credant. Quem deinde praedicant, quam ferox sit ac truculentus, ut metu extorqueant, quod virtute nequiverunt. Huc artium vertuntur humana consilia.

Quin vos omnes qui orbem colitis. Quin, pro Auxeseos nota adposuimus, quo dilucidior fieret transitus ab Syena ad omnes gentes. Arguit enim a simili poeta. Quum alicui genti deus huiusmodi mala intentet, iam universus orbis, si ei similis fit, non debet sibi meliora promittere.

Quiescebam et contemplabar. ἠθοποιΐαι sunt, sicut: Quum deambularet dominus ad auram post meridiem.

In meridie. Ex עלי אור vertimus: quae locutio, Quum in summo ascensu lux esset, etiam significat: cui aequipollet, In meridie.

Sed antequam fruges essent maturae. Istud Antequam confieri arbitrati sumus ex לפני et כ, ut per tmesim קציר interponatur. Fruges autem ex פרח. Exemplum enim quod hic dominus sibi adfingit, ad id tempus accommodat, quo fruges adoleverunt quidem, sed aura et sole nondum percoctae sunt.

Residua ex aequo. Haec ex יעזבו, id est Relinquentur, et ex יחדו expressimus. Vide autem ut hoc loco exemplar allegoricum solummodo praemittatur, ac deinde reticeatur comparatum, puta: Sic faciam universo mundo, Praecidam cum praecocem, quomodo immaturi botri ad omphacia reciduntur. Simili paradigmate significabat capite amputari debere, de quibus consulebatur Tarquinius Superbus, quum virgula quam forte manu tenebat, papaverum capita decuteret, ac simul nuntio diceret: I, ac dicito illi quid fecerim, posteaquam retuleris eius mandata ad me. Sic ficta narratio et allegoria isto loco satis significant quomodo deus mundum sit brevi purgaturus.

In tempore isto. Id est, Tunc. Cum scilicet mundum esset filio suo duce reparaturus. Maxima enim bella universum orbem pervadebant posteaquam liberaretur e Babylone gens Iudaica, usque ad Augusti tempora, quibus natus est Christus. Quae bella Daniel praedixerat. Videtur ergo nobis propheta huc inclinare, ut dicat: Concutietur perinde totus orbis atque ipsa Syene reliquique populi, ac tandem offerentur per Evangelii fidem universae gentes. Quae sequuntur ex superioribus nullo negotio dilucidiora queunt reddi.

EX CAPITE XIX.

Mira est et in isto capite, quemadmodum per omnia, eruditio: int quo primum Aegypto quoque sua mala praecinit. Deinde spem instaura in Evangelii promissione.

Ecce Dominus equitabit super nubem levem. Valde poëticum hoc est, sed non valde dissimile est quod Christus dixit, Visuros esse Iudaeos filium hominis venire in nubibus. Adfingit autem sibi dominus coelitus venientium adparatum, qualis apud Homerum multis locis describitur. Nubes levis pro veloci per Metalepsim ponitur.

Et committam (ait dominus) Aegyptios etc. Ait dominus, iterum exprimendae personae causa supposuimus. Quum enim propheticum filum a tertia persona in primam commutetur, necesse habui illam ad quam transitur exprimere. Id quod toties monuisse sufficiat: Ut quum posthac huiusmodi signa transituum lucis gratia adiiciemus, cur faciamus hinc satisfactum sit.

Quum Idola consulet. Ex Vaf, Quum, fecimus, saepe enim numero pro, ב, ponitur. ודרשו, Id est, Et inquirent, pro בדרשום, id est, dum quaerent aut percontabuntur ipsi.

Et rex violentus imperabit eis. Violentum quidem ex עז traduximus. Sed עז, id est, Fortis, hoc loco in malam partem accipitur.

Et Nilus arescet. Flumen habent Hebraei, sed per Antonomasiam pro Nilo ponitur.

Marcescent calamus et iuncus. Nilo exiccato immanis erit in Aegypto sterilitas, ait. Quamvis καθ' ὑπεροχὴν facile permittam ultimam potius miseriam et excidium praedici quam Nili exinanitionem.

Erubescent qui linum faciunt et sericum. Facere, Latini quoque pro operari in loco ponunt. Sericum autem fecimus ex שריקות: Adferunt enim res quae peregre veniunt peregrina etiam nomina. Arefacto enim Nilo destitui oportuit hoc artificum genus quod ad moles et machinas, quodque ad fluvii ablutiones, operabatur.

Omnes qui lacunas et vivaria faciunt, conterent aggeres eorum. Hic primum Hysteron Proteron in suum ordinem redegi. Et erunt aggeres eius conterentes, omnes lacunas et stagna animae facientes. Lacunas autem fecimus ex שכר. Quae vox paludes et lacunas quoque significat: quamvis Etymon a bibendo oriatur. Nam et LXX. ζῦθον verterunt. Vivaria vero ex אגמי נפש, hoc est, stagnis animae. Ponitur autem eis temere anima pro vita. Unde et istud: Qui amat animam suam, pro amore vitae capi debet. Est igitur ista Periphrasis stagnum vitae hoc loco, Vivarium. Quod Helvetica voce Latinae simillima, Wyer, adpellamus. Porro, aggeres construximus ex שתת, quae vox fundamenta quoque significat. Sunt autem lacunarum et vivariorum fundamenta congesti aggeres. Quod autem, Eius, singulari numero habent Hebr. Alloeoseos est, qua lacunam et vivarium pro lacunis et vivariis referunt, speciem pro numero.

Et consiliariorum Pharaonis consilium stultescet. Eadem mala intentat Aegypto, quae supra suae genti, quum sapientes, prudentes, vates, ac legisperitos etc. comminatur eis auferendos esse.

Audetis dicere. Hebraei תאמרו, id est, Dicetis, habent: sed ea cum Emphasi, ut Audendi verbum aut aliquod simile secum adferat.

De priscorum regum stirpe satus sum. Taxat hoc hominum genus, qui prosapiam suam ad Cecropes, Romulos, et Epaminondas referunt: quum interim non sanius sapiant quam Midae, Morychi,

Catilinae, et Clodii. Quorum bona pars nostrae tempestatis principum aulas deornat.

Altitudine prosapiae suae. Pinna hic est pro altitudine posita. Septuaginta omiserunt Pinnam.

Temperabit in medio eius spiritum erroris. Errorem illis propinandum esse adserit, quomodo amatorium aut venenum praebetur. Quomodo et apud Ieremiam poculum irati dei omnibus gentibus.

Unde potissimum sit ordiendum: et ubi finiendum. Hic ponitur proverbialis sermo, Caput et caudam ignorare, pro destitutum esse consilio quomodo ordiaris aliquid, quomodoque finias. Quum superius Caput, pro sapientia praestante; Cauda vero pro adulante, aut postremo propheta capiatur.

Sive terra sive mari. Multis causis adductus sum ut sic verterim. Prima quod, Iuncus et Ramus, nimirum perinde proverbialiter sunt posita atque, Caput et Cauda. Visus est igitur Iuncus pro mari: Ramus autem pro continente accipi. Secunda, quum כפה pro planta, vestigio, et solea nonnunquam capiatur: et אגמון paludem aut stagnum significet praeter caeteras significationes, iterum ad hunc sensum reversi sumus. Tertia, quod Aegyptus contermina est non tantum mari, sed Nili ostiis tota perluatur, adparet ei ex his occasiones multas semper fuisse oblatas ad gerendum res. Postrema quod, terra et mari, non tantum negat ista duo elementa, sed orbem totum comminatur fore infestum.

Terra quoque Iuda terriculamentum erit Aegypto. Divus Hieronymus vertit ex, חגא, Festivitatem, credens, א, finalem eius vocis literam κατὰ παραγωγήν esse adpositam. Nos Septuaginta secuti sumus, qui eam vocem in φοβητρὸν traduxerunt. Ubi autem post Isaiae tempora Aegyptus gentem Iudaicam metuerit, parum constat. At hoc parvi refert, quum propheta non huc spectet, sed ut ostendat fore quod Aegyptus ad omnia metuat, etiam ad Iudaicum nomen; ut istud nomen veluti aliis inferius, adhuc tamen illis formidabile futurum sit. Quamvis non abhorream ab ea expositione, qua Aegyptii, exemplo Sanheribi (qui una nocte ferme ad internecionem angeli gladio percussus est) expavisse a deo et nomine Israëlis putantur.

Tunc erunt quinque civitates. Posteaquam Aegyptus adflicta et perdita fuit bellis, quae adversus vicinos reges maxima sustinuit, tandem venit orbis salvator. De qua re Daniel. Adparet autem quinque praecipuas urbes in Aegypto fuisse, per quas totam velit intelligi.

Quae loquentur lingua Chananaica. Est et nobis in Helvetica lingua proverbium, quem Hispanice aut Gallice intelligere, sive loqui, dum volumus insinuare hisce factionibus favere. Chananaice ergo locuti sunt Aegyptii, quum Evangelium quod Hebraicis Apostolis et magistris didicerunt, confessi sunt.

Et iusiurandum praestabunt domino. Haec a superatis et subiugatis regnis Allegoria sumpta est. Ut enim ista victori principi iusiurandum praestant ac nomina dant: ita qui Christo fidunt summo imperatori, sacramentis eius velut iusiurandum praestant.

Unius earum nomen est Heliopolis. Clara fuit haec urbs Iovis: atque nisi nomen temere urbi est impositum, Solis quoque cultu. Id quod summus in ea sacerdos ille probat, cuius filiam insignis ille Ioseph uxorem duxit. Hanc autem praecipue nominat tanquam superstitiosiorem, quod missa idololatriae perfidia, Deo vero nomen datura sit.

Erit ara domino, et statua inscripta iuxta eam etc. Qui tam inciviles sunt, ut figuratos sermones aut per inscitiam non intelligant, aut per audaciam dissimulent, hinc contentionis tela corripiunt et iaculantur, Aram istam eam esse, in qua Christum ipsi offeramus. Nondum intelligentes, tunc duntaxat oblatum esse, quum in cruce suspensus moreretur, Quumque offerendi verbum nobis tribuimus, per metonymiam modo fieri, ut quum dicimus, Christus hodie ascendit ad coelos, aut resurgit ab inferis. Non quod iterum resurgat, aut coelos conscendat, sed quod nos eius rei quae semel facta est, mentionem refricemus. Quomodo divus Augustinus in quadam ad Bonifacium epistola disserit. Ara igitur et statua crux Christi est: quae non tantum in Aegypto, sed per universum orbem colitur: non lignea ista in qua spiritum exhalavit, sed salutaris illa, quae in ista mactata et occisa vitam nobis peperit. Ea est Christus ipse. Synecdochicis orationibus omnes linguae plenae sunt. Crux, pro eo qui in ea perlitavit. Tracta est autem praesens Allegoria ab Aris istis, quae diis iuxta positis statuis, inscribebantur.

Ut quum ad eum clament metu oppressorum. Ut quum, ex כי est. Metu oppressorum, ex מפני לחצים, id est, a facie opprimentium. Est autem hic locus irrefragabile adversus Iudaeorum protervíam testimonium. Nam et ipsi eludunt cuiusdam Oniae stultam arae in Aegypto extructionem. Ostendant igitur quando haec ara iuxta praesens vaticinium condita sit in Aegypto, aut fateantur, sese expectare quod nunquam futurum est, aut per contumaciam nolle recipere, quod usuvenisse negare non possunt.

Familiares habebit dominus Aegyptios. Ad verbum quidem est: Notus erit dominus Aegyptiis. Sed quum subito iungatur, Et cognoscent Aegypti dominum: non est verisimile eruditissimum vatem voluisse Synonymian eisdem ferme vocibus efferre. Quid enim aliud est, Cognoscetur dominus ab Aegyptiis, quam, Aegyptii cognoscent dominum? Metastasi ergo voluit uti, quae fit dum eodem verbo in eadem oratione aliter atque aliter utimur. Vertimus ergo ex נודע, Familiarés habebit. Nam et Latinis Noti nonnunquam pro familiaribus capiuntur.

Colent eum hostiis et muneribus. Abstrahit a vetere sacrificandi ritu ad victimas spirituales, de quibus Paulus Rom. et Corinth. scribit.

Hoc pacto percutiet dominus Aegyptios. Hoc pacto, ista ratione adiecimus, ut esset Epilogi nota dilucidior. Hebraice enim tantum est, Et percutiet: sed Vaf pro collectionis nota ponitur.

Tunc tritum erit iter. Vide quibus de rebus allegorias iucundissimas trahat: a commerciis, congressibus, et amicitiis abstrahit ad fidei unanimitatem. Commeaturos ergo Aegyptios, Assyrios, et Iudaeos,

id est, eundem cultum servaturos perhibet, per hos nimirum universum orbem designans.

Et eundem cultum habebunt Aegyptii cum Assyriis. Ad verbum habent Hebr. Et colent (hoc enim עבד non minus significat quam servire.) Aegyptii cum Assyriis. Non est enim את, hoc loco articulus, sed coniunctionis praepositio.

Tunc perficiet. Diximus pro, Et erit. Caetera mirum est cur Hieron. non paulo aliter verterit: praesertim quum nonnulla de divina triade disserendi hic occasio offeratur.

EX CAPITE XX.

Quod isto cap. iterum adversus Aegyptios et Aethiopas simul agitur, contra quos iamiam separatim agit, in hoc fit, quod adolescente Assyriaca tyrannide (promiscue autem Babylonicum regnum Assyriacum idcirco adpello, quod Hebr. idem nisi in paucissimis locis faciunt: ea tamen, quantum ipse arbitror, causa, quod eodem principe utrunque imperium temperatum fuit, posteaquam monarchiam Babylon obtinuit) vicinae gentes ac populi haud dubie concursabant, amicitias iungebant, vires in unum comportabant, quo promoventis imperii luxuriem amputarent, quemadmodum supra quoque monuimus. Aegyptii autem cum Aethiopibus conterminis foedus pepigerant. Invehitur igitur nunc contra societatem potius quam utranque gentem separatim, per os prophetae sui dominus.

Anno quo venit Thartan Azotum. Haec res quum neque Regum neque Paralipomenon historia comprehensa sit, minor videtur visa esse rerum scriptoribus, quam ut in annales Hebr. referretur. Aut forsan ideo pepercerunt, quod quantum usus postularet satisfactum credebant huic rei, huius prophetae per transcursum mentione. Nam alias quoque in Paralip. libro remittitur Lector, propter Uziae res, ad hunc prophetam.

Quum misisset eum Sargon rex Assyriae. Haec parenthesis indicat Tharthana alterius auspiciis non suis bellum gessisse.

Et expugnavit et cepit Azotum. Haec iterum in praeterita indicativa vertimus: quia referuntur ad idem tempus quo ista, Anno quo venit.

I, atque adime saccum de lumbis tuis. Id quoque visum est, non minus quam Ar Moabi expugnatio. Imo tanto magis, quod hic nobiscum commentatores visum esse, consentiunt. Porro Saccus non tam pro cilicio quam prophetali veste accipitur, quae propter vilitatem Sacci nomen induit.

Quod servus meus Isaias. Nove utitur propheta כאשר, pro coniunctione, quod. Nam si in comparativam notam traducas, erit Anantapodoton: et sermonis ratio non fert ut sit elliptica comparatio: Obstant enim, Signum et Portentum.

Quod post tres annos. Anni tres exciderunt aut Exemplari eius, aut ipsi Hieronymo. Constanter enim habent eos et Hebraei et Septuaginta.

Sic enim aget Assyriae rex. Minandi verbum ipse non memini

me uspiam veterum legere, verum Agendi, vulgo utuntur. Unde et actum pecoris, quem forsan Hiero. tempore Minatum vocarunt, Legisperiti eum ducfum nominant, quo pecus aut agis aut ducis. ff. de servit. praed. rust. et urbanorum.

Et discooperiet verenda Aegyptiorum. Hebraea sic habent: Retectis natibus et verendis. Est enim Asyndeton. Hinc Et, coniunctionem addimus, et חשופי dualis numeri, sive pluralis, si Rabinorum puncta posthabeas. Adparet autem Aegyptios apud Hebraeos libidine fuisse infames.

Emorientur ergo mutua verecundia. Ex וחקו, vehementius verbum reddidimus, quoniam sic competere videbatur. Significat enim hoc loco non vulgarem formidinem, sed horrorem istum ac consternationem in quam incidimus, dum repentina et inexpectata, sed ingens calamitas, imo ultima miseria et captivitas nos obruit. Caetera paraphrasticos paulo dilucidius distinximus, nihil sententiae ipsi supponentes, etiamsi paucis vocibus additis lucem reddiderimus illustriorem. Aethiopum enim splendor, periphrasis ex תפארתם est ipsorum Aethiopum.

Habitator Insulae huius. Aethiopiam et Aegyptum insulam unam facit, sive propter viciniam, sive communis Nili commercium. Ex hoc loco adparet Gentes in loco per insulas significari.

Siccine habet spes vestra? Probat haec sententia, quod antea monuimus, Foedera passim esse iacta, ad resistendum augescenti in diem regno.

EX CAPITE XXI.

Onus inhospiti maris. Inhospitum, non alia causa quam vehementiae vertimus. Magis enim flaccet desertum mare. Et quod Euxinus olim κατ' ἀντίφρασιν, id est, contrariam dictionem, Benehospitus, pro Inhospito fuit adpellatus. Vocat autem Babylonicam tyrannidem inhospitum mare, quod nemo ei tuto cohabitaret, nemo fines eius secure attingeret.

Visio dira nuntiata est mihi. In sensu nulla est diversitas, etiamsi orationis membra transposuerimus, neglecta Hebraeorum Periodo.

A deserto, terra formidabili. Adparet Austro maximas illis procellas cieri. Terra formidabili, adpositive vertimus. Vide autem mihi quam picte per comparationem amplificet visum.

Insidians insidietur, vastans vastet. Hanc vocem perhibet tam horribiliter intonuisse: qua confortetur Babylonis hostis, ne ab insidiando et expugnando desistat.

Ascende Elam, obside Mede. Elamitas et Medos, inter quos (si recte memini) sita est Babylon, advocat ad obsidendum et expugnandum.

Omnem gemitum eius compescam. Gemitum compescere in malam partem accipitur, pro, tot malis obruam, ut gemere ac flere nequeat. Nisi tu per Enallagen putes intelligenda esse. Gemitum eius etc. quem gemitum aliis obtulit, adimam oppressis.

Ad has voces implebantur consternatione. על כן non

tantum Ideo, verumetiam Tunc, significat. Notatius ergo vertimus, Ad has voces. Attonitus autem et consternatus erat propheta, non tam periculi magnitudine quod hosti patrio imminebat, quam visi atque horrendae vocis religione.

Cor meum palpitabat. Nos per metalepsim, pro Errabat aut haerebat, Palpitabat vertimus.

Caligo vertebat mihi omnem sensum meum in stuporem. Hic primo adnotandum est את, articulum eleganter separatum esse ab חשקי per Parenthesin. Secundo hanc vocem חשק, non tam pro Cupiditate, quam sensu, isto loco poni: id quod Hieron. versione patet, quum dicit, Tenebrae obstupefecerunt me. Sed περιφραςικότερον est quomodo Hebr. habent, sic ferme ad verbum scilicet: Ipsum caligo sensum meum mihi in stuporem vertebat. Deinde Hieron. iterum paraphrastice vertit, Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Ubi sanctum et doctum virum coegit religio iterum vertere, ne non tentaret omnia. Quamvis videri possit versio eius una tantum esse: de qua re longius esset disserere.

Audiebantur et istae voces. Totum hoc nostrum est. Citra notam enim alias quoque voces refert, quas in turbulento et formidoloso fragore inaudiit.

Subito ponatur mensa. Subito, virtute Heb. veritatis adponendum esse visum est. Describitur enim repentina militum instructio, quum hostem in propinquo esse nuntiatur. Quae formula in viso exhibebatur.

Surgant principes. Non tantum duces aut imperatores intelligo: sed equites, primipilos, antesignanos, ac primarios quosque.

Clypeos convellant. Dixi pro, Clypeos detrahant, de parietibus scilicet. Convellendi enim verbo Livius in hac significatione alicubi usus est.

Constitue speculatorem. Excubiae sive excubitores vocantur Latinis, qui Heb. Speculatores.

Ille ergo quum contemplatus esset. Iterum transposuimus orationis seriem, sed non sine claritatis proventu.

Vidit par equitum: quorum alter asino, alter vero camelo vehebatur. Varie constrinxit me hic locus. Nam quum רכב, priore loco vertebam in equitem, iam רכב חמור, et רכב גמל, huc etiam propendebant, et sic fiebant duo equites. At paulo post quum excubitor visum reddit, quendam equitem ait esse, qui biiugis veheretur. Quod si priore loco vertebam, Par equitum ex רכב צמד פרשים, et in secun. membro רכב, Biiugem faciebam, non equitem, inexpiabile facinus facere committere videbam apud eos, qui quae rectissime facta sunt fraudi vertunt, nedum ista quae dubiam speciem habent. Unde tantum animare non potuit, quod Gellius Equitem nonnunquam priscis pro Equo acceptum esse docet, ut sic transferremus: Vidit equitem biiugis vectum, asino et camelo: etiamsi huc propenderet animus. Videbam enim ex adverso dici potuisse, non raro factum esse, ut in diversis narrationibus, eiusdem tamen rei, numerus discreparet. Hinc angelos tres vidit Abraham: sed unum modo adoravit. Angelum unum

advigilasse ad sepulchrum Christi, apud alterum Evangelistam legitur, apud alterum duos: Latrones Christum obiurgavisse apud hunc, apud alium unum tantum. Huc igitur sententiae tandem descendi, ut ferme ad verbum iuxta LXX. verterem quomodo praemissum est: sive καθ' ἑτέρωσιν alter numerus pro altero ponatur; sive duos vidit primum, et de uno tantum narravit.

Et clamavit leonis instar. Excubitor scilicet de specula, instar leonis: verti quod Heb. nota comparationis per Ellipsim omittitur.

Ego o here mi. Tantum pollent Heb. si Rabinorum vocales negligas.

Ad excubandum. Virtutis est cum verbi עמד, tum totius sententiae.

Ad stationem meam. משמרתי. Custodiam meam alias, at hic Stationem potius significat

Et ecce vir quidam venit, biiugis vectus. Mirum est, omnes, constanter interpretes prius in adparitione duos vertisse, et in relatione unum.

Qui nuntium attulit. ענה, non tantum Respondit, sed etiam Percontatus est, aut Retulit significat, quomodo apud Zachariam frequenter invenitur.

Cecidit cecidit Babylon. Hoc erat nuntium quod רכב, id est eques iste sive aurigator adferebat.

O comministri et cooperarii mei. Ego quandoquidem credidi prophetam fratres prophetas coexcussorum et contrituratorum nominibus significare, Comministros et cooperarios verti.

Visus sum mihi audire. In onere Dumae, quae metropolis esse dicitur Idumeae, minax mihi videtur esse παρασιώπησις. Attamen quum et hoc ipsum Visum sit, necessarium duxi eius rei notam adhiberi. Adsui ergo, Visus sum mihi audire.

Custos quid per noctem sensisti? Non negligenda est nobis Ethologia, quam non sine multa gratia servavit. Quum enim ad aliquem qui longius abest quid inclamando mandamus, ferme reduplicamus orationem. Deinde quum verbum Sensisti, per Ellipsim propheta omiserit, adposuimus. Fingit autem eundem custodem interrogari, qui prius equitem Babylonicae cladis nuntium vidit.

Adest dies. Negat se quicquam vidisse per noctem: nunc vero adesse diem, quo quisque contemplari possit.

Succedet iterum nox. Tunc pari vigilantia usurum, ut quod viderit nuntiet. Nam et illius, hoc est Idumeae, interitum non minus properare quam aliorum, quamvis nondum quicquam nuntiatum sit.

Si inquirendi studio flagratis inquirite. Pulchra Metastasi usus est vates in בעה, quod verbum interim Ardere significat: quarum utraque significatione utitur per Anadiplosim.

Onus contra Arabes. Contra vel in Arabes, magis visum est nobis propheticum sensum reddere. Vide autem quam eleganti metastasi et paronomasia usus sit in בערב ביער בערב, quam in alia lingua non licet adsequi.

Itinere Dedanim. Hac parte profugituros praedicit.

O cives Themae. Ex hominibus terrae Theman, Cives fecimus Themae. Facile enim omittit Latinus regionis aut terrae nomen.

Obviam proferte aquam sitienti. Mos est ut velociter proficiscentibus extra urbes commeatus offeratur. Idem nunc Themanitis, ut fugientibus impertiantur, praecipitur.

Reliquiae vero sagittariorum Cedar. Hebraei habent, Virorum sagittariorum: sed haec locutio quum non transeat in linguam Latinam, sine Barbarismi nota studuimus eam declinare.

EX CAPITE XXII.

Vallis visionis. Periphrasis est urbis Ierusalem. Vallis autem adpellatur propter Zionem et Moriam. Neque enim montes esse possunt sine vallibus. Visionis vero aut ab eodem Moria monte, aut a prophetarum celebritate ac multitudine, qui nusquam constantius peccantes arguebant, neque usquam audacius trucidabantur. Non enim recipiebatur teste ipsa veritate, prophetam occidi quam Hierosolymis. Aut quod visiones istas quae hic exponuntur, indidem viderit propheta.

Ut universa conscenderis super tecta. Adparet tale visum ostensum esse prophetae, ut videret totam urbem in tecta conscendisse, ad contemplandum quando aut quomodo sui redirent a pugna. Hortos autem Hierosolymis pensiles fuisse multis locis facile colligitur.

Admirationis plena. Diximus pro, Tumulti plena. Admiratio enim est mater concursationum. Petulcam autem civitatem ex gestiente et exultante fecimus.

Inscensis equis extra telorum iactum abierunt. Inscensis equis, admensi sumus de nostro: quo clarius videretur quam turpiter fugisse omnes ostendere velit. Quod autem nos extra telorum iactum dicimus, hoc Hebraei Extra arcum habent. Porro ex אסרו Abierunt, reddidimus, quod א nonnunquam κατὰ πρόθεσιν capitibus dictionum inveniamus additam, ut apud Ieremiam videre est, et Ligandi verbum non admodum congruere videbatur.

Domino exercituum murum diruente. Quum קרה Contabulare et construere significet, et קר murum, sive parietem: fit manifestum, duplicata verba dissyllaba in loco contrariam vim habere simplici. Hic enim קרקר, potius Exmurare (si sic liceat loqui) hoc est, murum diruere, quam Construere significat. Simile quiddam habet Vergilius, quum Neptunum Troiae moenia tridente convellentem facit.

Ut fragor in montibus resonet. Resonandi verbum per Ellipsim deest Hebr. Occolampadium propius accessimus.

Videbantur autem Elamitae. Videbantur, diximus, pharetras tollere, ut semper visi notas interspargeremus.

Cum curribus equites accingi. Duo membra fecimus: quod hae gentes et curribus et equitibus pugnam ineunt.

Parietes clypeis nudari. Periphrasis et Enallage est. Parietes nudari, pro, clypeos de pariete auferri, Periphrasis est, pro Clypeos sumi. Quid quaeso pictius dici posset?

Eques incunctanter portas adoriebatur. Incunctanter, ex ana-

diplosi Hebraica fecimus. Adoriendi autem verbum, pro Adponendi vel admovendi posuimus. In viso enim contemplatus est urbis expugnationem.

Tunc adimebatur operimentum Iuda etc. Revelari adservata omnia perhibet: sive hoc modo, quod quum hostis in porta haeret nihil tam alte abstrusum est quod non proferatur: sive quod hoste in urbes irrumpente omnia effringuntur et conculcantur.

Videbitis ergo. Ego catastrophen esse existimavi a viso ad cives vallis visionis: ut iam exponat quid voluerit per revelationem Iuda intelligi.

Civitatis David. Nota est qua deprehendimus, quaenam sit vallis ista visionis.

Facietis et paludem inter duos muros. Imaginem obsessae urbis adumbrat, et dicit, homines aquas in fossas derivaturos.

Non habita ratione eius qui eam fecit. Haec tametsi ad Macrologiam pertinent, nonnihil tamen faciunt ad mali amplificationem. Quum enim antea dixerit, domos diruturos esse, ad farciendum quae hostis de moeniis, muris et munitionibus fregisset: hic quoque piscinas in alium usum quam factae fuerant, olim convertendas esse adseverat.

Et indumentum sacci. Indumentum pro cinctura vertimus. Accingere enim hic loci pro Induere.

Dum ecce isti. Dum, idcirco ex Vaf expressimus, ut nota esset oscitantiae et securitatis quam hic taxat. Isti, autem adsuimus, ut per ἐξουθενισμόν, id est, per contemptum demonstraret nobis cives urbis Ierusalem.

Et bibendo vinum, dicunt. Dicunt, additum est e nostro, quo discriminatior esset oratio. Neque hic tam ore credo sic locutos esse, quam corde. Hodie quoque sic dicunt in sinu, etiamsi linguam non moveant, quorum deus venter est.

Quod quum expositum esset in auribus. Ethopoeiae est. Ubique enim praesens deus, omnia ipse interius quam nos qui scelus perpetramus inspicit.

Non expiabitur hoc scelus vestrum etc. Non, vertimus ex iurandi nota אם, quam Hieronymus in Si, traduxit.

I, ingredere in exedram istam. Exedrae nomen Latinis quum sit domesticum factum, libenter utimur pro gazophylacio, qua Hieronymus voce delectatus est. Significat autem utraque vox ea domicilia quae ad templum et intra atrii murum extructa erant, ut essent apothecae et penuaria rerum quae ad templum et sacerdotes pertinebant: Quomodo in Regum, Paralipomenon, et Ezechielis libris passim videtur. Conveniebat in eis fornicibus vel aulis regius senatus nonnunquam, et omne officiorum regiorum genus.

Ad Sobnam praefectum. Hieronymus vertit Praepositum templi, quod domus quae hic habetur saepenumero pro aede aut templo per Antonomasiam accipitur. Nos putavimus domum regiam intelligendam esse: unde et praetorio praefectum eum fecimus.

Caeso enim lapide etc. constitueratque sibi in petra cubile. Paraphrasticos ex his ferme verbis exposuimus. Latomia ambitiosa

sepulchrum sibi constituens, in petra habitaculum sive cubile sibi. Adde quod חק, quae vox praeceptum aut decretum Hebraeis significat, Helvetica etiam lingua constitutum aut positum significat, Ein Hock, quamvis rerum grossiorum sit, non niorum aut animi.

Dominus proiiciet te. Et hic quoque dissyllabum duplicatum verbum est, טל טל, quod ex טל, rorem aut irrorationem, lentam quidem atque foecundam irrigationem significante, derivatur: sed hoc loco violentam disiectionem et dissipationem. Mirum est unde gallinaceum hic incubaverit et excluserit Hieronymus.

In terram remotam. Hebraea habent ad verbum, Latam manu utraque. Qua locutione utuntur pro, Latam quaque versum, Hoc est maxime latam. Contentus ergo fui dicere, Terram remotam.

Isthic finietur pompa quadrigarum tuarum. Finiendi verbum: de virtute verbi, Morieris, subtraximus: per Syllepsim enim tantum pollet oratio: Isthic morieris, isthic quoque pompa quadrigarum tuarum, supple morietur pro finietur. Fit enim vere Syllepsis quum verbum duobus subiectis quidem servit, at cum altero tantum legitime convenit.

Post haec vocabo servum meum Eliakim. Forsan inutilem quaestionem proferrem, si percontarer quinam fuerint isti duo praefecti Eliakim et Sobnà: aut quomodo non inconstantia dicantur isto Cap. et 4. Reg. 18. et 19. Capitib. Hic enim Sobna praefectus praetorii est, isthic autem scriba. Isthic Eliakim praefectus est praetorii, hic tandem fore praedicitur. Sed hac in re non se macerant, qui sciunt rerum scriptores saepe rebus nomina per Anthypophoram tribuere quae sero tradita sunt. Et scribarum istud genus ex quo fuit Sobna, ferme esse et impudentissimum in ambiendo, et in gerendo insolentissimum, ne quid gravius dicam.

Baltheo tuo cingam eum. Ornamenta ei addit, quibus nimirum praefecti praetorii coronabantur celebri pompa.

Clavem domus David ponam super humerum eius. Clavis, authoritas hic est, et praefectura: Humeri cura, fides, opera.

Quumque adperiet. Quum pro, Et: quoniam consecutionis nota est hoc loco, Vaf. Secundum autem post regem imperium καθ' ὑπεροχήν describit. Permitto autem facile, hunc de quo hic fit mentio, typum Christi fuisse.

Figam eum clavum in loco summae fidei. Clavi figendi tanta fuit apud Quirites religio, ut eius rei gerendae gratia dictator sit aliquando dictus, sicut Livius testatur. Hic autem quacunque superstitionis norma tandem figeretur, certe in hoc fixus esse videtur, ut deorum immortalium auxilio, res dubiae et tempora periculosa, quum feliciter caderent, tum populi Romani animi firmiores manerent. Hic loci, clavus figi dicitur Eliakim, quod futurum sit ut omnes ab eo pendeant. In loco summae fidei, non frivolam Emphasim habet. Adparet enim apud Hebr. non minus quam Romanos praefectum praetorii summis auspiciis captum esse, quod is summa quaeque gereret. Hic ergo summa fides requirebatur. Quapropter dominus promittit se virum officio dignum inauguraturum.

Omnem gloriam domus patris sui offerent ei. Offerent iterum ex Suspendent Sylleptico verbo extorsi.

Nepotum quoque et pronepotum. Oecolampadius nobiscum ex Hebraicis vocibus transtulit Stirpes et progenies. Septuaginta, ἀπὸ μικρȣ̃ ἕως μεγάλȣ, id est, a minimo ad summum. Quae Hieron. aut in suo exemplari non reperit, aut cum ad amplificationem duntaxat pertinere vidisset, omisit.

Omnia quoque vasa tam maxima quam minima. Maxima hic non habentur, sed minima sic posita sunt ut etiam maxima comprehendant. Vasa quaeque etiam minima. Emphasim ergo produximus.

Cum capacibus omnia organica. Quum Hebraei hac voce כלים, pro armis, proque instrumentis et organis musicis utantur, Capacia malui vertere quam Crateras. Est enim divisio, in qua melius generalia ponuntur cum generalibus, quam singularia cum generalibus, aut contra. Quum ergo Nabla pro musicis organis, iam et Crateres pro capacibus ponuntur.

Haec ergo monente domino exercituum etc. Sensui nihil decedit nostra interpretatione.

EX CAPITE XXIII.

Quoniam funditus vastata est Tyrus. Funditus dixi, ex virtute verbi שדד, cui Rabbini puncta intentantia intulerunt. Tyrum autem addidi quod alloqui videtur totum pelagus, etiamsi Tharsis reliquerimus et Hieronymus in Mare verterit.

Id autem ab Insularum cultoribus domo sua profectis. מבית, arbitror Syllepticos esse positum, ut et superiori et praesenti parti serviat. Attamen ad posteriorem tantum retulimus. Significat enim, intus, domi, et penitus. Significat, et domo proverbialiter. Chithim ergo vertimus insularum cultores. מבית מבוא, domo profectis.

Et eam sibi capientibus. גלה, non tantum revelare, sed etiam captivum ducere significat: quam significationem secuti sumus.

Silent Cypri cives. Tanta est densitas omnigenae eruditionis, ut carmen fuisse credam. Insulam, Oecolamp. in Cyprum vertit, eum nos sumus imitati.

Quique negotiando mare transmittit. Tam late exposuimus מעברים, id est qui mare transfretat: sed mercium causa. Hic enim Tyrum frequentabant.

Qui omnes eam frequentabant. Qui, ideo adposuimus quod Ellipsi deesse putavimus. Omnes vero, colligendorum subiectorum gratia, quae sunt, Cypri cives, mercator Sidonius, et qui mare secat negotiator. Eam, autem ex, Te, vertimus Alloeoseos licentia.

Cuius frumentum etiam optimum ingentibus aquis pelagi. Frumentum, ex semine: Optimum, ex maturo שחר vertimus. Porro, Ingentes aquas pelagi, ex aquis multis, maris Periphrasi.

Cuius messis et annona flumine advehebatur. Hebraei tam ad istud quam ad superius membrum per Ellipsim omittunt Advehendi ...m, ad finem ergo adiecimus. Est autem sensus, Tyro commeatum

flumine et mari advehi. Nec est cur anxii simus an Nilus hoc flumen sit. Est enim collectio flumine et pelago.

Piget Sidonem. Pigendi verbum, pro erubescendi ista ratione vertimus, quod non tam imperativum credimus esse verbum בושי, quam nomen pro participio positum, sed ἐμφατικωτέρως.

Monente cum omni robore suo mari, ac dicente. Ad verbum sic sonant Hebr. Quia dicit mare et robur maris hoc modo. Nos igitur causalem omisimus. Satis enim sese aperit ipsa oratio, quod vice maris Sidon loquens redditur. Maris autem nomen non repetivimus quod Asiaticae ubertatis est, sed aequivalens pronomen secundo loco posuimus, Suo.

Utinam nunquam parturivissem. Utinam, de nostro est, sed ex interiore succo Hebraici sermonis. Sic enim omnes ferme precantur quum liberi degenerant: Utinam nunquam generavissem. Et haec oratio quum indubie precatoria sit, non potuit precationis nota carere. Quod autem Sidone missa sit Colonia quae Tyrum condiderit, ac deinde Tyro quae Carthaginem, vetustissimi rerum scriptores testantur.

Qui trans mare sunt. Ad verbum habent Hebraea, Transite mare, ululant Insulae cives. Hoc est, si mare quoquo versum transmittas, neminem porro invenies qui Tyrum non deplangat.

Nonne haec est iucunda illa vestra? Ad omnes convertitur sermo qui Tyrum hactenus coluerunt, ac in ea deliciati sunt.

Nobilitavit eam miles eius qui longe peregrinabatur. Nobilitavit, ex יבל, quod producere, generare, et propagare significat, vertimus: Quid enim est nobilitari, quam tantum fieri, ut omnibus nota sit virtus? Militem ex רגלים: Sive enim ad exercitus referas, quos peregre in militiam miserit, sive ad Carthaginem, certe dubium non est, eo provenisse opes Tyri, ut exercitus alere et bella gravissima gerere potuerit, id quod passim scriptores rerum testantur.

Ut infirmet fastum omnis magnificentiae. Religiosa sententia est, et sancti stomachi plena. Patitur enim Deus aliquos aliquousque evehi: sed ubi satis insanitum est, deiicit ambitionem et fastum. Magnificentiam autem ex צבי, Caprea vertimus, de qua voce antea.

Gloriosos terrae. Ex נכבדי verbo gravi transtulimus, cuius significantia tam vehemens est et elegans, ut nulla alia voce potuerit commutari, quamvis ne illa quidem de integro respondeat.

O Nympha maris. Nympham ideo maris, Periphrasi, pro Filia dedimus, quod aquarum fere sunt Nymphae, quamvis alias fluminibus, alias fontibus et stagnis alias atque alias tribuant Poetae. Deinde quum hic sermo videretur non tam universalis esse ad universum mare quam ad Tyrum, etiamsi sequentia sint paulo generaliora, ea iterum causa Nympham feci. Priscis enim Graecorum vatibus urbes ferme Nymphae fiunt.

Qui regna turbabat dominus. הרגיז, in hoc tempus, Turbabat, verti, ut ordinem dilucidius videremus. Vult enim propheta dominum necesse habuisse, posteaquam omnia regna adflixisset, mare quoque punire: coepisse igitur a Tyro.

Cithaeorum enim vim patieris. Equidem huc respexi quod

Tyrus, expugnante sive Alexandro Macedone, sive Nabuchad Nezer Babylonio, tum tandem capta fuit quum a mari quoque peteretur. Cithaei enim varie accipiuntur variis in locis: hic pro Insularum habitatoribus intellexi, qui commodissimi erant ad oppugnandum e pelago.

Surge igitur et transi. Locus non exprimitur quo transire iubetur: quod ad amplificationem mali pertinere arbitror.

Assyrius condidit eam. De Assyriis provenisse Chaldaeos adserere credo hic vatem.

Sed Satyris. Elegans est et tecta Metanoea, id est, correctio.

Sed eandem in ruinam traxit. Assyrius scilicet Babylonem. Est autem exemplum quod quemadmodum Babylonii ab Assyriis et nati et subiugati tandem sunt: ita Tyrus quae ab Sidone originem traxit, ab insulis quoque circumventa et expugnata sit.

Tempore unius regis. Comparandi locutionem esse credidi, quomodo ista est: Sicut anni mercenarii, qua hic propheta libenter utitur. Adparet tamen aliquando regem apud Tyrios tam grandem natu esse factum, ut septuaginta annis rebus praefuerit. Est alicubi historiarum de rebus Tyri, servos aliquando tam ex urbe quam agro insurrexisse in dominos, atque ad unum quendam trucidavisse, quem humanior servus beneficiorum memor servaverit. Quumque ipsa servorum imperita colluvies huc scelerum venisset ut regem creare cogerent res temere latae, inter eos constituebatur, ut qui primus Solem vidisset, is esset omnium rex. Eam rem cum bonus ille servus ad herum suum quem clam servabat, retulisset: Ego pro tua in me beneficentia, inquit herus, efficiam ut rex fias. Sic igitur agito: Quum crastina die omnes intenti erunt in Solis exortum et in aedita quaeque, tute in occasum vertere adversus moenia urbis. Is ergo monitis obtemperans, quum omnes ad ortum prospectarent, subito inclamat sibi splendorem Solis videri, atque eum omnibus in muro ostendit. Caeteri autem, quod res erat, quum alterius esse quam servilis ingenii consilium istud crederent, impune praeceperunt authorem proderet. Quumque heri a se servati esse consilium fateretur, omnium consensu atque adeo quoque qui iam rex e servo factus erat, Herus ille producitur et rex salutatur. Qui deinde senex optime gessit imperium. Ad huius forsan aetatem, quod grandaevus suscepit regnum, sed recte administravit, Isaias respexit.

Usuveniet Tyro quod meretrici Psaltriae. Psaltria huc quadrat, canticum non admodum. Sic enim comparat similie propheta: Mulieres Psaltriae quum recens in urbem veniunt paucis aliquibus placent, doeentur ut, crebro canendo et omne artificium exerendo, gratiam sibi ac nomen apud omnes parent. Sic ergo Tyrus faciat posteaquam in oblivionem venit (dum scilicet septuaginta annis solo aequata iacuit) ut iterum nobilis fiat.

Cui dicitur. Necessario addidi. Apud Hebraeos enim alloquentium verba ponuntur citra discrimen et notam dicentium.

O ignobile scortum. Ignobile dixi pro Oblivioni tradita, τὸ πρεπὸν enim, id est, Decorum melius servatur ignobili, quam oblivioni tradita.

Te ipsam nobilites. Si verbum verbo commutes, reddidit optime Hieron. Ut memoria tui sit: at nostra planiora videntur.

Et ad sua reducet eam. Hieron. vertit hanc dictionem, אתנן, Merces, quam Hebraei perhibent proprie significare Mercedem libidinis. Nos ergo cum sensui nihil nostra interpretatione decederet, eam sic formavimus.

Quae commercia exercebit. Eadem vox quae Hebraeis scortari, etiam negotiari significat. At esto superius meretriciam Mercedem et hic Scortationem contendas verti debere: allegoricos tamen, ad eum sensum quem expressimus capienda sunt: id quod sequentia nullo negotio probant, quum dicit: Merces eas sanctas fore domino. Quibus adparet de beneficentia, qua in sanctos dei, in Christo renati, sua expendebant, eum loqui.

In cibum et refocillamentum egentium. Egentium, de nostro est, ne nudum esset alterum membrum.

EX CAPITE XXIV.

Ecce, dominus vastabit ac destruet orbem. Videtur hoc Caput universo orbi non tantum extremum iudicium, sed etiam quotidianum intentare. Quasi huc processerit Isaias: Nemo credat solam vallem visionis, Damascum, Tyrum, Babylonem, reliquosque tum populos, tum urbes mala experturos esse a domino. Cuivis potest contingere quod cuiquam. Quicunque igitur ad eum audaciae modum venerint, ad quem divina iustitia renuit connivere, pari poena mulctabuntur. Id ergo universo orbi praedicitur, quod hactenus singularibus populis. Quin huc quoque penetrat propheticus furor, ut ne angelos quidem permittat immunes abire. Fit ergo isto Capite manifestum quod supra dixi: Iudicium, sive diem Domini, et quotidianum et ultimum significare, quae enim hic dicuntur, temporibus et saeculis tum praesentibus, tum futuris, tum denique ultimo diei conveniunt.

Tunc par erit populo sacerdos. Haec et extremo et temporario dei iudicio competunt. Nihil proderit sacerdotem esse, nobilem, herum aut dominam.

Contaminata est enim terra. Causa est, cur sic periturus sit mundus, ideo Vaf, in Enim, transtuli.

Mores mutaverunt. Omnis politia constat legibus, institutis, ac moribus: maluimus igitur hic loci Mores ex חק vertere, quam, Praecepta.

Et sempiternum foedus irritaverunt. Nos per Foedus sempiternum, non tam illud quod cum Noë, Abraham, Mose, David pepigit deus, accipimus, quam illud quod est animis nostris inscriptum, Ius naturae scilicet, ex quo leges et iura cuncta dimanant. Forsan non extra oleas excurrero, si quid mearum cogitationum plane stultarum, quae me iuvenem etiam exercuerunt, brevibus prodidero. Quum omnes Iurisperiti unanimi consensu doceant, leges omnes ex iure naturae derivari, ita saepe mecum reputavi: Quum fallere et mentiri longe nocentius malum sit, quam pecuniam furari: ex mendacio enim levissimo quae quaeso tragoediae oriuntur? Ablata quum amico, etiam tenui,

pecunia est, omnes miserescimus, nec tanta animorum sequitur contagio quanta quum seducti erramus. Quum tamen, non mentiri, perinde imo priore loco ex iure naturae profluat quam non furari. Accusabam nunc furtum propter suspicionem. Amico enim quum subtracta est res, multi in suspicionem ducuntur innoxii. Depellebam a mendacio magnitudinem, quod quisque debeat non temere credere etc. At quicquid adferebam, semper admittere cogebar nocentius esse mendacium quam furtum, scelus quantumvis sordidum, foedum, et illiberale. Mirabar igitur quinam factum esset, ut mendacio non esset per legumlatores aequa furto poena indicta, quum aeque ex iure naturae sit, ne mentiaris, atque, ne fureris. Relinquo igitur huius quaestionis dissolutionem aliis quoque melius discutiendam. Et meam responsionem paucis addam: Quum veritas et claritas veluti lumen sit, quo adhibito summi boni natura melius ac propius cognoscatur, adparet hominem nulla alia re deo esse similiorem quam veritate. Nolo autem credas me, prudentiam, iustitiam, sapientiam in postremis habere: sed quum primae sint virtutum omnium, veritate tamen posteriores non secus sunt, quam nati parente. Veritatem enim fontem, fundamentum, imo genitricem et altricem harum puto. Colligitur ergo e diverso quod quanto alienior est homo a deo, tanto minus curat veritatis beneficium. Secundum hoc: Qui parum adficitur veritate periclitante, plurimum vero dum reculae pereunt, is probatur, res tenacius amplecti quam numen. Hinc ergo est quod legibus tot cautum est, ne fureris, nulla nisi naturae, ne mentiaris, quod tam longe absumus a deo. Utcunque ergo iustitiam, prudentiam, sapientiam, reliquasque virtutes simulemus, neque tamen omnibus nervis accuramus ut mendacium profligatur, nos ipsos prodimus non ex animo summum numen colere. Quanto enim ipsi propinquius ad eam accedimus, et proximum ad comitandum cohortamur, tanto gratiores deo sumus. Quamdiu ergo tam frigide vero patrocinamur, at rebus tam anxie consultum volumus, manifeste probamus nos longe abesse cum a deo ipso, tum a rerum omnium preciosissima veritate. Diximus autem et in Elencticis nostris quomodo ius naturae aliud nihil esse possit quam religio numinis: qui ergo ius naturae abiecerunt aeternum foedus fregerunt.

Unde et insanient. Hic iterum per Asiaticismum habent Hebraea, Unde et insanient habitatores terrae, ubi nos priore subiecto contenti sumus.

Lugebit mustum. Hypallage est. Non enim luget mustum: sed homines qui illo gaudent, quum perit, lugent. Hieronymus ergo quo propius accederet, Luxit vindemia, vertit.

Et citharae iucunditas. Hieronymus Dulcedinem vertit ex משוש, id est, Gaudium, non male: sed in hoc adnoto, ut pius lector videat, quomodo variis metalepsibus liceat interpreti expositionem moliri.

Zythum amarum erit bibentibus. Zythum, potus est e tritico, aqua et humulo incoctus. Cervisiam vocant barbariore vocabulo Germani, quam vulgari isto Bier, quae vox a Bibendo nata esse videtur. Zythum vero Graecis quoque notum est nomen: quamvis quidam Hispanicum esse tradiderit.

Omne gaudium occidet. Occidet, ex ערבה traduximus. Ab ea enim voce Solis etiam occasus deducitur.

Qui ergo tunc reliqui fient. Tota oratio propter unam vocem, Qui, ex nostro allata est: Sed in hoc, ut videas eum de reliquiis adeo paucis, de quibus antea monuit, loqui.

De mari cantando. Recte vertit Hieronymus, Hinnient: quo verbo impense utuntur Hebraei. Hic Canendi verbum satisfacere videbatur. De mari autem constantius et altius cantari solet, imo licentius iurgia et convicia spargi. Unde et proverbium natum est, De navi conviciari.

Magnificentiam Domini. In בגאון, id est, in magnificentia, vel magnitudine, vel splendore. ב articulus est, non praepositio.

Et in speluncis. Hic manifeste על כן, pro Coniunctione ponuntur, non pro Ideo, sed pro Ad haec: ubi Et, coniunctio satis videbatur nobis factura. Sunt autem haec omnia amplificationis, de mari, de speluncis, et insulis nomen dei magnificare.

Praevaricatoribus omnia plena sunt, atque iis qui de industria praevaricantur. Habemus hic inimitabile paragmenon, cum prae sermonis elegantia, tum prae gravitate sententiae: quale ferme est istud apud Gellium, de Frustrando. בגדים בגדו ובגד בגדים בגדו, id est, Perfidi sive praevaricatores praevaricantur: et praevaricatione praevaricantur praevaricatores. Ubi tota vis sententiae in ablativo, Praevaricatione, sita est. Quo vult ostendere, verecundiam quoque ablatam esse, qua vel humanus sensus abhorret a nomine Perfidiae. Adparet omnino Isaiae tempora his nostris fuisse simillima: quibus non iam dolose circumvenire, sed aperte mentiri, fallere, fidem frangere ac foedera, prudentia vocatur: vim facere fortitudo: foenerari commoditas: furari avere tantum: expilare promptitudo. Atque haec tam sordida flagitia exercent impudenter ac de industria ii, quibus solis imminet his et aliis malis occurrere. Ut et hodie non immerito queratur Cato ille Virtutis vivae statua, Virtutes non posse a quoquam capi, quum Virtutum nomina nobis perierint, et vitia virtutum vocabulis nomenclemus. Sed potius est ut cum Propheta ingemiscamus apud dominum: Eheu nostram sterilitatem, Heu penuriam. Quis sese his malis murum opponet? quam ut numerare scelera pergamus. Tam infeliciter enim hoc tentaturi essemus, quam ille qui venientes maris undas numerare contendebat. Quotidie enim nova scelera scaturiunt, irroborescit impudentia, inveteratur vis, audacia callum ducit: ut nisi per Evangelium filii dei mundus renascatur, ultima simus indubie experturi. Vertimus ergo: Qui de industria praevaricantur. Utuntur autem Iurisperiti isto verbo, quum iudicem pecunia corruptum esse dicere volunt. Trahitur tamen ad omnem pecuniae corruptelam.

Vehementer crepabit terra. Admirandae virtutis sunt Hebraicae hoc loco Anadiploses: quas pro virili studuimus exprimere.

Visitabit dominus exercituum superorum qui in supernis sunt. Haec non sic transtuli quasi ab Hieronymi interpretatione abhorream, quae dilucida est et recta: sed ut ostendam ad verbum habere Hebr. quomodo nos vertimus: et nihilo minus sic vertisse Hieron.

Visitabit dominus super militiam coeli in excelso. Haec forsan, nisi tu ὑπεροχήν esse existimes, ad ultimum diem tantum pertinent. Non tamen debent audaces isti, qui in scripturis in hoc tantum versantur ut aliquid novi pariant, hinc alicuius novi erroris semina desumere. Quasi angeli qui cadente Lucifero in fide et claritate constiterunt, aliquid discriminis subituri sint, quum veniet ad iudicandum dominus: sed ita aderunt quomodo et Apostoli et beati omnes.

Et colligentur quemadmodum vincti solent in lacum. Hoc de impiis tum angelis tum hominibus accipiendum est. Lacum autem Hebraei ponere solent pro Ergastulo, carcere, et reorum detentione, aut nervo.

Et punientur ad infinitos dies. Dissidemus hic toti a Hieron. tum interpretatione tum sententia. Primum enim מרב ימים ille vertit, Post multos dies: Nos autem, Ad multos dies. מ enim Hebraica praepositio ita significat De, ut quum dicimus, Deintus, deforis, pro Intus, et foris: quemadmodum superius quoque attigimus. Sed leve sit quod dicimus, nisi testes fide dignos adhibuerimus. Producimus ergo LXX. testes, quum alias per legem duobus aut tribus fides habeatur, qui sic verterunt: διὰ πολλῶν γενεῶν ἐπισκοπὴ ἔςαι αὐτῶν, id est, Per multas generationes erit mulcta vel visitatio eorum. Adde quod Multi Hebraeis perinde ac Graecis pro Omnibus accipiuntur: quomodo in: Multi sunt vocati, id est, omnes quidem vocati sunt, per praedicationis Apostolicae verbum scilicet. Nam in Romanis aliter accipitur vocatio: Quos vocavit, hos et iustificavit etc. Et in: Qui pro multis, id est, pro universa multitudine funditur. Et in: Unus panis et unum corpus multi: hoc est, universi qui Christo fidimus, sumus. Sic et hoc loco, Multi dies, tantum pollent atque, Omnes dies. Vertimus igitur: Ad infinitos dies. Deinde Visitandi verbum pro Mulctandi capi, non est cur multis probem. Passim enim in scripturis pro Numerandi, censendi, castigandi, regendique verbis accipitur. Vertimus ergo in Puniendi verbum. Atque id omne ne quis incautus in eum errorem incidat, quem de salvandis daemonibus et impiis: Origeni acceptum ferunt.

Quum regnabit dominus exercituum. Regnandi verbum reliquimus: tametsi hoc loco videatur esse ἐμφατικώτερον, hoc est, potentius et interius, nempe pro, Strenue rem geret, positum.

Praesente senatu suo gravi. Senatum Heb. perinde a senioribus adpellant atque Latini et Graeci: de qua re alias. Gravem ergo senatum vertimus, pro Comitatu beatorum, qui aderunt quum iudicaturus est orbem. Per omnia plenus est propheta Ethopoeiis. Haec autem ad ultimum diem pertinere videntur: et Ierusalem ac Zion esse ecclesia. Quamvis me nihil moveat, si quis de praesenti sive quotidiano iudicio intelligere pergat. Regnat enim, id est, Triumphat adversus hostes suos semper praesens ac dux Ecclesiae suae. Id autem cum senatu suo, hoc est, cum omnibus sanctis suis, hoc est, fidelibus.

EX CAPITE XXV.

Hoc nunc carmen in laudem dei canit propheta, sive suo sive eorum

nomine, quos undique dixit dominum laudaturos. Mihi videtur dei iudicia contemplando per admirationem trahi, ut eius iustitiam celebret.

Secundum antiqua consilia firma et fidelia. Recte vertit Hieron. Antiqua pro longinquis. Deinde placuit nobis dicere ex אמן, id est, Amen, e qua paragmenon fecit propheta, Firma et fidelia. Sed de ea dictione prius dictum est.

Tu enim redigis urbes in acervos. Ad verbum: Quia tu facis (mutuo enim utuntur Ponendi, pro Constituendi et faciendi verbis) ex urbe acervum. Nos numerum mutavimus, ne videretur propheta de certa aliqua urbe loqui. Sententiosa enim sunt omnia et amplifica. Porro quod Hieron. interpretatio pro Tumulo Tumultum habet, librariorum mendum est. Gothicum enim exemplum quod apud nos est, tumulum habet: Istud autem quod longe vetustius est, Tumultum.

Aedes impiorum ex urbe tollis. Impios fecimus ex Alienigenis. Tantundem enim pollent Hebr. Impius et alienigena. Ex urbe מעיר Hieron. vertit, Ut non sit civitas. Qua versione testimonium praebet, מ Hebr. praepositionem non pro De, accipi perpetuo, sed pro Ad etc. Putamus autem prophetam huc spectare, quod et Romani aliquando faciebant, si quis regnum ambivisset, ut aedes eius solo aequarent, atque aream sacram facerent, quod Aedes Meliae testantur.

Ut populi agrestes te praedicent. Agrestes ex robustis fecimus. עז enim, ut superius decimonono cap. dictum est, nonnunquam in malam partem accipitur.

Sed violentis procella ac turbo qui muros deiicit. Haec non ideo sic verti, quasi a Hieronymi interpretatione abhorream, quae sic habet: Spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem: sed ut illius verba non secus quam dicta sunt, accipiantur, in hunc videlicet sensum: Etiamsi spiritus sive procella robustorum sit veluti turbo, qui etiam parietem possit convellere, noster tamen sensus dicit, deum procellam esse violentis, qualis est quae sic ingravescit ut murum possit deiicere. At nunc tertius magis arridet, ut כי in Cum, vertas: et קיר a reliquis verbis separes, hoc modo: Cum procella violentorum instar turbinis, ingruit scilicet κατ᾽ ἔλλειψιν. Paries, intellige, est dominus. Ante enim dixit eum esse, inter caetera, refugium a tempestate, umbraculum ab aestu: nunc autem parietem facit eum, a procella violentorum hominum. Sed tunc istud membrum, Et aestus in deserto, ad inferiora cogemur accommodare: quod et Rabini fecerunt.

Tu compescis audaciam impiorum. Audaciam vertimus pro Tumultu. Latius enim patent et שאון Hebraeis, et Audacia Latinis, quam Tumultus.

Arces aestum umbra nubis. Arcendi verbum, iterum vertimus ex כנע, quod prius in Compescendi fecimus. Non est enim alienum Sylleptica in alia atque alia, aliis atque aliis membris vertere.

Et faciet dominus exercituum in monte isto convivium etc. Hic desinere carmen putamus, et ad prophetiae ordinem redire Isaiam. Convivium autem istud de quo promittit, nullum aliud esse potest, quam quum Christus semet cibum fecit omnium populorum: quem si

hic vere edimus, in monte sancto eius cum ipso requiescemus, edentes et bibentes super ea mensa, quam nobis apud patrem instruxit.

Mortem funditus absorbebit. Nunc absorbendi verbo usi sumus, quum Hebr. per Epanalepsim idem verbum בלע habeant, quod antea in Auferendi verbum convertimus, hac causa, quod Paulus apostolus, cum ex propheta hoc nostro, cuius studiosissimus fuit, tum ex Osea, huius nostri contemporaneo, Corinthiis scribens, κατεπόθη, id est, Absorpta est, inquit, mors penitus. Hoc enim est, In victoriam. לנצח.

Absterget etc. omnes lachrymas. Et praesenti felicitati, quam habent pii commodat, et aeternae qua aliquando vestiemur.

Et opprobrium populi sui per universum orbem tollet. Id quaeso ubinam carnali Israeli praestitum est? Dabitur aiunt. Tunc scilicet, quum intelligent arguti homines figuris et tropis picta esse, quae ipsi perinde vere praestare putant, atque pictor ille, qui aves de uva in imagine pueri picta abigebat. Nunc ablatum est opprobrium Iudaeorum, quum Christus qui de semine Iuda promissus est, nos veros Iudaeos fecit.

Ecce hic est deus noster. Mihi iterum videtur gratiarum actionis carmen compingere vati placuisse.

Quia manus eius intenta est monti huic. Intenta est, dixi, pro Quiescit, non arbitror iniuria.

Quae in sterquilinium abiicitur. Ad verbum, In sterquilinio. In hac voce enim במי, παραπληρωματικῶς ponitur מו, sicut alias in isto propheta במו אש, id est, In igne, obiter ponitur.

Expandet enim manus suas in eum. Mirum est cur Hieron. verterit sub eo, quum בקרבו, potius Inter eos significet. Est enim Alloeosis in relativo singulari, Quam sub eo: ni Sub eo, dicere voluerit pro, Inter ipsum. Comparatio elegans est. Ut enim natatores manus extendunt, sic extensurum quoque dominum inter Moabitas, atque utrinque percussurum.

Virtute manuum suarum. Ideo vertimus, quod Septuaginta habent, ἐφ' ἃ τὰς χεῖρας ἐπέβαλε, id est, In quae manus suas commiserit. Ἐπέβαλε enim legendum esse arbitror, non ἐπέλαβε: qua interpretatione adparet eos Longandi verbum sive Protendendi, legisse ארך, non ארב. Porro quae hic dicuntur de Moab manifeste videntur per Allegoriam de contrariis virtutibus esse dicta: Non quod nos Allegoriam faciamus, sed quod Isaias ipse allegorizat, tam Iudam et Ierusalem sive Zion, quam etiam Moab. Sunt ergo Iuda qui deum confitentur: Moab qui illi adversantur. Id quod sequens carmen pulchre confirmat.

EX CAPITE XXVI.

Urbs firma nobis est. Adparet Hieron. tempore nondum omnia cola et commata fuisse in huius prophetae lucubrationibus, etiamsi periodorum puncta, quae ipsi Pasuc vocant, omnino fuerint. Nam illa si fuissent, nullo negotio vidisset planam esse sententiam Hebr. quam nos vertimus. Quamvis varie distrahor dum sic iudico, quum hic

LXX. secundum nos et verterint, et puncta habeant. At aliis in locis tam cola et commata, quam etiam periodos diversimode habent: nihilo tamen minus huc sententiae propendeo. Est autem hoc carmen Ecclesiae gratulatio, quae secura dei protectione ad se invitat omnes Gentes ac populos.



Tu quoque opifex et conditor. Hebraica ista יצר סמוך, id est, opifex, fictor, sive conditor fundamenti, sive fulcimenti, hoc est, orbis ac mundi, per Synecdocham nos in haec vertimus, Opifex et conditor, sine Mundi: quoniam absolute videbantur satis esse augusta.

Pacem concinnabis. Idem verbum est, ex quo conditorem et concinnatorem finximus. Conditor orbis conde, hoc est, Concilia et concinna pacem.

Sperate in dominum in perpetuum. Haec sententia per synonymiam bis effertur apud Hebraeos. Nos una sumus interpretatione contenti.

Quoniam ipse humiliat elatum civem. Non me terret מרום, id est, excelsum, quo minus vertam, Elatum civem. Nam מרום, perinde adverbialiter ponitur atque nominaliter. Tum pro ipsa elatione: ut Cives superbe, vel cives superbiae vel elationis *κατ' ἰδιωτισμόν* pro superbis et elatis civibus dicatur. Exigit autem sequens membrum cum verbo השח, ut Habitatores, hoc est cives (non enim habent Civis aliud nomen quam habitatoris) superbos vel elatos transferamus: puta, Et urbem superbam ad terram deiicit.

Tu autem domine ponderas semitam iusti. Locus iste valde obscurus est, et diu nos torsit. Ut autem in hunc sensum tandem vertere adducti simus accipe. Primo plusquam satis dictum est, ut Hebraei sententialia puncta non exacte habeant. Quum ergo תפלס secundae personae sit, et in sequenti periodo sequatur משפטיך יהוה, iam verti: Tu autem domine ponderas semitam iusti. Deinde quum tota oratio, si penitus consideretur, ad hanc nostram sententiam inclinet, eadem ratione eodem adducti sumus. Postremo, quod ל articulus Genitivo, non tantum Dativo iungitur.

An aequa sit. מישרים id est, De recto, ponderas scilicet semitam iusti: hoc est, Num recta sit.

An aequum sit iter eius. Istud secundum An, ex superioris praepositionis sanguine huc derivavimus. Iter autem, pro Incessu temere invenies apud Latinos.

Quo fit ut semitam iudiciorum tuorum suspiciamus. אם hic propheta noviter utitur, tum hic tum alibi, nempe 46. cap. ubi pro Ideo, Simulatque utitur, aut Protinus igitur. Verbum autem קוה, ex aequo Suspicere, colere, expectare, et sperare significat. Nam et virtute Metalepseos non iniuria pro se mutuo accipiuntur. Volumus nunc totam orationem ad Hebraicorum seriem componere, quo planius cernas omnia Lector. Semitam iusti de aequo, aequum sit iter iusti ponderas: Ideo protinus semitam iudiciorum tuorum suspicimus domine. Competit autem hoc loco ista sententia. Quum enim fideles in hac gratiarum actione agnoscant, quam tuti sint dei praesidio, quam inconstantes et

minime tuti impii et elati, iam proxime quadrat: Dominus enim iustorum semitas ponderat etc. Quo loco manifeste videtur, Iustos pro Piis accipi.

Quia, protinus ut iudicia tua mundo innotuerint, iustitiam discunt qui orbem inhabitant. Quam tersa est haec, quam facilis et obvia apud Hebraeos o Lector? At hoc parum sit: quantum quaeso pondus habet sententia? Annon omnes philosophorum libri hoc clamant, exemplis quoque alios emendari? etiam si is qui plectitur pereat. Cur igitur orbe tam corrupto, imo conscelerato et discerpto, crudelitatis insimulamus eos, qui exempla edi, quibus divinam ultionem declinemus, postulant? Praesertim quum videamus audaciae et violentiae, et quum ultimum in malis bonum pudor sit, etiam impudentiae frena laxata esse? Ut improbi homines non aliter in imbellem turbam saeviant, ac lupi in agnos? Sed reprimam me, ne apologia aliud quam apologia fiat.

E vestigio ubi correptus est praevaricatur. E vestigio ubi, ex בארץ vertimus. Innumeris enim locis ארץ, id est Terra, Hebraeis pro loco ponitur.

Quum eos indignatio populorum. Quae nos in hac periodo vertimus, de sanguine prophetici sermonis esse fatebuntur qui conferent: nisi quod unam vocem, Quum, quam illi consequutionis notam omittunt, addidimus complanationis ergo.

Tu enim perficis nobis omnia, tum consilia tum opera nostra. Perficiendi verbum, pro Faciendi supposuimus. Composita enim verba non habent. Porro מעשינו, Consilia et opera vertimus. Supra enim admonuimus, eandem vocem pro Consilio, et opere quod ex eo consilio sequutum est, accipi.

Etiam si dominati sint nobis. Quum sententia ista sit omnino conditionalis, puta aut in hunc sensum quem reddidimus per tempus praeteritum, aut in futurum: Domine si fiat ut alieni nobis dominentur, hoc saltem praesta, ut nomen, hoc est, maiestas tua nobis non excidat: semper erunt conditionis notae adponendae, quas isti omittunt.

Qui mortui sunt violenti homines non vivunt. Mortuos et violentos iunxit Isaias, velut subiectum et adiectum; et: Non vivunt, ornatus gratia per parenthesim interposuit. Vivendi autem vox, pro Beate vivendi verbo per antonomasiam ponitur.

Neque sunt in resurrectione mortuorum. Hic plane videmus Resurrectionem pro Felici iucundoque beatorum contubernio, in quo post hanc vitam degunt, sumi. Sanctorum autem, de meo addidi, quo dilucidius fieret quid per resurrectionem intelligant. Resurrectionem autem hoc modo ab eis capi, quomodo antea attigimus, et Christus ipse testatur, quum Sadducaeis de resurrectione sic respondet: Non est deus mortuorum, sed vivorum etc. Non enim est verisimile, Sadducaeos tam crassum errorem ausos fuisse inter Iudaeos adserere, quod animae non viverent post hanc vitam. At simul si quis contendat, eos carnis modo resurrectionem negavisse, obstat Christi responsio, quae ad carnis resurrectionem hoc loco nihil facit: quum tamen perhibeantur omnes admirati fuisse eius responsionem: quod nullo pacto factum esset,

nisi dissolvisset illorum obiectionem. Adparet igitur, somnum quendam animabus tribuisse insulsos sciolos, quomodo Catabaptistae etiamnunc somniant: Christum autem, vitam eorum et beatitudinem, qualis ante natum Christum erat, adseruisse, quod non dormirent: sed viventes et vigilantes et suo aliquo modo beati essent. De qua re in Elencticis alicubi.

Contra vero auxisti Gentem domine. Contra, notam Antitheseos adaptavimus. Verbum autem Augendi ex יסף, de quo supra, quum verba Rahelis exponeremus

Magnificatus es ad omnes terminos terrae. Magnificatus vertimus pro, Longatus aut Protensus et Ampliatus. Ad, autem praepositionem ideo addere coacti sumus, quod adcusativis locorum creberrime non adponunt praepositiones, quod Romani in propriis et adpellativis paucis tantummodo servant. Romam pervenit illius fama, quidem dicunt, sed non dicunt: Omnes fines terrae pervenit fama eius: sed, Ad omnes pervenit etc.

Domine, in tribulatione quidem te visitant. Eadem sententia tractatur, quae superius. Protinus ut iudicia tua mundo innotuerint, iustitiam discunt qui orbem inhabitant.

Adflictio et querimonia disciplina tua sunt eis. Querimoniam ex Mussatione sive Murmure fecimus, quod qui sic adfliguntur ut querantur, ad disciplinam recipiendam adiguntur a domino.

Sed interim, quemadmodum quae uterum fert etc. Sed interim, de nostro idcirco adiecimus, ut si cui prior sententia videretur ad impios referri debere, quod non redderentur meliores, etiamsi dominus quo ad disciplinam et emendationem traherentur, percuteret: iam quae sequuntur distincta inveniret a superiori parte Antitheseos. Quod si Antithesin nolimus agnoscere, iterum non valde discrepat nostra complanatio.

Ac velut enitimur spiritu salutem. Mihi visus est propheta, interni hominis molimina voluisse describere, quum scilicet luctatur adversus carnem quae poenitentiam recipere recusat. Spiritu autem dicit nos eniti salutem, quomodo Paulus eius imitator, spiritum dicit interpellare pro nobis: intelligit autem nostrum spiritum deo imbutum, hoc est, quemque pium et spiritualem hominem spiritu ingemiscere coram deo, pro se carnali, hoc est, pro carnis admissis et casibus.

Ne conficiatur terra. Videmus hic manifeste quod iam aliquoties de penuria compositorum verborum in lingua sancta adnotavimus: quum verbum נעשה, id est, Faciatur, si sic liceat loqui, hic pro perficiatur constet accipi. Perficiendi enim verbis pro Perdendi atque in nihilum redigendi nunquam non utuntur. Positum est igitur Faciendi, pro conficiendi verbo.

Mortui ergo tui vivunt. Oppositio est, superius habitae sententiae. Recensuit enim quid impiis ac deum contemnentibus accidat quum vita defunguntur: nunc vero quid piis ac deum reverentibus.

Tu enim irroras rorem lucis ac vitae. Recte quidem vertit Hieronymus, sed Latinis non tam obvius est sensus, nisi verbum aliquod intercedat. Est enim Prosapodosis, qui fiat ut qui moriuntur

in domino, vivant. Quia, inquit, tu irroras rorem vitae. Ponitur enim lux pro vita quomodo et Latinis, quum dicunt: 'Tu mihi hac luce charior es. Utrunque igitur posui, Lucem et Vitam.

Terra autem violentorum concidit. Terra, pro Habitaculo, domicilio, vel conversatione ponitur, et negatur quod habitationem, iucundam scilicet, habituri sint impii tyranni.

I, ergo popule mi. Cohortatio est ad filios dei, ut sese abstrudant donec impleatur indignatio et vindicta divina, quomodo et Loto praecipitur, ne pereuntium urbium spectator fiat.

Quae quem bibit sanguinem prodet. Quem bibit sanguinem, dixi pro Sanguinem suum. Ludit enim ad hoc quod saepe comminatur in lege dominus, terram non laturam eum qui se innoxio sanguine polluerit.

EX CAPITE XXVII.

In die illa. Varie utuntur hac locutione Hebraei, aliquando pro eo tempore referendo, de quo antea mentio facta est: Aliquando pro, Quodam tempore, certo quidem isto, sed indeterminato: ut quum ponitur pro Ultimo die, certum quidem est eum fore: sed post quot annorum curriculum, id vero cunctis ignotum est, etiam filio hominis. Qui hunc locum ad ultima tempora, quibus Iudaei quoque in agnitionem Evangelii creduntur venturi, referunt, multa habent quae obstent. Qui vero ad Christi crucem, tantundem: sunt enim hic quaedam quae Assyriacae libertati convenire potius videntur, quam ei quae per Christum confecta est. Habent postremo et hi qui ad universale iudicium referunt, quae male cohaereant. Nobis ergo videtur eiusdem argumenti esse cum superioribus, in quibus dei iustitia quantum editis exemplis prosit, ostendit. Ita tamen ut hic exempla quaedam addat: quae omnia processu patebunt.

Leviathan Serpentem insuperabilem. Equidem arbitror id esse in causa cur tam obscure tractemus hunc locum, quod per Leviathan, Satanam constanter ex Septuag. interpretatione, qui Draconem verterunt, intelligere perrexerimus: non etiam Babylonium regem. Quem tamen deinde facile permitto per nostram, non etiam prophetae, Allegoriam, Daemonem fieri. Adparet autem (quod superius, quum Lucifer adpellabatur Babylonius, in hunc locum servavimus) vulgarem fuisse apud Hebraeos sententiam de casu Luciferi, etiamsi sacris de eo literis nihil aliud aperte significatum sit, quam, cecidisse eum, et aeternis rudentibus alligatum, serpentis persona indutum, seduxisse primos parentes: at nunc insidiari non aliter quam ab exordio. Hinc autem divinis hominibus Catagogae sumptae sunt, ut si quando adversus fastuosissimum esset invehendum, iam per Catagogen, id est, descensum ei tribuerent quod Luciferi esset: ut quum supra, Omnia Babylonio regi tribuuntur quae Lucifero competunt. Sic et isto loco videtur per Catagoges virtutem allegorizare, quum Leviathan nomine et periphrasi utitur pro Babylonio. Sed per nos integrum servetur cuique iudicium. Ponit autem pro exemplo quomodo adversarias potestates expugnet deus,

suos autem redimat. Quum Babylonium sit interfecturus, et vineam, hoc est, Gentem suam liberaturus.

In die illa alternis cantabitur vineae Haemer. Adparet Septuaginta, Hebraicae Prolepseos, de qua antea, virtutem non habuisse perspectam, qua in nominativo praemittunt id quod in obliquo Latinus sermo post vocem regentem subiungit. Ut hic, Vinea Haemer, alternis cantabunt ei. Dicitur pro, Alternis cantabitur vineae Haemer, Hoc est, Amantissimae. Hanc enim nominis interpretationem adiecimus, quod sive חמד legas, quomodo Septuag. legisse videntur, quum *εὐθύμημα* transtulerunt, id est, Desyderium, sive חמר, id est, Meracum, haec nominis ratio nostrae versioni competet.

Ego dominus munio. Hic carmen incipere crediderim.

Ac tempestive irrigo eam. Ad puncta, sive ad articulos, sonant Hebraica, Hoc est, In ipso puncto, In ipso tempore: verti ergo Tempestive.

Ne quis eam invadat. Primum, ordinis inversio vide quantum lucis secum adferat; deinde quomodo פקד, Visitandi verbum per Invadendi mutatum.

Quis ergo me aut impellat, ut etc. Aut, iure adposui, quum in secundo membro Antitheseos etiam Hebraei או habeant. Porro, Hostiliter verti ex במלחמה, id est: cum bello.

Spinis ac vepribus. Hic iterum instrumentalem casum sine praepositione, quomodo Latini, posuit.

Neglecta fide. Ex אפשעה בה, Id est, Praevaricer aut fidem frangam erga ipsam?

Aut fortitudinem meam compellat. Ita habent ad verbum Hebraica. Est autem huius pericopae sensus, dominum ex adfectu nihil agere, sed ex veritatis, iustitiae, ac providentiae fontibus omnia promanare. Quis enim eum compellere possit, ut vel universam exurat, vel cum ea in gratiam redeat, quum nolit?

Ut fructu eius orbis impleatur. Quis porro hic fructus est, si Christus mundi salvator non est? Non enim ponitur hoc loco Terra, cuius vocis occasione possent Iudaei causari, promissae terrae impletionem semine suo faciendam hic promitti, sed Orbis. Promittit igitur, tam abesse ut Iacob totus abiiciatur, ut etiam Orbem sit sibi vendicaturus. Id quod tunc fit, quum nos eius fide accepta, nomen quoque Israëlis iure vendicamus.

Nonne enim iuxta plagam quam accepit. Dominum per *ὑπαλλαγὴν* facit Percussum, quum populus eius percussus sit. Ad hunc sensum, Nonne iuxta plagam percutientis eum repercutit ille? ut Eum referatur ad populum.

Quam quaeque mensuram miserit. Habent et hoc familiare Hebraei, ut indefinitas et praesertim impersonales orationes per voces foemininas efferant. Quam quaeque mensuram etc. Pro, Quam quisque mensuram dederit, reddetur ei.

Ventum suum validum instar Etesiarum molitur. Etesias, idcirco ex ביום קדי vertimus, quod Hieronymus dixit per Diem aestus.

Etesiae enim sub aestatis calorem surgunt, sed certo anni tempore, si recte memini, sub Augustum. Vide Plinium. Vento autem virtutem et potentiam dei adumbrat, quam quum lubet exerit.

Et ista ratione aufert omnem fructum peccati eius. Hyperbata, attamen minutissima, ut ipse nonnunquam Tmeses vocem, creberrima habet hic propheta quae si quis non consideret, naufragium facit sententiae. Sic habent quae nos hic vertimus, ad verbum Hebraea: Et sic omnem fructum aufert peccati eius. Vides ut, Aufert, interpositum sit ornatus gratia? pro, Aufert germen eius sceleratum.

Quum urbes munitae desolatae sunt. כי et hanc significationem habet ut pro Quum ponatur.

Et palmites absumant. Hebraea habent, Et consumat palmites eius, deletae urbis scilicet, Vitulus. Genus pro numero, Vitulus pro Vitulis. Eius, autem nos omisimus, quoniam sensui nihil decedebat.

Quum exuritur messis earum. Eius, est apud Isaiam, sed posteaquam servire coegimus numerum sententiae, complanavimus omnia pro virili in similes numeros. Porro istud Quum, quod hic habetur, ex ב vertimus.

Quae ornamento eis erant quum prodirent. Ad verbum hoc modo habent: Venientes illuminabant eam, urbem scilicet. Nos urbes plurimas fecimus, quod eis ornamento essent prodeuntes foeminae.

Decutiet dominus a rapido flumine Euphrate. Decutiet יחבט, absolute dixit, pro Adflictione et Captivitate quam laturi erant. Et omnia pro exemplis ponuntur, Quod contempta dei veritas et iustitia, sublatura sit eos quomodo excutiuntur olivae, iuglandes, castaneae, et id genus fruges. Euphratem autem, non tam de nostro adsuimus quam de linguae proprietate. Quum enim fluvium nominant absolute, per Antonomasiam Euphratem intelligunt.

Usque ad flumen Aegypti. Periphrasis est Nili. Septuaginta ῥινοκόρων verterunt locum quam Hieron. agnoscit confinem Palaestinae et Aegypti. Plin. li. 5. Cap. 13. Rhinocoluram vocat, et paulo altius locat, quantum ipse intelligo.

In tempore illo, clangetur ingenti tuba. Alia Pericopa. Feliciora per exemplum promittit, fore scilicet, ut iterum ad sua redeat Israël. Quae omnia probant, deum ad irascendum compelli non posse, neque ad reconciliationem.

EX CAPITE XXVIII.

Isto et sequenti Capite non tam invehit in decem tribus, quas tamen interim acerbius compellat, quam in tribum Iuda, in sacerdotes, magistratus, atque urbem totam. Id autem ob hoc maxime, quod neglectis divinis legibus, traditiones et mandata sua exigerent. Deinde vero degravat regni Iuda crimen quod auxilium apud impium regem quaesivisset, hoc autem 30. et post Capitibus.

Vae superbae coronae, temulentorum Ephraim. Vide quam immani verborum inundatione in ipso exordio non iam terreat, verum etiam obruat. Vae, ait, fastuoso et insolenti regno, quod interim

tamen ferme ex temulentis constat. En Superbiam, hoc est, Stultitiam: et Temulentiam, hoc est, Luxum et Insaniam.

Et deciduo flori etc. Florem ex Corona sive Serto fecimus: Omnia enim una elegans et vehemens sunt Periphrasis.

Oppressis vino. Diximus pro Percussis vino. Sic enim loquuntur, Percussus est caecitate, pro Caecus factus est.

Ecce robur et virtus domini. Hebraica habent, Ecce robur et virtus domino etc. Sed tunc propter חגיח, id est, Ingruet, per Ellipsim אשר, id est, Quae, subintelligendum est. Nos ergo omnia unum subiectum fecimus verbi Ingruet.

Tanquam procella grandinis munitiones demolientis. Munitiones ex Porta vertimus. Frequens enim est apud Hebr. ut Portas pro Munitionibus capiant, hinc nimirum quod circum portas omnia sunt munitissima. Huc Christus respexit, quum ait, Portae inferorum non praevalebunt etc. Id est, omnes munitiones, machiae, artes ac robur etc.

Immanibus aquis inundans. Immanes nimborum aquas intelleximus prophetam significare, ubi Hieronymus Multas recte vertit: Sed Multum, illi pro Immani, Inusitato, et Immenso in loco accipiunt, ut iam iterum satis sit istud admonuisse.

Undique in terram ingruet. Undique ex ביד, id est, Ad manum, est. Manum autem pro Ora et Latere, quomodo Germani quoque accipiunt. Quum ergo hic indefinite ponatur, puta, non dicitur ad Manum dexteram vel sinistram, pro Quaqua versum, id est ad omnem manum sumitur. Vertimus ergo Undique.

Qui est in capite vallis opimae. Vallis opima, Periphrasis est Ephraim. Pertinent enim hae descriptiones omnes ad amplificationem Ephraim, hoc est, regni decem tribuum κατὰ μίμησιν, id est, imitationem: Sic enim sibi regna placent, et populi, ut se ab opibus ac donis suis evehant.

Quod praecoquo fructui. Hieron. vertit ex בכורה, Temporaneum. Quae vox nimirum sua aetate pro Praematuro capta est. Sed hoc negligendum non est, quod hic manifeste videmus eum in ultima ה non legisse Rabinorum Mappick, quum totam omittit. Hinc autem sumitur comparatio, quod inter omnes fructus, etiam eiusdem generis, Poma quaedam aut Baccae reliquas maturescendo praeveniunt. Quae igitur adeo tempestive praecoquuntur, avidissime devorantur. Ut sic isto loco nihil quam aviditas tanta opera comparetur. Sic enim devorandum esse, summo hostis desiderio Ephraim, perhibet.

Quem simul atque vidit aliquis. Hic habet Anadiplosis Hebraica, quam Hieron. Quum adspexerit videns, interpretatus est, vim accelerandi. Quam nos hac locutione, Simul atque, vertimus.

Ferme priusquam in manum venerit. Ad verbum habent Heb. Quum adhuc in manu ipse, fructus scilicet. Quae Hieron. commode vertit, Statim ut manu tenuerit. Nos ergo vehementiorem reddidimus aviditatem, magis urgendo celeritatem.

Sed dicet aliquis ex Iuda. Torserunt me sequentia, quibus hanc notam praefiximus, plurimum: sed quum ista, Attamen et isti

prae vino errant etc. eos quoque de quibus hic sermo fit, reiiciat et increpet, visi sumus non tam ex nostro quam ex prophetae sententia pretium operae facturi, si latentem hic personam, ex nomine loquentem faciamus. Ultima enim nimirum spes erat regno Iuda, ut etsi Israël sibi periisset, se tamen posthac electum dei populum futurum. Quam ille spem eis amputat, quum adserit pares in culpa et crimine esse Israëlitis.

His qui in tribunali praesident etc. His qui hostem a porta arcent. Domi inquiunt, et foris nos tuebitur, bello et pace. Tribunali enim praesidere, pacis est Periphrasis: Hostem vero a muro arcere, belli. Bello enim leges et iura pacem agunt, hoc est, Iudicia cessant, et vi geritur res. Patriae autem veri ac pii defensoris est, sua virtute et periculo a porta hostem pellere, et pro lare pugnare.

Attamen et isti prae vino errant. Aeque tribui Iuda ac Israëlitis luxum obprobrat.

Et prae sicera stupent. Bella est Paronomasia in שגו et תעו. Vel isto loco videmus quod ex genere aliquo partem aut speciem pro toto genere accipiunt. Ebrietatem pro universo luxu: Et supra, Vestem pro tota re.

In videndo errant. Hebraea habent שגו בראה, id est, errant in videndo. Mirum est quod Hieronymo perpetuo Nesciendi verbum arrisit ex שגה, quum in libris Moseos toties verterit eandem vocem, in Peccatum, quod per errorem aut ignorantiam factum est. Vide autem quae Epanalepses Isaiae hic loci placuerint, quum שגו et תעו toties repetit.

Et in iudicando offendunt. Offendunt iudicatione, ad verbum est Hebraice. Sed ב, id est, In, quae in ראה, praeposita est, virtute Prolepseos, etiam huic membro servit.

Quis horum quaeso, quem erudiet scientiam? Quis horum quaeso, addidimus, ne in Latina lingua tam asperi essent desultus de numero in numerum. Subsumpsimus ergo subiectum, de cunctis prophetis et sacerdotibus, ubi tamen propter singularem distributionem sensui ne pilus quidem decidit. Erudire autem scientiam, transitiva virtute verbo attributa, quod eam interim habet, interim vero minus, diximus, quo sermo Hebraicus non plus haberet quam nos verteremus.

Aut quem docebit disciplinam? שמועה, illis disciplina est, attamen ab Audiendo dicta. Nam et Aristoteles, Auditum disciplinarum vehiculum esse perhibet: et quae auditu carent, non esse capacia disciplinae. Si mavis ad hunc modum legito: Quem docebit scientia: aut, Quem formabit disciplina?

Ex his pueris qui a lacte distracti sunt. Ex his pueris etc. Ideo tam late vertimus, quod sermo Hebraicus, etsi tersus et brevis, attamen obscurus est. A lacte distractorum: hoc est, Quem ex his qui a lacte distracti sunt etc.

Aut quid aliud doceat. כי, hic pro Nisi, quomodo superius, capi existimavimus, in hanc sententiam: Quid doceant nisi manda etc. qui ebrii sunt?

Interdictum ad interdictum: inhibitionem ad inhibitionem.

Mirae sunt hic Anadiploses. Interdictum priscis Iurisperitis hoc est, quod neotericis Inhibitio. Fuerunt autem celebria quaedam interdicta, puta, Ne de vi etc. De quibus apud Leguleios. Erudite vero describit ventris animalium, qui tamen soli cupiunt videri pii, tumultuationem, quum placita, mores, ac traditiones suas urgent, Mandant, vetant, statuunt, ac male sarta, qualia esse oportet omnia quae citra dei voluntatem constituta sunt, dissuunt, dissuta consuunt, ac simul tetrici et ad epulas et Falernum sudant, et Veneris furta meditantur, Quamvis bona pars palam raptus virginum ac matronarum exerceant.

Pusillum hic, pusillum isthic. Una loci circumstantia, omnes designat. Proceditur in horum hominum coetu aliquousque; deinde statur aliquantulum et mussitatur aliquid, Hinc longius itur. Sic et tempora ab eis allegantur, personae, et quicquid nos circumstat.

Labiis blaesis et lingua peregrina loquetur dominus. Comminatur eis peregrinae linguae consuetudinem, quam usuvenisse nos putamus, quum in Babylone hostilem et externum coacti sunt observare sermonem.

Cui alias sic dixerat. Alias, ex nostro est, illustrationis causa adpositum, quo veterem et consuetam dei monitionem referri videamus. Solet enim ad ista quae sequuntur inhortari, et ista polliceri.

Hoc praestabit requiem, lassum reficere. Lassum posuit pro adflicto ac misero.

Hoc, inquam otium foelix, ac tranquillitatem parit. רגע, Hebraicum verbum anceps est ad Impellendi et Quiescendi verbum: at hoc loco ponitur pro Quietem praestantis participio, suo tamen adfectu formato, מרגעה.

Ut abeant, retrorsum corruant etc. Haec sunt impleta quum imperiosi hostis mandamenta captivi facere compulsi sunt.

O veteratores. Illusores vertit Hieron. Nobis Veteratorum nomen, quo Tullius quoque delectatus est, placuit. Gravior enim et astutior veterator, quam illusor. Et hoc hominum genus simulata gravitate et sanctimonia innocentiam ipsam circunscribit.

Cogitatis enim. Pro, Dicitis enim: de quo satis dictum est supra.

Ut quum inundans vastatio pertranseat. Vide qua constantia audacium impostorum consilia prodat. Promittit sibi hoc hominum genus securitatem per omnia pericula: Arte enim et dolo per omnia perrumpere consuevit, et (quae ante omnia eis est propitia) hypocrisi. Vastationem, autem fecimus ex flagello, quod Latinis minus durum sit Vastatio inundans, quam, Flagellum inundans. Deinde quod Flagellum per metaphoram pro Vastatione capit propheta. Ut enim isto iuventus corrigitur et formatur: sic vastatione mundus expiatur, quemadmodum supra patuit.

Figmentum enim erit refugium nostrum. Ex כזב, Figmentum ideo vertimus, quod sequens membrum satis probat, in malam partem accipi. Figmentis enim nituntur ferme qui fallunt. Vide quo impudentiae et audaciae veniatur, ut mendacio fidant hypocritae.

Ecce ego mergam in Zion lapidem. Mergam, ideo verti pro, Fundamento iniiciam, ut uni verbo unum responderet.

Ut qui eo fidat non labatur temere. Labendi verbum ex חוש, quod Festinare significat, expressimus. Frequens enim est eis ut Festinandi verbo utantur virtute Metalepseos, pro Errandi aut Cadendi verbo. Qui enim festinant, ferme praecipites concidunt, aut imprudentes errant. Temere, autem emphaticos addidimus per Miosim, id est minutionem, quum scilicet minus dicimus quam velimus intelligi. Sic dicimus, Non temere expugnari moenia, quum volumus inexpugnabilia esse demonstrare. Hic autem lapis Christus est: de qua re passim in scripturis utriusque testamenti. Hic enim in lucem protraxit hypocrisim, et sese fidentibus firmum est refugium.

Et munimentum vestrum quod in versutia locavistis. Totam istam relationem adpendicis vice adiecimus: ut exprimeretur secundi membri vis, quae Hebraeis per reticentiam intelligitur, et planior sermo fieret.

Inundantes aquae dissipabunt. Verti pro, Aquae inundabunt. Ibi enim Inundabunt, emphatice ponitur pro, Inundatione peribunt, ac destruentur.

Quoniam summo diluculo quum coeperit, totum solummodo diem et noctem durabit. Hieronymus recte vertit. At nos in haec transtulimus, ut planum esset ad brevitatem temporis Diem et noctem hic referri.

Eritque tantus terror, ut solus frangat animos audientium. Ad verbum habent Hebraea: Duntaxat rumor docebit disciplinam. Nos LXX. sensum sequuti sumus, qui sic verterunt, *μάθετε ἀκούειν στενοχωρούμενοι*, id est, Discetis obtemperare in angustias compulsi.

Angustior enim erit lectus, quam ut se ei quisquam aptare possit. Iucundae sunt hic Hypallagae, quum lectus negatur esse tam capax ut ei aptari possimus, pro, Non dabitur ut quisquam sese quieti aut ocio impendat. Alter, quem Hieron. transtulit, non est apud Hebraeos.

Sicut in monte Perazim. Oecolampadium imitati, proprium nomen non exposuimus. Lege 2. Reg. quintum, et 1. Paralip. 14. Iosuae vero 10. caput, et penetrabis hunc locum. Adducit enim exempla propheta ut non nimis vetera, ita forsan suo tempore gratiora.

Et ad operandum operationem suam, peregrinam operationem suam. Pulchre ludit paragmenis propheta, ad amplificandum laudem divini operis. Porro Peregrinum pro Admirando, et humanis mentibus inusitato ac stupendo posuit. Quomodo divus Petrus quoque accepit 1. cap. 4. *μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει*, Nolite mirari super exploratione sive probatione quae vobis usuvenit. Sic Deuteron. לא תגורו, Ne miremini etc. Rarum igitur et Peregrinum vertimus, quod ista ferme stulti homines admiramur.

Nunc ergo nolite contemnere. In medio minarum calore, sustinet propheticus spiritus et ad meliorem frugem hortatur. Sic omnia sunt amanter prophetis condienda, etiam ubi asperrimos esse oportet.

Audivi enim etc. concisionem venturam esse super universam terram. Concisionem Latini quoque pro Comminutione aut etiam imminutione accipiunt. Hieron. quum Abbreviationem vertit, indubie

ad tempus retulit. Nos ad vastationem et perditionem, Concisione respeximus. Universae autem terrae minatur, sive Chananaicae, quae peculiariter illis nonnunquam terra vocatur, sive toti orbi, quo minus speret Iuda sese elabi posse.

Aut cyminum dissipat. Cyminum tribus linguis familiare est. Sed vide mihi quam belle dicant Rabini isti Cammon pro Cymon. Quis Scytha docuit eos omnia rudissimis vocibus colorare, aut barbarissime condensare? Hoc eo dico, ut videamus ab imperitis rerum priscarum vocalia puncta esse supposita. Porro quae hic dicuntur, iterum ex linguae sanctae proprietate lucem inveniunt. Christus quum parabolam seminantis, et seminis varie cadentis proposuisset, altum clamavit, Qui habet aures ad audiendum audiat. Attamen vulgo negligenti ac supino non aperit parabolam: ideo quod non quaererent lucem obscuri sermonis. Isaias autem hic loci, ad attendendum ante parabolam hortatur; attamen post parabolam non exponit, quid allegorico sermone velit. Est igitur, quod supra diximus, Allegoria, occulta comparatio: et clavis Allegoriae reserandae, resolutio eius in apertam comparationem. Sic ergo nos putamus praesentem allegoriam in comparationem redigendam. Nam de Complanatione non est cur rationem reddam, quum nostra nihil dissideant ab aliorum interpretatione. Sic inquam: Diversa ratione atque ordine semina in terram sparguntur; attamen eam rationem agricolis dominus suggerit. Quum autem quod natum est excutitur, iterum alia ratione Cyminum, alia Triticum e gluma elicitur, illud levi baculo, istud plaustris ferro munitis (ut est earum gentium mos) aut etiam tribulis dentatis. Postremo quum panis coquendus est, iam et tribuli et plaustra cessant: non enim potest eis triticum in farinam comminui. Aliis igitur atque aliis rationibus gerit paterfamilias agricola res, aliis atque aliis cum rebus tum occasionibus. Sic providentia, Gentes blande plantat, quomodo Israëlem quoque ceu pater filium circumduxit, docuit, et formavit, et aeque ac pupillam oculi sui custodivit. Postmodum vero ubi degenerem fructum reddere coepit, non protinus extirpavit, sed veluti cyminum baculis percussit. Postremo in universum, plaustris et tribulis prius excussos, comminuit, quum solo suo pepulit. Sed ut panis summus est usus: ita et isti Salvatorem mundi secundum carnem nobis propinaverunt etc. Lineas Allegoriae duximus: qui hoc loco deinde utetur, coloribus illustret. Omnia nimis nobis crescunt.

Et aequitatis magno cultore. Quum haec speciem habeant Ethopoeiarum, vertimus Cultorem aequitatis, ex magnificatore sive authore.

EX CAPITE XXIX.

Vae tibi Ariel. Tibi, ex Latini sermonis proprietate est.

Urbi a David expugnatae. Periphrasis est Hierosolymae. Ea autem expugnatio 2. Reg. 5. habetur.

Colligite annum ad annum. Loquutio est Hebraica pro, Observate adhuc certos annos.

Festivitates certae praetereant. Saecula annis, anni autem secundum festivitates observabantur.

Ut vere fiat Ariel, hoc est leo. Nos prophetam sic accepimus, ut quum Ierusalem sive a quotidiana hostiarum voragine, sive quod in tribu Iuda, quae leo adpellatur, metropolis esset, Leo vocata est, sive Leo dei (tantum enim pollet Ariel): iam per Ironiam vere dicat eam esse Ariel, quum sic circumventa, obsessa, et in ultima necessitate constituta sit, ut iam non propter animi robur et constantiam Leoni sit similis, sed propter rugitum, moerorem et impatientiam. Ut sit translatio, Vere es leo, non fortitudine, sed clamore et rugitu. Hic omisimus כ similitudinis notam, quam Hieron. in Quasi vertit: quoniam etiam hic Latin. sermo vividior est citra notam quam ea expressa, dum alias intentio addita est, Vere.

Aggeres quoque contra te excitabo. Turribus et aggeribus perficiuntur obsidiones maximae: ideo Munimenta in Turres, et Conclusiones sive angustias in Aggeres vertimus.

Erit enim vox tua velut Pythonis de terra loquentis. Nihil huic ingenio ignotum fuit. Aiunt qui Necromantiae carminibus stultam plebem oblinunt, eas voces quas daemon reddat obscuras esse, raucułas, ac tenues: quales ferme sunt eorum qui aegritudinibus confecti, gemitum potius quam vocem edunt.

Nam hostium tuorum multitudo. Hostes, feci ex זרים, quod non modo Hebr. ea vox significat; sed Latini quoque prisci, alienigenam aut peregrinum, Hostem vocarunt: tam remissum erat Hostis vocabulum.

Qui momento fertur ac subito. Recte vertit Hieron. eritque repente confestim. Sed id visum est nobis paulo obscurius. Pulveri ergo, qui comparatus est, tribuimus, Qui momento fertur ac subito. Et iam idem in comparato intelligitur.

Visitaberis ergo tonitru, terrae motu, crepitu magno, turbine, procella, et flamma ignis. Vel hic videmus horrenda ista potius adduci amplificandi terroris gratia, quam ut omnia vere fiant. Non enim legimus coelo intonuisse, et reliqua, quum Babylonius urbem excinderet.

Videntur autem nunc. Intersparsimus hic satis longum Hyperbaton inter, Videntur nunc, et Somnium esse nocturni phantasmatis. Sed quum nonnihil lucis habeat, noluimus aliter formare. Nisi quod mendum emendes in Eductura, et legas Educturae.

Videntur inquam similia esse cum famelico etc. Primum Epanalepsim propter lucem ascivimus, ut quae sequuntur palam videantur ad eandem confirmationem pertinere, puta quod et quomodo negligant divinam admonitionem: Non aliter quam qui somniat se bibere, nec tamen bibit: sic isti minas quidem irati dei intentari audiant, at non magis moveantur quam ille sitim amittat. Cum vero et Tum, ut recte ac dilucide distingueremus, adsuimus.

Sic inquam videtur. Hebraica habent, Sic erit. Sed futuris frequentissime pro praesentibus utuntur.

Sed stupescetis. Vehementer stupebitis, ad verbum habent Hebr.

in hanc sententiam: Nunc quidem omnia contemnitis, tunc autem consternabimini.

Prophetas videlicet vestros. Videlicet, adiunximus pro ephexegeseos nota. Exponit enim quid per Oculos intelligat, quos vi se minatur compressurum.

Lege quaeso istum. Vide quam elegans paradigma fingat: quo significet fore, ut omni prophetia destituti sint, ut neque docti neque rudes quicquam prudentiae, consilii, aut praedictionis sibi sumere ausint.

Et quem mihi debebant timorem. Hebr. sic ad verbum habent: Et est timor eorum mei: hoc est, timor quem mihi debebant. Reliqua dilucida sunt.

Vae his qui sese mergunt ut a domino abscondant consilium. Qui sese mergunt, ex המעמיקים, id est, Profundantibus, traduximus. Hieron. non male circumscripsit vim Hebraicae vocis, Qui profundi estis corde. At nostra dilucidiora videntur, quamvis forte beneficio φιλαυτίας. Instituit autem velut inquisitionem in hypocritas, qui sese in recessus cordis recipiunt, ac se latituros sperant. Quasi dominus non interius nos perspectos habeat quam ipsi.

Qui conatus suos in tenebris celant. Conatus ex operibus iure fecimus. Eadem enim vox illis, Opus, Consilium, Conatumque significat, ut antea docuimus. Deinde et Conatus vocabulum tam late patet, ut Consilium quoque comprehendat.

Et praesumendo dicunt. Emphasim verbi ויאמרו, id est, Dicunt, Praesumendi verbo expressimus.

Ne facias me. Aufer puncta Rabinorum, et aeque intelliges, Ne facias me, atque, Non fecisti me.

De figulo suo dicat, Non intelligit. Quum ל, id est De, mentionalis hic sit, licuit vertere, De figulo suo dicat etc. Tanquam vas per contemptum apud alios authori suo de trahat, et dicat, Non intelligit.

Ut Libanus vertatur in Charmelum, et Charmelus etc. Aenigmaticus sermo, vel potius allegoria firmissima, de repudiatione Iudaeorum et vocatione Gentium. Libanus celeberrima silva est, qua Gentes designat, ac in Carmelum, id est, cultam ac fertilem terram converti, hoc est, populum dei fieri praedicit. Contra vero Iudaeos, dei hactenus populum, in silvam degeneraturos.

Tunc tunc intelligent surdi etc. Tunc tunc, ex Hebr. ו ideo vertimus, quod tantam Emphasim in tam spectata Antithesi habeat. Prius dixit, neque doctos neque rudes scituros, quae in libro contineantur; hic surdos quoque promittit intellecturos esse. Surdi autem sunt, qui hactenus dei verbum non audierant.

Et celebrabunt oppressi laetum diem domino. Celebrandi verbum iure ex Addendi sive Colligendi fecimus. Iunctis enim vocibus Epinicia cantaturos perhibet, qui hactenus ignorantiae tenebris et tyrannide tum daemonum tum carnis oppressi fuerant.

Qui de industria inducunt homines ad peccandum. Ad verbum, Peccare facientes hominem cum consilio, sive ratione. דבר enim Rationem non minus significat et Rem, quam Verbum aut Ser-

monem. Quamvis pro isto modo Rationis, Latini Opera vel Industria utantur.

Monitorem qui in porta sedet. Monitorem ex Redargutore fecimus, quod ille Latinis notior est. Qui in porta sedent, ii sunt qui iudicia exercent, aut ius dicunt: quae illis in porta fiebant. Hos autem veteratores taxat, qui ut licentia vel audacia omnes corrumpant, viri tamen boni dici contendunt, ac monitorem non recipiunt.

Vanitate iustum in transversum agunt. Manifeste est hic ב instrumentalis casus nota, In vanitate, vel cum vanitate seducunt (id enim est Declinant ימו transitive) iustum.

Quum videt inter filios suos, eos quoque quos fecit manus mea. Primum adnotandum est, hic כי et ב pro Quum, tantummodo poni: quomodo Graeci ἀλλ' ἤ pro Sed, ponunt. Ii autem quos fecit manus domini, sunt qui spiritu eius filii dei facti sunt, etiamsi non sint ex Israel secundum carnem, hoc est, Gentes. Habemus hic duo quaedam irrefragabilia: Unum, Gentium vocationem manifestissimam: Alterum, quod nos qui credimus, Israelis ecclesiae accensemur. Est enim una ex utraque gente ecclesia, imo ex toto hominum genere, ab Adam usque ad mundi consummationem. Et quum sancti homines duas faciunt, non tam pertinet ad Ecclesiae discrimen, quam ad propriam distinctionem utriusque gentis.

Sanctificare nomen meum. Accipitur hic Sanctificandi verbum, pro Religiose colendi.

Et colere deum Israel. Ex יריצו, id est, Timebunt, vertimus, Colent: sive propter commoditatem, Colere, quod Metus et Timor illis pro Religione accipitur. Ut quum Iacob iurat per metum, id est, religionem patris sui: quemadmodum in Genesim adnotavimus.

Quique pridem errabant scire intelligentiam. Hebraei habent, Scire spiritum intelligentiae, sive (si Rabinorum puncta servemus) Scient errantes spiritu, intelligentiam. Latinis tamen hac versione satisfactum credo, quum ista loquutio Spiritu sapientiae aut scientiae pollere, nihil aliud significet quam, Per dei spiritum recte sapere et intelligere.

Et qui barbare stridebant. Dedimus Hebraeis etiam suos Barbaros, hoc est, externos, alienigenas, peregrina lingua utentes: propterea quod Septuaginta verterunt, γλῶσσαι αἱ ψελλίζουσαι, id est, Linguae balbutientes. Non enim permittimus Graecis, ut soli Barbaros externos vocent: sed ipsi quoque nobis erunt Barbari, si modo Barbarus est, qui ignota lingua loquitur. Nisi tu per Balbos et blaesos malis per Allegoriam universum genus hominum intelligere, quod laudem veram veri dei ignorabat. Sicut supra Surdi quoque intelligebantur, ignari dei, ἄθεοι, id est, anumines.

EX CAPITE XXX.

Proh filios degeneres. Unius eiusdemque argumenti sunt quae sequuntur cum superioribus: praeter quam quod ille redargutionis aries fortius et acrius quatit quem hic admovet. Est enim Epistrophe. Fecimus autem Degeneres ex Desertoribus, ea ratione, quam et in superioribus dedimus.

Telamque ordiri. Vel hinc accipimus omne eruditionis genus apud Hebr. clarius extitisse quam pro quorundam opinione: quum tam elegans adagion, quod ab Ulyssis coniuge natum esse autumamus, in usu habuerint hisce temporibus quibus Isaias vixit. Nam nisi usitatum fuisset, non sparsisset in vulgum.

Iniussu meo. Non interrogarunt os meum sua loquutione, habent Hebraei, sed in eandem nobiscum sententiam.

Et Aegyptiorum umbrae fidere possint. Quando rex Iuda istud foedus pepigerit, ex scriptura non constat: at initum esse, ex hoc propheta, tum hic tum in sequentibus liquet. Apparet autem duravisse usque ad ultimam expugnationem Hierosolymae, quum Aegyptius rex, quo socium regem obsidione levaret, Charchamim ad Euphratem adoriretur, nequicquam haec consilia capi, Ieremia constanter vociferante. Id ergo quum contra divinum praeceptum iniisset cum incredulo rege foedus rex Iuda, increpat eum propheta noster. Adparet id quoque clam populo regem omnia adornavisse, legationibus et donis meridiem versus transmissis: Id quod processu facile patebit. Porro umbrae fidere non in malam partem, hoc est rei frivolae fidere, illis accipitur; sed Umbram isti pro Asylo et confugio ponunt, sub quo quis protegitur: ut supra ostensum, imo passim quoque obvium est.

Fuerunt enim Principes vestri in Zoana. Principes vestri, diximus pro Principes eius. Qua relatione indubie regem tangit. Quum autem rectius videatur eum corripere, velut ad multitudinem dictum sit, formavimus. Zoana Tanim esse facile ex Hieron. interpretatione videmus.

Et legati vestri Hanesam pervenerunt. Mirum adeo est, Hieronymum Venerunt, praeterito tempore vertisse, et paulo ante dixisse, Erunt in Tanis. Prodit autem legationis missionem, ac rescisse se dicit, quomodo usque Tanis et Hanesam Aegyptias urbes penetraverint cum muneribus.

Tulerunt iumenta per viam australem. Onus hic ex משא vertere ideo veritus sum, quod Septuaginta crediderunt eam vocem quomodo superius, dum quaeque genti sua onera et mala praedicerentur, accipi: et ob id ὅρασιν verterunt, id est, Visionem; quum hoc loco pro Deportatione ponatur. Unde et Tulerunt vertimus. Vide autem elegantem ac viro propheta dignum nasum, quum periphrasibus totam rem gestam adeo belle depingit. Non enim palam dicit, Iniisti foedus cum impio rege, et dona ad impetrandum misisti; sed iumentorum thesauris onustorum profectionem pingit. Est autem Hysteron proteron, quum antea prodidisset se scire, quomodo usque Zoanam et Hanesam penetraverint, iam redeat ad itineris descriptionem: id quod eis familiare esse satis crebro demonstravimus.

Isthic grassentur. Sensus potius est Hebr. verborum quam vocum. מהם enim, id est, De eis, locis scilicet, quantum intelligo, in Isthic vertimus. Deinde Grassandi verbum, aut aliquod simile, per Ellipsim subintelligitur.

Onus opum vestrarum. Vel hic patet, cautius corripere prophetam, quum opes eorum potius dicit, tanquam de absentibus loquatur,

quàm Opes vestras. Nos quum superius ipsam epistropham ad concionem vertissemus, etiam hic idem filum servavimus.

Quamobrem in hunc modum clamabam. Se ipsum facit nunc prophieta loquentem.

Cessabit audacia vestra. Audaciam propter cognationem, Superbiam, adpellavimus. Minacius est Cessabit, quam Cesset.

Ad scribendum eam rem in tabulas eorum. Eam rem, vertimus ex ה densata, Rabinos secuti. Hieronymus ex Tabulis Buxum fecit, Metonymiam recte et docte cum Septuaginta asciscens, ubi eam Hebraei non habent, eo quod sua tempestate tabellae essent buxeae. Licebit igitur in loco Tropum in subsidium interpretandi vocare. Tabulas autem eorum vertimus, quum Hebraei habeant לוח אתם, id est, Tabulas quae apud eos sunt, quae nimirum Periphrasis est annalium aut actionum diurnalium, ut Latini vocant. At aliter potest hoc Itham legi posthabitis Rabinorum punctis Otham pro relativo, Eorum. Monuit ergo Dominus, ut quae Isaias moneret inter sacros codices referretur. Est ergo hic locus adversus Iudaeorum contumaciam, qua Christum venisse ex prophetarum oraculis, negant: obiicientes prophetas non tantae authoritatis esse, ut eis credi oporteat, firmissimus umbo. Aut enim verum prophetam fatebuntur fuisse Isaiam, et sic librum eius sacris adsociabunt; aut si hoc negabunt, e prophetarum numero tollent. Quoniam summa perfidia esset, spiritus iussu dicere, inter sacros libros quid esse referendum, quod ille non mandavisset.

Ut duret ad posteros. Hebraei habent, Ut sit ad posterum tempus. יום enim, id est, Dies, iterum pro Tempore ponitur. Neque Septuag. ἡμέραν ἐσχάτην verterunt, id est, Novissimum diem: sed ἡμέρας καιρῶν, id est, Dies temporum. Posteri, autem satisfaciunt Latinis hoc loco.

Nolite curam gerere. Hoc in malis summum est, nolle monitorem ferre. Quum autem humana audacia eo provexerit, ut etiam impudenter audeat, iam magistrum audire non sustinet; sed in eum irruit et vi obtinere conatur, ut impune liceat, non omnibus, sed iis modo qui tam pravis praediti sunt animis, quicquid libet. Quum autem Hebraea habeant לא תראו, id est, Ne contemplemini: sive, Ne inspiciatis, vertimus, Nolite curam gerere. Sic hodie violentissimi quique leges praescribunt, magistris istis verbi, qui auribus foeneratorum et praedonum adpruriunt et allubescunt, quousque debeant corripiendo incedere: nam veris prophetis nullus limes poni potest.

Nolite nobis futura praedicere. נכחות, in Futura transtulimus. Accipit enim hic anteriora, vel quae coram sunt, pro Futuris. Hoc enim est iusti prophetae munus, ut imminentia mala tempestive denuntiet. Quod ferre nolunt qui libere peccare pergunt.

Et versuta monete. מהתלות Septuaginta πλάνησιν, id est, seductionem verterunt. Sive autem versuta ista intelligas, quae scelerati requirunt quum acrius eorum vitam tractas: (Sunt enim hodie quoque qui queruntur olim eleganter de summa trinitate praedicatum esse, nunc acerbas modo increpationes audiri) sive versuta pro amphibolis et dubiis accipis, non incommoda est interpretatio. Sunt enim qui quum

veritatem plane agnoscant, attamen ne ullum discrimen incurrant, mirum quam cauponentur et vitient divina eloquia.

Deserite hanc viam. Hanc viam, non tam ex virtute sententiae quam literae adstipulatione transtuli. Arbitror enim satis multa ignorari adhuc a Rabinis in ratione Grammatices: ut hic, מני paulo plus significare videtur quam, De, puta, De ista. Belle enim depingit impiorum hominum audaciam, qua vetare eos non pudet ne verum profitearis. Est deinde bona pars, qui ne impii videantur, permittere videri volunt, ut veritas intrepide annuncietur; at ea lege quam ipsi praescribunt.

Auferte a nobis sanctum Israelis. Haec deploratorum verba sunt, qui dicere audent: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.

Quandoquidem ad hunc modum abhorretis. Hic planum fit בדבר הזה, significare, hac ratione.

Et fiditis violentia. Eadem vox עשק Calumniam et Violentiam significat.

Qualem minatur etc. Utcunque haec verba sint excusa, forsan mea culpa qui fuerim oblitus obliterare quae mutavissem, sensus tamen hic est: Qualem ruinam tumor sublimis muri minatur. Tu ergo Lector sic corrige! Tumorem autem ex נבעה, quod intumescere ac ebullire significat, vertimus. Qualem vero ruinam, de nostro additum est, ne incertum esset, quid ruptura decidua, voluissem.

Sic enim promisit dominus deus sanctus Israelis. Hic verbum Dicendi manifeste pro Promittendi ponitur. Promisit autem hoc quum eos ex Aegypto profugos confortaret ad Pharaonis adventum.

Sed non recipitis. Hebraea videntur potius hanc habere Emphasim, Sed nunquam recepistis. Fide enim semper vacillaverunt. Id quod vel una seditio, quam post reditum exploratorum moverunt, testatur. Quae res mirabile huic saeculo exemplum praebet: ubi sola constantia per omnia perrumpimus, modo constantia sit, non temeritas vel audacia. Sumus enim pars cunctatores, pars praecipites. At sic domino placet.

Dicetis ergo: Nequaquam etc. Haec est carnis prudentia et curiositas, imo perfidia, quae suis consiliis plus quam domino fidit.

Fugere cogeremur. Cogeremur non addidi, sed ex verbis elicui. Nam super equis fugeremus, id est, Fugiendum nobis esset. Nam alia sententia, Sed inscensis equis fugiemus, inconstans est. Depellunt enim a se culpam quod auxilium increduli regis comparaverint: et perhibent alias fugae sese committere cogi.

Fugietis ergo. Prophetalis constantiae est. Praedicit enim eos in fugam se recepturos, etiamsi alieno praesidio sibi firmi viderentur.

Cogeremur in celeribus avehi. Apparet Leves, quos nos per Metalepsim vertimus in Celeres, sive Equites, sive Currus levis armaturae, tunc illis significavisse.

Sed celeriores erunt persecutores vestri. Vide qui Sarcasmi. Celeriores autem ex densato verbo, quod contentionem auget, vertimus.

Donec relinquamini sicut malus in vertice montis. Malum hic per ἀνθυποφορὰν, id est, Anteoccupationem vocatum esse arbitror. Ut ea arbor Malus vocetur quae futura erat Malus. Sic enim ferme

fit, ut quae arbores magnis usibus destinentur incaeduae maneant, etiamsi totum nemus excindatur. Ut quae Malis destinantur aut pontium sublicibus. Nisi tu solitariam arborem per Catachresim Malum malis intelligere, quod sicut una Malus in navi est, ita Malus quaeque solitaria arbor eo tempore vocata sit.

Et sicut signum in colle. Hinc arbitror comparationem constare. Quod vel signa, ad quae nomina milites dabant, in collibus proponerentur, quomodo in visione Babylonis notari potuit: Vel statuae et Tropaea isthic erigerentur, deinde et speculae et excubiae. Hinc, inquam, desolationis simile adfert.

Interim tamen expectat dominus. לכן, Non tantum significat Ideo aut Propterea: sed etiam Hactenus, Ad haec, Super haec etc. Vertimus igitur in Interim, et Vaf, in Tamen. Benignus dominus qui nos usque ad ultimum internecionis articulum ad meliorem frugem redeuntes expectat.

Consiliumque suum suspendit. Suspendit, absolute hic ponitur Hebraeis, sed pro Sustinet. Est enim verbum exaltandi, רם.

Aequus enim est dominus deus. Deus iudicii etc. ad verbum habent Hebraei. Adparet hic manifeste Iudicium pro Aequitate accipi, quod satis monuimus.

Sic enim fieret. Ad verbum, Sic popule Zion etc. At nunc palam videre licet, Sic pro, Sic fieret, accipi.

Et cives Ierusalem. Civis lege, quem ferme perpetuo ex ישב, traducimus.

Ferret auxilium. Idem verbum ענה, illis respondere, tum ad quaesita, tum ad postulata significat. Nam et respondisse spei nostrae aliquem, quum quod petivimus, impetravimus, etiam Latine dicere solemus.

Dat quidem nobis dominus. Quidem ex Vaf, est. Sed quum sequens Vaf, in ולא adversativa sit, necesse fuit praecedaneam in Quidem verti: nam sicut μὲν et δὲ apud Graecos in huiusmodi locis ad clare distinguendum pollent, de quibus Ulpianus in Demosthenem.

Panem angustiae, et panem molestiae. Locutio sunt pro, Cibum et Potum cum angustia et molestia: sive Periphrasis pro ipsa angustia. Mirum est cur Hieronymo, Panis artus, et Aqua brevis tantopere placuerit.

Sed non diu abhorret a te praeceptor tuus. Quem iamiam Dominum, nunc Praeceptorem adpellat. Vertimus autem Abhorret ex יכנת, pro Avolat. Et, Si modo, ex Vaf: est enim consecutionis nota hoc loco.

Verba, post terga monentis ac dicentis. Ad verbum habent Hebraica, Et aures tuae audiant sermonem post te dicentis, ut לאמר, gerundium in participium vertatur. Similem autem facit deum gravi ac fido praeceptori, qui a tergo adclamat et monet discipulum in praeceps abeuntem. Post terga vero, et non Post tergum, vertimus, ut sermo esset amplior ac splendidior. Omnes enim nos monet.

Sive ad dexteram, sive ad sinistram declinare viderit. De-

clinare viderit, per Aposiopesim omittitur Hebraeis; ideo Latinis reddidimus. כי autem pro Quum poni, iam sexcenties ostensum est.

Si, inquam, prophanabitis. Si, inquam, ex Vaf traduximus. Redit enim ad coeptam conditionem, Si modo praeceptorem tuum suspicias etc. Et profanes argentea opera etc.

Aurea paludamenta. Hac causa sic vertimus, quod sculptilibus, omnes, summorum etiam imperatorum ac regum, ornatus tribuimus.

Atque Vale eis dicetis. Indignantiora sunt Hebraea, Et Abi ei dixeritis.

In die caedis magnae et ruinae turrium. Hanc sententiam permisimus adhaerere superioribus, ut sit hic sensus, Tam felicia fore omnia, posteaquam ingenti caede expiaverit dominus populum suum. Quod si cui magis placet sequentis orationis esse caput, nihil moror. In hunc sensum, In die caedis, id est, Postquam dominus ceciderit et repudiaverit populum suum, iam lux Lunae erit etc. Quum scilicet Agnitio dei non iam intra Iudaeae terminos coerceretur, sed Lunae ac Solis instar per totum orbem splenderet.

In die isto alligabit. Scio Hebraeis esse, In die qua alligabit etc. Nobis tamen videtur hic non iam de Iudaica gente, quae non amplius dei populus hoc modo vocatur, sed de omnibus contritis fidelibus loqui Propheta.

Maiestas domini de longinquo veniet. Nomen domini pro eius Maiestate ac Potentia capi, vulgare est in scripturis. In nomine meo Daemonia eiicient: hoc est, Virtute et authoritate mea.

Flatus eius fluvio inundanti etc. similis erit. Promiscue ponitur רוח pro Spiritu, Flatu, et Vento. Hic autem quum adventus irati ad vindicandum dei describatur, competebat Flatus. Vide autem mihi quae ποίησις in fictis Hyperbolis.

Tunc pavebit Assyrius. Tunc pro, Quum, posuimus. כי, enim pro Quum, saepissime capitur.

Quam advertet. Dominum hic omisimus, quod ex abundantia Asiatica potius sit apud prophetam, quam ad necessarium usum.

Cum Tympanis, Citharis et bellis. Et hic mea culpa, Bellis, relictum est pro Praeliis, quum mutatam vocem non delevi. At parvi refert: habet autem nasum. Gaudebant enim Babylonii reges musicis organis, id quod nullo negotio in Daniele deprehenditur. Haec igitur hostibus adfutura esse perhibet qui eos perderent.

Nam ab aeterno paravit ignem supplicii. Ab aeterno, מאתמול, Quam Hieronymus vocem vertit in, Ab heri: ideo traduxi, quod ea vox non tam Heri, quam Retro tempora significet. Dudum igitur aut Olim vertendum quum esset, Ab aeterno, magis arridebat, quamvis sint qui Aeternum definiant, quod nunquam coepit, neque unquam defuturum sit, idque solum deum esse. Inferi vero quum coeperint, non videtur eis vox aeterni congruere. At ista non ita constringuntur legibus ut non aliter liceat uti. Ignem autem supplicii, ex תפתה, Oecolampadium secuti, vertimus, qui Gehennam transtulit.

EX CAPITE XXXI.

Vae descendentibus in Aegyptum pro auxilio. Extendit incre-

pationem in eos, qui quum pro maiorum suorum fide uni deo niti debuissent, externa infidelium hominum auxilia requirebant. Atque rursus in foedus Aegyptiacum invehit.

Quum ipse prudens accersat malum. Ad verbum habent Hebraea: Et etiam ipse sapiens, et adducit malum. Quae Hieron. sic transtulit, Ipse autem sapiens adduxit malum. Ubi doctus vir vidit Vaf, id est, Et, obiter esse positam, unde et omisit.

Non deiicit animum. Diximus pro, Non humiliatur, ex לא יענה.

Sic descendet dominus. Quae hic promittuntur, debent cum superiore conditione intelligi, dummodo recedant ab Idololatria sua. Unde ferme adducebar ut sequentia sic verterem, Quum abiiciet, pro, Nam abiiciet, ut paulo post. At quum Hebraeis alias quoque familiare sit, quae ad mores et habitum pertinent futuris verbis efferre, noluimus in verbi adfectione a prioribus interpretibus discrepare. Ut in Psalmo, Exibit homo ad opus suum. Ubi Exibit pro Exit ponitur. Describitur enim usus et mos hominum etc.

Cavendo. Ex פסוח, id est, Transiliendo, sive Parcendo. Vicinum igitur his verbum sumpsimus.

Redascendite. Possunt et ista in futurum transferri, quum pro futuris imperativa nonnunquam ponant. Ut sit sensus, Redascendetis quantum descendistis. Quum quisque simulachra sua abiicit.

Et fugiet a caede. Ad verbum habent Hebraea, Et fugiet sibi a facie gladii. Hieronymus legit לא pro לו. At huc non quadrat negatio.

Exercitu eius capto. Vulgare est omnibus Hebraeorum prophetis, ut Iuvenes pro exercitu ponant: Quem idcirco nunc transtulimus. Captum autem, ex מס, Id est, Vectigali vertimus virtute Metalepseos. Ferme enim sequitur, ut capti bello, vectigales imo servi fiant. Quum ergo visus sit nobis propheta per Metalepsim Vectigales pro Servis accipere, Captos vertimus.

Arcem suam. Petram suam, est Hebraeis. At indubie munitam Petram intelligit. Ut continens petra scilicet pro Contento, Arce, ponatur. Arbitror autem prophetam de ea clade loqui quam ab Angelo domini accepit. Qua sic territus sit, ut etiam praeter casam, quod dicitur, metu vectus sit.

Et principes eius signa prodent. Ad verbum, Et horrebunt a signis (hoc est, Aberunt) principes eius. Quae sententia Prodendi verbo non pessime exprimitur.

Cui lucerna fovetur in Zion. Fovendi verbum plane non habetur inter verba Hebraica, sed est ex virtute sententiae: adsuimus igitur.

Et focus in Ierusalem. Habuerunt similem Gentes quoque religionem, ut diis immortalibus perpetuos ignes foverunt. Hinc Vestalis virgunculae carbasus inflammata fuit, ne quae populo Romano noxa de extincto igne oriretur. Per Focum autem hic Aram intelligit, in qua victimae incendebantur.

EX CAPITE XXXII.

Ecce, ad iustitiae normam regnabit rex. Ego tempora Christi et Evangelii eius describi hac prima Pericopa, arbitror: et eam, quum

ad ista quae paulo superius ante finem 29. capitis dicta sunt, respicere: tum ad naturalem divinae iustitiae descriptionem, quae omnem vim, fastum, et insolentiam post diutinam patientiam corripit. Diximus autem ad iustitiae normam, quum Hebraea habeant: Ad iustitiam, lucis causa.

Et principes ad aequitatis libram imperabunt. Omisit Hieronymus quoque articulum ל, quum Principes, non Principibus vertit. Unde patet articulorum vim latiorem esse quam literatores perhibeant.

Id erit homini vice latebrae a vento. Describitur hic beatitudo eorum, qui sub aequo et sancto principe vivunt. Cui per Anagogam Christus similatur.

Immanis ac prominentis scopuli. Id omne praeter, Scopulum, de una voce expressimus, כבד. Quae vox magnitudinem, maiestatem, honorem, gloriam, gravitatemque significat. Hic pro Immani, hoc est, valde magna petra capi putavimus, quum autem Hieron. in Prominentem vertisset, addidimus nostram ad illius, et unam fecimus versionem: Immanis ac prominentis scopuli.

Sordidus non vocabitur ultra splendidus. נבל, ex qua dictione Hieron. Insipientem traduxit, Sordidum aeque significat. Huc autem tendit propheta, quod sub impio principe vera virtutum vocabula pereunt, sub aequo ac religioso, iterum emicant, et tanta lux paulatim accenditur, ut omnes videant quid virtus sit, quid simulatio. Id autem Christo principe sic enituit, ut palam docere sit ausus, Nisi iustitia nostra praestantior sit Pharisaica, quae in speciem admiranda erat, sed domi foeda et dolosa, non esse nos ingressuros in regnum coeleste.

Sed sordidus sordida cogitabit. Quid hoc quaeso novi est? Quis ignorat sordidos sordida cogitare? Sed adserit propheta in luce veritatis id clarius patere. Scimus omnes, quae quisque alicui adfectui deditus cogitet. At non omnes novimus quinam sint adfectui isti aut alteri dediti. Tam nasutos autem nos fore promittit, ut liquido ex fructu arborem cognoscamus, et cui quisque rei studeat deprehensuros.

Haec sunt eius arma scelerata. כלים, Vasa, Organa musica, et Arma significant. Nobis ergo Arma huc congruere visa sunt.

Etiam dum illis ius reddit. Illis, posuimus pro Pauperibus, eo quod prius etiam Pauperes ex ענים vertissemus. Attamen Hieron. translationem tam abest, ut contemnam, ut etiam commodiorem iudicem quam nostram. Belle enim quadrat dites mendaciis erga tenues agere, quum isti contra veritati studeant. Sed ne quis eam sententiam desideraret quam nos vertimus (nam Hebraea eam reddere quoque possunt) adposuimus. Ponitur autem hic משפט, quae vox, Iudicium, aequum, ac morem in loco significat.

Perque liberalia facta clarus surgit. Septuag. propius accessimus, qui sic verterunt, *οἱ δὲ εὐσεβεῖς συνετὰ ἐβουλεύσαντο, καὶ αὕτη ἡ βουλὴ μενεῖ,* Id est, Pii vero prudentia capiunt consilia, et hoc consilium durat. Quanquam credamus prophetam utriusque exempli ingenium depingere. Quum enim avari et sordidi foedos conatus atque consilia protraxisset, nimirum et liberalis generositatem debuit commendare. Hinc factum est ut sic verterimus.

Sed o urbes opulentae. Nemo negabit per mulieres, quas hic Hebraei habent, Urbes intelligi, praesertim quum quae sequuntur penitius introspexerit. Quum ergo Latinis non tam vulgare sit Urbes, Nymphas, Puellas aut Matronas adpellare, ac Hebraeis et Graecis, Urbes vertimus. Porro, שאננות dupliciter vertimus, in Opulentas, et otio deditas, quod ea vox Dives otium significet, hoc est, luxuriosam et ignobilem tranquillitatem. Hac tamen causa in Urbes invehit, quod magis sese otio dedunt, quam qui in agro degunt, et auctis opibus ferme insolescunt. Nos non negamus in Urbes Iuda haec dici, sed per Catagogen, hoc est, descensum a generali sententia ad peculiarem. Ut quod cunctis urbibus recte competit, in loco ad Iudaicas trahatur.

Civitates confidentes ac securae. Civitates iterum ex Filiabus fecimus: Confidentes autem et Securas ex בטחות: quoniam una vox non videbatur penitus virtutem Hebraicae haurire. בטח enim nonnunquam Spem in bono, Confidentiam autem in malo significat, nonnunquam vero Securitatem et Oscitantiam.

Post certum tempus. Hebr. est, Diebus et annis: id est, Certos post dies et annos.

Quum cunctatur vindemia. Inopia laboraturas esse praedicit, quantumvis opibus supinatae stertant. Cunctandi autem verbum ex כלה traduximus, quum et Latini Cessandi verbum non tam pro Desinendi, quam pro Comperendinandi, negandi detrectandique accipiant.

Et frugum collector non veniet. Ad verbum sic habent Hebraea: Quum cessabit vindemia, collector quo minus veniat: supple, itidem ac vindemia cessabit. Idcirco duo membra ex prolepsi et asyndeto fecimus.

Ad expoliationem, nuditatem etc. Sensus Hebraicorum naturalis hic est: Stupebitis expoliatione, nuditate etc. ideo quo clarius omnia viderentur, Ad expoliationem, nuditatem etc. vertimus. Attonitas enim fore minatur, quum sese nudas, spoliatas, et sacco cinctas intueantur.

Ad uberum planctum. Ad verbum est: Ad plangentes ubera. Nos generaliorem sententiam adspeximus: etiamsi Rabini dualem numerum in שדים signaverint, ut non una, sed omnes plangentium species comprehenderentur, puta tam homines quam iumenta, tam lactentes quam quae lactarent.

Eo quod omnes domus et urbes laetitia et lascivia plenae sunt. Ad verbum habent Hebraei: Quia in omnibus domibus laetitia, urbe lascivia. Ponitur ergo In omnibus, proleptice, ut non tantum ad Domos pertineat, verumetiam ad Urbes. Quamvis Urbs sit singulari numero, sed pro Urbibus, per Alloeosim, aut virtute Syllepseos. Deinde alias quoque ostendimus, amare hanc linguam iuga et dilemmata. Unde verisimile est, hic quoque laetitiam domibus, urbi vero lasciviam dari, ita tamen ut utrunque utrique conveniat. Ut, De Sion exibit lex, et de Ierusalem verbum domini: iugum quidem, sed aeque Synonymia est.

Palatia vero dissipabuntur. Supra quoque ostendimus עזב ·gere et dissipare, perinde significare ac Deserere.

Turres et propugnacula in speluncas redigentur perpetuas. Haec nobis genuina sententia visa est: quamvis Hieronymo Tenebrae et palpatio placuerint. Septuaginta etiam quid huius resipiunt quum sic habent: καὶ ἔσονται αἱ κῶμαι σπήλαια ἕως τοῦ αἰῶνος, id est, Et erunt vici speluncae usque in sempiternum. Recte ergo vertit Oecolampadius, quem nos sequuti sumus.

Mularum luxus in pascua gregum. Est Onager ferus et disciplinae abhorrens. Mularum autem luxum in Iuda fuisse, non uno loco deprehenditur: cui necessaria erant praedia, quae nunc perhibet gregum fore pascua. Exponunt et Rabini hoc loco פרא per חמור, id est, Onagrum asino vel mula.

Donec effundatur in vos spiritus. Quo monitore resipiscent Iudaei, si hoc prophetae loco nihil moventur? Aut dicant, num non hic et paulo superius per Silvam, agrestem incredulorum perfidiam, per Charmelum autem foecundam fidem credentium intelligant? Resipiscant igitur, ut iterum Charmelus fiant.

Et erit merces iustitiae pax. מעשה vere quidem opus significat. At opus non tantum ipsam operationem et elaborationem significat, verumetiam id quod operando effectum est: ut 1. Corinth. 3. patet. Hinc Mercedem vertimus, pro Fine aut Opere operato, id est, effecto. Sic etiam Praemium iustitiae, non Cultum vertimus.

Grando quum descendet, in sylvas tantum cadet et in urbes. Grata est Paronomasia in ברד et ברדת. Deinde sic habet ordo verborum Hebraicorum: Et grando quum descendet in sylvam (nam et ה nonnunquam ab initio posita, ad locum nota est) et cadendo cadet in urbem. In quo ordine poëticam ferme vocum constitutionem vides: at non alium sensum reddentem quam vertimus. Tolerabiles enim fiunt grandines, quum in sylvas et urbes impetum, non in agros et vineas effundunt.

O foelices qui tuto. Tu primum recte distingue O felices a superioribus, puncto periodi. Deinde maiusculum O subiunge. Postremo geminum punctum in hypostigma sive comma transforma. Tuto, ex virtute sententiae est.

Pedem bovis et asini. Periphrasis est omnis iumenti.

EX CAPITE XXXIII.

Vae ergo vastanti etc. Haec velut epilogus sunt omnium superiorum. Quid enim dites et violenti homines aliud quam innocentioribus insidiando, exhauriendo, perdendo, divinam in se ultionem provocant? Inepte igitur hic quoque divisor distinxit Capitum numerum.

Domino miserere nostri. Intercedit religioso carmine sanctissimus vates, non tam pro imbelli grege qui violentorum praedae expositus est, quam pro universo populo Iuda, orans ut urbs sancta sit, et violentia ac iniuria ex ea propellantur.

Esto brachium eorum in hoc sit, ut nos persequatur. Hebraica sic modo ad verbum habent, Esto brachium eorum ut maturent: hoc est: Esto omnis vis eorum mane advigilet, immineat, ac intenta sit, (iam hic per Aposiopesim deest) ad iniuriandum, expilandum; et

perdendum. Quae omnia facile ex his intelliguntur, quae proxime ante carmen praecedunt. Hac ergo paraphrasi libuit vertere, in qua Persequendi verbum reliqua complectitur.

A voce fremitus tui. Tui, est ex inferiore ך finali, quae ζευγματικῶς ponitur in מרממתך.

A molimine tuo dispergantur Gentes. Molimen, pro elevatione aut excitatione: Pro his enim Exaltatio hic capitur, vertimus, non iniuria puto.

Quemadmodum bruci tolluntur. Lepidam comparationem paulo παραφραςικοτέρως vertimus, quo ethologia clarius eniteret. Fit enim ut quum bruchorum examina ingruunt, publice exeatur ad collectionem eorum.

Ecce enim angeli eorum foris clamant. Mirum est Sadducaeos adseverare ausos fuisse, non esse angelos: quum per totam scripturam et advenisse, ac mandata nunciavisse, et quorundam curam ac custodiam (ut praesenti loco et multis aliis) gessisse perhibeantur. Tribuitur autem eis hoc loco clamor et fletus propter contumacem, rebellem, ac ab ductu eorum resilientem urbem.

Desertae sunt semitae etc. Describuntur hic in planctu mala quae ventura erant super Ierusalem. Quum enim angelos eius custodes iam flentes fecisset, causa quoque annectenda erat, propter quam fierent.

Pudefactus est Libanus succisus. Insignes sunt hi quatuor loci, quibus Chananaicam finit: aut materia, ut Libanus: aut pastu, ut Basan et Saron: aut annona, ut Charmelus.

Nunc efferar. Efferar, hic in bonam partem accepimus, quod soli deo convenit efferri. Solus enim non potest modum praeterire.

Vos enim concipietis paleam. Vide quam munda hypotyposi adumbret incendium Iuda. Concipietis paleam, et stipulam parturietis, ait: pro, Similes eritis stipulae: sive per allegoriam, Eritis stipula. Spiritus vester, elatus ille et contumax, ignis vice est. Devorat enim vos ac perdit superbia.

Et erunt populi. Non me terret plurativus numerus, quo minus de populo Iuda intelligam. Accipiuntur enim aliàs quoque populi, pro tribuum Israël gentibus.

Audite ergo longinqui. Omnes terrae populos alloquitur, de gente sua.

Quis nostrum, inquiunt, habitabit cum igne devorante? Hic sermo et impiis et hypocritis non tam adfingitur, quam de eis vere praedicatur. Ut enim illis innocentiae speciem ac gratiam commendes, semper sic respondent, ut iure praetendant se numen negligere: quum tam purum, acre, ac syncerum sit, ut humani conatus eius contemplatione de se plane desperare cogantur. Id autem faciunt impii. Quasi demum liceat vel praesentibus frui liberius, quum futura, hoc est aeterna, nulla nobis speranda sint ratione. Ita hypocritae idem praetexunt, Iustius esse numen atque sublimius, quam ut temere homines apud ipsum habitare possint, nisi exquisitissime sanctuli sint. Hoc iam facit eruditio quae inflat, et hypocrisis quae audaciam tegit, ut iam soli sancti, ita ut aliis quoque possint participare, credantur esse.

Qui recte vivit, inquam, et vera loquitur. Habent quidem Hebraei, Qui incedit in iustitiis: sed ea loquutione nihil aliud volunt, quam quum Latine dicitur, Qui recte vivit. Sic, Qui recta loquitur, perinde valet atque, Qui vera loquitur.

Ne audiat innocentis circumventionem. Habent Hebraea, Ne audiat sanguines. Sed Sanguinem pro quovis summo scelere, in loco accipiunt, maxime tamen pro interfectione innoxiorum, et oppressione imbellium ac humilium.

Huius securitas in munitissimis petris erit. Mira est Hebraicarum vocum elegantia, si etymon earum ponderes. Securitatem autem ex משגב vertimus, hoc est ex Sublimitate, quae hic per Metalepsim pro munitione capitur: sive quod arces in sublimia, ut extra iactum sint, imponuntur; sive quod sublimes loci inexpugnabiles et natura tuti sunt.

Huic panis et aquae fideles dabuntur. Panem et aquam pro Cibo et potu Hebr. accipi, omnibus est notum. Fideles autem, integri, firmi, puri, ac minime viciati sunt.

Videbunt oculi eius. Hic Hieronymus quoque dixit Eius, pro Tui.

Et regionem ulteriorem lustrabunt. Transmundanam ac coelestem habitationem intelligit.

Cor autem eius Dei timore delectabitur. Timorem dei, ex Timore transtulimus. Accipitur enim illis Timor per Antonomasiam pro dei timore; sicut Latinis Providentia, Fabio teste, pro Divina providentia: ut in Genesi patuit, quum iuraret Iacob per patris sui timorem, hoc est, per eum timorem sive religionem, qua numen reverebatur. Delectandi autem verbum ex Meditandi traduxi: quod illis in bonam et malam partem capitur, supra in rebus Moab. Meditabitur nequicquam ad pedem coctilis muri: id est, Queretur ac lugebit. Psalmo 1. In lege eius meditabitur, id est Oblectabitur die ac nocte. Quamvis praecipue significet Conari ac Meditari: sed cum gaudio, aut cum tristitia.

Ubi hic relinquitur eruditus? Innocentiae artes non admodum requirere perhibet eruditionem; sed quanto quisque simplicior, ita esse et huius disciplinae capaciorem. Et familiariter hoc dicitur in hypocritas et subventaneos istos, qui charitate inanes sunt, doctulos.

Populum barbarum hic non videas. Barbarum ideo נועז fecimus, quod Pauli iam tempore essent, qui barbarum, hoc est, ignotum sermonem pro Ecclesia sonarent.

En tibi Zion urbem solennitatum nostrarum. Haec ephexegesis sunt excelsorum et munitorum locorum, tum regionis ultramundanae de quibus iam antea.

Cuius funes universi nunquam veterascent. Vide quam nitidis allegoriis aeternam foelicitatem adumbret, eisque a tabernaculo isto artificioso desumptis: Cuius exemplar Moses et apud dominum in monte vidit, et de materia expressit.

Neque triremis grassatur. Triremes audio nunc Galeatas vocari: hae piratis et belligerantibus accommodae sunt. Competebat ergo Grassandi pro Pergendi verbum vertere. Onerariae sunt, quae vento

vehuntur. Negat autem in eis fluminibus, quibus tamen aeternum refrigerium significat, quicquam esse molestiae.

Isthic ita intenti sunt funes, ut refectione nihil egeant. Ludit nunc ad navium rudentes, quum omnia firma et tuta isthic esse narrat.

Ut velum non pandatur. Signum, in Velum vertimus, quod per Catachresim omnino sic videretur usus esse. Nisi quis militaria signa deesse, dici putet. Sed quorsum tunc Malus pertinebit?

Alienus est ab omni malo. Vide quam tersa sint Hebraea, etiamsi eadem formula in Latinam linguam traducas. Levatus malo, id est, Liberatus.

EX CAPITE XXXIV.

Adeste igitur Gentes etc. Igitur, de meo addidi, quod quae sequuntur, ad populi Israëlitici abdicationem, Gentium vero adoptionem pertinent. Neque praetereundus est nobis hic splendor et amplitudo in exordio attentionem ambientis. Vocantur Gentes, populi, tellus, et quae in ea sunt, orbis, et omne quod nascitur, ad auscultandum et percipiendum, quanta sit divina iustitia. Hanc enim iram per omnem scripturam vocari videmus, quae ubi satis laesa sit, ne superis quidem parcat: quanto minus perduellibus ac sceleratis hominibus?

Et populi ad percipiendum. Vide quam rara Metathesis articuli ל, quum Ad, Populi quidem ponatur, sed Percipiendi verbo, quod immediate sequitur, serviat. Id quod superius quoque adnotavimus.

Iratus est dominus cunctis gentibus. Equidem arbitror prophetam primum generatim in omnes gentes incensam esse dei iram annunciare: deinde vero ad privatas descendere. Quomodo si quis hoc confuso saeculo cunctis gentibus dei ultionem intentet, praecipue tamen Romanae urbi, et eius defensoribus.

Nam omnis coelorum exercitus tabescet. Nos ὑπεροχὴν esse putamus, ne quid hinc huius erroris hauriatur, quem Catabaptistae seminant, de ultima salute damnatorum. Vult enim vates, iram dei incensam tanta esse efficacia, ut ne superi quidem non tabescant.

Explicabuntur instar codicis coeli. Tracta est Metaphora ab explicatis membranis, in quibus quicquid continetur, id omne protinus excidat.

Quia et in coelo imbuetur gladius meus. Dura quidem est transitio, sed proclive adparet dominum ipsum hic loquentem fieri: quum prius propheta sit eius nomine loquutus. Gladium autem imbui, est iustitiam exeri, vi periphraseos.

Atque ad populum quem ultioni meae devovi. Ad verbum habent Hebr. Et ad populum consecrationis meae ad vindicandum. Nostra igitur paraphrasis nihil aliud habet.

Deque adipe renum arietum saginabitur. כליות אלים renes arietini sunt. Consecrati enim erant renes in omni oblatione domino.

Ingentem victimam in Bozra mactabit. Vide quae ingenii varietas et felicitas. Cladem ingenti victimae comparat; quasi deo gratae sint hostiae, quum sceleratorum ingens vis caedetur.

Ubi concident monocerotes cum tauris, hoc est fortibus. Pri-

mum, usus est propheta Descendendi verbo paulo vehementius quam vulgaris significatio polleat. Eam ergo per Concidere, intendimus. Deinde Monocerotes Graecos fecimus, quum Latini Unicornes Hieronymo placuerint, ut linguarum rudes eosdem esse intelligerent. Deinde, Cum eis, in Cum, tantum vertimus. Non enim opus est locutiones vertere. Postremo, Hoc est fortibus, per Ephexegesim traduximus. Ipsa enim Epanalepsis עם, expositionis nota potius quam quicquam aliud est. Pulchre autem Monocerotes et fortes tauros Idumaeis tribuit, genti iam inde a patre suo Esau feroci, et magna parte desertum habitanti.

Humus autem, eorum adipe stercorabitur. Est et hic loci bella apud prophetam Epiclisis, id est Inclusio. Priore enim membro verbum in acie est; posteriore vero in cauda: Rigabitur terra etc. adipe stercorabitur. Hieronymus ferme abhorret ab huiusmodi hypozeugmatis, ubi cuique membro suum verbum tribuitur.

Sed et ultionis etc. Ante Sed, maiusculum punctum periodi adfigito. Descendit enim ad Ierusalem ab omnibus Gentibus et Idumaeis.

Et convertentur torrentes tui in picem. Quum Tui, pro Eius diceremus, factum est virtutis gratia, ut vividior esset sermo. At paulo post, quum iterum ad absentem personam, hoc est, tertiam, transivimus, in Intendet enim super eam etc. superiorem mutare neglеximus personam: quod in secunda foetura (si eam dominus dabit) non negligemus. Quam elegans autem est vatis Metamorphosis: Flumina in Picem mutat, Humum autem in Sulphur, quo inextinguibile urbis ac populi incendium maius faciat.

Intendet enim super eam dominus regulam annihilationis. Habemus in Ezechiele, et alio quodam ex minoribus prophetis, visum esse virum, qui regulam teneret ad capiendum templo aut urbi aream. Hic vero in eam tendi perhibet regulam exterminii: hoc est, dominum constituisse eam excindere. Similis loquutio habetur 2. Regum 8. cap. Mensus est eos funiculo, aequans terrae. Mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et alterum ad vivificandum.

Et pondere exinanitionis expendet. Vidimus in Zacharia puto, Lapidem accipi pro eo plumbulo quod in virga Geometrica perpendet. Fieri ergo potest, ut isto quoque loco de perpendiculi lapillo loquatur. Alias tamen ponderum lapides, absolute Lapides vocant. Utram tamen putes originem Allegoriae esse, non magnopere peccaveris, sive exinanitionis pondere expenderit, sive perpendiculi lapillo mensus sit ad demoliendum et extirpandum.

Tunc si reges eius voces. חריה, id est, Primarios eius, omisimus, quia postmodum et reges et principes sequuntur. Deinde Hebr. locutionem habent, quae in Latinam linguam non transit: Primarii eius, et non erit isthic regem eius vocabunt. Vide quam insulsus et obscurus sermo ex tersissimo Hebraico Latinis reddatur. Eum tamen sic licet digerere, si omnino Primarios desideres, Primores eius, cum rex eius ipse dum vocabitur non aderit, tum principes eius in nihilum redacti erunt.

Et Satyri se mutuo invitabunt. Per Metalepsim Invitandi verbo

pro Clamandi, usi sumus. Quae enim vicissim cornicantur aut ganniunt animalia, invitandi causa, sive ad connubium sive ad contubernium, faciunt.

Et catulos incubatu suo fovebit. Quorum hic ordinem vertimus, lucis est factum causa. Incubatum autem ex Umbra fecimus, qua illi perpetuo pro Fovendo ac Protegendo utuntur.

Neque ullum cum socio suo desiderabitur. Monet propheta in Lege praedictum esse, quod neglectu numinis essent perituri. Usu venturum ergo comminatur quicquid Lex promittat. Id autem adeo certe et indubitate, ut non sit ullum verbum iuxta aliud positum, quod non ex aequo impleatur cum socio suo. Sic enim loquuntur: Dicet quisque ad proximum suum, pro, Dicet alius ad alium. Sic isto loco, Nullum desiderabitur de verbis domini, ex aequo omnia implebuntur.

Quibus ille sortes mittit. Nullum est inter Hieron. Oecolamp. et nos in sensu discrimen. Hoc modo iterum annotavisse curamus, quod in Epilogo tam gravi utitur sententia, ubi et Rhetores utilissime sententias locari perhibent. Quicquid ille statuerit, inquit, firmum manet. Si cui haereditatem partitur, ea fruetur: nec est qui auferre poterit: Si cui negabit, etiam si adeptus erit, diffluet. Est autem catasceve ad sequens vaticinium: quo perhibet Iudaeis non firmam fore haereditatem, sed in Gentes esse transferendam.

EX CAPITE XXXV.

Laetabuntur autem desertum et solitudo. Haec iam ex superioribus omnia dilucidiora sunt, quam ut enarratione ulla habeant opus. Solitudo, gentes: Flos, agnitio unius dei: Gaudium, animi beatitudo, qua sibi gratulatur de amicitia dei, quam nobis unigenitus eius conciliavit: Gloria Libani et splendor Charmeli ac Saronae, egregium nomen filiorum dei, quo Iudaei aliquando insolescebant.

Confortate ergo manus languidas. Confortate, personale quidem verbum reliquimus: sed ea potissimum ratione, quod nulli non est obvium pro impersonali esse positum, Confortentur manus languidae! Est enim Gentium consolatio.

Veniet ad vindicandum et retribuendum. Haec potius pertinent ad Encomium iusti vindicis, quam ad Gentium ex hostis alicuius violentia adsertionem. Nisi iuratum humani generis hostem malis intelligere, poenas daturum esse, per idololatriam seducti orbis.

Tunc saliet claudus tanquam cervus. Ego Claudos et Mutos, Caecos ac Surdos non tam intelligo qui his sensibus capti essent quum Christus omnes morbos tolleret, quam Gentiles animos qui caeci fuerunt, quum non habuerunt dei cognitionem: et reliqua.

Erumpent in deserto fontes. Id factum est quum inter Gentes praedicato Evangelio creditum est: et animi certa spe refrigerium aeternae foelicitatis senserunt, ac fontes facti, qui in aeternam vitam emicant.

Virescent calamus et iuncus. Odoratos intelligit. Isthic ubi magna fuit dei cognitionis vastitas, orientur mansuetissimae piorum operum plantae et herbae.

Semita et praetoria via. Semitam non tantum Vestigium vocant Latini, sed Iter quod pedibus modo, non etiam plaustris et carrucis teritur. Praetoriam autem viam veteres adpellarunt, quae imperatori aut consuli cum exercitu proficiscenti ac machinis satis pateret. Hodie Imperatoriam viam vocant, Rychsstraaß. Hinc Hieronymus, Semitam ac Viam transtulit: Latius enim patet Via quam Iter aut Semita. Loquitur autem propheta Allegoricῶs de salutis per Christum capacitate, per nomen Viae: De puritate vero eiusdem religionis per nomen Semitae.

Pollutus non transibit per eam. Haec et Allegoria et Hypallage est. Allegoria, quoniam per veterum pollutionem, quam externis ritibus et servabant et expiabant, innocentis in Christo vitae sanctimoniam denominat. Hypallage, quoniam pro, Qui in hac via incedit non polluetur, dicit, Pollutus non transibit per eam.

Dominus enim ipse cum eis per eam viam incedet. Hic primum Rabinorum puncta expunximus, qui quum non viderent, הוא, id est, Ipsum, per Antonomasiam pro deo poni, ad superiora distinxerunt. Ex ea voce ergo nos, Dominus ipse, vertimus. Deinde למו Cum eis. Postremo ex הלך דרך, Per eam viam incedet. Pertinet autem hoc vaticinium ad veram Christi humanitatem, et commercium, quod per eam nobiscum iniit verus deus et homo.

Sed tutus erit transitus. Ad verbum est, Sed incedent liberi, sive liberati. At nunc facile videmus, Liberos virtute Metalepseos pro Tutis et Securis accipi.

Qui a domino redempti erunt, revertentur et venient Zion. Gentes per mortis Christi pretium ad veram Zion veniunt, dum hic ecclesiae patrum iunguntur, isthic autem beatorum omnium consortio. Zion ergo et ecclesiam et aeternam felicitatem significat.

Iucunditas et laetitia comitabuntur etc. Hac iam tertio, nisi me fallit memoria, usus est sententia, qua brevissime quidem, sed supra modum et ampliter et eleganter summam felicitatis complectitur. Nam citra moerorem ac metum frui ad satietatem bonis istis, quae sola bona sunt, quaeque sola mens vere esse bona indicat, id tandem est beatum ac felicem esse.

EX CAPITE XXXVI.

Ad expugnandum omnes munitas civitates Iudae. Tractantur nunc historica quaedam, quae evidenter ostendunt quam eruditus vir fuerit Isaias, quum rem omnem adeo commode ac dilucide depingat, ut nulli primorum quoque in condenda historia cedat: meo quidem iudicio. Vertimus autem Ad expugnandum pro, Et coepit. Nam et Hieronymus videtur rectius dicturus fuisse, Ut caperet, quam, Et coepit.

Quae porro est ista confidentia tua. Hic בטח in malam partem palam videmus accipi.

An ne sic temere cogitas, consilium et vires tibi esse ad sustinendum bellum? Ad verbum, Dicis fortasse verbum labiis. Hic primum, Dicendi verbum, pro Cogitandi accipitur. Deinde, Labiis verbum dicere, Locutio est et Pleonasmus, sive Macrologia. Postremo

ex, אך, Temere vertimus, non tantum eam dictionem quantum totam orationem expendentes.

Ipse dicam. Verti ex הנה, Id est, Ecce.

Istius fractae harundinis. Perinde ac Latini sic utuntur הזה ad ἐξουθενισμόν, Id est, Ad contemptum.

In eum scilicet cuius Ezechias excelsa et aras sustulit. Simili calumnia hodie utuntur impii homines, quum paulo provectioribus, qui statuas et aras amoliuntur, communi tamen ecclesiae consensu, fraudi vertunt, quod ea antiquent quae nullus usus unquam debuit recipere. Aras, dicunt, subruistis. Recte sane: utinam omnes subruissemus, quae verae religioni adversantur. Imagines Vulcanus absumsit. Utinam claudus non esset, quo omnes quae coluntur, assequeretur et devoraret. O imaginum expugnatores. Magna vero contumelia si quis Gedeonem, Ierobaalem vocabat. At seditiosum est. Quis eos laudat qui citra ecclesiae consensum quid huius faciunt? Quamvis et Gedeon, solo deo contentus, idem fecerit. At prius e mentibus eliminandae sunt. Quis quaeso statuas amolitur, quam diu in precio habet? At multis primi nominis factum displicet. Adeon verum est, nihil rectum putare quam quod ipse feceris? Haud dubium est Rabsacen rescivisse quod multi Ezechiae propter aras et statuas Baali destructas parum aequi essent, hinc calumnia sumitur ad avertendum ab eo multitudinis animos.

Ut coram Ara ista adorent. ἐπιδεικτικῶς intelligendum est. Inter dicendum enim demonstrat urbem versus, et in Aram quae isthic erat, indigitat. Alias enim infinitae Arae in sylvis, montibus, ac planis erant, quas negligi dolebat impuris hominibus, qui verum deum non agnoscebant.

Da ut cum domino meo etc. pactus sis. Ad verbum est, Nunc igitur paciscere sive stipulare.

Ferre nequeas. Ex תשיב traduximus, quo verbo pro respondere utuntur: et quod iam proximum est, Sustinere nos respeximus, quum vertimus, Ferre nequeas.

Aegyptiorum tamen fidas et curribus et equitatu? Sic Rabini quoque distinguunt.

Quum dominus mihi praeceperit. Hae sunt aulicorum artes, mentiri, fallere, terrere, polliceri: at vanissime omnia.

Audiente populo qui ad murum est. Habent Hebraea quidem, In auribus populi: sed ea est Audiendi periphrasis.

Num ad dominum vestrum atque ad vos solos. Solos, ex sanguine sententiae est. Vide autem qua impudentia benevolentiam erga plebem ostentet, ad eandem demerendum.

Ad miseros istos. Habent Hebraea, Viros: sed per commiserationem, vertimus ergo, Miseros.

Quo minus stercus suum edere etc. Habemus hic irrefragabilem locum, ל, in contrarium significatum accipi, quam Ad. Videlicet pro, Quo minus, quomodo et vertimus.

Tum lotium suum bibere etc. Mirum est unde pedes Hieronymo obrepserint, nisi forsan aliud exemplar habuit.

Perstabat igitur Rabsaces. Perstandi verbum ex Standi fecimus,

quod emphasis hoc requireret: Nam compositis verbis ipsi laborant, si modo penuria non antiquitas est et linguae puritas: quum et Latini et Graeci Rhetores simplicia verba, dum aeque ac composita pollent, anteferant.

Si hanc apud me gratiam ineatis. Recte quidem ad verbum transtulit Hieronymus: Facite mecum benedictionem. At hic Benedictio pro Benevolentia penitur et Gratia. Si, addidimus, quoniam conditionalis totus sermo est.

Ut deficiatis ad me. Exeundi verbum pro Deficiendi videmus accipi, tum hic tum alibi.

Iam fruetur quisque vinea sua etc. Haec laris familiaris sunt periphrasis. Eum pollicetur tyranni mancipium, sed non diu.

Sementibus ac vineis consitam. Ex panibus virtute synecdoches Sementes traduximus. Non enim tam probe in iugum coëunt Latinis, Vinea et Panis, quam Sementis et Vinea.

Ut sperare possitis. Sperare possitis, propter lucem nonnullam adsuimus.

Ad haec tacuerunt legati regii. Legatos regios et lucis et splendoris gratia adposuimus. Dilucidior enim et augustior factus est sermo earum vocum accessione, quae tamen per intellectum abesse non poterant.

EX CAPITE XXXVII.

Interim vero misit. Interim ex Vaf est, quae apud eos omnia ferme ordinat, iungit, separat, inducit, ratiocinatur etc. ut iam saepe attigimus.

Ad Isaiam filium Amoz Prophetam. Eodem articulo Propheta, illis fit et Prophetae genitivus, quem Hieronymus vertit. Nec obstat nos adcusativum vertisse: nam omnium casuum minister est ה, cum posteriori dictioni iungitur quam prior ad se trahit.

Haec est dies angustiae. Omittunt hic Hebraea Epidixin, hoc est, Demonstrationem: et dolentis interiectionem, O diem angustiae etc. Sed virtute emphasis, alter horum adfectuum inest.

Ut quum foetus etc. Ut quum vertimus ex כי, quae Quum in loco significare, sexcenties dicta est. Ut, autem comparationis notam sensus ipse requirit. Foetum, vero pro Natis, singulari numero idcirco extulimus, quod Latinis dilucidior hic fit eo numero comparatio. Mitto quod difficiliores plerunque sunt geminorum partus quam uniperi: satis enim constat quo senum sermo tendat.

Nimirum audivit dominus deus tuus. Ex אולי Nimirum vertimus: Latior enim est eius vocis significatio quam ut, Si forte, tantum significet. Porro, quod ad sensum attinet huc respiciunt legati, dominum omnia aeque Isaiae revelare, praesertim quae ad regnum Iuda pertineant, atque omnia praesentem intueri: hinc fieri posse ut Isaias iam sciat, cuius exponendi gratia venissent ipsi.

Verba Rabsacae. Nos declinamus Rabsacen cum Graecis, sicut Chrysen, Anchisen prima inflexione.

Venerunt ergo servi regis Ezechiae ad Isaiam. Hic epilogus

est adventus iam descripti, et expositionis factae, non narratio. Quasi tu diceres, Sic venerunt, inquam, legati ad Isaiam, et sic locuti sunt.

Ne timeas propter verba. מפני, id est, A facie, recte quidem vertit Hieron. At Latini non utuntur ea locutione pro, Propter: sed, Propter, pro ea locutione.

Ego mittam in eum ventum. Una voce Ventum et Spiritum illos adpellare, supra monuimus. Hic quadrat Ventus.

Cuius sonitum protinus quum audierit. Sonitum vertimus ex שמועה, quam Hieronymus in Nuntium traduxit. Significat autem ea vox, Rumorem, famam, doctrinam, praedicationem, et quamlibet auditionem passivam, hoc est, quum tu quid audis. Pro eo enim quod Latinus diceret, Ego audivi quiddam, dicit Hebraeus, Ego auditionem audivi.

Alios legatos misit ad Ezechiam. Alios, ex causa additum est, quod abiisse manifeste Rabsacen ad regem ipsa historiae series perhibet: et quod Rabsacis posthac in legatione non fit mentio. Postremo, quod omnia quae nunc sequuntur, vehementiora sunt. Sic enim tyranni magis ac magis contendunt crepando, terrendo, concutiendo.

Sic referetis Ezechiae. Referendi verbo Latini pro Exponendi utuntur. Ut primo quoque tempore ad senatum referret, id est, Senatui exponeret, consuli a plebe mandatum est.

Qui Cherubim inhabitas. Ad hoc spectat quod dominus Mosi promiserat de Cherubim responsa daturum. Hinc habitatio in ipsis Cherubim ei tribuitur.

Tu es Deus ille qui solus etc. Emphasim expressimus Hebraicarum vocum.

Tu enim fecisti coelum et terram. Elegans Prosapodosis, cur solus sit deus coeli et terrae: nempe, quod solus ea condiderit.

Aperi oculos tuos et inspice. Inspiciendi et contemplandi verbis iureconsulti impense quidem, sed eleganter utuntur, quum quid cum iudicio, et ut rei consilium vel auxilium feratur videri, praecipiunt: ut, nisi non recte memini. ff. de officio praes. habetur, praesidiis esse ut aedes publicas et sarta tecta inspiciat. Sarta tecta, obiter (nam in Regum libris de ea re fusius diximus) aedificiorum instaurationem significant, quam barbare hodie fabricam vocant; Germanice: Der buw; vel: In tach und gmach halten.

Quod tu solus es dominus. Hic loci Hieron. Tetragrammaton יהוה etiam solum positum, in deum vertit. De qua re alias dictum a nobis est.

Quum hoc loco res essent. Ex sola Vaf totam istam orationem expressimus, tam uberem et copiosum hoc loco succum fert.

O virgo filia Zion, rex Assyriorum. Regem Assyriorum adhibuimus, ut dilucidum esset quisnam filiam Zion susque deque haberet.

Post tergum tuum caput movit. Sive inter Adagia istuc numeres, sive inter Chrias, indicio tamen est aut multa Graecis e Syria esse adfecta: aut Hebraeorum linguam comptiorem esse quam credant eius ignari.

Tu vero o rex. Epistropha est ad Assyrium regem.

Missis enim servis tuis. Recte quidem verba verbis reddidit Hieronymus, In manu servorum tuorum. Sed ea locutio non transit in linguam Latinam, quae tamen frequens est Hebraeis, et in nullo ferme prophetarum non invenitur: Verbum quod locutus est per manum servorum suorum prophetarum aut consimilis aliqua, pro, Missis prophetis locutus est dominus etc. Vel, Dominus allocutus est eos ministerio prophetarum suorum.

Et tam magnifice de te ipso sensisti. Tanta Paraphrasi expressimus Emphasim, Et dixisti.

Altissimos montes operiam. Operiam verti pro Superabo. Iactat enim equite se omnia implere posse.

Tum ad saltus agrorum eius cultorum. Primum Cum et Tum dilucide distinctionis causa de nostro nunquam non adponimus: id quod iterum satis volumus esse commonitum. Deinde, Agros eius cultos, vertimus ex כרמלו. Charmel enim per Metonymiam pro culta et fecunda terra capitur.

Tota flumina, pedibus mecum proficiscentium exiccabo. Simile quiddam in Xerxis rebus quum proficisceretur, si bene commemini, legimus, iumentis et exercitu ingens flumen sic exhaustum esse, ut pedibus pervaderetur.

Nonne, ais, olim audivisti. Ais, necessario addidimus, ut videremus dominum contra fastuosam regis orationem loqui.

Quae quibus consiliis fecerim. Quibus consiliis, ex emphasi est superbi sermonis.

Mancorum instar trepidabunt. Instar, comparationis nota de nostro adsuta est.

Signum autem o Ezechia. O Ezechia, ideo adsuimus ut clare videretur Apostrophe, qua se ab increpatione Assyrii avertit ad consolationem pii regis.

Hoc anno comedes reposita. Mirum est cur Hieronymus ex ספיח Sponte nascentia verterit, quum Congregata potius significet. Sic autem signum quod dominus hic dat habet. Praedicit quod usque in tertium annum duraturum sit bellum, ac simul penuriam solatur. In penu tantum esse dicit, quod anno primo sufficiat. Secundo anno, quum non liceat Agricolis e locis munitis egredi ad scindendum, terram sponte praebituram esse quod satis sit ad eum annum. Tertio tandem, seminaturos et messuros.

Iactaque deorsum radice etc. Repullulascendi ac renascendi Periphrasis est.

Quoniam de Ierusalem prodibunt reliquiae. Haec oratio aliis multis locis Allegoria fit. At hic de iis loquitur qui evasuri erant eam cladem quam intentabat Assyrius. Reliquiae, pro Superstitibus ac salvatis.

Neque excitabitur contra eum agger. Lege, Contra eam.

Quumque mane surgerent qui Ierosolymis erant. Qui Hierosolymis erant, ideo adposuimus, ut non ignoretur de quibus dicatur, praeter spem invenisse hostem superatum.

EX CAPITE XXXVIII.

Non multo antea quam haec fierent. En nobis locutionem, In diebus illis, pro incerto definitoque tempore. Quum vero quis rationem temporum Ezechiae paulo exactius putat, quae hic scribuntur necessario antecesserunt ea quae iamiam tractavimus. Adde quod notam istam, De manu Assyrii liberabo te: nemo invertere potest quo minus huc faciat: quum promittit deus sese liberaturum de his quorum rumor anxie tenebat regem. Adparet autem non multo ante tempore aegrotavisse, quam Assyrius cum exercitu in Syriam veniret, imo iam in finibus haesisse arbitror.

Manda domui tuae. Τάξαι verterunt Septuaginta eleganti plane verbo. Cuius loco Latini Mandandi aut Constituendi utuntur, quorum utrumque צוה significat.

Morieris enim et non vives. Familiarem habent Macrologiam, quod saepe monuimus. Satis erat, Morieris enim: Sed habet ipsa Antiphraseos synonymia, id est, Aequipollentia, nescio quam contendendi vim in loco. Aequipollent enim, Morieris, et, Non vives. Et contra, Vives, et non morieris. Sic in Psalmis non illepide dictum est, Destrues eos et non aedificabis illos.

Et corde integro. Perfecti vocem ideo in Integrum vertimus, quod שלם aeque Integrum atque Perfectum significat. Deinde ne ficta hominum iustitia, si modo homines et non daemones sunt hypocritae de quibus loquimur, suo sceleri hinc patrocinium petat.

Quae tibi placent feci. Ex locutione ista quam non agnoscunt Latini, Quod bonum est in oculis tuis, Feci, traduximus. Ea enim utuntur quum volunt, probari alicui rem, significare.

Ecce ego reducam umbram horologii. Sic nobis videtur huius signi ratio constare. Fecerat Ahaz horam (Sic enim Cicero quoque vocat quod Graeca voce horologion adpellamus) quae nimirum regis aspectui ita erat opposita, ut per fenestram spectans eam intueretur. Hic iam ab Oriente sole, umbrae descenderant, altiores enim sunt umbrae sub initium diei et ante finem, quam quum in summo graditur Titan. Augescente ergo die, hoc est Sole ascendente, descendit umbra versus Occasum: et rursus descendente Sole ascendit umbra versus Ortum. Processerat igitur dies in decimam usque horam, hoc est, In decimum gradum descenderant umbrae, ita ut iam versus Orientem iterum inciperent ascendere. Adparet autem eos, diei horas ab Ortu Solis numerare incepisse, ut in aequinoctio, Meridies esset octava hora. Hinc et Christus hora nona efflabat animam, hoc est, In ipso meridie: auctior enim erat dies post aequinoctium factus, ut iam ad nonam horam portenderetur meridies. Sed ad nostrum redeo iudicium. Quum, inquam, dies processisset ad decimam horam, et umbra horologii ad decimum gradum sive numerum pervenisset, iam divina opera, rediit umbra ad primum numerum. Id quod nulla arte effici posset.

Descendit cum sole. Hoc est, quum Sol suum iter graditur, iam e regione eius umbrae descendunt. Ut enim diximus Ascendente Sole,

semper descendunt umbrae; descendente vero, aut in imo existente illo, elevantur umbrae.

Reversus est ergo Sol decem gradibus. Nihil hic moror argutias, qui fiat ut tantum reditum nulli adverterint Astronomi, aut quicquam de illo testentur. Nam sufficiebat miraculo, umbras redire ad carcerem unde prodierant. Ponitur ergo Sol pro Umbra quae Sole fiebat, virtute Hypallages, aut Synecdoches: si ita mavis. Nulla enim fieri potest Hypallage sine Synecdocha, quae est Troporum ferme omnium fons.

Gratulatio quam scripsit Ezechias. Ex מכתב, id est Scripto, Gratulationem scriptam verti. Sic enim Antonomasiae vi utuntur ea voce: de quo in Psalmorum cuiusdam titulo aliquando videbis, si dominus dabit. Est autem carmen hoc cum primis doctum et elegans: id quod expositionis processu patebit.

Ego putabam quod in optima aetate mea. Ego putabam, verti pro, Ego dicebam. Deinde, In optima aetate mea, verti pro, In silentio, securitate, sive otio aetatis meae. Ubi Hieronymus dixit, In dimidio: Septuaginta In alto, sive in summo. Erat enim Ezechias annos natus vigintiquinque quum regno inauguraretur: quinquaginta vero quatuor, quum moriens regnum Manasse filio relinqueret. His nunc adime auctarium quindecim annorum, quos divina liberalitas adiecerat, posteaquam ex hac aegritudine convaluisset, de qua hic fit mentio, et invenies triginta novem annorum fuisse, quum eum pestis strangulare tentaret. Hic nunc obiter hoc quoque considera, Anno regni eius quartodecimo, adversus eum profectum esse Senaherib. Viginti ergo quinque annis, a quibus regnare coepit, quatuordecim addas, et ad eundem numerum triginta novem annorum ascendes. Diximus ergo isto morbo laboravisse, quando hostis nimirum ad regni eius fines adpeteret. Nunc ad poetam Ezechiam redeo. In optima aetate vitae huius spem abiicere, coactum esse a peste perhibet.

Abiturus essem ad inferorum portas. Sensui nihil deest hic nostra complanatione: sed claritati arbitror etiam nonnihil accedit. Porro inferorum portae, Hebraeis vocantur, Portae foveae. Inferos enim isti et Foveam vocant eodem vocabulo שאל. Qui autem Latinis dicantur Inferi, supra ostensum est. Abire igitur ad inferorum portas sive domicilia, periphrasis est moriendi.

Et residuum annorum meorum desideraturus. Ad verbum, Censurus essem reliquos annos meos. At verbum Censendi vel Visitandi פקד per Metalepsim pro verbo Desiderandi, solent uti creberrime, quod in libris Mosis et alias ostendimus. Fit enim ut quum recenseantur post cladem aliquam copiae, plurimi desiderentur. Hieronymus ergo vertit, Quaesivi, non audens longius per metalepsim a Recensendi verbo recedere, forte oblitus quod Moses alicubi suorum in hoc significatu usus est.

Non visitabo dominum deum etc. Non visitabo, verti pro, Non videbo. Videndi enim verbo hic utitur pro Comparendi. Non videbo dominum deum, id est, Non comparebo coram domino deo, ultra etc.

In terra viventium ultra. Nove usus est hic poëta ista periphrasi,

Terra viventium: nempe pro humanis; vel pro hac vita. Alias enim fere accipitur pro caelesti. Fatetur ergo se huc fuisse redactum, ut crederet se ex hominum vita sublatum iri. Ultra, vero ex inferiore loco subtraximus: isthic enim zeugmatice ponitur, ut etiam huic nostro membro serviat.

Ultra non aspiciam homines. Aspiciendi verbum, pro Fruendi et Conversandi posuit.

Qui cum civibus relegatis ero. Ad verbum, Cum civium relegatione, ubi deest per ellipsim, Ero. Atque iterum per Synecdocham Relegatio pro Relegatis ponitur.

Aetas mea convoluta etc. Aetatem ex דור transtuli. Vocant enim Hebraei saeculum, generationem, hominis quoque saeculum sive aetatem, generationem. En vero nobis lepidam comparationem. Nomadae quum pascua mutant, tabernacula convolvunt atque abeunt: sic se sarcinas collegisse ut expeditius abiret, canit.

Praecisa est velut a textore vita mea. Ad verbum: Velut textore praecisus sum vita mea. Tela ubi pertexta est, ad finem staminis praeciditur. Interim quoque si usus postulat, quod absolutum est praeciditur. Hinc praecisam vitam esse suam ait, perinde ac tela de staminis fimbria vel termino praeciditur, Septuaginta quoque ἱστὸν, id est, Stamen verterunt.

Dum molior succidit me. Ad verbum, Ab elevando vel conando, id est, dum elevor et conor succidit me. Iam lentam requiem moliuntur quadragenarii: Hic succiditur Ezekias quum primum vivere parat. Vide autem quam beata res sit, senes imperio praefici: hi enim ocium et pacem meditantur. Iuvenes bella, et quicquid nomen comparare possit, aut immensam gloriam, quaerunt.

Uno die finivit me. De mane usque ad vesperam finis me, recte quidem vertit Hieronymus, si verbum verbo oporteat reddi. Nunc vero quum ab aurora ad vesperam unius diei periphrasis sit, malui, Uno die dicere. Properat enim pestis, qua laboravisse adparet regem. Deinde, Finivit, in tertia persona vertimus, quod Latinis inusitati sint tam violenti transitus. Taceo interim semper Rabinorum hallucinationem in locandis punctis: qui quicquid eruditum ac elegans est, ferme toti non vident.

Sperabam victurum saltem ad auroram. Hebraica, Sperabam ad auroram, victurum scilicet, κατ' ἔλλειψιν.

Sed instar leonis comminuit omnia ossa mea. Inducias a grassante morbo sese rogavisse ait, vel ad auroram tantum: at nihil obtinuisse. Quin potius leonis instar irruisse, ac vires omneis infirmasse. Attende quae virtus Minervae et Mercurii, hoc est verborum atque ingenii. Hactenus desperationis causam a morbi ferocia profectam recensuit. Nunc de consilio quod in his angustiis ipse secum contulit.

Tum ego garrire non aliter quam hirundo aut grus. Garrire ex צפצף, Hirundinem vero ac gruem ex סיס et עגור vertimus. Querulae enim sunt aves istae, et praesertim funesta est hirundo.

Attollere in excelsum oculos meos. Idem verbum quod paulo

ante Ordirer, nunc Attenuati sunt, vertit Hieron. Septuaginta imitatus, qui ἐξέλειπον transtulerunt, id est, Defecerunt. Ad verbum est, Contendebant oculi mei in excelsum.

Ac dicere. De nostro est. Non enim est apud prophetam ista subsecutionis nota: quamvis vel apud Hieronymum videatur, eam per Ellipsim abesse.

Domine vis mihi fit, libera me. Nisi tam constanter reclamarent omnia exemplaria, persuaderi non possem quod Hieronymus non vertisset, Sponde pro me, pro, Responde pro me, cum ex ipsa Latinitate, tum ex natura Hebraicae literae ערבני, id est, Spondendo libera me. Vertimus ergo, Libera me. Tracta est enim Metaphora ab his, qui quum a creditoribus prehenduntur, ex notis, quos adorando ad commiserationem pertrahunt, nonnunquam inveniunt qui spondeant. Sic prehendi se queritur rex a morte, ac dominum orat ut vas fiat.

Quid cogitem aut quid loquar ut ipse hoc faciat? Sic secum meditatur: Quid loquar, quid excogitem ut huc pelliciam, ut fidem pro me iubeat?

Ut percurram omnes annos meos. Percurrendi verbum ex אדדהא, id est, Iaculer, transtulimus, quod futurum ex ידה est, adstipulantibus Rabinis, qui utrique Daled contendendi punctum infarserunt. Posuit autem Iaculandi verbum regius poeta, pro Ad metam perveniendi. Vertimus igitur ut supra.

Equidem scio domine in amaritudinibus vitam trahi. Equidem scio, de nostro est. Fatetur enim, in aerumnis et curis vitam istam trahi, sed gratum fore si sibi huiusmodi aerumnae donentur. Addidimus ergo eius confessionis notam, vel ob id maxime, quod et Hieronymus vertit, Domine sic vivitur: et non, Si sic vivitur, quod vetustum exemplar Bibliorum, quod apud nos est, adperte testatur. Sed et ipsi commentarii Hieronymi, Si, habent plane exundans, et sensum obscurans. Unde adparet adsutum esse per sciolos.

Et quod tu me somno degravas, et expergefacis. Consopis me domine, et iterum vivificas, id est, stertentem excitas. Utuntur illi Vivificandi verbo pro Sanandi, Salvandi, et hoc loco Excitandi verbis.

Sed ecce, bene mecum agi putabo, si eas amaritudines mihi concedas: Sic habent Hebraea: Ecce ad gratiam sive pacem, amaritudo mihi amaritudo. Hoc est: Ecce res grata erit mihi amaritudo ista. Vocatur istud orationis genus ἀνάκλασις, sive ἀντίςασις, quum scilicet idem verbum in contrarium sensum rapitur. Quemadmodum Plauti Euclio, Araneas (inquit) mihi ego illas servari volo. Locuta erat anus de inani prorsus, praeter araneas, domo. At senex Araneas intelligit thesaurum, qui anum latebat. Sic poeta Ezekias, Scio, inquit, omnem vitam unam esse amaritudinem. Tu autem non ingratam rem mihi feceris, si amarissimam donaveris amaritudinem, id est vitam, ut iam Amaritudinem pro Vita ponat. Hactenus exposuit et morbi periculum, et quid in eo periculo constitutus cogitaverit: nunc quomodo ὁ θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, id est, superne ac de improviso deus succurrerit, canet.

His tu vitam meam fulcis quo minus pereat. Hic, ex Vaf traduximus: Est enim celeritatis vel adversativa nota hic loci: Sed tu vitam meam fulsisti, quae iamiam lapsura erat. Aut, Hic tu protinus succurris.

Dum abiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Hieronymus omisit כי, id est, Quum, etiamsi causae redditio sit, quur adversa, morbos, et infinita mala experiamur: nempe quod peccatores sumus. In cura igitur, ut primum est morbi causas praecidere: ita in animae restitutione primum est ut peccato ignoscatur.

Neque enim aut inferi te canunt etc. Usitatum esse apud Hebraeos, quod rem pro persona, atque rursum personam pro re accipiant, virtute Enallages, supra satis crebro docuimus. Ut quum Christus, Cavete, inquit, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus etc. Iustitiam pro recte factis, pro caritatis operibus accipit. Sic isto loco Fovea pro Inferis, et Mors pro mortuis accipiuntur. Negat autem inferos deum canere, et mortuos eum laudare, quomodo scilicet nos hic laudamus et canimus, quomodoque Ezekias poeta nimirum suo carmine saepenumero laudavit.

Neque admirantur fidem tuam. Deprehendimus homoeoteleuta multa in carminibus eorum. Hic tamen valde elegans cum epistrophe occurrit. Ponitur enim eadem vox ad finem utriusque orationis, quas iam dicemus. Deinde quae ante finalem dictionem ponuntur, eiusdem vocis ac numeri syllabarum fere sunt. Eae autem sunt יורדי בור אל אמתך et יודיע אל אמתך.

Et imponite eam ulceri. Elegantius quidem vertit Hieronymus, cataplasmarent, sed Graeca voce Latina passione adfecta. At ob id quod Latini non haberent aequipollentem vocem *καταπλάσαι*, hoc est, Sic fingere et condire ut oblinatur.

O rem admirandam. Ad verbum est, O quantum signum. Sic enim utuntur מה pro admirationis nota. Quomodo et Christus est usus: Quis putas est fidelis dispensator et prudens etc. hoc est, O quantus est qui fideliter ac prudenter dispensat etc. Post tantum desperationis aestum quum divina benignitas adfulsisset, sic admiratus est insperatum periculi exitum.

EX CAPITE XXXIX.

Eodem tempore. Hieronymus vertit, In illo tempore: forsan melius quam nos. Nos enim ad hoc respeximus, quod Babylonius legationem misit, ad gratulandum quod valetudini restitutus esset. Id oportuit non longo post tempore fieri. Adparet autem Babylonium regnum nondum fuisse coniunctum Assyriaco, si haec coniectura non est frivola: nam sic non venisset hostis gratulatum. Quod si iam coniuncta erant regna, non inepte dixit Hieronymus In illo tempore, pro Quodam tempore. Veruntamen quocunque momento id factum sit, nam istud nunc prorsus nihil refert, satis erit nobis exemplum humanae fragilitatis hic didicisse. Adiecerat omnium vita deus, quindecim annos regi tenere hanc vitam amanti. Id ille tam magnifice collaudat ut dicat, O rem admirandam, quod in domum domini velut postliminio rediturus

sum. At legatis ad assentandum potius quam ad gratulandum missis, citra omnem cunctationem aut religionem, universa quae domini bonitate in thesauris eius erant, inspicienda et contrectanda profert, plausus laetitia exhilaratus, ut neglecta lege, quae a perfidorum commercio et amicitia deterrebat, opes suas non tam spectantium oculis quam rapacium unguibus proderet. Adeo inconstantes sunt res humanae, adeo temere feruntur, adeo incommode finiunt, ut omnium regum Iuda specimen, effugere stultitiae notam non potuerit.

Cellas opum suarum. Levi quidem occasione adductus sum, ut Opes ex נכה verterim. Reliquerunt LXX. Hebraicam vocem inexpositam νεχωθᾶ, quod mihi coniecturam fecit, repositorii aut penu proprium nomen eos existimavisse. Quum vero Hieron. Cellam aromatum verterit, nullo fultus quod ego sciam scripturae loco, visus sum mihi non iniuria in Opes vertere: praesertim quum subito genera opum connumerentur, argentum, aurum, odores etc.

Olei defecati. Ex Oleo Hieronymus Unguentum fecit: nos ex Bono Defecatum. Ille quod ea regio unguentis madeat: Nos, quod olei defecati periphrasi crebro utuntur pro optimo oleo, quodque istud quoque reponitur.

Omnes domos armorum eius. כלים pro Armis accipi, dudum est ostensum.

Et quicquid erat in thesauris suis. Inveniendi verbo pro Habendi, passim utuntur, ut Quicquid invenerit manus tua, dicunt, pro, Quicquid potes aut habes.

Nihil est in thesauris meis. Pro his vertit Hieronymus, Non fuit verbum sive res in thesauris meis etc. Verbum huc non quadrat, ideo rem quoque addidit. Multa fuit cum olim tum nostro tempore, de principalibus Evangelii Ioannis vocibus, conflictatio: In principio erat verbum. Sed omne certamen istud hinc natum est, quod quidam videret λόγον, id est Verbum, Sermonem, Rationem, Rem, ex דבר Hebr. voce verti; quidam vero minus. Nos nihil ambigimus nostram sententiam brevibus in medium coniicere. Orsurus erat Ioannes a divina Christi nativitate, atque ad humanam ab illa descensurus. Sic ergo infit: Ea res, ille dei filius, aut quomodocunque numen istud, de quo dicturus sum, adpellandum est, erat in principio. Et λόγον Graecam vocem posuit pro דבר, qua Hebraei longe latius quam λόγῳ Graeci utuntur. Quod dum quidam aut non vident, aut certe dissimulant, mirum est quae commenta simplicibus obtrudant de virtute verbi dei a nobis prolati: atque id omne hac arte, ut Verbum, quod hic loci pro ea re, quae dei filius ab aeterno est, Telamonis scutum faciant, ad quod suffugiant. Verbum est (inquiunt) omnipotens dei filius: Verbum ubi profertur, ibi dei filius est. Verbum est filius dei: Filius dei vita est. Ubi ergo verbum profertur, isthic vita est. Considera vero nunc, quam non candide, ne dicam pie, hoc pacto tumultuentur. Quum huc fugiunt, Verbum est dei filius: sub hac voce Verbum, latibulum tutissimum quaerunt, ea potissimum causa, quod sciola plebs istud in ore habet: deus erat verbum. Quumque iste clamat, An non deus est verbum? iam feruntur quo dementator ille annuit. Deus est

verbum, murmurant, et ubi verbum est, ibi deus est. Nos hic verbum habemus Hoc est corpus meum: ergo hic dei filius est, deus et homo, numen et caro, spiritus et sanguis: Non tantum in spiritu hominis per spiritum suum, verum etiam vera, essentialis, nata, in cruce laniata caro: quae iam non animae labiis, sed carnalibus et osseis dentibus ac ore nostris manditur, conteritur, discerpitur. Quos ego per immortale numen orarem, si non contumaciter constituissent se inexorabiles praebere, ut aurem vel tantillum nobis darent. Verbum quod deum esse Ioannes perhibet, nullum externum, prolatum, aut factum verbum est. Nam ne deus quidem verbum id est, quo principio rerum dicebat, Fiant luminaria magna etc. Sic enim deus Sol et luna esset, sic motui subiaceret, sic breviter creatura esset. Si verbum prolatum deus esset, iam quum Christus diceret, Tristis est anima mea etc. deus tristis fuisset, imo tristitia ipsa, et perinde non incommutabilis deus. Et quum diceret, Ut quid me dereliquisti? iam deus deum reliquisset. Et quid multa? Si sic deceat argumentari, tot incommoda nascentur, quot verba dei filius unquam loquutus est. At nunc ad medelam qua huic errori succurratur accedimus. Verbum est deus, dixit sanctus Evangelista, ut iam attigimus, pro, Et illa res de qua loquor, Numen istud, illa potior huius mei Christi pars, deus est. ut Verbum pro Re omnino ponatur, non pro verbo externo quod vel divinum os vel humanum, deum imitando, profert. Externum autem dei verbum voco, quod extra se ad creaturam loquitur. Quum igitur male sani homines dicunt, Ubi habemus verbum, Habemus deum: Deus enim est verbum: continue contemplare quas praestigias moliantur amphibologiae beneficio. Nam priore loco Verbum accipiunt pro verbo quocunque quod a dei ore profectum est, atque a nobis exceptum: id plane non est deus. Potens quidem est deus virtute, non prolatione. Et quum quid eius iussu fit, non virtute verborum aut dictionis fit: sed vi eius indeficiente, quae omnia tenet, firmat, mutat. Nam si vocum esset illa vis, et vox res sit quae extra procedat: iam deus quid extra se fieret: iam creatura (oportet enim verbum externum creaturam esse) creator fieret. Sed mitto nunc probationem, et ad secundam partem transeo. Secundo loco quum dicunt, Deus enim est verbum: Primo non vident, Deus est verbum, sese ponere pro, Verbum est deus. Ubi conversione peccant: quamvis hoc parum est. Deinde non vident, nunc non sic accipi Verbum, pro externo verbo, sive a Christo, sive ab homine prolato, ut quum dicunt, Ubi habemus verbum: sed pro ea re quae dei filius est. Eam enim perhibet divinus Evangelista deum esse: non quodque verbum, quod vel ab ipso vel a quoquam profertur. Desinant igitur ineptire, et discant cautius de rebus divinis loqui, ne dicam sincerius. Quid enim fraus est, si tam pertinaciter stultae multitudini os oblinere fraus non est? Discant cum gloria vinci (quandoquidem hanc unam sitire illos constat) quum eam vincendo parare nequeant. Qui enim dei gloriam non hominum quaerunt, non concinnant huiusmodi strophas et sutelas. Porro quod veterum etiam plerique super ista voce Verbum, tot ac tanta commentati sunt, nihil me attinet. Ubi charitas est, non exciditur, etiamsi non dilucide cuncta persciantur:

Ea ubi non est, labimur, etiamsi Sole clarius videamus quid liquido in re sit. Operam igitur dent, Linguarum ac scripturae fontibus sese ingurgitare qui eructandi aliis studium conceperunt. Nam ex Commentario (quod dicitur) sapere, hoc est, de lacunis hominum (qui labuntur, aut per vanam gloriam, aut per ignorantiam) haurire, quibus fontes non admodum sunt perspecti, id vero est non dei, sed hominum servum esse. Atque ut finiam, Omnis contentionis ac pervicaciae scaturigo de ignorantia oritur. Dum volumus videri nihil ignorare, quum tamen agnatum sit omni creaturae, atque adeo Angelis ipsis, non omnia perspecta habere: iam ne credamur de quibusdam non vidisse, pronuntiamus quae nondum cognovimus. Finge omnium, ab Adam usque ad mundi consummationem, hominum, omnem scientiam uni alicui datam esse! adhuc longe plura erunt quae ignorabit, quam quae sciat. Ab ipso solo in quo degimus, ut a notissimo, incipe, iam temere herbulam invenies, cuius ingenium nullus adhuc vidit, nullus vel nomen tenet. Quae ergo (malum) ratio, sibi sumere, quasi nos nihil praetereat?

CYRUS.

EX CAPITE XL.

Cyrum inscripsit Oecolampadius. Eum non ab re sequuti sumus. Ut enim Cyrus etiam ex nomine promittitur filiis Israël de captivitate Babylonis redemptor: sic mundo Christus promittitur liberator. Est igitur hac in re Anagoga, quum scilicet a Cyro ad Christum subducitur prophetia. Habent hoc omnes prophetae, ut quum occasio datur, Christi mysterium proferant. Agunt enim istud in summa. Ostendunt unum esse deum: Unam esse ecclesiam. Eam quam olim praecipuam membrorum suorum partem ex Iudaeis sumpserit, et illi dominum prodiderint, iam apud Gentes longe futuram ampliorem: Id autem Christo in terram demisso. Nunc ergo quomodo commodius ad Christi mentionem transeat, quam quum de liberatione Babylonica *κύρȣ* beneficio perficienda, ad animarum redemptionem *κυρίȣ*, id est, domini Christi pretio comparandam ascendit? Hinc est ut in Cyri rebus Christi vaticinia contineantur. Cum in typo (quae enim Cyrus gessit, umbra sunt Christi gestorum), tum etiam adperta demonstratione, ut processu patebit.

Bono animo sis popule mi. Priore loco adfatur populum.

Consolemini ἱερεῖς Ierusalem. Loquimini ad cor Ierusalem, Consolandi verbi Periphrasis est, quae nusquam non invenitur in divinis literis. *ἱερεῖς*, id est, Sacerdotes autem a Septuaginta mutuo accepimus. Secundo enim loco praecipit, his quorum officium est languida solari, ut flaccescentes desperatione conscientias rore divinae promissionis imbuant ac refrigerent. Mira vero gratia sermonis alloquitur propheta populum captivitatis pertaesum, qui nondum captus erat. Unde facilius Anagoga de Christo pellucet. Haec est prophetalis certitudo, praesentia videre quae longo post tempore futura sunt, et insolescentes nunc, rerum omnium felicitate, in praesentia miseros facere, quales postea futuri sunt.

Quoniam rude donabitur. Hieron. vertit, Completa est malitia eius. Quamvis autem constanter habeant omnia exemplaria Malitiam, ubi tamen Hebraei habent צבא, id est, Militiam, audeo constanter dicere Hieronymum vertisse Militiam non Malitiam. Quinquagesimus enim annus a militia vacationem merebatur: huc respexit Hieronymus. Nos igitur Sacramentum; puta Rudem, quae vacationis symbolum erat vertimus, ne rursus ex Militia Malitia fieri posset. Promittit autem Deus a servitute vacationem, hoc est, liberationem, per vacationem militiae.

Quum plenam castigationem acceperit de manu domini. Plenam vertimus pro duplici. Perinde enim atque Germani, utuntur in loco Dupli pro Sufficiente, ut in Genesi est ostensum.

Unde et vox clamat. Septuaginta Hebraismum fecerunt φωνὴ βοῶντος, Id est, Vox clamantis, ex קול קורא, quod citra eum facere potuissent. Ea prophetae verba quamvis absque praeparatione ponantur, hanc tamen vel similem requirunt. Audio itaque dominum admonentem per Angelum suum, aut visum, hac voce, Parate etc. Huius gratia addidimus, Unde. Divus Baptista in aliam sententiam usus est his Isaiae verbis. Hic enim promittunt adfore captivos, muniendas igitur esse omnes vias atque itinera, per montes, campestria, et salebrosa, quo expeditius ad sua redeant Iudaei. Isthic vero salvatorem totius mundi adesse promittunt, macerandas igitur poenitentia mentes, mutandos esse mores, complananda difficilia et ardua in aequum iter etc. Allegoricῶs ergo utitur Ioannes, quum Isaias simpliciter dixerit.

Parate viam domino in deserto. In deserto, mea sententia, prorsus non debet ad verbum clamandi referri, utcunque Rabini et veteres Graecorum Ioannis Capit. primo haec verba distinxerint, sed ad verbum, Parate. Tam longe igitur e suis sedibus pepulimus, ne temere in eum locum redeat, in quo non recte posset referri.

Adparebit enim maiestas domini. Haec vertit Isaias proprie ad liberationis beneficium e captivitate Babylonis. Alias vero per Allegoriam de Christi adventu dicuntur.

Quam videbit omnis caro. Per Antonomasiam utuntur Carne non tantum pro Hominibus, verum etiam pro ipsa humanitate Christi usus est in Hebraeis Apostolus: atque adeo alicubi prophetarum pro universa rationali creatura.

Eadem vox iubebat. Eadem, de nostro supposuimus, quo continentia essent superiora et inferiora. Nam quae sequuntur ad confirmationem superioris promissionis pertinent, dominum scilicet promissa servaturum, tametsi caduca et frivola sint humana omnia.

Quae respondit. Ex nostro est. Ut enim perpetuo monemus, omittunt isti notas commutantium sermonem.

Sic et populus foenum est etc. Hysteron proteron in comparatione ob id invertimus, ut liquidum esset, unam eandemque esse sententiam.

Verbum tamen dei nostri permanet in aeternum. Vel hinc possumus discere Surgendi verbum illis pro Persistendi manendique accipi. Hinc resurrectio mortuorum pro vita et duratione animarum

etiam Paulo capitur, quum ait: Cur, inquam, baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? hoc est, non vivunt post hanc vitam? Quanquam resurrectio aeque pro carnis resurrectione accipiantur in loco. Adparet ergo Sadducaeos, et istos adversus quos Paulus scribit, non crassum istum errorem profiteri fuisse ausos, quod animae cum corporibus intermoriantur: Sed, quod nunc Catabaptistae faciunt, animas dormire perinde ac corpora usque ad universale iudicium. De qua re supra quoque attigimus.

Quae evangelizas Zion etc. Ierusalem. Periphraseos beneficio uti malui, quam dicere Evangelizatrix aut Evangelista Zion vel Ierusalem In altero enim vocabulo incommoditas: in altero Amphibolon nascebatur. Mandatur autem urbi Ierusalem ut sociis Iudae urbibus venientem salutem adnuntiet. Hic nos in hac sententia sumus, ut propheta ipse per Anagogam a Cyro ad Christum ascendat, hoc modo: Dixi Cyri benignitate redituros nostros. Maiora dicam, Deus ipse veniet ad omnium Gentium salutem curandum.

Et brachio suo imperabit. Non brachio, sed authoritate et virtute, consilio et aequitate imperatur. Est ergo, Brachio suo, virtutis ac potentiae Periphrasis.

Opes suas secum advehit. Advenientem facit deum cum opibus, quomodo reges, provincias obequitant atque invisunt, opes suas atque triumphos interim ostentantes.

Consiliis et rebus gestis clarus. Iam saepe diximus eos ista voce מעשה, id est, Opus, uti pro Consilio quoque. Eodem modo utitur hic Isaias פעולה. Habent Hebraea, Coram eo: sed ea locutione pro triumphali processione visus est uti propheta.

Gravidas autem fovebit. עלות, gravidae ac uterum ferentes potius sunt quam foetae.

Quis mensus est pugillo aquas? Hic egreditur ad personae magnificationem, puta ad disserendum ampliter de deo.

Universum humum. Lege, Universam.

Quis adpendit montes in statera? In statera et in trutina, ob id maxime vertimus, et non, Statera et trutina, quod fere visus est propheta dicere: Ut montes certo pondere sibi mutuo opposuit? Ut colles ex aequo adpendit. Docent enim et Cosmographi ipsam mundi rationem requirere, ut tellus suis locis montium moles habeat.

Quis formavit mentem domini? Formavit pro Paravit vertimus, ad verbum enim habent Hebraea: Quo paratus est spiritus domini? Negat enim magistro eum ullo usum esse. Habemus hic summi numinis authoritatem ac dignitatem, amoenissimis tum figuris tum tropis depictam. Tam abest ut ubi ardua dicantur, declinentur tropi.

Insulae vero sicut atomi umbra. Ad verbum est, Sicut atomus qui dissipatur, hoc est, dissipatus. Nos ergo ut ἐξουθενισμὸν intenderemus, in Atomi umbram vertimus. Non praetereunda est autem comparationum amoenitas. Insulae in mari natantes, volantes in aere fiunt atomi.

Cui ergo similem facietis deum? Nunc patefit cuius gratia sit egressus ad collaudationem numinis. Redarguendi scilicet gentis suae

perfidiam, quae quum tam propitio semper sit usa deo, ausa tamen sit peregrinos deos recipere. Hinc sales, scommata, ioci, ac risus in tantam non iam stultitiam, sed malitiam.

Ne propenso desit quod statuat. Nos Oecolampadium imitati ex מסכן, quem ille Pauperem vertit, Propensum fecimus, qui scilicet cupit deum illum suum novum simulachro statuto demereri, quumque aureo vel argenteo nequit, ligneo instat. Quod statuat, autem ex תרומה traduximus. Fere enim pro munere aut oblatione visus est propheta hic simulacrum aestimare. Hinc Oecolampadius Simulacrum vertit. Nostrum, Quod statuat, eodem tendit.

Num horum rudes estis etc.? Ut illis pulmonem excutit? Ut perfidiam obprobrat?

Nonne ille super mundi globum sedet? Ille, non tam de nostro, sed ex articulo ה est. Porro interrogationis nota ex superiorum consuetudine huc est diducta.

Et considerate quis creaverit ista. Hic quoque videmus quam familiare sit eis ἐπιδείξει, id est, Demonstratione uti. Intendit propheta digitum in astra.

Quae copias suas magno numero producunt. Ad verbum, Quae prodeunt cum numero exercitus eorum. Et in, Numero, emphasis est pro magno numero.

Ne unum quidem illum latet. Ad verbum, Quodque non desideratur. Nos Septuag. secuti sumus, qui נעדר in ἔλαθε verterunt. At idem verbum infra 59. verterunt in ἦρτο. Videtur autem confirmatio esse, qui fiat ut quodque astrum ex nomine vocet: nullum enim latere eum.

Et deum meum iudicium meum praeterit. עבר, transeundi verbo utuntur pro conditionem mutandi, ut quum servi fiunt qui liberi erant, quomodo in rebus Aegyptiacis in Genesi habetur: transeundi, sive eundi, pro latendi: quomodo et Latini Praeterire quid quem dicunt, pro Latere. Graviter autem taxat Iudaeos, qui dei bonitatem experti, non ad benevolentiam et gratitudinem adducti sunt: sed stultitia caeci cogitaverunt aut deum non esse, aut oblitum esse rerum humanarum. Hinc audere coeperunt quicquid liberet. Istos ergo mire tractat. Probat omnipotentiam, sapientiam, providentiam, rationibus atque exemplis. Ac deinde arguit constantissime, qui ergo fiat ut se deserant, alienos recipiant: ut eius, qui nunquam fefellit, oblivisci possint, et eos sequi qui ut stipites sunt, ita non magis quam stipites sentiunt. Vindicem ipsis adfore denuntiat, gentibus autem quae in eorum locum successurae sint, promissum istis salvatorem.

Qui orbem condidit non laborat, nec fatigatur. His immutabilitatem summi boni comprobat. Virtutis omnis fontem, sufficientiam, ac liberalitatem ostendit, ex quo sarciant quibus quicquam deest. Adolescentes etiam si lacertos habeant ac suras, fatigari tamen levi laborum pondere. At refici nisi virtute domini non posse, a qua robur omne in omnes dimanet. Aeque tamen qui dominum observant nunquam deficere, sed ex omni periculo aquilarum alis evolare.

EX CAPITE XLI.

Auscultent mihi Insulae. Per Metalepsim Tacendi verbum posuit Isaias pro Auscultandi. Qui enim silentium postulant, auscultationem quaerunt.

Et populi animum resumant. Robur muteat, sonaut Hebraea: Sed iusti et aequi litigatoris personam sibi sumens deus, adversarium sibi restituit, ut si metu aut odio in transversum adductus sit, ad se redeat. Redarguit autem Gentes, ut post in Iudaeos arietem acrius invehat: Id vero communi sensu. Vulgo enim videri, victoriam non esse virium aut consiliorum humanorum, sed aliunde venire quam a nobis: Eum ergo unde veniat se esse.

Quis excitat ab Oriente vindicem? Vindicem ex Iusto fecimus: eum enim requirunt, sub nomine iusti, qui quidem hic habetur, sequentia.

Ut proficiscatur. Ad verbum, Ad proficiscendum ipsum.

Ut gladio suo humi deiiciat. Ad verbum, Det quomodo pulverem gladio suo. Porro, Dandi verbum, in loco pro, Deiiciendi, multis locis ponunt, id quod in lectionis curriculo adnotavimus. Habet et Suetonius in hac significatione Dandi verbum: Aquila corvos ad terram dedit, pro, Ad terram proiecit.

Neque per semitam elabi cogatur. Nos huc respeximus, quod quibus dominus victoriam donat, plerunque tam evidenter erigit ac tuetur, ut nulla eis parte metuendum sit; quos vero deiicere est sententia, eos quantocunque cum exercitu venerint, per occultas tamen semitas elabi cogat. Quomodo Senaherib e Syria profugit, et Xerxes e Graecia. Adde quod recens adhuc Senaherib exemplum sermoni vatis competit.

Et vocavit generationes a principio? Vocandi verbo pro Existendi, et Constituendi verbo virtute Metalepseos utuntur. Existendi, quia quae talia existunt, talia vocantur: ut, Filius altissimi vocabitur, hoc est, erit. Constituendi, quia qui urbes aliasque res constituunt, nomen quoque imponunt: ut, Vocavit oriona, hoc est, condidit atque in ordinem suum constituit.

Qui et primus sum et post ultimos. Non obsto Hieronymi traductioni: Primus et novissimus ego sum. Vellem tamen ubique locutiones suas Latinis redderet. Nos quo pateret quibus verbis Hebraei hanc dei Periphrasim haberent, sic vertimus. Ipsi enim, Et cum ultimis ego sum, habent. Nos dilucidius putavimus Latinis, Post ultimos.

Videte Insulae, hoc est, Gentes. Insularum expositionem idcirco mox adposuimus, ne quis putaret ad solas Insulas referri. איים enim, hoc est, Insulis varie utuntur. Pro certo aliquo tractu aut regione, ut supra Aethiopia et Aegyptus Insula vocantur: pro incredulis, pro ultimis quoque gentibus, ut supra patuit.

Traxit faber fusorem. חזק, Trahere, tenere, attingere, adfigere, non minus quam confortare significat. Trahendi verbum huc congruere visum est.

Et qui malleo maximo tundebat. Nos de eis malleis loquimur, qui vel tanti sunt, ut solis machinis moveantur ad explicandas rudes aeris massas: Vel de eis qui solent a lacertoso, in fabrorum officinis, ministro maiusculis operibus intentari: Quod genus arietem vocant.

Eum qui leviore operabatur. Ad verbum habent Hebraei, Eum qui percutiebat vicibus, crebrioribus scilicet quam qui arietem ductat. Vertimus ergo per synonymiam, ut iam habes. Haec omnia ad hypotyposim pertinent.

Et clavis Idolum firmaverunt. Idolum non ex nostro est, sed ex הוּ, etiamsi nostri notam in textu habeat, forte mea culpa, qui ad hanc vocem addiderim, quum ad aliam pertineret, puta, Scilicet, quae sequitur. Hic mi Lector non est ut calamitates meas querar, qui tot occupationibus obruor, quae plerunque a literarum ingenio abhorrent, ut quae scribam omnia desultoria opera constent. Datur multis cum tranquillitate sua absolvere, nobis nisi furemur, non horas aut dies, sed momenta, quae etiam parcissime colligere atque reponere cogimur: tempus plane nullum conceditur. Hinc fit ut adeo imparata et illaborata extrudamus potius quam edamus. Instant inlustissime fratres, et Chalcographi, atque saepenumero incompletas adhuc paginas e manibus eripiunt. Illi in hoc, ut quae dominus per nos revelat subito patefiant mundo: Hi vero ut illis morem gerant. Hic meam sententiam expendo: Quandoquidem in hoc complanationem istam orsus es, ut pro tua virili ostenderes eruditiora esse quae a priscis istis scripta sunt quam vulgo putetur, quodque Rabini linguam suam magna parte ignorent, propterea quod ab eruditione alieniores sunt: iam satis erit tam praeclaris ingeniis quibus orbis hodie refertus est, sententiae tuae de tractandis scripturis gustum praebuisse. Isti enim si quid ruditer praebueris, expolient, venustabunt, ornabunt, ac perficient. Tandem huc descendo, ut immaturos foetus exponam potius quam ablactem. Tu quod dixi Lector omnia boni consules. Sic imperant haec tempora; et necessitati ne Hercules unquam resistere potuit.

Quo minus moveatur scilicet. Hic Scilicet, addidimus ad explicationem varis.

Tu quoque Israel serve meus. Corripit et Israelem in redargutionem. Atque ante omnia opprobrat ei beneficia quae in eum contulit.

Et hac iusta dextera mea tenebo. Hac, veluti clavum infixi, ne ex Iusta iterum Iustus fieret.

Noli trepidare vermicule Iaacob. Vermiculum non vocat per contemptum sed blande. Caeterum, haec omnia una atque continens est beneficiorum commemoratio, qua magnam apparat increpationem.

Ut trítures montes etc. Vide quam proclive utatur Allegoriis planissimis. Per montes et colles, reges ac potestates adversarias intelligit.

Quum adflicti et egentes etc. Generalis sententia est, deum omnibus sufficere, omnibus etiam largiter suppeditare.

Consero Eremum Cedro, buxo, myrto et olea. Hic manifestum est Eremum accipi pro locis saltuosis, campestribus, ac irriguis,

ubi nonnihil succi est. Myrtus enim et olea non vivunt in locis nimium siticulosis: Sed in ea relegavit abietem, ulmum ac platanum divina providentia.

Adeste igitur causae vestrae. Advocat omne hominum genus, cui iam exposuit quod ipse is sit qui omnia quae videmus, condiderit. Et ad sapientiam suam adserendum transit.

Imo dii ipsi accedant. Subiectum quod hic reticetur, protulimus: Invitantur dii ipsi, at velut absentes, ut si quid sciant rerum futurarum proferant: Imo si praeteritarum, commemorent.

Quin vos ipsos alloquar. Haec ideo de nostro adiunximus, ut quum adeo pulchre augescat, atque omnino Rhetorice, propheticus sermo, etiam gradus subderemus, quibus Latini ad sensum vatis ascenderent.

Ut omnes videamus et enarremus. Videndi verbum ex ראה, Enarrandi autem ex שעה vertimus. Deinde vero ordinem invertimus, hac causa quam saepius diximus, quod hystero protero tam impense favent.

Abominatio elegit vos. En quam potens Prosopopoeia. Abominationi electionem tribuit, ac si de se ipso loqueretur, cuius libera est rerum omnium electio et constitutio.

Ego autem excitabo ab Aquilone etc. Ego sententiosam Synecdocham istam esse arbitror. Ut non modo, vel Cyrum solum quomodo Rabini putant: vel Christum solum quomodo nos, verum et Cyrum et Christum cum membris eius intelligat. Ut quod ad Aquilonem atque Orientem attinet, maxime pertineat ad Cyrum et Christum. Quod autem ad invocationem, ad membra Christi atque propter hoc ad Christum ipsum. Quod denique ad conculcationem, ad utrunque, puta Christum et Cyrum.

Quis annuntiavit haec antea? Negat deorum aliquem aut divinorum, huius quicquam praedixisse.

Zion et Ierusalem Evangelistam dabo. Hic הנם, id est, Ecce ipsis, omisimus. Satis enim pollent Latina pro ea sententia quam propheta habet.

Nullus est qui haec monuerit. Ad verbum, Qui consulat, hoc est, suadeat aut moneat. Germanice possumus per Consulendi verbum eandem sententiam exprimere, Es ist keiner ders erradt. Id est, Nemo est qui consilio ad eam rem perveniat. Hoc est, Qui haec praevidendo moneat. Arbitror autem, Evangelistam Christum hic intelligi principaliter: tum deinde, nuntium redemptionis Babylonicae.

EX CAPITE XLII.

En igitur vobis servum meum quo nitar. Redit nunc per epanodon ad eum quem semel ab oriente venturum, et mundi principes velut lutum conculcaturum: iterum vero Evangelistam fore dixerat: Atque eum ab universis finibus eius describit. Servum autem vocat propter susceptionem et commercium humanae naturae.

Quo unice placatur anima mea. Hoc responsum superne bis ingessit mundo patris maiestas. Semel quum baptizatus esset: iterum

quum clarificatus. Est autem ἐν ᾧ εὐδόκησα, id est, In quo bene habeo, non optime reddita Latinis oratio, per In quo mihi complacui: sed magis hoc sonat, In quo sum placidus. Id intellexit qui hymnum περὶ ἐπιφανείας condidit, quum sic canit: Vere filius es tu meus mihi placitus, in quo sum placatus etc. Hebraica רצתה נפשי, id est, Allubescit anima mea, potentiora sunt quam ut duobus possint exhauriri verbis. At ea paraphrasis, In quo sum placatus, proxime accedit.

Arundinem fractam non conteret etc. Hae allegoriae ab Evangelistis perspicuae satis factae sunt. Magnum vero spei nostrae fomentum, quod divina bonitas tam facilem atque humanum nobis fore promittit filium suum, ut etsi languidi simus ac fracti, fractae instar harundinis, fumemus licet ac vaporemus, velut stuppa expirantis lucernae, laturus tamen sit, et non ferociter obruiturus.

Non hallucinabitur, et non erit praeceps. Diximus, pro, Non caligabit, et non festinabit sive curret.

Quo terrae iustitiam conciliet. עד, non minus varie accipitur Hebraeis quam Ad, Latinis. Vertimus igitur in Quo, pro Ut, accepto.

Et legibus eius Gentes utentur. Diximus pro, Et legem eius Gentes suspicient.

Sic enim adloquitur eum dominus. Eum, ideo additum est: quia quae post tam longum subiectum sequuntur, luculenter ostendunt ad dei filium haec verba fieri. Incipit autem subiectum, hoc est, persona loquens, hinc exponi usque ad, Ego dominus vocavi te.

Vocavi te iustitiae gratia. בצדק, perinde significat, Ad iustitiam atque, In iustitia.

Et manu tua adduxi te. Iam ex חזק Ducendi verbum traduximus, de quo paulo ante.

Faciam te foedus populi. Propiora credidimus nostra fore sensui prophetico, quam quae Hieronymus vertit, ideo sic interpretati sumus.

Ruique maiestatem meam alteri non do. Discant hinc qui naturas in Christo confundunt, ut erroris confessionem declinent, humanitati Christi tribui prorsus nequire, ut ubique sit quomodo divinitas. Nequit enim fieri, ut quae authoris et creatoris sint, creaturae possint accommodari. Christus autem, verus tum deus tum homo quum sit, nequit fieri ut quae divinitatis propria sunt, humanitati citra errorem tribuantur. Qui ubique est, eum ab aeterno fuisse necesse est. Nam perinde est de ratione infiniti semper fuisse, atque ubique esse. Oporteret ergo humanitatem Christi ab aeterno fuisse: et sic fuisse quum non esset. Semel autem dixit deus, maiestatem se suam alteri non tribuere. Quum ergo veritas ipsa fateatur, patrem sese maiorem esse, id autem omnino non secundum id secundum quod aeterna veritas: sed secundum quod homo est: iam ultra fieri nequit, ut quae propriissime ipsius divinae potentiae sunt ac maiestatis, ut ea cuiquam tribuat. Ubique autem esse, intima ac sola numinis est proprietas. Hinc enim dimanat omnipotentia. Non potest ergo Christi humanitas, quomodo divinitas, per essentiam ubique esse, taceo quod ipsa sibi humanitas dixit, negatum esse, ut diem domini sciat. Porro qui ubique est, omnia videt: nisi tam stupidi simus, ut alicubi caecum esse

dicamus. Quod si eius tum humanitas non omnia videbat, plane non erat ubique. At ista forsan dixerit aliquis non huius esse instituti: idcirco attigisse modo, et fontem veri ostendisse satis sit. Utinam omnes tam fideliter hoc moderamen praestarent, quam audacter a nobis exigunt, ne quid praeter institutum. Iam non foedarentur impurissimis commentariis divina oracula: quae quidem in eum usum exponenda sumunt, ut bilem levavisse minus notentur. Quasi iure licuerit debacchari, quum veritatis verba mendaciter ad adfectum suum detorserint. Belli homines haud secus faciunt quam impurae et socordes matronae, dum cubile exire piget, in craterem aureum ventrem solvunt, ne ingredientes ancillae oletum, etiamsi oleant, eas fecisse suspicentur. Quis enim oletum in craterem fieri crederet? Impuram comparationem, sed impurorum hominum attulimus, qui purius cupimus tractari salutaria oracula, quam isti faciunt, dum occasione exponendarum scripturarum venenum suum effundunt, et verbo domini ad adfectuum suorum praetextum abutuntur.

Quandoquidem priora cuncta evenerunt. הנה, id est, Ecce: hic loci causalis est. Fidem enim apud contumaces sibi conciliat, vel isto saltem nomine, quod quaecunque praedixerit unquam, usuvenerint. Sic ista quoque quae nunc praedicit, indubie eventura esse.

Cantate igitur domino carmen novum. Continuum carmen esse hinc usque ad, Audite o surdi: vel solae troporum et figurarum deliciae, ut antea ostendimus, produnt.

Resonet laus eius ad fines terrae. Hic iterum מ pro Ad sumitur, מקצי, id est, De finibus: quum scilicet cognitio dei usque ad terrae fines pervenerit: iam de finibus laus eius auditur. Adludit autem propheta ad montium et concavorum resonantiam. At illa non resonant, ni prius vox aut sonus ad ea offenderit. Sic ergo laudem undique mandat concrepare.

Vocem tollant desertum et urbes eius. Hic ponitur Tollendi verbum, ישאו, absolute pro, Vocem exaltent. Septuaginta nobiscum sentiunt, dum εὐφράνθητι transtulerunt: magis spectantes ad sensum quam ad voces.

Vici quoque qui habitantur in Cedar. Pulchre Cedarenis vicos tantum tribuit, non urbes. Adpellat enim eos alicubi propheta Gentem quae portas et urbes non habeat. Erant enim Nomadae.

Tribuant domino omnipotentiam. Tribuendi verbum pro Ponendi vertimus. Per Metalepsim enim Ponendi verbo pro Dandi utuntur, ut satis ostensum est.

Inter Gentes laudem eius adnuntient. Hic Insulas pro Gentibus omnino esse vertendas, totum carmen admonet. Digno enim carmine sanctum de Salvatore vaticinium canere instituit. Quumque omnia de eius ad Gentes adventu perstrepant: indubie hic insulas pro Gentibus poëtans posuit: id quod supra etiam demonstravimus.

Sicut miles in procinctu stans, animum inhortabitur. Ex איש מלחמות Militem in procinctu stantem fecimus. Comparat enim Christum animoso atque intrepido militi in acie stanti, et animum suum ad fortitudinem inhortanti.

Num quoniam hactenus tacui. Attingentem se facit deum, ad repudiandum Israël, et ad cooptandum Gentes.

Convertam flumina in torridam etc. Haec ad Iudaeorum abdicationem pertinent.

Inducam caecos in viam. Ista vero ad Gentium vocationem.

Haec faciam eis. Dixi pro, Istas res faciam eis. Ubi pro Rebus דברים, Hieron. Verba transtulit, indubie per verba Res intelligens. De quo supra.

Aut tam surdus atque legati mei quos ad eos misi. Ad verbum unus est legatus, at illum pro tota legatione per Synecdocham, hoc est, pro omnibus legatis posuit.

Quis inquam tam caecus est ac populus domini, et principes eorum? Hic primum ex Servo domini; Populum domini fecimus, iussu Synecdoches. Deinde ex משלם, id est, Imperantibus eis, principes eorum. Postremq membra transposuimus, quae Hebraeis hoc ordine sita sunt: Quis caecus sicut domini eorum, et caecus sicut servus domini?

Perinde sunt ac si tu multa intelligas. Nos cum propter verbum תשמר tum propter sensus claritatem, in hanc formam traduximus, quae sententiose quidem sic habent apud Hebraeos, Videre multa quae non serves: adpertas esse aures, et non audire sive obtemperare.

Propensus etenim est ad ignoscendum dominus etc. Et haec brevissima et sententiosa sunt, adeo ut si verbum verbo reddas, per obscuritatem nihil dixeris. Dominus benignus propter iustitiam suam, magnificabit legem, et augustam reddet. Porro sequens sententia, Sed populus iste: sive ut Hieron. vertit, Ipse autem populus: satis ostendit antitheseos priorem partem esse istam, quam nos paraphrasticωs, ut in textu habetur, transtulimus, Dominum quidem propensum esse ad ignoscendum, id autem natura. Iustum enim, hoc est, aequum ac mitem esse, quo lex eius, hoc est, religio quam latissime propagetur. At populum istum perditum esse. Hinc ultima experturum. Et est anteoccupatio, ne quis quaerat, cur abdicat populum suum.

Et non erit qui restituere cogitet. Et hic manifestum fit, puncta vocalia non fuisse Hieronymi tempore. Nam in imperativum non vertisset השב. Deinde Dicendi verbum, pro Cogitandi atque consilium capiendi accipitur.

Et moneat in posterum. Ex Attentus sit, paulo vehementius verbum Moneat, fecimus: ut etiam competat adversus pastores, hoc est, prophetas ac principes.

Effundit ergo in nos. In nos, pro Super eum, ut et reliqua, vertimus: quoniam sic requirebat complanatio, propter primam personam חטאנו, id est, peccavimus. Hoc enim quoque familiare habent, ut quum certa persona expressa est, iam vel impersonaliter, vel etiam mutatis personis, reliqua quae ad eandem personam pertinent, efferant. Quomodo Latini quoque nonnunquam faciunt: Tu vero quid? Ego protinus instare, orare, implorare. En certam personam, Ego. Deinde impersonales infinitivos, Instare, orare, implorare etc. De personis autem mutatis exemplum nullum occurrit, nisi quantum Soloecismis excusatur.

EX CAPITE XLIII.

Noli timere ego enim redimam te. Et haec, tam de liberatione Babylonica, quam de fideli Israële intelligere cogit ipse sermo propheticus: quum post multa huc ascendit ut dicat, Ab oriente adducam semen tuum etc. Cohaerent autem ista quoque superioribus, ut adhuc unus atque idem sermo sint.

Aethiopes et Sabaeos pro te dabam. Sensus est, Aegyptios, Aethiopas, et Sabaeos perdebam, ut te servarem. Id quod sequens sermo velut epbexegesis declarat. Imo quodvis hominum genus pro te expendebam, et populum quemlibet pro salute tua etc.

Omnem videlicet qui censetur nomine meo. Haec irrefragabilis nota est, non tam Israëli promitti liberationem Babylonicam, quam orbi salutem per fidem. Censeri enim aut vocari nomine domini, periphrasis est fidelium. Quanquam interim non nesciam, passiva quaedam pro activis, aut ut Graeci vocant, mediis accipi: ut נשפט, Iudicat, et נקרא Vocat, in loco quidem significant. At hic sensui nihil diminuitur nostra complanatione.

Eum enim creavi, finxi, et feci ad gloriam meam. Videtur nobis obscurus esse Hebraicorum verborum istius sententiae ordo: sed quum quae retro dixit recolimus, dilucida fiunt omnia. Monuit autem supra ipsum Iacob, ne ulla ratione miretur aut moveatur, quum videbit alienigenas sibi agnasci, qui tamen secundum carnem non sint de Israël: nam sua ipsum manu esse eos creaturum. Sic ergo et isto loco, perhibet se eum creavisse, finxisse, et fecisse, qui nomen suum invocet: quamvis non sit de semine Abrahami secundum carnem. Qui enim fidem habent Abrahae, ut ait apostolus in Galatis, hi sunt filii Abrahae. At fides nuspiam est, nisi ubi pater traxit, et spiritus intus accendit. Haec ergo est creatio, hoc figmentum, haec factura, de qua hic loquitur.

Adhuc populum oculis tam captum quam praeditum. Caecae gentes ad oculis praeditos Iudaeos adductae sunt: quod Christus parabola de mature atque sero in vineam conductis docuit. Ponitur autem imperativum verbum הוציא, pro futuro: de quo satis est dictum.

Quis deorum istorum nuntiet ista? Deos hic non habent Hebraei, sed. Quis inter eos nuntiet hoc? Accipitur tamen hoc relativum, Eos, per ἐξουθενισμόν, id est contemptum et abiectionem, pro diis peregrinis: idcirco eos expressimus.

Producant testes suos et absolventur. Iustificandi et innocentandi (si sic loqui permitterent Latini) pro Absolvendi verbis, multis in locis utuntur. Hinc iustificatam esse sapientiam a filiis suis perhibet Christus, hoc est, filiorum suorum iudicio absolutam, quum non habeant qua parte accusent. Nam si duriter viventem requirant, Baptistam habeant, qui tamen Christo suffragatus sit: si vero suavem ac blandam, Christum seipsum.

Qui neque ipse secundus sum, neque secundum habeo. Aequipollet nostra versio cum Hebraica veritate, quam quod deum omisimus: quo tamen facto nihil decedit sententiae, sed paulo gravior fit Latinis sermo eius vocis absentia.

Quo minus alienum recipiatis. Ad verbum, Ut non inter vos alienus.

Aut quod facio infectum reddat. Hebr. sic habent ad verbum: Faciam, et quis invertet illud? Proclive enim aut interrogant aut exclamant, ubi Graeci et Latini plano sermone utuntur.

Propter vos mittam Babylonem. Nos/malo filiorum Israël, intelligimus Babylonem missurum dominum, ut inde militem conducat: quomodo superius quoque sese minatur sibilo signum daturum esse api etc.

Et accersam omne robur eorum. Hic iterum Vectes, pro Robore videmus poni.

Bellandi peritia gloriantium. In navibus gloriantes, vertit Hieronymus. Hebr. sic habent, In navibus exultatio eorum. Nos ergo quum credidimus Naves pro Classe, Classem vero per Synecdocham pro universo adparatu bellico poni, ad hunc modum vertimus. Alias enim utcunque de Euphrate et de sinu Persico arguteris, semper huc descendes ut navibus belligerandi gloriam eis tribuat: et iterum non late dissides a nobis.

Quomodo lucernae stuppa extinguitur. Stuppam absolute Latini Prudentii tempore, pro lucernae stuppa (quam nos lingua Helvetica Daachen, appellamus) acceperunt. Hieronymi vero aetate adparet, Lino usos esse in hac significantia. Nos lucernae stuppam aliquanto clarius expressimus. Adludit autem ad inversionem Aegyptiorum: quorum omnis vis et vita velut lucernae stuppa extinguebatur. Quae hactenus dicta sunt ab his verbis, Sic itidem loquutus est dominus, usque ad, Veterum quum sitis male memores: omnia ad unum subiectum pertinent, nempe Dominum.

Dixi eam prius. Ex nostro prorsus adsuimus. Quicquid enim agit propheta, huc tendit ut ostendat repudiandam esse gentem suam, Gentes cooptandas; abituros propter scelera suos in captivitatem, redituros per dei bonitatem, venturum esse Christum, unum deum esse colendum. Haec ergo quum toties iterentur, quoties propheta vel sermonem ad populum habuit, vel stilum in eos strinxit, levandi fastidii causa hanc notam adposuimus, ne nunc aliud novum promitti quis crederet quam prius erat promissum. Quae enim nunc sequuntur, eisdem ferme verbis de Gentium vocatione ante sunt dicta.

Struthionum filiae. Reliqui integram Hebraicam periphrasim: et quod ea Graeci quoque utuntur, et quod iam domestica fere est facta, tum denique quod ornamento visa est hic fore.

Populum istum quem mihi formavi. Vereor Rabinos distinctionem יצרתי non sine industria huc interposuisse: quum omnino sit Epanalepsis, quae resumit mentionem populi Gentilis, dei populi loco Iudaeorum facti.

Victimis tuis non glorificasti me. Id ex parte est intelligendum. Eas enim victimas negat sibi datas esse, quae diis peregrinis mactatae erant. Nam alias nemo ampliores Hecatombas obtulit quam Iudaei.

Quamvis non exigerem a te sacrificia, neque suffitu onera-

rem te. Hanc sententiam post totum συναθροισμόν, id est, coacervationem, transposuimus. Commodius enim offertur hoc loco Latino lectori, quam superiore, quum coacervatio nondum est finita.

Tu vero oppressisti me peccatis tuis. Venusta Antithesis. Non obruisti me muneribus, sed sceleribus.

Quum ego ille solus deleam transgressiones tuas. Propter Anadiplosim Hebraicam tam late vertere coactus sum. Degravat enim ita facinus eorum. Ille solus semper ignoscit, cui soli non desinunt peccare.

Deinde et praefecti tui praevaricati sunt. Praefectos ex Interpretibus mutavimus. Ponit enim Interpretes pro Sequestribus, qui inter deum et homines pacem conciliabant, vel docendo vel feriendo.

Magistratus sacrosanctos interfeci. Principes sacrosanctos habuerunt Iudaei: eos Latini Magistratus sacrosanctos, hoc est, inviolabiles vocabant. Hi erant Tribuni plebis. Alludit autem ad hoc quod Mosi negavit, propter transgressionem ad aquas contradictionis patratam, in promissam terram introitum.

Iaacob consecravi. חרם, id est, Devotionem, Latini Consecrationem vocant. Est enim anceps vox consecratio, ut quae in bono et malo, sed in loco, ponatur.

EX CAPITE XLIV.

Ne te male habeat. Eius prorsus argumenti est, quamvis possit eiusdem temporis esse sermo. Nec obstat ועתה, id est, Et nunc, vel Nunc igitur. Sic enim ferme fit, ut quum eiusdem argumenti orationes plurimas habeamus, diversis etiam temporibus, omnes tamen continuemus. Vertimus autem ex אל תירא, id est, Ne metuas, ne te male habeat. Sic enim accipitur per metalepsim hoc loco Timendi verbum pro Dolendi: quod deinde periphrasi Male habendi commutavimus. Id quod ex superioribus constat, ubi in pari sententia similibus est usus verbis. Monet autem ipsum Iacobum ne aegre ferat quod Gentes videat sibi sociari, id autem non carnis propagatione, sed largitione spiritus.

Effundam spiritum meum super semen tuum. Per Anticipationem adpellat Gentes semen Iacobi, quae nondum erant per spiritum renatae.

Et mixtim florebunt sicut herbae. Hebraea sic habent ad verbum: Et germinabunt sic inter herbam. Inter Israël Gentes florituras perhibet, quomodo herbae inter se germinant.

Alius nomine Iaacob invocabit. Sensus est: Alius asciscet sibi nomen Iacobi, hoc est, Verus Israël fiet, et invocabit deum verum.

Ex quo ab aeterno sum. Orationem istam ex inferiore loco huc subtraxi, quae Hieronymus in haec verba transtulit: Ex quo constitui mihi populum antiquum. Quum Hebraea sic habeant ad verbum משומי עם עולם, id est, Quum ipse sim ab aeterno. Ponendi enim verbum שום hic adperte videmus per transsumptionem pro Existendi verbo accipi, et Hebraicam vocem in supellectili Latini sermonis

invenimus: quo facilius omnium Gentium furta deprehendere licet. De Chaldaeorum et Arabum, Syrorum, et omnium orientalium linguis nulli dubium est, qui vel apices eorum modo adspicit. Porro Graecae et Germanicae linguae tot voces commodarunt Hebr. si modo Rabinorum puncta obliteres, Antistoecha probe expendas, et Metathesium inversionem in ordinem constituas, ut mancam utranque reddideris, si reddere sua Hebraeis pergas.

Qua nam re mihi comparetur. Ad verbum, Et accommodent eam mihi. Eam scilicet rem, qua illum mihi similem putant. Habent enim et hoc familiare, ut quae nos neutro genere citra proprium vocabulum adpellamus, ipsi foeminino efferant. Ut quum dicimus, Istud nunciavit mihi amicus: ipsi, Istam nunciavit mihi amicus, loquuntur.

Nuncient huiusmodi. Ex יגידו למו vertimus, eo quod למו, id est, Eis per pleonasmum pro ipsis diis esse positum autumamus. Quod si Eis ad cultores referas, quo retulisse adparet Hieronymum, nihil moror.

Nonne enim ego ab aeterno expono, et. Mirum est Hieronymum interrogationem הלא omisisse. Ab aeterno autem ex מאז vertere potuisset; a tunc enim ἐπιδεικτικῶς, id est, demonstrative loquuntur, ipsum exordium temporis demonstrantes.

Et studia eorum inutilia. Accepit per Metalepsin propheta, desiderii vocem pro studio, labore, ac diligentia.

Quum omnis sodalitas eius pudefiat. Sodalitatem, hoc est, Ecclesiam vel contubernium Idololatrarum scilicet, ex חברה vertimus.

Colligantur enim mihi ex hominibus. Recte omisit, Ex hominibus, Hieronymus: etiamsi apud Hebraeos adperte habeatur. Sed citra Pleonasmum istum, vel Macrologiam constabat sententia; idcirco non iniuria omisit.

Efficiam ut simul omnes pudefiant. Efficiam, ex virtute sententiae est. In hoc enim praecipit eos sibi dari, ut adperte confutet.

Faber ferrum corripit. Nos Corripit ex מעצד traduximus: quod omnibus incertum esse videam עצד quale nam instrumentum sit. Nos forcipem augurati sumus, quo acceptabulo fabri ad macerandum ac ferruminandum utuntur.

Materiarius regulam supra lignum tendit. Vide quibus chresterismis stultum Idolorum cultum sugillet. Materiarios vocarunt veteres, quos Hieron. Artifices lignarios per periphrasim adpellat: ut est apud Plinium videre.

Et creta deliniat illud. Creta non ubique alba est, sed rubra interim aut lutea, pro soli varietate et ingenio, ut ea uti commode possint fabri. Porro, quam nos hic Cretam, Hebraeos imitati, vertimus, Septuag. παραγραφίδα verterunt, Id est, Delineationem. Unde mirum est Hieronymum, indubie Iudaeo suo authore, Runcinam vertisse; nisi quod linguam suam male norunt Hebraei.

Ut in aede sedeat. Domum per Antonomasiam pro Aede aut Delubro accipiunt: At nihil obsto Hieronymi versioni.

Accingit se inquam. Ex ויאמץ לו traduximus, ac paululum priorem in locum subduximus.

Partem eius incendit igni. Medio utuntur pro Parte, ut est apud Zachariam videre. Qui mediam partem montis Olivarum in Orientem, mediam in Occasum, mediam in Aquilonem, et mediam in Notum disiicit. Idem hic fit: Parte igni calemus, parte coquimus, parte Idolum fabricamur.

Ad ignem fui. Nos Tropum reduximus, Vidi lucem, Videndi verbum in Adessendi, et Lucis vocem in Ignis vertendo.

Quoniam capti sunt et oculis etc. Belle vertit Hieron. Obliti sunt; modo προπαροξυτόνως legas obliti ab oblino, non ab obliviscor.

Partem eius igni combussi. Hic iterum occurrit, מן, per Pleonasmum adiici, במו אש, Id est, In igne, ut supra monui.

Et ante putridum lignum procumbam. בול, Id est, Putridum, Germanis quoque significat Ful, βῦλ.

Vanum otium. Hebraea, Pascens pulverem. Adparet autem omnino proverbialem sententiam apud eos fuisse, Pulverem pascere, Id est, custodire: qua usi sint quum quis studium quidem aliquod sectaretur, at prorsus frivolum ac inutile. Sic sunt humana: omnes optamus otium; id ubi acciderit, iam negotium nobis perpetrandis sceleribus conciliamus. Pacem et otium ut primum nacti essent Iudaei avertebantur a domino, et peregrinis cultibus inhiabant. Hinc factum est, ut sic verterimus.

Huc eos devolverunt. Vertimus pro, Huc eum declinaverunt. Inclinandi enim verbo נטה vehementius utuntur quam Latini, puta, pro Pervertere, seducere, ut saepe est videre: Causam viduae declinant, id est, Pervertunt, depravant etc.

Nonne fieri potest ut erres. Recte vertit Hieronymus, si verba requiras: at non minus proba est nostra versio, si sententiam. Nam mendacium in dextera esse, per locutionem idem illis significat atque nobis, mendacio uti aut niti.

Haec memineris Iaacob etc. Memorandi verbo pro Recolendi et considerandi usus est.

Exultate coeli quos dominus fecit. Hic iterum כי relativum est, unde in Quos vertimus.

Et in Israel gloriam suam amplificabit. Sic habet ratio sententiae vatis: Mirum est, inquit dominus, o Israël, quod ab ipsa factura Idolorum non discitis errorem vestrum agnoscere, aut, quod magis est, non recolitis quae beneficia in vos effuderim. Et quod adeo non sum oblitus vestri, ut quemadmodum retro temporibus semper veniam dedi admissis vestris, sic denuo istud facturus sim, ut nomen vestrum clarissimum sit, ob id maxime quod salvator de vobis secundum carnem est nasciturus.

Ego sum dominus qui solus omnia facio. Solus, in primum quoque huius sententiae membrum subduxi, quoniam in sequentibus duobus habetur.

Erigo propositum servi mei, et consilium nuntiorum meorum perficio. De se ipso vere quidem loquitur Hebraice, dominus per Alloeosim: Ut quum dico de me ipso: Non sic sentit Zuinglius. Sic isto loco dominus de se ipso loquitur: quasi diceret: Ego is sum qui

erigit propositum servi sui, et qui consilium nuntiorum suorum perficit: Idcirco hac forma induimus.

Qui dico Ierusalem redi in pristinum statum. Quae illis contigit post Babylonicam captivitatem restitutio, humilior fuit, quam quae tam amplifice promitteretur. Unde quod hic exempli causa, quo potestatem suam commendet, adducit: non tam debet ad visibilem Hierosolymae instaurationem referri, quam ad spiritualem ecclesiae extructionem.

Qui dico Cyro, pastor meus est. Hoc itidem exemplum potius est ad providentiae et omnipotentiae adsertionem, quam de Cyro vaticinium. Non quod negem vaticinium esse: sed ut vere est quidem vaticinium, ita tamen magis adducitur ad adserendam certitudinem quae ex providentia et omnipotentia resultat: id quod iam sequenti Capite dilucidius fiet.

EX CAPITE XLV.

Sic: inquam, locutus est dominus Messiae suo Cyro Haec iam est Epanodos, hoc est, Reditus ad prophetiam de Cyro, quam prius tantum attigit, quum exempli causa produceret, ad probandum divinae providentiae certitudinem. Nunc ergo eam prophetiam ex instituto tractat. Vocat autem Cyrum Messiam, eo quod veri Messiae typus fuit. Ut enim ille manumisit Iudaicam gentem: sic Christus orbis universi populis veniam ac libertatem donavit.

Confragrosa aequabo. Lege Confragosa, nam LXX. ὄρη ὁμαλιῶ, id est, Montes aequabo. Nolo enim recipere si quis causetur, eos forsan legisse הרים, id est, Montes. Plura enim obstant, quo minus hanc opinionem admittam, quam quae adducere possim. Oecolampadius, Vias obliquas, vertit ex חדורים.

Et quae in occultum abstrusa sunt. Alte reposita intelligit. Pollicetur autem Cyro omnia cessura esse, ac manus datura.

Et exornavi. Ex אכנה traduxi. כנה enim Comparare significat. Ut enim Latini Comparandi verbum, et pro Parandi quaerendique verbis ponunt, et pro Assimulandi et Conferendi, sic et Hebraei. At Assimulandi verbum huc renuebat coire. Decentius ergo posuimus videlicet Exornandi verbum.

Produco miseriam. Ad verbum quidem habent Hebraea, Creans malum. Veruntamen quum Malum hic pro Miseria et Calamitate ponatur (id enim exigit ipsa Antithesis, Fingo lucem, creo tenebras): vertimus, Concilio pacem, produco miseriam, ut paci miseria opponatur: nam alias perpetuo Malitiam, suo loco, pro Aerumna et miseria ponunt. Ut quum Christus dicit, Sufficit diei malitia sua, pro, Adferet laborem suum secum dies et aerumnam.

Rorabunt coeli desuper, et nubes depluent iustitiam. Scimus haec hyperbolicῶs posse ad hoc rapi, ut Cyri tempore publica iustitia sic germinatura promittatur. At quum id nunquam factum sit eius imperio, iam fit manifestum prophetam de secundo κυρίῳ, id est, domino Christo loqui. Et nunc fieri manifestum arbitror quam propensus sit vates ad Anagoges delicias.

Hoc itidem ego dominus creabo. Haec indubitata nota est, hoc secundum praedictionis exemplum esse.

Testa cum figulo scilicet. Hebraica habent, Testa cum artifice luti, ut Artifex luti, sit periphrasis figuli. Nihil enim moror Smol Hebraicum in sinistram primam ש positum a Rabinis. Considerandum est autem quod adeo terse adducit proverbium, Testa cum figulo, et nullam comparationis notam aut Allegoriae addit, et omnia verba praeterit. Quomodo si quis alicuius iudicium damnando diceret, Hic istius consilium improbat: sed Sutor supra crepidam.

Operis tui nullus est usus. Vertimus pro, Et operi tuo nullae sunt manus. Ut sit proverbialis sermo, qualem in Germanica lingua habemus, Es hat weder hend noch füß. Id est, Neque manus habet neque pedes, hoc est, Frivolum est, mancum et inutile, imo monstrum. At haec nota pericopa, anteoccupatio est. Ne quis argutetur, Quum igitur ignoscis et punis, tradis et liberas, cur non servas quo minus te offendamus? Quid opus est Cyro? custodi nos domi! Quid opus est Christo? defende nos a scelerum impetu. Ne, inquam, sic quisquam responset, antevertit, et dicit, non minus iniquos esse ac perversos qui sic causentur, quam si lutum cum figulo litiget etc.

Ventura interrogate me. Peritus rerum futurarum solus deus est. Hinc ad se solum vocat, si quis eorum sit cupidus. Dii enim alii ne praeterita quidem memorare possunt.

Ego terram condidi etc. Sic supra quoque a conditione, confirmationem virtutis ac providentiae mutuo accipit. Qui enim omnia condidit, omnium author et dominus est: Qui omnia condidit, omnia novit. Ad eum igitur solum recurrendum est, dum quid pervestigare cupimus.

Ipse civitatem meam aedificabit. Id genuino sensu negari non potest quin ad Cyrum referri possit. At rursus negari non potest (quum hic in promissione omnia sint augusta, tenuia autem fuerint ac paupertina quae Cyrus praestitit) maioris rei figuram, prophetam, tum fuisse Cyrum, vidisse, et ob id adeo magnifice tubam prophetalem incendisse, ut Anagoga de Christo non lateret.

Negotiatores Aethiopum et mercatores Aegypti ac Sabaeorum etc. Hic expunge comma, sive hypostygma ante Ac, et aliud post vocem Sabaeorum infige. Deinde vide quam lepida Synecdocha per Negotiatores et mercatores, Aethiopas, Aegyptum et Sabaeos universos intelligat, quos sic per contemptum adpellat, quod huic quaestui toti inhiarent.

Profecto enim etc. Profecto ex אך traduximus, quae perinde ac, Duntaxat Latinis, nonnunquam confirmationis nota est, quomodo Fabius alicubi utitur. Nec iniuria. Quae enim duntaxat quid sunt, ea certe firmiter sunt, id quod sunt.

Quam profundus es tu o deus. In eodem quo Paulus exclamat argumento, O profunditas tua o deus. Repulit paulo ante impie curiosos per absurditatem. Nunc ipsus exclamat prae admiratione consiliorum dei.

Non erubescent neque notabuntur ignominia per aeterna

saecula. Probent Iudaei se nunquam capite diminutos esse, neque ignominia ulla notatos, et fatebimur, nos iniuria, per Allegoriam ista de fidelibus dici, contendere. Id vero quum nequeant, errorem agnoscant suum, et scelus poenitendo expient, quod impio furore in filium dei debacchando perpetrarunt.

Non frustra creavi eam. In primam personam traduximus, quae tertia efferuntur apud prophetam, in hunc solummodo usum, ut deum ipsum loquentem faciamus.

Ego enim dominus quum loquor etc. Quum loquor, non tam ex nostro adsutum est, quam ex emphasi sententiae.

Accedant simul reliquae Gentes. Nos credidimus hic פליטים, hoc est, Servatos, sive evasos, dicere per Analogiam, sicut Emersos, pro Reliquis aut residuis accipi: unde et sic vertimus.

Num intelligant. Num ex לא, id est, Non, vertimus, quae negatio et Latinis nonnunquam interrogatio est: Non ego te vidi Damonis pessime caprum etc.

Quisnam prodiderit ista olim. Non contentus est apud Iudaeos gloriam suam adseruisse, nisi et Gentes, si quid horum unquam audiverint, percontetur.

Convertimini igitur ad me. Principalis est ista Catastropha. Huc enim pertinent omnia argumenta, suadelae, probationes, accusationes, confutationes, depulsiones, ut omnes Gentes ad se unum ac solum convertantur. Missos faciant peregrinos deos cum simulachris suis.

Per memetipsum iuro. Confirmatio est omnium praedictorum, quod per se iuraverit usuventura esse quae promisit. נשבעתי, id est, Iuravi, ex his est quae adfectionem passivam habent, sed activam significationem, quomodo et Latini dicunt, Iuratus sum, pro Iuravi: vel, Adactus iusiurandum praestiti. Tullius in Rhetoricis, Quid iuratus sit, pro, Quid iuraverit.

Iustitia egreditur de ore meo, et verbum meum non redditur irritum. Ad verbum, Egreditur de ore meo iustitiae verbum, et non redit, hoc est, Iustum istud quod de ore meo egreditur: nam prodire nisi iustum et sanctum a me nihil potest, neque ulla ratione fieri irritum. Idcirco duo membra fecimus, quorum utrunque suum expressum haberet subiectum, non ignari יצא non convenire in genere cum צדקה.

Et iurabit omnis lingua. Per quem homines iurant hic eis summus est. Hinc fore ut omnes per eum iuremus, praedicit, hoc est, ut omnes eum summum esse dominum agnoscamus. Et est Periphrasis, summi dei cultus.

In domino sita est mihi iustitia et fortitudo. Hic iterum אך pro duntaxat, id est, Omnino ponitur. Ut sit sensus, Omnino mihi: vel, Duntaxat mihi in domino, inquiet, iustitia et robur. Id in Christo solo usuvenit. Unde non temere in epilogo debemus positum esse putare.

Ad eum venient. Quum veniendi verbo Christus Ioan. 6. pro Fidendi et Adhaerendi sit usus: hic quoque noluimus mutare. Ad dominum igitur venient, quibus in eo iustitia et fortitudo sitae sunt.

Omne semen Israel. Hic iterum in epilogo Omne semen Israel,

non carnale istud intelligit: sed totum hoc, quod spiritu eius generatum est: de quo multa superius.

EX CAPITE XLVI.

Concidet Bel, corruet Nebo. De Belo in rebus Assyriacis apud Diodorum haberi arbitror. At Nebonis non admodum commemini: Dii nimirum fuerunt, quos coluerunt Babylonii. Sumus autem in hac sententia, ut hic quoque non incipiat novum argumentum, sed ad epilogum superioris orationis pertineat, videlicet, casuros esse deos alienos omnes, quum mundus universus Israel fiat.

Pondus et gravamen ad defatigationem. In metu et trepidatione stulti Idololatrae hoc fere primo curant, ut deos suos ligneos, plumbeos, et lapideos periculo eripiant, suos interim posthabentes; quum illi si dii essent, quodvis possent incendium extinguere, si modo eas vires haberent, quas de illis praedicant. Sic Babylone fore praedicit, ut iumentis oneri sint quibus imponantur.

Non enim possunt onus ponere. Nos. מלט infinitivum esse autumamus, ut dicat, Non possunt onus effugere, hoc est, Relinquere. Hinc cadere et capi necesse est.

Audite me familia Iaacob. Familiam ex domo fecimus. Orditur autem nunc alium sermonem propheta, sed eiusdem omnino argumenti. Adseritur enim dei omnipotentia et providentia.

Quos tuli ab utero. Hieronymus vertit, A meo utero. Nos, מני, finalem, י, per Paragogen habere putavimus, ne durius esset מן במן. Invenimus enim omnes vocum adfectiones apud Hebraeos, quomodo et apud Graecos, προθέσεις, ἐπενθέσεις, παραγωγὰς, ἀφαιρέσεις, συναιρέσεις, κράσεις, ἀποκοπάς, Id est, praefixiones, interpositiones, adpositiones, ablationes, sublationes, contractiones, resectiones. Tribuit autem sibi Deus genitorum morem, qui liberos gestant, alunt, docent, tuentur etc. quibus benignitatem suam, qua in Israelem usus est, planius demonstret.

Num vani etc. Hieronymus הזלים, Id est, Num viles, omisit. Septuag. πλανωμένους id est, Errantes, sive Seductos verterunt. Porro in secundam personam vertimus quae in tertia, verum impersonaliter, apud Hebraeos habentur. Nam et Hieronymus mox compellitur ad auxilium impersonalium recurrere, quum dicit, Portant illum in humeris etc.

Atque ad bonam mentem redite. Ad cor redire, dicunt Hebraei, quomodo Latini Ad bonam mentem, aut sibi restitui etc.

Neque quicquam mihi simile. Hebraea, Et nihil sicut ego. Hieronymus propius accessit ad constituendam personam, Nec est similis mei.

Dicto consilium meum constat. Hebraea, Dicendo, vel, Quum dico, consilium meum surgit. Nobiscum sentiunt Rabini, quod puncta probant sententialia.

Voco ab Oriente volucrem. Vetera commemorat, quum aliquando Coturnicum examina invexit eorum castris. Sed ut eo facto certitudinem virtutis et consiliorum suorum adserat.

Quicquid constituero. איש pro Quisque, quisquis, omnis, singuli. non minus ponitur quam pro Viro: hinc in Quicquid vertimus.

Simul atque iussi adduco. Vide ut haec tria אף μεταφορικῶς lepide posuit, Ut iussi, ut adduco: sicut, Ut vidi, ut perii, pro Ut vidi protinus perii: vel, Protinus ut vidi perii.

Adducam iustitiam meam etc. En quoties per occasionem licet, vaticinium de Christo oggerit. Omnipotentiam adseruit, cum dicto eius omnia parere, imo et quae nondum sunt constare docet. Nunc ad providentiam transit: Et salvatoris promissionem iterum, non adducit principaliter ut promittat, sed ut scientiae suae certum adferat exemplum, quo maiorem fidem inveniat, et providentia, et promissio redemptoris.

Et Israeli decus meum. Etiam hodie isto honore nos omnes antecellunt Iudaei, quod Christus ex eis est secundum carnem, id quod Paulus testatur in Romanis.

EX CAPITE XLVII.

Descendes autem et consides. Imperativa pro futuris capi, creberrime ostendimus. Et hoc loco ipsa prophetae sententia compellit in futura transferre. Est enim aliud providentiae exemplum. Dixerat iam, Israelem magnum fore, non carnalem istum, sed spiritualem. Cumque, ut habent humani adfectus, Iudaeorum curiositas et procacitas dicere posset, Babylon vero quo tandem ascensura est? respondet: Haec quoque est peritura, et magnitudinem suam positura. Sic aerumnarum socium pereuntibus Babylonem fore promittit. Consides, a Sidere est, non Sedere.

Filia Chaldaea. Vertimus pro Filia Chaldaeorum.

Flumen transibis. Tigrim intelligit aut Euphratem, trans quem captivos ductum iri Chaldaeos minatur.

Revelabuntur pudenda tua, et verenda tua videbuntur. Posteaquam Babylonem delicatam foeminam, sive ob id fecit quod peculiariter urbes dominas, reginas, coronas, aut filias aut puellas, aut nymphas faciunt: sive ut ad ἐξουθενισμόν pertineat, non desistit in ea metaphora durare. Et quod captivis matronis accidit, ut amictu pretioso spolientur, induantur autem sacco aut ancillari veste, qua matronalis dignitas tam abest ut protegatur, ut verenda nonnunquam male muniantur: id orbis dominis obventurum esse praesagit.

Ultionem enim capiam. Ultionis causa post adperietur, quod scilicet victoriae suae modum erga gentem Israeliticam ponere nescierunt.

Neque patiar ut quisquam intercedat. Hebraica habent, Et non intercedar cuiquam. אדם enim pro איש, hoc est, Hominem, pro quoquam utuntur in loco. Vide autem quantum illorum polleant verba: אפגע, id est, Intercedar, pro Flecti me patiar.

Haec loquutus est redemptor noster. Haec loquutus est, non habent in verbis, sed in sensu Hebraea.

Equidem ita iratus eram populo meo. Causa ponitur cur Babylonem sit eversurus: quod ira et bonitate sua sint abusi Chaldaei. Ira, quod iratus quidem sit populo suo: at non ita ut non meminerit

eos esse homines, aut populum peculiarem. Bonitate, quod impense quidem faveat Babyloniis, dum eos orbis faciat victores: at non ita, ut bonitatis ipsi meminisse erga suos non debeant. Quum igitur licere sibi promittant plus quam permiserit deus, iam ipsos quoque poenas praetergressionis daturos.

Ut haereditatem meam adfligerem. Recte quidem ad verbum vertit utrumque membrum Hieronymus: at nostra tanquam effectus subiunguntur, Ideo quod iratus fuerit populo suo, eum esse adflictum. Ut, igitur adiecimus.

Nihil misertus es eorum. Mirum est quam religiosus nonnunquam sit in vertendo Hieronymus. Quid enim causae est cur hanc Hebraicam locutionem, Non posuisti eis misericordias, dederit Latinis, pro Non es misertus eorum?

Veruntamen ista non tractavisti in corde tuo. Veruntamen, ex עד vertimus. Deinde habent Hebr. Non posuisti haec in cor tuum. In cor ponere, hic pro, Mente tractare, reputare, perpendere capitur.

Ego sola, et praeter me nulla est. Hebraei אני modo habent, sed valde emphatice pro, Ego una, aut Ego sola, sum scilicet hera.

Orbitas et viduitas. שכלה non minus Orbitatem quam sterilitatem significat. Orbitas autem ideo visa est melius quadrare, quod matronae plerumque filiorum felicitate, robore, ac pulchritudine insolescunt. Matrona autem hic est Babylon. Iuxta Ethologiam ergo matronalem de illa loquitur.

Pro omni virili sua. Ex בתמם traduximus, id est, Pro absolutione aut perfectione sua. Et est iucunda προσωποποιΐα, quum Orbitas ac Viduitas properantes ac Babylonem petentes fiunt. Hieronymus omisit eam vocem. Septuaginta verterunt ἐξαίφνης, id est, Protinus, Subito etc.

Tum in robore tot auxiliariorum. Ex חברים, id est, Sociis, vertimus Auxiliarios. Centum viginti septem provinciis imperabat Babylon, quum obtinuisset monarchiam, ut est apud Esther videre.

Confisa enim in versutia tua dixisti. רע, Malum, malitiam, Adflictionem, Aerumnam, et similia significat. Hic pro Versutia poni visa est ea vox. Versutia enim nituntur, qui cupiditatibus quidem serviunt, at dissimulant. Sic Babylon videri iustissima regnorum imperatrix volebat, quum cupiditati potius indulgeret, quam quod rectum est quaereret. At istud celabat.

Cuius ortum ignorabis. Iocari, at citra notam, omnino in Hieronymi religionem hic lubet, quod ausus sit שחר, id est Auroram, in Ortum vertere. Adeo tenaciter haeret verbis nonnunquam, quum alias tantum polleat cum eruditione tum iudicio.

Tum quaeso adeas auxiliares. Tum, ex nostro est, sed postulante sensu prolatum. Hebraea ad verbum modo habent: Stes quaeso. At Standi verbum pro Accedendi, perinde capiunt quomodo Graeci παραστῆναι.

Quorum et adfatim tibi est. Omne hoc ex ברב expressimus, id est, Ad multitudinem. Nec enim labor est ex Multitudine, Adfatim exprimere.

Et nuntient unde nam super te ventura sint haec nova. Divus Hieronymus מודיעים dupliciter est interpretatus: in Supputabant, et Adnuntiarent. Porro si חדשים, Nova, vertas non Menses, nihil molestiae est.

Quam, ubi igni incensa est, nemo a vi flammae potest eripere. Recte respondet in Hier. versione verbum verbo: at nos maluimus in comparatione perstare, et non ad res comparatas transire: quum quod protinus redit ad comparans propheta, videlicet ad stipulam, tum quod sensui et luci nihil decedit. Satis enim intelligitur, Babyloniorum augures et socios perinde perituros esse ac succensam stipulam: quae ut adseri a vi flammae non potest, ita nec isti ab exterminio. Tum denique quod succulentior est nostra versio, et Isaiae ingenio agnatior, Erunt, inquit, sicut stipula, quas ignis incendit, אש שרפתם. Familiarissimae enim sunt ei eiuscemodi alloeoses, ut in relativo, quod ipsi Adfixum vocant, numerum mutent. Sequitur: Quae stipulae non liberabunt animam suam de manu flammae. Animam stipulae propter allegoriam tribuit. Non enim intelligit vitam aut statum stipulae, quanquam ei tribuit: sed eos quos stipulae similes fecit.

Quos coluisti. Ad verbum est, quibus laboravisti. At per Laborandi verbum Cultus anxietatem ac sedulum studium intelligit.

Quisque iuxta professionem suam seducet. Iuxta professionem suam, vertimus ex לעברו, propterea quod עברה, non tantum iram, sed quemvis vehementem impetum significat. Credidimus autem hic Impetum pro Studio accipi aut professione: ob id maxime quod Septuaginta verterunt ἄνθρωπος καθ' ἑαυτὸν ἐπλανήθη, id est, Quisque se ipso errabit. Ubi primum videtur, eos interpretes idiotismum Hebr. reliquisse integrum in ἄνθρωπος, id est, homo, pro Quisque. Deinde καθ' ἑαυτὸν, id est, Se ipsò, vel, Apud se ipsum, vertisse ex לעברו. Postremo, praeterito ἐπλανήθη, pro futuro esse usos. Congruit autem sententia quam nos vertimus, ob id maxime, quod divinatorum et hypocritarum audacia eos, qui se consulunt, in diversa distrahit: alius auspicatum perbibet aliquid, alius negat. Hinc studia et frivolae contentiones: at nemo est qui periclitanti succurrat.

EX CAPITE XLVIII.

Qui cognomento vocamini Israel. Haec nunc est Catastropha, hoc est, post contentionem conversio ad propositum: Id erat omnipotentiam et providentiam divinam adserere, idola ludibrio exponere, quo commodius ab eis avelleretur gens Israelitica, et deo suo redderetur. Est autem nasus in, Qui cognomento vocamini Israel: quae vox ipsi Iacobo propter constantem luctam cognomento addita, tantum ferme potest, quantum Heros aut Victor dei, aut Fortior forti. Quasi dicat: Iniuria vocamini hoc nomine tam honorifico. Quod in sequentibus magis patebit.

Et ex eo fonte. Aquas quidem habent Hebraei: sed per Antonomasiam pro Fonte, origine, ac vena. His enim periphrasibus quae hic habentur, Gentem universam quae ex Israel erat, alloquitur.

Quique iuratis per nomen domini. Alia periphrasis est populi

dei. Iurat enim quaeque gens per illum deum qui ei summus est. Dum autem Israel per Dominum iuraret, plane confitebatur eum deum suum esse. Sic Paulus a re externa internam metitur. Poculum gratiarum actionis qui bibunt, experimentum sui dant, quod eorum sodales sint, qui se sanguine Christi credunt redemptos, et iam unum corpus cum illis confiunt.

Et per deum Israelis testamini. Vehementius verbum quam Recordandi hic requirebatur: adstipulantibus Rabinis etiam, qui punctis suis ipsum contentiosius reddiderunt. זכר enim non tantum Meminisse, sed etiam Commemorasse, recensuisse, gratias egisse significat.

Qui nomine civium urbis sanctae censemini. Qui, ex כי est. Ad verbum autem habent Hebraei, Qui ab urbe sancta adpellamini.

Quique nitantur. Quique, etiam ex כי est, quod proleptice praeponitur.

Nonne quae a primordio nuntiavi. Luculenta partitione adserit dei providentiam. Ait enim deum olim quaedam praedixisse, et ita usuvenisse quomodo praedixerit: id autem a rerum primordio per omnem successionem. Secundo, quaedam non adeo dudum, quorum praesentes scilicet meminisse possent. Postremo quaedam non praedixisse, quae tamen usuvenerint, in hoc ut et omnipotentiam eius agnoscerent et fastum suum temperarent. Quum enim imprudentibus occurrerent quae hactenus ignoraverant, non potuerunt praedicere quae ignorabant. Quumque nec idola ista praedixissent, iam non potuerunt eis scientiam rerum futurarum tribuere.

Et quod tibi aenea frons sit. Aenea frons hoc loci in malo accipitur, pro intractabili, contumace, ac perduelle. Apud Ezechielem pro Constanti et insuperabili in bono.

Considera et vide haec omnia. Considera, pro Audi. Audi vero ex שמעת iure transtuli: tum quod sequens imperativus, Vide, hoc imperat: tum quod secundas personas praeteritorum non minus quam futurorum, pro Imperativis ponunt, id quod in Psalmorum expeditione adnotavimus.

Et propter gloriam meam defenderim te. Propter, virtute Prolepseos ex superiore membro est. Gloria, ex תהלה, quae vox non tam Laudem quam gloriam! significat, ut passim in Psalmis. Defenderim, autem ex אחטם, quae vox Stomachari quoque significat, non dissimilis Germanico, Athmen, aut Blaasen. Veruntamen Stomachari in bono intelligas oportet, pro Vindicare, Adserere, ac labore tueri.

At non pro pecunia. Hieronymus legit ככסת non בכסת, quamvis et כ nonnunquam sit comparationis nota.

In camino paupertatis. Locutio est, pro in summa rerum angustia.

Nam gloriam meam alteri non do. Quum Christus dicat, Ego sum lux mundi: et iterum ad discipulos suos, Vos estis lux mundi, videri poterit gloriam suam alteri dedisse. Veruntamen hic nihil dissidii est. Quum se lucem adpellat, naturaliter loquitur; quum discipulos, per Metonymiam. Ideo enim eos lucem vocat, quod se lucem praedi-

çarent, quod veritatis splendorem nobilissimam mercem adportarent. Isti ergo a luce quam praedicabant nomen accipiebant mutuo, hoc est, a Christo, lucis et veri authore, ut lux vocarentur. Ille natura lux, veritas, via, vita erat. Habemus hic irrefragabilem locum, quod nulli prorsus creaturae divinus honor habendus sit, quantumcunque sancta nobis videatur.

Ego sum ille qui est. Tanta vis est Hebraicae orationis, brevissimae quidem, sed potentissimae, אני הוא, id est, Ego ille, quomodo recte vertit Hieron. verbum verbo reddendo. Quamvis emphaticotera sint quam pro primo intuitu. Sequitur enim, Ego sum primus, ego sum novissimus: quae satis indicant priora ista, Ego ille, tantum pollere ac si diceres: Ego ille sum qui solus est. Ego quoque initium et finis rerum omnium sum.

Dextera mea coelos firmavit. Firmandi verbum ex Mensurandi, idcirco fecimus, quod Mensurandi per metalepsim pro aedificandi, propheta ponat. Nos ergo, Firmandi, pro Aedificandi.

Quis de istis nuntiavit haec? Vide ut Hebraei in הם, eundem ἐξουθενισμὸν, id est contemtum habeant, quem Latini in Istis. Intelligit autem deos alienos: quos nominibus suis non dignatur adpellare.

Quae dominus per Babylonium quem amat etc. facturus est. Nos ad Babylonium retulimus ista, quum tamen sermo sit satis amphibolus, et pro nostra sententia, et pro ista: Quis nuntiavit quae Dominus, qui eum, hoc est Israelem, amat, facturus sit Babylonio etc. Hieronymus amphibolως quoque vertit. At antecedentia, puta quod praedixit quis finis Babylonem maneat: et sequentia, quibus ei prosperitatem promittit, nostrae sententiae suffragantur. Teneat quisque quod vero propius esse videat.

Ego solus praedixi. Hic anadiplosis vim excludendi habet.

Dominus deus misit me. Epistropha est ad se ipsum. Vult enim propheta ostendere, se idcirco esse missum, ut haec exponeret quae et antecesserunt et sequuntur.

Instar fluminis pax tua. שלום non tam Pacem, quam rerum omnium salutem ac felicitatem significat. Testimonia temere occurrent, praesertim in Psalmis.

Nomen tuum e conspectu meo. Vere quidem habet Nomen eius, Hebraicus sermo: sed per alloeosim valde duram. Ea enim refert eundem Israelem, de quo prior est sermo. Tuum ergo complanavimus.

Egrediemini ex Babylone. Hic maiusculam distinctionem Rabini posuerunt, quasi hic nova sententia incipiat, quum sit pars superioris conditionis, Si praecepta mea servabitis etc. Egrediemini ex Babylone etc.

Ut non sitiverint quum per aridam proficiscerentur. Veteris beneficii commoda, novae gratiarum actioni tribuit: non quod per desertum siticulosum ex Babylone domum redierint, sed quod olim facta recens factum amplificent.

Impiis, ait dominus, non est pax. Antithesis est promissionis dei filiis factae. Redundabit instar fluminis pax tua, dixerat ad pium. Nunc ergo impiis e diverso turbulenta, dubia, et infelicia cuncta fore comminatur.

EX CAPITE XLIX.

MESSIAS.

Ultimae parti Isaiae Oecolampadius Messiae nomen dedit, hoc est, Christo. In ea enim ita universa, quae per ipsum impleta, perscripta sunt, ut et crucis socii non taceantur. Praedicitur quum quousque humiliandus sit et adfligendus, tum quousque evehendus: ut occidendus, ut resurrecturus: ut ecclesiam peculiaris populi sui amplificaturus: ut Gentes asciturus, ut iudicaturus, et regnaturus. Id autem omnigena eruditione.

Audite me Insulae. Nos libere quod videtur indicabimus. Videtur autem propheta de se loqui usque ad istum locum, Sic locutus est dominus vindex Israëlis. Advocat autem in ipso exordio insulas et populos longinquos: quoniam universo orbi salvatoris adventum praedicaturus est.

Dominus vocavit me de ventre. Electionem et missionem suam iterum adducit propheta, ut arduae rei quam nuntiaturus est, fidem conciliet.

Et tanquam sagittam eximiam abscondit me in pharetra sua. Ad verbum habent Hebraea: Et me sagittam eximiam factum in pharetra sua abscondit. Qua allegoria per apertam comparationis notam illustrata est nostra complanatione. Tracta est autem allegoria ab eximiis et elegantibus sagittis, quae ad summam aliquam occasionem anxie servantur a sagittariis. Tam eximium sancta iactatione se ipsum facit Isaias.

Servus meus es tu Israel. Duram nostris auribus alloeosim nolui mutare. Id enim poni videtur pro, Israel servus meus est. Ut hoc modo alloquatur deus prophetam: Non te latet ut Israel servus meus sit. Deinde propheta domino occurrat, antequam sermonem absolverit: aut certe protinus ut per spiritum intellexerit, quid tam gravi alloquutione ineat.

In quo glorificabor. Christus ex Israël est secundum carnem. Per hunc deus glorificatus est, quum per ipsum totus orbis deo subiugatus est.

Frustra laborabo. Recusantis prophetae verba videntur esse, qui a perspecta Gentis suae contumacia abhorreat.

Attamen causam meam domino etc. offeram. Causam ex משפט vertimus, et adsuimus Offeram, ex nostro: ne verbi ellipsis teneriores remoraretur. Porro Opus meum, pro Operam meam reliquimus. Permittit enim et commendat causam suam domino, atque operam suam illi offert.

Nisi te lucem Gentium fecero. Ad prophetam credimus dici. Non quod ille lux Gentium futurus sit, quomodo lux ipsa Christus: sed quomodo apostoli, puta quod Gentibus sit salvatorem adnuntiaturus.

Ut sis salus mea, quam ad fines terrae mandabo. Et hic quod mutavi omissum est mea culpa. Sic ergo lege, Ut veniat salus mea ad fines terrae.

Sic loquutus est dominus vindex Israelis. Hic tandem nobis visus est propheta narrare et exponere quae dominus mandaverit. Videntur et Rabini longiusculo intervallo idem velle. Sed abundet quisque in suo sensu.

Super contemto et neglecto ex Gentibus. A Gentibus, habet autographon meum. Corrige ergo Lector, et Ex, in a, transmuta.

Super servo omnium qui dominantur. Periphrasis est humilis Christi, quemadmodum Contemptus et neglectus a Gentibus, periphrasis est ignoti. Utinam non essent hodie domini orbis, qui se servos servorum Christi vocari sinunt.

Reges et principes videbunt et consurgent ad adorandum. Antithesis est. Qui contempserant et oppresserant, admirabuntur et colent.

Propter dominum quia fidelis est. Dum scilicet praestat quem promisit.

Qui te elegit. Iterum noluimus duram alloeosim mutare in, Qui eum, Christum scilicet, elegit. Nam quae sequuntur, lentius cohaerent.

In tempore constituto adero. Constitutum diximus pro placito. Nam et Latini dicunt, patribus aut senatui placuisse, pro, Senatum statuisse.

Et dabo te in foedus populi. Posteaquam non tantum promisit, se Christum suum daturum, sed etiam servaturum per illum: iam promittit se in foedus populi sui eum daturum: Sive quod quem illis ex foedere debuerit, praestiterit, sive quod illum pignus omnium credentium fecerit.

Et his quae in tenebris sunt revelemini. Vinctorum est periphrasis. Iugis enim impense delectata est haec aetas.

Ut ad vias pascant etc. Periphrasis est summae libertatis ac securitatis, a iumentis cicuribus ac mansuetis tracta: quae iuxta vias pascentia, non abhorrent praetereuntibus.

Non esurient etc. Messiam omnia fore his qui eo fidunt, ostendit: accepta iterum allegoria a pecudibus, quae fido pastore ac vigilante saginantur.

Omnes montes meos faciam pervios. Haec est κατασκευή, id est, praeparatio vocationis Gentium. Montes impervii iter praebebunt festinantibus ad Evangelium filii dei. Neque obstabunt praedonum montes, hoc est, tyrannis violentorum hominum, quo minus detur aditus ad gratiam dei quae in Christo est.

Semitae meae conspicuae erunt. Exaltabuntur, recte vertit ex Hebraeo Hieron. sed exaltandi verbum pro Adparendi, vel Conspicuum fiendi ponitur.

Ecce enim alii de longinquo venient, alii ab etc. Isti quidem sunt Hebr. quos nos partitionis causa alios atque alios reddidimus, qua isti claritate laborant. Praedicitur autem Gentium vocatio.

Laetemini coeli, exulta terra. Poetica exclamatio est, quales frequentius invenire licet quam pro opinione. Quum tantam accessionem per spiritum videret, prae gaudio priusquam pergat exclamat: quomodo in sequentibus etiam facit.

Hic dicet Zion. Nos credimus anthypophoram esse. Quum enim Iudaeorum gens dicere posset, Ergone me dominus deseret, quo cum foedus sempiternum pepigit? iam nasciturae quaestioni occurrit, et dicit, Nequaquam etc. Christus enim medium parietem diruit. Hieronymus quum in praeteritum tempus transtulit, Et dixit Zion, huc respexit, quasi prophetae tempore vulgo quererentur dominum sese deseruisse, Isaias respondeat, Nequaquam. Sequatur quisque quod vero propius esse videat.

Num oblivioni tradit mulier infantem uteri sui, natum de ventre suo? Ut non misereatur, omnes interpretes transtulerunt ex מרחם. Nobis tamen propter sequentia, visum est transferendum esse in, Uteri sui: sequitur enim, Quod si ista per oblivionem accidant, at ego tui non obliviscar: ubi Obliviscendi verbo respondetur, non etiam Miserendi.

In manus istas inscripsi te. De lege sumptum est hoc, in qua praecipiebatur, ut legis praecepta in manibus ac fimbriis praesentia tenerentur, hoc est, Ubique, in omnibus actionibus, consiliis, rebusque gerendis. Sive per Ethologiam ab eo more obliviosorum, qui digitis inscribunt notas aut unguibus rerum memorandarum.

Omnes isti congregabuntur. Haec Epidicticῶs legenda sunt. Quasi Zion vultum per totum orbem circumtulerit ac contemplata sit. Deinde dicatur ei, Isti omnes accedent tibi. Quomodo Abrahae stellae ostendebantur: et Christo omnia regna mundi. Deinde addebat daemon, Haec omnia dabo tibi si procidens etc.

Terra enim tua. Terra hic subiectum est, Terra desolationum, vastationum, perditionum, pro Terra desolata, vastata etc. Iuxta Idiotismum, quo adiectiva in genitivo iungunt nominativis.

Quam ut habitatores capere possit. Vertimus ex מיושב, Id est, De non habitando.

Qui tibi sterili nati erunt. Hodie sterilis est Iudaeorum Synagoga, quum Christum felle et aceto potando foecunditatem suam constrinxit. Sed ecclesiae dei quotidie nascuntur filii, quamvis superne, non ex voluptate carnis etc.

Concedatur mihi ut sedere possim. Tractus est hic sermo a sobolescentibus familiis ac populis, quibus aut nova domicilia, aut novae coloniae partiendae sunt.

Ecce extendam ad Gentes manum meam. Responsio est admirantis Synagogae, unde nam sibi isti nati sint. Et irrefragabilis locus vocationis gentium.

Erunt reges nutritii tui. Hic Reges et reginae pro Regnis Gentium accipiuntur, Personae pro rebus.

Pulverem pedum tuorum lingent. Periphrasis est summae humiliationis ac deditionis.

Aut captivos robusto quis auferat? Hebraea habent ad verbum, Et an captivitas iusto eripiatur? Hic autem Iustus pro Robusto accipitur, quomodo Germanis, Redlich: Quae vox et Iustum et fortem significat. Hieronymus nobiscum sentit: nam alias quoque Iustus pro Forti ac robusto accipitur, quomodo inter enarrandum alicubi ostendimus.

Causam enim tuam etc. defendam. Periphrasis est in genere defensionis, qua impense delectantur Hebraeorum docti, Iudica causam meam etc. in Psalmis non uno loco.

Hostes tuos cibabo suis carnibus. Periphrasis est crudelissimae ultionis. Ea quum Iudaeorum hostibus nunquam occurrerit, certum est in hostes Evangelii dei dici.

Quo videbit omnis caro. Hic caro pro universis creaturis ponitur, vi Synecdoches.

EX CAPITE L.

Ubi est libellus iste repudii. Perstat in eadem contentione. Negat, enim se gentem Iudaicam repudiasse, sed scelera ipsorum dissidium et alienationem peperisse.

Ecce propter iniquitates vestras venundati estis. Est et hoc plane eruditum, familiare nostro prophetae, ut in Epanodis membra transponat: quomodo hic. Quum dixisset, Anne vos ego repudiavi? an vendidi? Iam non sic reddit in responsione membra, ut dicat, Scelera vestra repudiarunt vos, et praevaricationes vendiderunt vos: sed Vendendi membrum quod prius sequebatur, priore loco ponit.

Num sic praecisa erat manus mea. Periphrasis est impotentiae. Num, inquit, virtus liberandi mihi a quoquam adimi potuit? quamvis sequentia satis exponant periphrasim. Habet et istud familiare hic propheta, ut quotiescunque picturato sermone luserit, non diu differat Ephexegesim: quomodo et isto loco protinus subdit, Num virtus mihi deerat ad redimendum? Obprobrat autem eis perfidiam quod a se ad deos alienos defecissent, atque auxilium apud eos implorassent. Non ergo caret perfidiae nota si quis ad creaturam recurrat pro postulanda salute, quantumcunque sancta sit: semper enim obstrepit deus hoc verbo, Num praecisa est mihi manus ut liberare nequeam?

Qui solo iussu pelagus exicco. Iussum ex Increpandi verbo גער transtulimus, eo enim fere pro Imperandi utuntur. Sic in Evangelio, Obiurgavit mare, pro Praecepit mari.

Ut pisces eorum, aut putrescant etc. Macrologia est, ad amplificationem pertinens. Haustis enim et exiccatis aquis, proximum est ut pisces, coelo suo privati, pereant.

Dedit mihi dominus deus linguam eruditam. Linguam doctorum, habent Hebraea, suo isto Idiotismo, de quo millesies iam est dictum, pro Linguam doctam. Nihil moramur ista et quae sequuntur in prophetae persona capi aliquousque: nam in universum ei non competunt, sed soli Christo, quemadmodum successu patebit. Quomodo cuivis prophetae ista quoque quae Christi sunt aliquousque competunt, at non proprie, sed precario. Dedit ergo dominus prophetae linguam ad increpandum et consolandum doctam. Hinc est ut strenue instet: Sed doctissimam et saluberrimam Christo dedit.

Ut sciam tempestive cum adflicto loqui. Tempestive ex לעות vertimus, quam vocem putamus ex ל et עת esse, non enim rarum est apud eos articulos repetere, Ad sciendum ad tempus cum lasso loqui. Lassum autem in Adflictum mutavimus, יעף, quomodo superius Capite

vigesimo octavo ostensum est in, Reficite lassum. Christus ergo efficaciter cum adflictis loquitur, quum cruce sublata, hilares eum sequuntur. Isaias tempestive loquitur, quum familiariter monet, hortatur, increpat etc.

Summo diluculo. Mane utuntur pro Valde tempestive, sicut in Ieremia, Misi ad vos servos meos prophetas mane consurgens, hoc est, Tempestive monens.

Vellicavit et expergefecit aurem meam. Hic utrumque verbum ex uno יָעִיר vertimus. Adparet Hebraeorum Epistolam etiam ad hunc locum respexisse, in eo loco, ubi ex Psalmorum libro adducitur, Aures autem perfodisti mihi. Aurem autem vellicare, periphrasis est admonendi ac docendi, quomodo propheta ipse exponit, Quomodo, inquiens, praeceptores assolent.

Adperuit mihi aurem. Alia periphrasis est docendi et instinguendi.

Quomodo non parerem, aut quomodo deprecarer? Interrogative vertimus, quum Hebraei definitive habeant, Idcirco ego non rebellabo, neque retrocedam. Quoniam hoc loco validior visa est oratio interrogatoria.

Tergum igitur meum praebeo etc. Quadam ratione etiam prophetae competit. Quoniam omni periculo sese exponebat, quum testaretur ea quae dominus commendaverat. Vere tamen Christo universa congruunt.

Nam patronus mihi adest, qui efficiet ut absolvar. Hic קרב patronum, rhetorem, aut advocatum significat, ab Adsistendo. מצדיק autem eum significat qui absolvit. Iustificandi enim verbum accipiunt, pro Absolvendi, quomodo Impiandi (si sic loqui liceat) et Conscelerandi pro Damnandi. Hinc in Evangelio Iustificari, ait Christus, sapientiam a filiis suis, hoc est, Absolvi.

Adeamus simul. Adire iudicem, aut iudicio sisti, Hebraei per verbum Standi עמד efferunt.

Causam meam suscepit. Vertimus pro Tuetur me, auxiliatur mihi. Ciceroni enim Causam suscipere pro Defendere accipitur.

Omnes isti sicut vestimentum veterascent. Isti per ἐξαθενισμὸν omnes dii sunt quos Israël receperat, omnes denique auxiliatores praeter unum deum.

Tinea corrodet eos. Periphrasis est corruptionis.

Quisquis ergo inter vos est. Obiter conversio est ad hominem, ut eum admoneat, ne quo pacto abducatur ad alias spes quam unius dei, et nondum est principalis Catastrophe.

Ecce vos omnes ignem incendistis. Epanodus est ad principalem contentionem, quae ab initio huius Capitis incoepit. Qua negat sese repudiasse Israëlem, sed scelera eorum dissidium fecisse etc.

At a manu mea factum est hoc vobis. Nota est, quae superiorem sermonem Christo deo proprie tribuit. Est autem haec sententia, Vos ignem ultionis vestrae incendistis, sed per manum meam hoc est factum ut ardeatis. Et recipit se dei sermo in providentiae suae muni-

menta. Repudiatur Israël, et negatur a deo repudiari, sed a scelere proprio, ne crimen culpa vacare credant impii, qui ne deum quidem agnoscunt, nedum eius providentiam et accurationem rerum omnium.

EX CAPITE LI.

Audite me. Eiusdem contentionis est: pergit enim in obiurganda ipsorum perfidia, et in reducendo ad unum deum.

Considerate petram de qua excisi estis. Maiorum suorum ex quibus secundum carnem erant, admonet. Tracta a lapidum metallis, sive a latomia, allegorica oratione. Eiusdem petrae aut metalli esse dicitur prophetae, pro Ex eisdem esse patribus, Germanice proverbium est, Eins bergs, Hoc est, Eiusdem ingenii, nativitatis, aut sensus. Idem intelligit per Lacum et fossam, Ex eadem terra esse, ex uno Abraham omnes esse, id quod propheta ipse exponit, quum Abraham eam Petram, et Saram eam Fossam facit.

Gaudium et laetitia habitabunt in ea. Maluissem hic vertere, Ut gaudium et laetitia habitent in ea. Sed ne cui deesset facultas allegorice omnia de ecclesia intelligendi, futurum tempus reliqui.

Ad me igitur respice gens mea. Haec iam est principalis Catastropha. Puta, Audi ergo o Israël, posteaquam susque deque me habes, iam legem meam Gentibus dabo.

Prope est ut iustitia mea. Iustitia potius est quam Iustus.

Ut brachio meo populi iudicentur. Iudicentur, hoc est, Regantur.

Suspicient me Insulae. Hoc est, Gentes, ut supra dictum est.

Coelum sicut fumus dissipabitur. Frivola et fragilia esse creata omnia, firmum vero et immutabilem unicum esse creatorem. Isto igitur nitendum esse. Et est hic locus huiusmodi, qualis, Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. De quo supra quum de modo comparandi ageremus.

Audite me qui amatis iustitiam. Etiam ad principalem Catastropham attinet. Ut missis frivolis, duraturis inhiet, Nihil metuat humana, dum firmiter nitatur divinis.

Tinea ipsos comedet. Iterum videmus, periphrasibus huiusmodi nihil aliud quam temerariam et frivolam rerum conditionem ac statum describi, non enim arrodent violentos homines tineae, sed interibunt ut vestis, quae tineae obnoxia perit.

Iustitia vero mea etc. salus mea etc. Duraturum esse perhibet, si quis deo fidat, et studeat iustitiae.

Excitare excitare ac robur indue brachium domini. Nova contentio est, sed eiusdem argumenti. Provocatur enim deus ad auxiliandum et mittendum Messiam, quomodo retro temporibus semper sit factum.

Ut per dominum liberati reverterentur ac redirent in Zion. Ideo possunt videri reverti, quod Iacob ex Chanaan in Aegyptum descenderat. Quamvis revertendi verbum, שוב, infra quoque Capite quinquagesimo secundo, pro Eundi accipiatur.

Equidem respondit dominus. Notam sermonem commutantis addere coegit ipsa necessitas.

Hinc est ut omni tempore metuas. Prosapodosis est valde elegans. Mortales revereris, qui aliquando homines fuerunt, hinc est ut mortalia metuas omnia.

Qui ad perdendum quidem accinctus est. Expunge, Quidem.

Non intercidet quo minus perdat. Vertimus ex לא ימות לשחת, Id est, Non morietur ad interficiendum.

Ponam verba mea in os tuum. Periphrasis nova est doctrinae, pro, Docebo te ac dirigam. Tam abest ut repudiem te. Belle tamen alloquitur coelestem Hierosolymam potius quam Syriacam. Supra enim istos suos allocutus est, qui iustitiam colunt et domino adhaerent.

Et obiectione manus meae protegam te. Obiectionem ex Umbra transmutavimus: propterea quod Latini non toties accipiunt Umbram pro Defensaculo ac Hebraei.

Ut plantes coelum, et fundes terram. Nihil ambigo Hieronymum Fundes vertisse non Effundes. Non enim sunt eiusdem modi Plantes et Effundes. Ex Israële autem, per Christum scilicet, plantatum est coelum, et terra fundata. Credentibus enim coelum et terra implentur.

Et dicatur Zioni, Populus meus es tu. Hic iterum Zion, κατ' ἀλληγορίαν ecclesia est, quod in Psalmis passim obviam fit.

Expergiscere, surge Ierusalem quae bibisti de manu domini calicem furoris eius. Ut instantissime quis contendat, haec ad terrenam Hierosolymam dici: suppetit tamen nota ab initio sequentis Capitis, qua manifeste videtur, per Anagogam a visibili ad invisibilem ascendere prophetam. Calicem autem furoris bibere, locutio proverbialis est apud Hebraeos, pro Ultionem divinam ferre, quomodo superius est ostensum.

Bibisti et exuxisti vel cum fece. Iterum utitur paroemia, Cum fece ebibere. Idem habetur Psalmo. 74.

Qui prehensa manu tua te ducat. Energiam verbi נהל quam hoc loco habet, explicare conati sumus. Huc enim spectat, quod obsecundantes liberi, decrepitos parentes manu ducunt: At Hierosolymis non esse qui eam ducat, ablatis prophetis et sapientibus.

Haec duo usui venerunt tibi. Lege, Usuvenerunt, non usui venerunt. Duo autem ista sunt quae praecesserunt, Ebrietas, et ducis filii penuria: nam quae sequuntur quatuor sunt.

Pestis. Pestem ex שבר, hoc est, Corruptione vertimus. Numerat enim hic quoque mala ista, quae passim prophetae comminantur.

Conculcati iacent. Iacendi verbum ex Dormiendi verti, virtute Metalepseos: Nam et Germani Iacere pro Dormire accipiunt.

Sicut Oryx funibus implexus. De Oryge apud Plinium lib. 8. Capite 53. Ex semiferis est et rupicaprarum genus: pilo tamen ad caput reverso. Intelligit autem venatu captum et occisum, deinde funibus implexum propter vecturam. Nos eum a Hieronymo sumus mutuati: nam Septuaginta, σευτλίον ἡμίεφθον, Id est, Betam semicoctam verterunt.

Saturati furore domini. Vide quis splendor pigmentorum. Pro, satis afflicti a domino vindice, dicit, Pleni sive saturati furore domini.

Et ebria etiamsi non a vino. Cuivis cupiditati quisquis mancipatus est, ea ebrius est.

Sternere ut transitum nobis praebeas. Haec est summae tyrannidis periphrasis, quum scilicet devicti hostes transitum coguntur victori per corpora sua humi prostrata praebere. Quomodo Cypriae foeminae leguntur, ventres reginae suae currum conscendenti subiecisse, quo satis molliter incederet.

EX CAPITE LII.

Exurge exurge, et indue robur tuum Zion. Isto Capite limpidissime liquescet, quomodo per Zion et Hierusalem non tam Iudaicam gentem adpellet, quam ecclesiam: quae primum quidem ex eis adolevit, sed ex Gentibus incrementum sumpsit. Revocat autem eam, ecclesiam scilicet, tanquam captivam, qualis in Babylone fuit Hierusalem, ad pristinum ornatum suum. Propterea quod in Christo ad filiorum dei libertatem vocamur, ex legis pistrino.

Non enim ultra veniet in te incircuncisus et pollutus. Si literae haerendum esset, iam inconstans fieret vaticinium: Nam Hierosolyma etiamnunc quemadmodum Christus praedixit, impiorum pedibus calcatur. Est ergo haec nota, prophetam perpetuo de ecclesia loqui, sub nominibus terrenae Ierusalem. In ea igitur non sunt praeputiati, sed circuncisi cordibus. Nos enim sumus circuncisio qui spiritu deo servimus, et impolluti, qui quotidiana, et huius notae peccata, ut ad ea propter infirmitatem possit conniveri, pedum ablutione, de qua Christus ad Petrum, amolimur.

Surge, sede. Sede, oppositum est superiori verbo, Sternere, ut transitum nobis praebeas.

Olim descendit populus meus in Aegyptum. Quae sequuntur speciem habent, quasi de Iudaeorum Synagoga tantummodo loquatur: sed omnino loquitur de ecclesia sua, quae adhuc puella et iuvencula erat, puta ex Iudaeis tantum. Hi enim erant crepundia populi dei, qui nunc per orbem dispersus est. Quae igitur hoc loco dicuntur, veluti probant cur gratis redempti simus. Temere enim in captivitatem abiisse.

Ideo in illa die ego ipse loquar, Ecce adsum. Quando vero ita adfuit deus per ullum prophetarum, ut dixerit, Ego ipse adsum? Locutus est ergo hanc vocem novissimis temporibus per filium suum, quo et orbem condidit.

Ut nitidi erunt pedes de monte evangelizantis. Nitidum hic pro Auspicato et integro, ut quum Latini candidum aliquem adpellant, capitur. De monte, autem pro, Superne: sive de ore domini, qui in monte, hoc est, in sublimi habitare dicitur. Sensus est, O gratos et felices nuntios, qui dei authoritate missi, nuntiabunt gratuitam istam liberationem. Sic admiratur Horatius, Ut gaudet etc. in carmine Rustico.

Regnet et vivat deus tuus. Haec ex solo מלך traduximus. Sunt enim verba precantium recens inaugurato regi.

Vocem quum tollent speculatores tui. O felicia, inquit, tempora, quibus dicetur: Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi, quomodo Baptista: Adest regnum coelorum, quomodo Apostoli: Viderunt

oculi mei salutare tuum, quod ante omnes populos paravisti etc. quomodo Simeon: Natus est vobis salvator, quomodo Angeli: Quid nobis tecum est Iesu fili dei? quomodo daemones quoque evangelizarunt.

Renudabit ac proferet dominus brachium suum. Ista duo verba ex uno חשׂף transvertimus, ut magis resplenderet sermonis prophetici fulgor. Promittit enim dominum virtutem suam cunctis populis ostensurum.

Recedetis omnino etc. Exibitis de medio eius. Sic ex imperativis verbis transtulimus, quibus mutuo pro futuris utuntur. Videmus autem palam, sub hac verborum specie quasi terrenam Ierusalem alloquatur, de ecclesiae, quae ex cunctis tum populis tum hominibus constat, liberatione loqui. Nam quae de servo suo duce ac vindice nimirum sequuntur, omnino talia sunt ut soli Christo conveniant, quomodo ostendemus.

Mundi igitur estote qui fertis vasa domini. Allegorizat lubens ac volens propheta, super vasis sacris Babylone reportandis.

Et agmen vestrum colliget deus Israël. Quum et Hebraei habeant isto loco Colligendi verbum, placuit in Agmen colliget, vertere. Latini enim Agmen colligere dicunt eum tribunum, qui ultimis subsidiis aut custodiae praeest. Helvetice Nachhut halten.

Ecce prudenter geret rem servus meus. Quae nunc sequuntur usque ad 54. cap. adeo clarum Christo testimonium praebent, ut ipse nesciam an uspiam scripturarum quicquam aut constantius inveniatur, aut clarius dici quicquam possit. Frustra enim omnia pertentat Iudaeorum pervicacia. Non potest ille noster, quem hic pingi videmus, esse aut Ezras, aut Iesus summus sacerdos: de quo in illius libris habetur. Neuter enim eorum huius quicquam passus est, quod et hic de Christo praedicitur, et Evangelia usuvenisse testantur. Hoc saltem permittimus adversariis, Umbram ac typum fuisse, ductum Ezrae et Iesu sacerdotis, redemptionis per Christum factae, quamvis valde humilem. Omnia enim Hebraeorum gesta in eo exitu valde mediocria fuerunt. At Aegyptiaca per Mosen liberatio ut augustior, ita et Apostolis visa est dignior, quae typus Christi redemptionis esset. Nuspiam enim aut Iesum sacerdotem, aut Ezram Christo comparant: Mosen autem et in comparationem adducunt cum isti tum Christus ipse, et ex illo testimonia petunt. Debuit autem partitor Capitum huc adponere novum numerum, quum iam ad ducis descriptionem accedatur: quae nobis Christi res ita ante oculos ponit, ut nulla loquacitas refragabilem possit hunc locum reddere.

Unde et exaltabitur etc. vehementer. Sic Christus ipse: Qui se humiliat exaltabitur. Et Paulus, Propter quod et deus exaltavit illum etc.

Quod aspectus eius deformior quam viri futurus est, et species quam hominis. Haec non debent ad speciem corporalem Christi referri: sed ad statum eum quum supra omnes mortales humiliatus et spretus, impiorum manibus inique et violenter tractaretur.

Sic Gentium quoque multitudo ipsum deprecabitur. Ex יזה commode reddiderunt LXX. ἐθαυμάζοντο, id est, Admirabuntur, sive

Suspicient. Istos imitati sumus, quam quod verbum paulo religiosius adscivimus.

Et reges ora sua continebunt. Periphrasis est admirationis. Conticescunt enim penitus qui magnopere mirantur. Unde et apud Homerum sunt quaedam σιγαλόεντα, id est, Silentium inferentia, pro Admirandis. Hinc arbitror Septuag. Admirandi verbo usos esse in יזה, quod et hic admirationis periphrasim introspexerint: et alias Hebraei מהמה, id est, Quidnam, si etymon spectes, pro Mirari utantur. Sic forte יזה. Regibus autem Synecdochice pro Regnis, non hic tantum, sed et supra usus est.

Visuri sunt enim quibus nihil memoratum est de eo. Quem qui visuri sunt? An Iesum sacerdotem Iudaei? Magna vero res sacerdotem apud Hebraeos videri. Christus ergo solus est, quem Gentes cogniturae erant.

EX CAPITE LIII.

Sed quis credit nostrae praedicationi? Alias quoque ostendimus Hebr. praedicationem, Auditionem vocare. Conciliat autem propheta vaticinio fidem, quum desperabundo similis, veretur paucissimos credere quod dicat.

Aut brachium domini cui perspectum est? Paucos esse queritur, qui dei potentiam in re tam ardua considerent, aut perspectum habeant quaenam factura sit.

Crescet autem coram domino. Coram eo, habent Hebraea: sed dudum ostendimus quam emphatica sint illis in loco demonstrativa et relativa.

Tanquam virgultum, et sicut radix in terra siticulosa. Dulce et efficax incrementum Christi, quod Evangelista his verbis describit: Proficiebat aetate et sapientia, et gratia dei erat cum illo: significat. Dulce, quum parentibus moriger, materiam incidendo ac domus extruendo, typum exaltandae ab ipso Ecclesiae ederet. Efficax, quum in humili conditione ad res magnas ut natus erat, ita suo tempore prodiens, constanter Hierosolyma profectus est, ut calicem propinatum cum fece, hoc est, omnia quae de illo erant praedicta implendo, ebiberet. Sic enim locis calidissimis radices efficacissimae nascuntur, quod supra tellurem luxuriare ac germen diffundere propter immodicum incendium non liceat: iam natura, clam Sole, sub ipso solo vim et artem suam molitur. Christus ergo, conditione servus, et Ioseph filius creditus, quum e terra post resurrectionem prolatus esset, virtutis suae efficaciam ostendit.

Non erit ei species aut decor. Omnia ista debent ad humiliati statum referri: non ad divinam eius naturam, aut membrorum formam vel constitutionem.

Neque desiderabimus eum. Mirum est Hieronymum omisisse negationem, quae ante, מראה, hoc est, speciem sive adspectum proleptice posita est, ut etiam desiderandi verbo debeat adcommodari. Rabini nobiscum distinguunt hunc locum. Septuaginta vero nostram tenent sententiam.

Qui tamen dolorum et aegritudinum peritus est. Idem agit in Hebr. Paulus, Per omnia nobis similem fieri oportuisse, quo rectius crederet nostris imbecillitatibus, extra capto peccato. Videant qui perhibet Christi humanitatem perinde ac divinitatem ubique esse per corporalem praesentiam, num humanitate sit nobis per omnia similis, absque peccato. Nam si illius corpus pro immensitate divinae naturae immensum est factum, iam et nostra corpora aut erunt immensa post resurrectionem, aut nobis adempta erit resurrectionis spes. At non erunt immensa. Hoc enim nulli creaturae quam infinitae dei naturae competit. Relinquitur ergo, nobis spem resurgendi amputari. Quod hoc modo confirmamus. Si Christi caro ex mortuis resurgens, immensa facta est pro infinitate divinitatis: iam quum nos sciamus nunquam ad eam mensuram venturos, ut nostra corpora sint infinita aut immensa, non potest illius resurrectio nostram resurrectionem polliceri: quum ille deus sit et homo, et humanitas secundum istos extensa et inaugurata sit infinitati per divinitatem. Nos autem nihil quam homines et non deus natura quum simus, non est spes reliqua quod resurgamus. Si vero, quomodo et Paulus argumentatur, ille verus homo resurrexit, iam et nos veri homines resurgemus. Nam alias inconstans esset argumentum Pauli quum ait: Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Fieri enim posset, ut qui ad immensitatem divinitatis immensus esset, resurgeret, imo semper existeret, nobis non resurgentibus. Nunc autem quum eius resurrectio nostram promittat, oportet eum simili modo resurgere, quomodo nos resurrecturi sumus. Atque istud est quod Irenaeus perhibet, Illius corpus nostrum corpus ad resurrectionem pascere: Hoc est, nobis certum periculum praebere, quod et nos resurrecturi simus, quum ille resurrexerit. Quid multa? Verus homo est, vere finitus ac dimensus: et simul, verus deus, infinitus et immensus, quomodo in elencticis nostris ubertim est ostensum.

Nos autem existimabimus, eum plaga a Deo esse percussum. Hoc est cuius causa propheta prius ingemuit quum diceret: Domine quis credit vaticinio nostro? Est quidem ille a deo humiliatus: at non propter aliquam culpam, sed propter nos. Est humiliati Christi mysterium altius quam vel hominis stilus prosequi, vel hic locus ferre possit. His tamen brevibus aliquid ostendisse, non erimus onerosi. Si angelo deus nos visitasset, aut sanctissimo aliquo homine, Abrahamo, Mose, Helia, aut Baptista, iam non esset beneficium dei summum, perinde ac dum ipse ad nos descendit. Iam enim ipse se ipsum et misit et praebuit. Minus enim dat qui sua, quam qui se ipsum dat. Iam homo factus, mori, et sanguine suo nos abluere potuisset, quum Herodis ignavi satellites infantium exercitum ferro caederent. At istud non tanti erat futurum ac dum adolevit, docuit, miracula fecit, ac divino infallibilique iudicio cuncta in usum nostrum gessit. Moriens non subito insidiatoris ictu concidit, sed infame crucis supplicium pertulit: ut qui quicquid spectes summus est summam quoque humilitatem ostenderet, qua nobis omnia nostra quam frivola sint exponeret.

Multa enim correctionis nostrae ipsi imponetur. Ex מוסר

Mulctam vertimus, Hieronymus Disciplinam. Non enim aliter incubuit ei correctio nostra, quam ut eius satisfactione nos redimeremur.

Nos omnes tanquam ovis erravimus, quisque viam suam sectatur. Ovis esse perhibent, ut quum a grege abierit non moliatur reditum, sed magis ac magis abeundo erret. Sic dum nos sequimur quisque viam, hoc est, cupiditatem suam, fit ut quanto magis sequamur adfectum, tanto longius aberremus. Locus irrefragabilis est, Omnes homines esse peccatores, et egere gratia dei.

Ipse angustiabitur et adfligetur. Ipse non satis possum dispicere cur Hieronymus verterit, Oblatus est quia ipse voluit: quum LXX. sic verterint: καὶ αὐτὸς διὰ τὸ κεκακῶσθαι ἐκ ἀνοίγει τὸ ϛόμα αὐτȣ̃, hoc est, Et ipse ob id quod adfligeretur, non aperiebat os suum.

Indicta causa citraque iudicium tolletur. מעצר, hoc est, Sine coetu, vertimus Indicta causa. Nam celebribus comitiis apud quosdam mos erat, capitis reos iudicare. Sic et De iudicio, in Sine iudicio, vertimus.

Cuius tamen sobolem quis recenseat? Necessarii apud terrenum et carni deditum iudicem nonnunquam vetant, quo minus vim faciat. Hic autem noster tantam sobolem habet ut recensere nemo possit: at nihilo minus indicta causa raptus est ad necem. Qui haec verba ad divinam eius generationem referunt, non impie docent: at hic nobis visus est esse sensus quem iam exposuimus.

Quin et sepulchrum illi dabitur inter impios. Sepulchrum ei dabitur cum impiis, habent ad verbum Hebraica. Ponitur autem Sepulchrum pro Nece, per Synecdochen. Inter latrones enim interfectus est.

Et exaltatio inter praedones. Alias quoque ostendimus familiare esse Hebraeis, ut crucis supplicium Exaltationem vocent, quomodo et Christus ea voce usus est. Ad verbum tamen habent Hebraea: Et cum dite, hoc est, divitibus exaltatio eius. Quae hunc quoque sensum possunt habere: Et exaltatio cum praedonibus, hoc est, Authoritas eius et dignitas cum praedonum fortuna finem inveniet. Sed prior expositio minus torta est. Veruntamen tortum ac violentum videbitur Divites in praedones quod verterim. Id autem coegerunt prophetae sequentia verba עשה על לא חמס, id est, Supra hoc, vel Quamvis vim nunquam fecerit. Vides ut nunc Vim aut Iniuriam vocet, quod iamiam divites adpellaverat. Considera vero Lector, quam recte et integre cuncta quadrent cum his quae Christus est passus.

Videat longaevam posteritatem. Contrucidant nonnunquam tyranni totam aliquam gentem, hoc in ore habentes, Frustra occidisse parentem, qui liberos reliquerit superstites. Huic hostium Christi furori, quo credebant ipso necato, omnem eius mentionem et posteritatem abolitum iri, opponitur haec sententia, Christum longaevam posteritatem visurum, quum pro peccato mactatus esset. Ea vero posteritas est credentium ecclesia: hi enim sunt filii dei.

Periculo animae suae inveniet opes. Labore, est apud Hebraeos, מעמל, ubi מ instrumentalis casus nota est. Vertimus ergo, Periculo. Significat enim עמל, difficilem ac periculosum laborem.

Animae suae, hoc est, vitae suae, Hebraico idiotismo verti: quod is iam omnibus est obvius. Inveniet opes, dixi pro, Videbit satietatem aut plenitudinem. Videndi enim verbo omnes linguae pro Experiundi et Inveniendi in loco utuntur.

Nam scelera eorum ipse asportabit. יסבל, id est, Baiulabit, verti in Asportabit, id autem iure, quum compositis ipsi verbis laborent.

Idcirco ei et multitudinis et fortium praedam partiar. Habent hic Hebr. loquutionem, Cum multitudine, hoc est, multitudinis: et Cum fortibus, pro Fortium. Est ergo sensus (nam nihil moror verbum חלק bis esse positum: semel in pri. persona iterum in secunda, quum sententiae nihil decedit): idcirco praeda et mercede cum totius humani generis tum hostium suorum potietur. Captivitatem enim reduxit fortior armatus.

Et pro transgressoribus intercedet. Perpetuo apud patrem: ubi causam nostram agit ac defendit iuxta Ioan. Evang. testimonium.

EX CAPITE LIV.

Exulta igitur sterilis quae non paris etc. Totum hoc caput Epistropha est ad nasci turam aliquando ex Gentibus ecclesiam. Id autem adeo docte et clare agitur, ut quî obstrepere audeat, audeat eadem opera Solis lumen imminuere tentare.

Plures erunt filii desolatae quam coniugatae. Coniugatam pro Maritata diximus. Deserta fuerat Gentium multitudo, sed nunc est ecclesiae seminarium.

Dilata locum castrorum tuorum. En ut ecclesiam, hoc est, coelitus natam Ierusalem, et sanctam Zion instaurandam ac multiplicandam fore promittit. Hinc ab amplificandis castris ducta allegoria praecipit, ut locum faciat capaciorem, ut et Gentes ingredi queant.

Diduc quam longissime funes tuos, et clavis etc. Vide quam elegans ὑποτύπωσις.

Tam ad dexteram quam ad laevam erumpes. Erumpendi verbo impense pro Augendi et Sobolescendi utuntur, ut in Mosis libris est ostensum.

Semen tuum Gentes possidebit. Ubi ista quaeso facta sunt? Ubi Gentibus imperarunt Iudaei? Sed Ecclesiae Soboles ex Gentibus est. Hinc semen Ecclesiae tenere ac possidere Gentes dicitur.

Urbes desertas habitabit. Per desertas urbes Gentes a deo alienas intelligo. Quamvis allegoria a vastatis in Iuda urbibus tracta.

Ne verearis, non enim confunderis. Nota est, prophetam non loqui de liberatione Babylonica. Post hanc enim confusi sunt supra mortales omnes. Quod si quis contendat, super ultima quadam felicitate vaticinium hic fieri, supra confutatus est. Relinquitur ergo, de sola ecclesia Christi omnia esse intelligenda. Id quod clarius et clarius fiet.

Nam et pudoris adolescentiae tuae oblivisceris. Ecce ut sub persona ecclesiae Iudaeorum, ecclesiam in genere intelligit: Iudaeorum enim ecclesia ut scortando pudefacta est, nondum est sibi restituta.

Herus enim et maritus tuus etc. Ex בעל, Herum et maritum vertimus: tam augusta est ea vox.

Conatus autem et vindex tuus. Lege Cognatus, גאל enim et Cognatum et Vindicem sive liberatorem significat.

Velut feminam dimissam. Ut sub ecclesia Iudaeorum universalem intelligit? Prophetae enim tempore non erat ex aliis quam illis ecclesia. Quod si quis contendat, de redassumptione Iudaeorum hic praedici, equidem non inficior, fore ut Christum recipiant. At hic locus de Ecclesia in genere, ex Iudaeis et Gentibus loquitur. Quumque isto tempore Iudaeorum modo esset, iam de ipsa interim ut erat loquitur, interim ut qualis futura erat.

Sed misericordia sempiterna complectar te. Hinc possent qui de damnatorum ac daemonum salute non recte sentiunt, erroris sui patrocinium petere, dicendo: Ecce momentanea est indignatio, et misericordia sempiterna. Sed non loquitur propheta de natura vel proprietate irae dei et misericordiae: sed solummodo ut ad tempus sit indignatus Ecclesiae, quae tum ex Iudaeis erat: at nunc sempiterna sit eam benevolentia prosecuturus. Qui ergo de ecclesia sunt, hic salutis ac bonitatis spem inveniunt: non etiam qui extra illam in tenebras detrusi sempiterno igne cremantur.

Nam istud erit mihi sicut aquae Noe. Mirum est cur Hieron. Dies ex Aquis verterit. Testatur autem deus se ratum ac firmum servaturum, perinde atque servet cataclysmi foedus quod cum Noe pepigit, ne ultra obruat aquis mundum, Ut non ultra sit Ecclesiam suam a misericordia sua repudiaturus.

Citius enim et montes locum deserent etc. De modo comparandi superius scripsimus. Vertimus igitur hunc locum, additis notis comparationis quas Hieronymus omisit, dictionem potius quam sententiam transferendo.

En o paupercula. Ex inferiore loco in frontispicium locavimus.

Constituam e carbunculo muros tuos. Muros fecimus ex Lapidibus. Est enim vis Synecdoches, et ipsa sententiae proprietas, ut qui ex lapidibus fit murus, nomen eius servet ex quo fit, Lapidum scilicet.

Fenestras tuas e Cristallo faciam. Fenestras transtulimus ex שמשות, quod eis Sol invehatur. Sunt autem fenestrae proprie non ipsa specularia, sed porta, spatium, sive inane istud in quod specularia imponuntur. Quamvis ista confundant etiam eruditi.

Iustitia constabis. Constandi verbum ex כון vertimus, quod non minus Firmare, fundare, perficere, ac solidare significat, ac parare. Maior est his locis obscuritas apud Hieronymum quam LXX.

Unde neque timebis. Unde, ex כי transtulimus. Qui enim non sunt sibi violentiae aut iniuriae conscii, fortius ac cordatius omnia agunt.

Et a plaga. Scilicet aberis. Per Prolepsim enim praemisimus verbum, Aberis. Hoc non est omittendum quod Graeci ἧττον ab Hebr. mutuo acceperunt חתת vel חתה Formido, contritio, deiectio etc.

Ecce advena qui alienus erat a me, incolet. Est hic locus signum et clavis, qua tota allegoria aperitur. Quis enim tam impudens est, ut negare possit haec de Gentium vocatione dici?

Ecce ego condo fabrum istum etc. His verbis non videtur nobis

aliud velle, quantumvis diuturna armorum fabrica, quam et violentos et arma eorum a se esse. Poetice vero, armorum hypotyposim, quomodo scilicet fabrefiant, pro armis ponit. Quibus probat in sua esse potestate, ut vim vel arceat vel adsciscat.

Sed omnia arma. Satis diximus כלים Vasa, organa musica, supellectilem, et arma ex aequo significare.

Talis erit haereditas servorum domini. Et haec nota est, de Ecclesia in genere loqui prophetam. Ponitur autem haereditas pro parte ac sorte.

Et haec eis a me iustitia donabitur. Non video quur Hieron. verterit ex מאתי Apud me: nisi quod מ, id est De, viderit pro Apud, saepe accipi, quod supra ostendimus: at hic loci non congruebat. Accipitur autem hic Iustitia pro Innocentia, gratia, et amicitia, hoc sensu: Hanc meis innocentiam dabo, hac gratia prosequar, huius amicitiae foedera cum eis inibo. De qua scilicet disseruit.

EX CAPITE LV.

Quos omnes igitur qui sititis, pergite ad aquas. Invitatur hic omne omnium hominum genus, ut ad oblatam salutem non cunctetur.

Quibus deest argentum. Gratis et redimi per Christum, et in filios dei cooptari perhibet.

Vinum et lac. Qui tropos scriptura relegant, oro expediant quodnam vinum et lac comparari praecipiatur isto loco. Si per Vinum animi laetitiam, per Lac gratiae dulcedinem interpretantur, quomodo iam Allegoria non est illis ancillata? Desinant igitur aut contendere adversus veritatem, aut sese humanos putare, quum vini et lactis gratiam nondum sint experti.

Quur enim expenditis pecuniam pro eo qui non cibat pane? Tracta est Allegoria ab imprudentibus ac emacibus istis, qui temere sua prodigunt pro rebus nihili, ad eos qui stulte colunt eos qui ferre opem nequeunt.

Ecce dabo eum testem populis. Testem Hebraei pro praedicatore accipiunt nonnunquam, quomodo et isto loco, et in Actis: Eritis mihi testes in omni etc. hoc est, Praedicabitis et testabimini de me Iudaeis, Samaritis, et cunctis Gentibus. Nec tamen abhorreo si quis testem ideo putet adpellatum esse caput ecclesiae Christum, quod pignus sit et arrhabo divinae liberalitatis et gratiae. Est autem haec egressiuncula ad ecclesiae caput et principem, a quo commendatur.

Ecce gentem ignotam vocabis. Ambiguum est ad quem haec periodus referatur, ad Christum, an ad ecclesiam quae ex Iudaeis est. Nos ad Iudaicam, quae tum erat, ecclesiam credidimus referri. Nam de Christo si voles intelligere durior est Alloeosis, quamvis ista durities non sit apud eos infrequens. Sed ad nostram sententiam felicius sequuntur ista: Id autem propter dominum deum tuum etc. Non est autem alienum a divinis eloquiis, ministris tribuere quod dei solius est. Praedicant enim Apostoli remissionem peccatorum per Christum, et ab eodem accepta fertur illis remissio peccatorum, quum solius dei sit.

Hic adsciscere, hoc est, ad se recipere dicitur ecclesia circumcisorum Gentes, quas solus deus adduxit per spiritum suum.

Quaerite dominum dum invenitur. Pergit invitando ad commercium dei per filium eius.

Ac redeat ad dominum et miserebitur eius. Quicunque ad dominum redeunt, sive Iudaei sive Gentes, misericordiam assequuntur.

Consilia mea non sunt sicut consilia vestra. Iucunda sed seria probatio hic sequitur, quod sua liberalitate deus miserit filium suum. Non enim tam egens est, ut vices aut hostimentum reposcat, quomodo nos omnia propter nos ipsos facimus.

Ita et verbum meum quod de ore meo exit. Ipse intelligo per Verbum, Iussum domini, hoc sensu: Quicquid iubeo, fit. Filio meo constitui humanum genus, et docere et liberare, prospere ergo cedet, quum istud, tum quicquid iussero. Qui Verbum Christum faciunt, non abhorrent a nostra sententia.

Cum laetitia enim vivetis. Vivendi verbum ex Egrediendi transformavimus propterea, quod Hebraei Egrediendi verbo utuntur pro Habitandi et Conversandi. Omnes inquiunt, qui ex ea urbe egrediuntur, pro omnibus qui in ea urbe vivunt. Amplificatur autem hic piorum laetitia, quae in spiritu ac fide est.

Omnia ligna agri manibus plaudent. Prosopopoeiae est, quum inanimis tribuitur quod est animatorum.

Pro rubo surget abies, et pro spina mirtus. Hac allegoria, nihil quam feros et agrestes animos in benignos ac civiles cicurari praedicit.

Id erit domino in nomen, et signum sempiternum quod non excindetur. Haec omnia in gloriam et trophaeum dei cessura esse colligit.

EX CAPITE LVI.

Servate aequitatem, et facite iustitiam. Idem facit quod Baptista: Poenitentiam agite, μετανοεῖτε, adpropinquat enim regnum dei. Perstat autem in adserenda Gentium vocatione et repudio Israelis, ad quam sequenti capite redit.

Qui custodit Sabbathum ne ipsum prophanet. Sumus aliquando vehementer admirati, cur deus per Mosen Sabbathi observantiam tantopere urgeret. Sed quum tandem in Deuteronomio et Actis deprehenderemus, omni Sabbato legem pro concione exponi, hoc autem loco rationem Sabbati explicari, nempe, manum abstineri ab omni malo debere, iam admirationem omnem posuimus. Quum ergo manus semper cohibenda sit ab omni iniuria, fit ut sempiternas agere ferias debeamus. Una enim Sabbati adpellatione avellit nos propheta ab omni scelere.

Hic ne dicat filius alienigenae. Periphrasis est Filius alienigenae, peregrini, aut novi hominis, advenae aut convenae, quem Graeci προσήλυτον vocant. Est et hic insuperabilis locus de Gentium vocatione.

Qui domino adhaesurus erat. Recte defendebat Petrus factum apud Caesaream cum Cornelio. Idem enim spiritus qui ipsum tunc docebat Gentibus non praecidendam esse praedicationem Evangelii,

olim et hunc prophetam instinxit, ut Gentibus his verbis omnem ambiguitatem vocationis suae amputaret.

Neque dicat Eunuchus, En ego lignum aridum. Id, meo iudicio, non videtur tam ad castimoniam defensandum esse dictum, quam ad exponendum regenerationem spiritus, qua cunctae gentes erant nobilitandae, quum sese Israel iactaret de nativitate ac prosapia Abrahae. Apud istos erat ignominiosum non auxisse posteritate carnalem Israelem: Apud nos crimen est, aeterno supplicio dignum, fide non esse inter ecclesiae membra numeratum.

Sic enim promittit dominus, primum Eunuchis. Promittendi ex Dicendi verbo est. Primum, ex nostro adiecimus, ut esset nota transpositorum membrorum per Epanodum. Priore enim oratione posteriores erant Eunuchi, nunc priores repetuntur, de quo supra.

Hoc est, summa putant quae ipse decerno. Hoc est, nos adposuimus notam Ephexegeseos. Summa vero vertimus pro Electis: quod quae ipsi ex cunctis eligerent, omnino summa essent. Quae ipse decerno, pro, Quae mihi placent: quoniam Hebraei Placendi verbo forensi utuntur, quomodo Latini, ut dictum est antea.

Et intra muros meos. Vide ut a visibilis Ierusalem muris materiam contrahit Allegorizandi de septis, hoc est, unitate ecclesiae.

Quod ministraturi sint ei. Hic autem de alienigenis loquens, a ministerio quod sacerdotes in templo implebant, sumit occasionem docendi, quomodo inter filios dei, et intra eius ecclesiam sint recipiendi.

Adducam enim eos ad montem meum sanctum. Si hic Mons sanctus Ecclesia est, quae tunc ex Iudaeis erat, quomodo possumus negare per universam materiam istam, Ierusalem et Zion ecclesiam significare?

In aede mea oratoria. Transtulissem, In aede mea sacra: vel, Honori meo dicata, nisi paulopost sequatur, Aedes enim mea, aedes orationis erit cunctis gentibus. Hic quoque Aedes oratoria, sive Templum, Ecclesiam, et aliud nihil significare potest. Quomodo enim Templum istud quod Iudaeos capere non poterat, cunctas gentes acciperet? Vide autem simul ut magis ac magis priores Allegoriae patefiunt.

Ultra congregabo ad eum qui ad coetum eius pertineant. Nos Sarcasmon esse credimus. Congregaturum enim se perhibet ad Israëlem, bestias agri, hoc est, peregrinum hostem qui eum devoret. Quod si tu in bono putes debere intelligi, puta quod Gentes sint Israëlem devoraturae, hoc est, in eum commutandae, nihil moror: sed non adeo commode sequentur reliqua.

Episcopi enim eius omnes caeci sunt. Causae adsignatio est, cur sit eos bestiis obiecturus.

Canes impudentissimi. עזי נפש, Id est, Robusti mente. Periphrasim crediderunt esse impudentiae Septuaginta. Unde et ἀναιδεῖς, id est, Impudentes, verterunt.

Et modum nesciunt. Saturitatem arbitratus sum pro Modo hic poni. Videat pontificium genus, an quid isto loco dicatur quod non agnoscat.

Pastores quoque nihil norunt. הבמה Hebraicam vocem omisimus,

quam Hieronymus transtulit. Nam ad pastores transit, qui Hebraeis, ut et apud hunc et apud Ezechielem patet, in loco reges, principes, ac magistratus erant.

Pro omni virili sua. De finibus suis, est ad verbum iuxta Hebraeos. Hieronymus Fines ad summos et infimos retulit.

Quin et venite (aiunt) vinum adferam. Aiunt, exprimendae loquentis personae gratia adsuimus. Videant et huius saeculi principes, an quid horum possint declinare, quae in contemporaneos Isaiae dicuntur.

EX CAPITE LVII.

Interim damnatur innocens quisque. Pessime scidit haec a superioribus partitor Capitum. Est enim criminis degravatio, quod principes non pariter peccant ac plebeii, dum crapulae, et luxui se dedunt. Illi enim sibi solis pereunt, principes vero negligentia sua etiam alios perdunt. Idcirco addidimus notam nocentis oscitantiae, Interim.

Optimi quique ducuntur. Viri bonitatis, Idiotismo Hebraico, sunt viri boni. Colliguntur vertit Hieronymus ex אסף, quod perinde Auferre, virtute Metalepseos significat ac Colligere, ut supra est ostensum. Nos igitur in Ducendi verbum transtulimus, quod Romanis ad necem ducere significat. Ut est in ista tyranni voce, Ego te iubeo duci.

Vos ergo huc accedite filii veneficae. Veneficam pro Auguratrice vertimus, quod Latini Veneficam fere adpellant, quacunque ratione incantantem, quomodo Graeci φαρμακεύτριαν. Auguria enim capere sacerdotum erat, non feminarum. Redditur autem nunc ratio iusti repudii, cur scilicet Israële misso et abdicato, Gentes cooptatae sint in populum peculiarem.

Et linguas exeruistis? Periphrases sunt contemtus et subsannationis. Ad verbum tamen habent Hebraei, In longum protraxistis linguam. Ut sit Antithesis, Os dilatavistis, et linguam prolongastis, pro, Adperto ore linguam exeruistis.

Degener posteritas. Recte vertit ad verbum Hieronymus, Semen mendax. Mentiri tamen utuntur pro Fallere, frustrari, quod Germanice dicimus, Fälen: Hinc degenerem posteritatem traduximus.

Libidinantes ad quercus. Libidinandi verbum ex נחם pro Solatium capere transtulimus. Huc spectantes quod Ieremias, cultum illum, quem diis impendebant in montibus, silvis, vallibus, agris, speluncis, et ad quercus, adulterium vocat.

In partibus torrentis, pars tua est. Impendio, inquit, delectaris delubrorum quae ad ripas fluminum diis aedificata sunt, visitatione. Erunt ergo torrentes sors tua: hoc est, e sedibus tuis pelleris, ut deinde extorris versari cogaris ad fluminum ripas, aut aliis locis inhospitis.

Posuisti lectisternia tua. Lectisternia ponebant Diis suis Gentes quoque. Romae enim aliquando, rebus valde dubiis, Iovi et Iunoni lectisternium est positum. At hoc loco forsan loquitur de adulterio idololatriae, quod in montibus admittebant Israëlitae: quemadmodum Ieremias notavit, de quo iam.

Post ianuam et postes reliquisti monimentum tuum. Turpius prosternunt se adulterae quam prostibula, hoc est quod hic Iudaeis obprobrat dominus, Adulterum passam esse Gentem sibi matrimonio iunctam post ianuas et postes. Id vocat monimentum, quod ipse dominus memor sit perfidiae, qua celare studuerit Idololatriam, quam nomine ac similitudine adulterii notat.

Quum alii quam mihi te ipsam renudasti. Ad verbum habent Hebraea, Quum a me nudavisti. Ubi tota emphasis est in מאתי.

Abiisti et ampliasti lectum tuum. תעלי, Id est, Ascendisti, in Abiisti vertimus. Propheta respexit ad ascensum in cubilia aut coenacula, quod Romanis per Ascendendi verbum non potuit offerri. Abeundi autem verbum, et furtum venereum, et audaciam satis ἐμφαίνει, hoc est, sub oculos ponit. Ampliare autem lectum, verecunda est adulterum admittendi periphrasis.

Quum scilicet ex deorum Gente quosdam tibi excidisti. Hebraica sic habent, Quum (est enim Vaf expositiva) tibi de eis excidisti. Quae plana est Ephexegesis adulterii prius per Allegoriam positi.

Amplexa es lectos eorum ubicunque videres. Sic Hebraea: Amavisti lectos eorum, manu qua vidisti. Ubi Amandi verbo mitius in loco pro Amplectendi: Manu autem, pro Plaga, regione, loco, aut tractu utuntur, ut supra est ostensum.

Recta quoque unguento, et variis pigmentis delibuta ad reges abiisti. Hebraica tam tersa sunt, Recta abiisti ad regem cum unguento. Significat enim שמן Unguedinem omnem non minus quam oleum. Habet hoc feminea stoliditas, ut magnorum hominum consuetudinem impensius adpetat. Id quod poëta quidam questus est. Hinc belle obprobrat regibus Iuda, quod missis muneribus, ac suae telluris opibus, foedus ambiissent apud Aegypti regem, sub allegoria stultae mulieris, quae magnatum ambit cubilia.

Laboras copia viarum tuarum. Viam arbitror pro Itineribus libidinosarum poni.

Tuopte marte vitam te invenisse credis. Ad verbum habent Hebraea, Vitam manu tua invenisti. Quum autem Ironia sit, ab his adulteris tracta, quae ut paulo sunt habentiores procorum largitionibus factae, contra maritos insolescunt, sic vertimus.

Quo fit ut languere te non credas. Languendi verbum puto pro Indigendi poni: Attamen nihil volui immutare. Competit enim quocunque vertas Languere.

Num me, quod hactenus feci, perpetuo taciturum speras, ut me nihil metuas? Hebraica sic ad verbum, Num ego tacens, et ab aeterno, ut me nihil metuas? Ubi ו similitudinis nota est. Induit autem Deum persona patientis mariti, qui perfidae uxoris nomini consulturus multa dissimulat. Debuit ergo Tacens participium in Tacebo verti, et, Et ab aeterno, in Quemadmodum ab aeterno etc.

Quin potius iustitiam tuam, et opera tua prodam. Κατ' εἰρωνείαν sive ἀντίφρασιν, Iustitiam pro Sceleribus posuit, quomodo omnibus linguis consuetum est.

Liberent te in necessitate hi qui ex foedere tibi iuncti sunt.

In necessitate nostrum est. Foedere autem iuncti, ex קבץ, pro Sociatis, hoc est, sociis auxiliaribus.

Sed universos istos tollet ventus etc. Qui autem in me sperant etc. Sententiae sunt gravissimae super finibus impiorum et bonorum.

Iter concedite. Miratus sum, verbo Hebraico פנה consonare Germanicam vocem, Bahnen, id est, Iter munire. Exponit autem Deus Opt. Max. ingenium suum: ut non sit ad hanc aut aliam gentem alligatus ullo adfectu: sed in omni gente, qui deum timet, et quod iustum est operatur, gratus ei est. Quibus maxime excutit Iudaicum supercilium: et Gentium vocationem, dummodo fidem habeant, probat.

De via qua itur ad populum meum. Ad verbum est, De via populi mei: Sed per ὑπαλλαγὴν exponendum. Neque populum eius hic puto Hebraeos vocari, sed omnes qui verbo illius obediunt.

Sed abest a me stomachus. Amphibolus est sermo Hebraicus, sive ad istum sensum, Quoniam ventus, aut spiritus a me provolat, et flatum ego facio. Sive ad hunc, quem nos vertimus. Sed ille alius, ad nostram sententiam nisi descendat, non visus est nobis genuinus esse.

Ego pro scelere cupiditati dediti, quum abit et consilia cordis sui sequitur, irascor, percutio, aversor et indignor. Hebraica quae hic valde obscura sunt, et velut Asiatica abundantia fluctuant, si in ordinem cogas, eum sensum habere visa sunt quem vertimus. Habent autem si verbum verbo reddas hoc modo, Pro scelere avaritiae eius irascor et percutio, aversor et indignor, quum abit reversus ad viam cordis sui. Ubi iterum adnotandum est, Avaritiam hic, unam ex cupiditatibus pro omnibus accipi, quomodo supra non uno loco est ostensum.

At rursus vias eius contemplatus. Hic, At rursus, a nobis est additum. Cogit enim Sanandi verbum ista intelligere super mutatione morum post correctionem.

Et quibus solatium adfert quique desiderabant eum. Verti ex נחמים et אבליו Rabinorum puncta secutus.

Creo commercium et colloquium. Superius, Fructum labiorum, pro Periphrasi Gratiarumactionis transtulimus. Hic autem visum est poni, pro Commercio hominum, qui rursus fruuntur eo qui perierat, sed liberum sit cuique etc.

Cum his qui longe, tum his qui prope sunt. Haec est irrefragabilis nota, quod deus hac pericopa ingenium suum exponit, et quod non tantum Iudaeorum, qui propinqui erant, est deus, sed etiam Gentium, quas per Longinquos capimus.

Impii autem etc. Huius sententiae gravissimae ac verissimae supra est ratio reddita.

EX CAPITE LVIII.

Tu ergo quisquis es verus propheta ex omni gutture clama. Epistropha est ad prophetas, quos singulari numero compellat, idcirco addidimus, Quisquis es verus propheta. Perstat autem divinus sermo in recensendis et corripiendis sceleribus, propter quae Israël iure videatur abdicari.

Et scire vias meas volunt. Anne vias dei scire crimini verti debet? Sed Scire, hoc est, Servare videri volebant, sanctuli isti qui se iustitiae nomine venditabant, quum fecissent quae ἐθελοθρησκεία, hoc est, Superstitio, sive humana ratione allata religio, suaserat.

Rogant me iudicia iustitiae. De iudiciis dei, iusta sint, an contra, audent scioli isti disquirere. Taxatur autem hoc praecipue hominum genus, quod scire multa, sed frivola; facere magna, sed vana, cupit videri: quale monasticum nostris saeculis fuit.

Quare ieiunamus. Haec est illorum obiectio dum obiurgantur de neglecta iustitia, dum intentatur eis ira dei. At ieiunamus, inquiunt.

Ecce quum ieiunatis manent studia vestra. Studia pro voluntate vertimus. Accipiunt enim Latini Studia pro Factione, adfectu, et negotio cui quis deditus est. Taxat igitur cum primis avaritiam iterum.

Ecce ieiunatis ut litibus et iurgiis vacetis. Sive quod inediae tempore in foro iurgarentur; sive quod ieiuni promptiores essent ad contendendum quam saturi: impatiens enim creditor est venter. Hinc Seneca monet, Ut si quis deprehendat se ieiunio proclivius in iram incidere, ut degustet priusquam res arduas ordiatur.

Et damnatum immaniter tractetis. Pugno percutere, periphrasim esse autumavimus immanis tractationis: hinc sic vertimus.

Non ieiunatis hodie, ut in sublimi exaudiatur vox vestra. Ex כיום Hodie, vertimus. Absolute enim positum, pro certo tempore de quo sermo fit, ponitur, etiamsi non addatur הזה. Porro In sublimi non exaudiri vocem, dixit pro, Non placere domino qui in sublimi sedet.

Et retorqueat caput suum tanquam hamum. Somatopoeia est. Sic enim hypocritae dum volunt hominibus ingerere sua ieiunia pallorem et cruciatum suum, quem ex inedia patiuntur, omnibus ostentant.

Ut aperias nervum tibi addicti. Addictum fecimus ex רשע id est, Damnato. Priscum enim forum Romanorum sic loquebatur, addici cui quem, quum propter non solvendum aes alienum ei adiudicaretur qui crediderat. Nervum autem vertimus ex חרצבות, id est, Alligationibus.

Ut solvas nexus violentorum contractuum. Hebraea habent ad verbum, Reputa alligationes concussionis, hoc est, Rationem habe ut remittas obaerationes, quibus pauperes concussisti. Recte igitur verterunt sensum magis quam verba Septuag. διάλυε στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων, id est, Solve nexus violentorum contractuum. Nam et Romani alligationes debitorum qui solvendo non erant, Nexum vocabant. Vide leguleios cum Livio.

Ut mittas liberos aere alieno oppressos. Hebraica habent, Et mitte fractos liberos. Vide quae verborum pondera, Mittendi verbum pro Manumittendi: Confracti autem pro Aere alieno fractis, ponuntur.

Et carnem tuam non averseris. Magna est ἐνέργεια, id est, interna vis huius orationis: quasi dicat, eum qui unum ex membris corporis tui est.

Iustitia tua coram te incedet. Tacita est Antithesis. Quaerunt

hypocritae iusti videri suis aut factis aut ieiuniis. Obstrepit ergo deus ac monet, ut quae ipse amet, faciant, tunc fore iustos. Iustitiam autem antecedere, belle dixit, ab anteambulonibus principum tracta Allegoria, pro, Tunc vere iustus eris, hoc est, Ista sunt verae iustitiae et innocentiae testimonia. His studete clari esse.

Si modo onera tua ponas. Sive tua, quibus te ipsum gravas, sive per Hypallagen Tua, quibus alios opprimis. Quamvis Hebraea videantur priorem sensum habere.

Digitum demittas et impiam loquacitatem. Iterum ponitur Mittendi verbum, pro Demittendi.

Iam orietur in tenebris lux tua. En quam erudite et sancte opponit innocentiae ac bonitatis lucem splendori vanae gloriae.

Ossa tua saginabit. Confirmandi periphrasis est. Ossa enim quum hauriuntur medulla sua, robur amittunt.

Cuius venae perennes sunt. Hebraica habent Antiphrasim: Cuius aquae non fallunt. Perennes aquas vocant Latini, fontium scaturigines ac venas, quae nunquam hauriuntur. Vide autem quae felicitas, in comparando sanctum et innocentem hominem, quibus rebus.

Colentur a te sempiternae solitudines. A novalibus nunc trahit allegoriam. Ea tandem sunt, quum constat prius nunquam fuisse culta. Sic qui innocentiae per omnia student, aliis quoque ipsam colendi spem faciunt ac animum.

Et fundamenta posteris generationibus excitabis. Fundamentum pro seminario et origine posuit. Abstrahit autem a carnali nobilitate Allegoriam ad spiritus gratiam.

Vocaberis etiam rupturae munitor. Haec sunt eximia liberatorum et conservatorum praeconia: quomodo apud Romanos Pater patriae. Munitorem autem ex Sepiente fecimus.

Et refector viae sabbathi. Restitutor, est ad verbum. Latini utuntur verbo Reficiendi.

Si referas pedem tuum a sabbatho quo minus facias. Haec conditio satis firma est, ad roborandum prioris orationis sensum.

Iam vocaberis ad sabbathum domini iucundum. Elegans metastasis est in voce Sabbathi. Prius posita est pro vacatione a scelere: nunc autem ponitur pro omnimoda felicitate, qua fruuntur qui inter divos relati sunt.

Si inquam ipsum honoraveris. Hic ו consequutionis nota est. Vertimus igitur in Si.

Neque verbis tuis loqueris. מ privativa particula proleptice posita, etiam huic membro servire debet. Aeque relativum, Tuus. Quum ergo Hebraei habeant Et loqui verbum, debuerant interpretes vertere, Neque loquaris verbum tuum. Loquitur autem verbum suum, qui non praefert dei iussum suis consiliis.

Qui te vehet super excelsa terrae. In tertiam personam vehendi verbum ideo transtulimus, quod prima qua hic fit deus loquens, durius cohaeret.

EX CAPITE LIX.

Neque obtusa est auris eius quo minus etc. Obtusam aurem

ex gravi fecimus. Ut nunc propheta post acerbam increpationem laeta promisit, si mores mutent: Sic impraesentiarum redit ad correptionis acrimoniam, quam in superioribus etiam tractavit.

Nullus advocat iustitiam in consilium. Ad verbum habent Hebr. Nullus advocat iustitiam. Est enim ב articulus, et Vocandi verbum simplex pro Advocandi ponitur. Accipiunt autem et Latini Advocandi verbum in foro, pro Consulendi, Iuvandi, et Defendendi.

Ex fide iudicat nullus. Hic ponitur נשפט pro communi verbo.

Quisque spem ad frivola adiicit. Hebraica habent sic infinitivas orationes per tota quatuor membra, Sperare inania, Loqui vana, Concipere laborem, Parere scelus: quae quum isto loco non convenirent Latinis auribus, in eam formam interpretati sumus quam vides lector.

Ova basilisci incubant. בקע Helvetiis quoque significat pullum ex ova excludere, bicken. Rostris enim per putamen actis, iter nativitati faciunt volucres. Sunt autem proverbiales orationes: sicut Germani dicunt, Ein rappen ußbruten, id est, Corvum incubare, sive excludere, pro Rem insigniter malam parare.

Araneae telam texunt. Proverbium est omnibus notum: Quum scilicet magnifici isti sibi blandiuntur, quasi rem arduam invenerint ac perfecturi sint: deinde in spongiam exeunt omnia. Sive dum frivola strenue sectantur.

Qui de ovis eorum ederit morietur: quod si conculcaverit, excludetur vipera. Lupum auribus tenere: aut Inter sacrum stare et saxum: aut Frustra occidi parentes liberis superstitibus, et quae huiusmodi sunt, eandem vim cum praesentibus habent: quibus summa significatur ambiguitas. Sic enim feré usuvenit nostro hoc saeculo, ut praepotentes isti audacissima consilia quum ceperint, deterreri nolint. Iam si isti qui sunt aequitatis observantiores, declinare periculum volent, in has angustias truduntur, ut si illis obsequantur, iam adpertam tyrannidem foverint: si eos eliminent, mancam aut moestam Rempub. reddant.

Vastitatem et perniciem quoquo versum secum trahunt. Quoquoversum secum trahunt, vertimus pro, In semita vel itinere ipsorum. Hinc petiit in Romanis suis quaedam Paulus 3. capite.

Ad tumulos velut semimortui senes. Est et hic proverbium, quantum nobis videre datum est. Offendere dicimus ad sepulchra senes ac decrepitos capulares, hoc est, Vicinos esse morti. Quum ergo Hebraei habeant, ad tumulos tanquam mortui, et Mortui, pro Vicinis morti ponantur, sic libuit vertere.

Grunnimus omnes instar ursorum. Habent ursi quaedam cum suibus communia: idcirco grunnitum tribuimus eis pro rugitu. Attulit autem duo commodissima similia, Ursum et Columbam: quorum uterque est expectationis impatientissimus.

Veruntamen ideo quia multiplicatae sunt etc. Mirum est cur Hieronymus omiserit כי, id est, Ideo: quum totius contentionis huius argumentum sit, Scelera hominum dissociare inter deum et ipsos.

Deficere post tergum a deo nostro. Graphice describuntur hic artes et consilia carnis. Deficere autem vertimus, pro Retro cedere.

Unde a nobis defecit aequitas. Iucunda ἀνάκλασις. Nos deficimus a deo nostro. Iure igitur deserit nos aequitas.

Et iustitia eminus cunctatur. Vertimus pro, Iustitia longe constat, vel longe distat. Respectanti et cum dolore deserenti similis, Ethopoeia est.

Veritas in plateis concidit. Vide quae porro προσωποποιΐων amoenitas.

Quin potius veritas vim patitur. Vim pati veritatem, ideo credimus prophetam sensisse, quod Septuaginta verterunt ἡ ἀλήθεια ἦρται, id est, Veritas sublata est. Miserabilem statum adumbrat propheta: Sed est hoc saeculum ferme infelicius quo scelera cuncta maiorem in modum excreverunt.

Vidit quoque quod nemo esset qui intercederet. Intercessorem ex secundo membro in primum transtulimus. Significat autem Romanis Intercedere, Vetare ne quid sanciatur citra ulteriorem ac maturiorem considerationem. Sic intercedebant tribuni plebis, quo minus iuberent Patres, etiamsi plebs sanxisset: aut ne quid statuerent sine populo. Sic nemo erat qui ceu Moses intercederet, errores corrigendo, ac animi tam constantia quam innocentia deum demerendo. Omnes enim ex aequo ferimur adfectibus.

Et pertaesum est eum. Hieronymus transtulit שמם in Aporiatus est, Hebraicam vocem in Graecam: quod indubie suo tempore ἀπορία Latinis esset obvia. Quae vox desperabilem haesitantiam, ac mentis inopiam significat. Hoc modō Taedium Latinis nonnunquam accipitur, pro eo mentis statu quo haeret ac stupet, ut quid consilii capiat ignoret. Tribuitur ergo ἀνθρωποπαθῶς hic deo talis cunctatio et haesitantia.

Et consolatus est se brachio suo. Loquutio Hebraica sic habet: Et salutem vel opem tulit ei brachium suum: hoc est, Robore suo se consolatus est: vel, Ad brachium suum conversus est, et ad iustitiam, quum indignos videret nos sua bonitate.

Ac protinus iustitiam tanquam loricam induit. Protinus, ex ו est, quae hic pro celeritatis nota ponitur. Induit autem deum eis ferme armis, quibus in Ephesiis Paulus nos munit.

Ac omnino talis fervor erat. Fervorem ex חמה transtulimus. Res repetere, vel super repetundis agere, huic loco competit loquutio, aeque caetera. Tu modo expende lector nostra cum Hebraeis.

Ut vicissitudinem redderet feris hominibus. Feros homines, vertimus ex איים, qui nonnunquam Insulas, nonnunquam Satyros, nonnunquam Noctuas significant: at haec omnia propter separationem et remotionem. Disiuncta enim fere sunt ista a commercio, continentis, hominum, animalium.

Quod dominus vento concitavit. Hic competebat Ventus ex רוח. Perhibet autem ultionis procellam, timorem omnibus incussuram.

Zion autem et eis qui de Iaacob etc. veniet redemptor. Hoc est divinae bonitatis, ut in ipso malorum procinctu salutem promittat, si resipiscamus. Sic Ieremias, hoste iam muros invadente, salutem

pollicebatur, si rediissent ad bonam mentem. Zion autem omnino est hoc loco Ecclesia universalis: Iacob autem ecclesia prisca Israëlis.

Hoc foedus cum eis pangam. Cum Zione scilicet et Israële, iam dictis.

Spiritus meus quo te imbuam, et verba mea quae inseram ori tuo. Spiritum anteposuit. Absque spiritu enim verbum dei rapit caro in contrarium sensum. Constat autem coelestis doctrina, verbo et spiritu. Haec promittuntur Ecclesiae. Habet ergo Prophetas qui docent praedicando: habet et Spiritum qui illuminat, ac mentes deo conciliat, instinguendo et ingruendo, ubi ipse vult.

EX CAPITE LX.

Quae isto Capite dicuntur, absque controversia probant, sub Zione vel Ierusalem nomine Ecclesiam universalem debere intelligi. Id autem ex iam saepe dicta causa: quod Ecclesiae universalis primitiae fuit Israël, sive Zion. Ad Zionem ergo nunc colligit propheta cunctas Gentes ac populos: hoc est, ad primitias universum autumnum.

Surge igitur ac matura. Ex אורי conveniebat LXX. ὀρθρίζου vertere: Latinos autem, Mane surge, vel Matura. Ad summam enim lucem, quum adpetit aurora, Maturandi verbum congruit: quamvis Graecorum ὀρθρίζεσθαι magis elegans sit.

Caligine terram ac populos etc. tibi orietur dominus. Christo ad nos coelo descendente, sola Zion Ecclesiae nomine gloriabatur. Ea vero mox accessione Gentium ampliata et magnificata est.

Omnes isti congregantur et veniunt tibi. Haec iterum dicticῶs legenda sunt. Quasi circumlatis oculis omnes Gentes perlustraverit Zion, hoc est, Ecclesia, ac deinde dicatur ei: Omnes isti congregantur etc.

Et filiae ex omni parte adfluent. Hic latus visum est non secus pro omni latere accipi, quam superius Manus, pro Quaquaversum. Porro adfluendi verbum ex תאמנה hoc est, Certae aderunt, vertimus.

Quum pelagi immensitas ad te convertetur. Periphrasis maris est, pelagi immensitas. Sensus est: Quum terra et mari videbis ad te properare.

Dromedarii, Madian, et Epha. Vi Synecdoches constant periphrases istae. Propterea quod hae gentes camelis fere utuntur, ideo ipsas per camelorum periphrasim accipimus. Dromedarios ab Hieronymo mutuavimus: qui sic a pernici cursu adpellati sunt. Eos ex בכרים transtulit, quos nos Nabes credimus esse: de quibus Plinius lib. 8. cap. 18. qui alio nomine Camelopardales vocantur. Porro Madianitas eosdem esse quos Ismaëlitas, sacris literis constat. Reliqua ex Oecolampadii commentariis pete.

Omne pecus Cedar congreg. Arietes Nebaioth ministrabunt tibi. A pecoribus his gentibus vulgatis, ipsas gentes adpellat, beneficio Periphrasis et Synecdoches. Cedraeorum et Nabathaeorum meminit Plinius lib. 5. cap. 11.

Porro qui sunt isti qui advolant tanquam nubes? Pulchrum spectrum fingit, quasi cumulatim et catervatim videat Gentes ingruere,

non aliter quam immanes nubium moles quae Austro protruduntur. Vehi denique ac properare ad ecclesiam populi dei, non aliter quum Columbae, imminente aut tempestate aut aquila, ad fenestras suas irruunt.

Atque adeo marinae naves. Atque adeo, vertimus ex בראשנה, id est, Cum primis, vel In primis.

Cum argento et auro ipsorum. Nobiscum distinguunt Rabini hanc sententiam. Sed per adportationem argenti et auri, nihil aliud quam oblationem fidelium intelligit, qua se ipsos deo offerunt. Id autem a vetere offerendi ritu allegoria tracta, in quo ista visibilia offerebantur, nunc in pauperes transtulit Christus. Eodem modo spiritalia facit Paulus carnalia et externa, quae in Lege praecipiebantur in Rom. Corinth. et Hebraeis.

Et aedificabunt filii alieni muros tuos. Muri hic quoque ex Gentium filiis Evangelio credentibus ἀλληγορικῶς aedificantur.

Nam quum irascerer percussi te etc. Ad Ecclesiam dirigitur sermo: sed quae tunc ex Iudaeis erat. Etiamnunc iratus percutit Ecclesiam externam istam, quae dei verbum contemnit, suum autem observat.

Cyparissus, pinus, et cedrus, ex aequo illustrabunt locum sanctuarii mei. Hae sunt Libani opes, excelsae istae arbores. Eae autem omnino significant principes qui rebus praesunt: quod non uno loco in scripturis habetur. Quomodo et in hoc propheta supra 2. et 40. capitib.

Locum enim pedum meorum augustum reddam. Periphrasis est Hierosolymorum. Per Eam autem intelligit Ecclesiam: quomodo et Paulus in Galatis.

Et adorabunt plantas pedum tuorun. Prosopopoeia est. Ecclesia enim non habet plantas. Sed his periphrasibus describit eam deditionem, qua se Gentes recepto Evangelio domino consecrant.

Claram te constituam in sempiternum. Obscura est Syriaca: sed clara coelestis Ierusalem.

Lac Gentium suges. Iucunda hypallage est, pro Ex Gentibus adolesces.

Pro aere aurum dabo etc. Quae in templo materiali, fere ex auro, aere, argento et ferro erant. In Ecclesia vero promittit omnia nobiliora fore. Id tandem est aerea aurea fieri. Fulget in Ecclesia caritas pro auro, misericordia pro argento, constantia pro aere, patientia pro ferro etc.

Praefectos tibi dabo Pacem, et exactores Iustitiam. Ipsa pax (inquit) praefectus erit tuus, et exactores tui iustitia. Ephexegesis enim est mutati aeris. Veruntamen et ipsa valde poetica, quum Pax et Iustitia personis induuntur.

Et compensabuntur dies luctus tui. שלם, non minus Rependere signif. quam Conciliare, implere, aut absolvere. Visum est ergo Compensandi verbum huc quadrare.

Flos plantationis meae erit. Flos hic pro Eleganti et Eximio. Eximius enim fuit populus Israëlis, et flos a deo plantatus. Idem nunc est Ecclesia.

Opus manuum mearum quo glorier. Opus item pro eximio et

praecipuo opere capitur. Tracta allegoria a statuariis, pictoribus, et aliis artificibus egregiis, qui singularibus nomen operibus comparant.

Ninimus sobolescet in mille etc. Multiplicationem filiorum dei, carnali propagatione, qua gaudebant Iudaei, adumbrat.

Ego dominus accelerabo istud in tempore suo. Dicant Iudaei quando istud impletum sit, et herbam quod dicitur porrigemus. Nos enim nunquam legimus eos ad hunc modum auctos. Quanquam non tam contumax sim ut negem esse ὑπεροχήν. Sed quoniam imminuti sunt et humiliati plus quam omnes Gentes: id quod quidam ex eis queritur. Deinde ne decimus quidem, imo millesimus ex eis superest: Hinc fit ut ad carnalem Israël ista referri non possint. Christo autem nato et inter Gentes praedicato, universa quae dicta sunt usuvenerunt.

EX CAPITE LXI.

Spiritus domini dei mecum est. Orditur hic alium sermonem propheta: sed non alterius argumenti. Loquitur enim in persona Messiae. Nam et Christus ipse in Synagoga, ut Lucas testatur, dixit hunc prophetae sermonem in se impletum esse: hoc est, se hunc esse de quo hic loquitur vates. Mecum est, autem vertimus pro, Apud me est. Neque est praetereundum, quod etsi Iudaei ista contenderent; prophetam de se loqui, hunc enim unctum, id est, inauguratum esse ad annunciandum liberationem: multos tamen locos esse qui illi non possunt competere ullis figurarum, loquutionum, aut troporum suffragiis. Quales sunt omnes ab isto loco qui sic incipit: Ad dandum his qui Zion lugent pulchritudinem etc.

Ad provulgandum annum a domino decretum. Hic legi debet, Promulgandum, non Provulgandum. Deinde Annus, pro gratiae tempore, quomodo et superius Annus acceptus fuit. Decretum autem prò Placito ideo vertimus, quod Placuisse patribus dicunt et Latini et Hebr. pro Decrevisse patres, ut saepe dictum est.

Et diem ultionis dei nostri. Dies ultionis, non ponitur hoc loco pro eo, quum in nos animadvertit deus, sed pro eo quum de hostibus nostris, et praesertim de adversario nostro diabolo, ultionem capit, id quod sequentia testantur: Ad consolandum omnes qui lugent.

Pulchritudinem pro pulvere. Studuimus et ipsi Paronomasiam reddere, Pulchritudine et pulvere, quam Hebraei habent in פאר et אפר, id est, Splendore et Cinere.

Ut vocentur Dii innocentiae. Primum Innocentiam vertimus ex Iustitia, de quo supra. Deinde, Dii innocentes, respondisset Hebraismo: quo adiectivum sive epitheton in genitivo addunt subiecto sive substantivo, et dicunt: Innocentiae dii, pro, Dii innocentes. Attamen haec versio difficilior videbatur auribus quorundam. Vertimus ergo Deos innocentiae, hoc est, innocentiae tam studiosos, ut iam Dii quidam, sic enim deus ipse dignatur nos adpellare Psalmo 81. per Hyperbolen, videri possint.

Urbes vastatas reficiant. Quae hic allegoriae a novello terrae cultu reliquisque rebus tractae sunt, a Iudaeis impletae esse nequeunt

ostendi. Agnoscant ergo, Ecclesiam eam, quae ex ipsis aliquando erat, de nobis instauratam resurrexisse.

Vos autem sacerdotes domini vocemini. Erat Iudaica gens aliquando sacerdotalis populus totius orbis: nunc fideles Christi in eorum locum successerunt.

Substantiam Gentium comedatis. Substantiam nostram comedunt quum nos verus Israël sumus. Devorat enim nos illorum olim Ecclesia, atque in se transmutat.

Pro ingenti confusione et ignominia vestra, exultabunt sortem suam vobiscum habere communem. Hic iterum vertimus ex Duplici, Ingens. Deinde, Habere communem, de nostro addidimus. Nam si ad praescriptum Hebraicorum verborum transferas, Gratulabuntur partem suam, ad idem redit sententia. Sive Gentes gratulentur quod sortem sint cum Iudaeis nactae; sive tam liberaliter gratulentur, ut sortem velint cum Iudaeis habere communem: idem est.

Ut divitem haereditatem in terra eorum partiantur. Sive Gentes, dum Chananaeam partiuntur sibi: hoc est, dum sibi iure vendicant nomen populi dei: sive Iudaei, dum nos eorum facti sumus. Non hi quidem Iudaei qui Christum occiderunt: sed qui expectarunt venturum, qui amplexi sunt venientem, praesentem observarunt, et abeuntem colunt.

Etiam si quis in holocaustum eam offerat. At Rom. pontifex rapinam, et quavis iniuria partam pecuniam, tunc tandem iure possideri perhibet, si praedae consors factus sit.

Efficiam ut opera eorum fideliter respondeant. Ambiguus est sermo Hebraicus. Ad hunc, Ex fide amplectar eorum opera, id est, Gratis accipiam. Et ad hunc sensum, Reddam eorum opera cum fide, ut respondeant scilicet: quem nos secuti sumus. Nam in Abacuc, Mentiri olivam opere suo legimus, quum spem cultoris frustratur. Sic ergo opera in veritate e diverso sunt, quum spei colonorum respondent.

Omnes qui videbunt eos, cognoscent quod benedictum semen domini sint. Hi scilicet qui Abrahae fidem habuerunt ab omnibus cognoscuntur esse filii dei. Isto cognoscuntur discipuli Christi, impletione iussuum eius.

Impense igitur gaudeo. Carmen est gratulatorium super tanta felicitate ecclesiae, quae tam dives et honorata futura erat Gentium accessione.

Germinabit iustitiam et pietatem apud omnes Gentes. Haec irreprehensibilis nota est, qua sustinetur, superiora non de carnali Israële aut Zione esse intelligenda, sed de fidelium ecclesia.

EX CAPITE LXII.

Idcirco propter Zion non tacebo. Tacendi verbum facile ponunt pro Quiescendi; sed quoniam Quiescendi verbum שקט sequitur, nihil mutavimus. Nihil autem vetat haec dici in persona prophetae usque: Super muros tuos o Ierusalem constituam custodes: ut scilicet polliceatur se amplitudinem ecclesiae celebraturum, et divina promissa can-

taturum, donec omnia impleantur. Id quod non tam corpore quam carmine praesens fecit. Nobis tamen vividior sensus esse videtur, si omnia divino ori tribuamus; etiamsi Rabinorum sententialis distinctio non adstipuletur. Sunt autem hic Zion et Hierosolyma omnino ecclesia Christi.

Videbunt enim Gentes iustitiam tuam. Tuam, Zion, id est, Ecclesiam refert: omnibus nota debet esse sanctorum innocentia. Sic enim lucere vult Christus lumen nostrum, ut opera nostra bona videantur etc.

Et adpellabunt te nomine novo. Ut quae hactenus Iudaeorum, nunc Gentium aut Christi ecclesia vocetur.' Et quae hactenus dimissa aut repudiata, quemadmodum paulo post sequetur, fuit adpellata, vocetur placita et grata.

Et eris splendida corona in manu domini. Coronam pro summo honore et decore illis accipi, iam dictum est antea. At qui convenit coronam esse in manu domini, quum coronae capitibus imponantur? In manu domini, hoc loco, est in tutela domini esse. Similia sunt quae hic dicuntur, istis quae Paulus de ecclesiae munditia et puritate, nunc virginem eam faciendo, nunc matrem familias, disserit.

Sed tu quidem vocaberis Haephziba. Iucunda est Paronomasia in עזובה et חפצי בה, quarum vocum illa derelictam aut dimissam: haec autem, placentem mihi, significat,

Et terra tua Beula (hoc est) nupta. Nuptam vertimus pro Maritata.

Sicut enim adulescens virginem sibi maritat, sic maritabuntur filii tui. Est hic loci videre istud comparationis genus, ubi neque comparanti, neque comparato similitudinis ulla nota adponitur, de qua re supra. Et ne quis frivola nos docere dicat, in medio erit LXX. interpretatio quae sic habet, *τε ὡς συνοικῶν νεανίσκος παρθένῳ, οὕτως κατοικήσουσι οἱ υἱοί σου μετά σε*, id est, Et quemadmodum habitat adolescens cum virgine: sic habitabunt filii tui tecum. Ubi adnotatum est Habitandi verbum *οἰκεῖσθαι* Graecis paulo significantius esse quam Latinis, pro Nuptiali cohabitatione. Videmus hic loci, ut Graeci interpretes addiderint comparationis notas, *ὡς* et *οὕτως*, id est, Quemadmodum, et Sic.

Super muros tuos o Ierusalem constituam custodes. Custodes ideo reliquimus, quod esse videam qui ad Episcopos referant; nobis tamen pro Excubitoribus, pro vicibus, et ordinibus, quibus cantores et musici distincti erant, poni videntur: quamvis allegorice pro Ecclesiae membris, quae dominum pro beneficio missi ad nos filii sui nunquam contemplari, laudare, et gratias agere cessant.

Quin et vos de plebe. Arbitrati sumus ad universum populum dici, tum priscum ex Iudaeis, tum novum ex Gentibus. Idcirco, Quin et vos de plebe, addidimus. Contendit enim hortando propheta ut omnes excitet. Praedicit autem in universum, cunctos filios dei summo desiderio oraturos et expectaturos eam ecclesiae felicitatem, de qua tam multa disserit.

Pro quo sudasti. Pro Laborasti, Sudasti vertimus, quo hic

loci simplex prophetae sensus clarius elici visus est. Negat autem tota ista periodo, se non ultra daturum ecclesiam in direptionem, hypocritis maxime. Videmus enim et nostro saeculo, ut eam a falsis prophetis vindicet et adserat.

Recedite ac digrediamini qui in porta statis. Elegans Parasceve, qua praeparatur et munitur iter, venienti salvatori cum innumerabili coetu ecclesiae, quam de Gentibus scripsit.

Ecce opes suas secum advehit. Ex Mercede Opes fecimus, non quod a mercede abhorreremus, sed quoniam sermonis Allegoria tracta videtur a triumphantibus, qui opes quas ex hoste referunt omnibus ostentant, res autem a se gestas in tabulis depictas exhibent, Idcirco in hanc sententiam vertimus. Et haec omnia sunt velut breviarium humiliationis et exaltationis Christi. Quibus omnia quae superius tam de ipso quam ecclesia illius dicta sunt, clare exponuntur, ut de carnali Israële non possint intelligi. Quae enim sequuntur ita nulli possunt tribui, quam ei soli qui nos sanguine suo mundavit Christo, ut labor sit Iudaeos ista nolle videre. Incommodavit et hoc loco distinctor, quum novum Caput incoepit, ubi, quae in Triumpho dicuntur, et ut res a se gestas triumphans memoret, nondum est expositum.

EX CAPITE LXIII.

Tunc dicetur: Quis vero hic est qui venit de Edom? Tunc dicetur, de nostro est: ut intelligamus eos loqui qui pompam triumphantis spectent. Inedicibilis est hic eruditio. אדום Edom, Ruffum significat, et loci proprium nomen est. Vide igitur quam amoeniter mirentur spectatores triumphi, quum Christum sanguine suo rubricatum, de Edom venire murmurant, atque hoc propter purpuram qua induebantur triumphantes.

Tincta veste de Bozra. בצר et Vindemiam significat: et loci nomen est. Christum ergo uvidum, glutinosum et squalidum facit: quomodo hi sunt qui vindemiam curando curam corporis negligunt, propterea quod male tractatus, flagris caesus, spinis coronatus, crucifixus, lancea penetratus, ac totus toto sanguine imbutus maduit.

Ille tam honorifice paludatus. Paludamentum vocarunt militarem imperatoris ornatum, quum ad bellum proficisceretur. Christum ergo victorem ab hoste redeuntem paludatum facere placuit, ut aliqua ratione ornatum prophetae assequeremur.

Ego sum, inquiet, qui et iusta moneo etc. Inquiet, inserui respondentis notam, quam isti de industria omittunt. Qui iusta moneo. Periphrasis est iusti: quasi dicat, Ego sum solus iustus et salvator.

Cur ergo, dicent, rubra est vestis tua. Dicent, iterum nota est sermonem commutantium. Commodum quaerunt, quum se salvatorem praedicasset, cur ergo sanguine respersus sit? Videant haec Iudaei, et desinant tam insani esse, ut sibi gratulentur de occiso a se Christo, ut quem iure trucidaverint: Desinant quoque humilitatem eius contemnere, quum tam adperte videant Coryphaeum prophetarum suorum, omnia de illius humilitate et gloria praedixisse.

Torcular, inquiet, solus calcavi. En nobis eruditas literas.

Qua elegantiore Allegoria quam a torculari et vindemia tracta, potuisset humiliationis, crucis, et mortis Christi gloria exponi? Utut enim neglecti et sordidi sint qui vindemiae praesunt, laeti tamen et alacres prodeunt.

Ex omnibus populis nemo mihi adfuit. Quae ista porro est Allegoriae felicitas? Torcularis molem solus rexit. Neque hoc contentus est vates innuisse, ni simul pugnam cum labore torcularis insinuet, quam pugnam solus pugnaverit, nullorum populorum copiis fretus. Quibus omnibus docetur liberationem humani generis perfici a nullo potuisse quam filio dei.

Conculcavi hostes in ira et furore meo. En ut a torcularis uvido succo et trochlearum tormentis, transeat ad hostium sanguinis profluvium. Iam iram et furorem in bono pro animi fortitudine capi, nemo est qui non videat. Constat autem allegoria ista Prosopopoeia. Hostis enim quem concidit Christus, peccatum est.

Diffususque est sanguis eorum ad vestem meam. Quae quaeso haec est Hypallage? Sanguine peccati, quod stravit ac fudit, se dicit aspersum, quum ipse nos suo sanguine imbuerit ut mundemur. En nobis ut picturata sint omnia, in media allegoria, ita tamen ut simplex sensus nullo negotio videatur.

Circunspiciebam autem, sed non erat auxiliator. Circunspiciebam pro Spectabam verti, quoniam et Rabini verbum Hebraicum punctis ingravarunt. Est autem haec Epanodus ad id quod dixerat, Ex omnibus populis nemo mihi opitulatus est.

Destituebar omni spe, sed non erat qui fulciret. Hieronymum admodum miror, cur hic non verterit Aporiatus eram, quum et idem verbum שׁמם hic sit, quod superius in eam vocem traduxit, et sensus ipse hoc maxime requireret.

Nitebar ergo brachio et fervore meo. Vertimus pro, Opem ergo: vel, Salutem tulit mihi brachium meum: hoc est, Fretus brachio et fortitudine mea, beluam peccatum adortus sum.

Calcavi igitur populos etc. Caedes populorum quae hic habetur, Periphrasis est superati peccati et mortis.

Misericordias domini memorabo. Erumpit, quomodo nusquam non, hoc loco commodissime in gaudii et gratiarum actionis carmen. Quum enim rem tam arduam tanta stili granditate commemorasset, inflammatus ipsa causae magnitudine, bonitatem domini per transcursum collaudat.

Innumera videlicet bona domui Israël. Domui Israël tribuit, ut humani generis conditor et liberator secundum carnem de ea nasceretur. Tribuit ei quoque Gentium accessionem, non carnali ac perfidae, sed quae ex eo spiritu nata est, per quem Iacob renatus fuit, ac Israelis nomen accepit.

Profecto populus meus erunt isti. Profecto ex אך vertimus, de qua voce multa iam diximus. Docte autem facit deum secum deliberantem super populo Israëlitico, quo magis amplificet divina in eos beneficia.

Meminit tamen retro temporum. Iam tandem competebat ver-

bum adponere, quocunque modo punctis sententialibus distinguant Rabini.

Quomodo duxisset eos de mari tanquam pastor gregem suum. Hic איך in, Quomodo, verti debuit: habet enim et hanc significationem. Tanquam vero ex את, quae vox articulus, praepositio, et comparationis est nota. Cum pastoribus igitur, quomodo Hieronymus vertit, tantundem valet ac si diceres, Quomodo pastores, vel Perinde ac pastores.

Et per desertum velut equum, quo minus impingerent. Sensus ambiguus est si Rabinorum puncta cohibeas ne mussitent. Semel enim huc vergit, quomodo duxisset eos per Abyssum et per desertum velut equo, ut non impegerint. Iterum, ut non Transitus, sed Ductus comparetur: Quomodo equus in deserto aut impedito loco ducitur ne offendat: sic duxit Israëlem dominus. Eam comparationem nos secuti sumus: at forsan imprudentius. Tu ergo Lector elige utrum velis.

Spiritus enim domini direxit eos. Direxit nos habent Hebraea: at indubie propter carminis difficultatem. Verterunt ergo Septuaginta et Hieronymus in tertiam personam.

Quum tu sis pater noster. Abraham enim non cognoscit nos, et Israël etc. Fuit et Abraham pater eorum, sed secundum carnem tantum. Quod autem non agnoscat eos amplius, irrefragabile profecto testimonium est, divos non advocare apud deum pro nobis, quomodo Pontificii docuerunt.

Quare abduxisti nos domine a viis tuis? Sancta quadam audacia incessit divinam providentiam, qua universa gubernantur, qua Iudaeorum error praevidetur, antequam mundus fiat, ut efficacius intercedat. Inquit ergo: Nos errorem agnoscimus, at extra providentiam tuam in errorem non sumus lapsi.

Indurasti cor nostrum. Quae hinc usque ad 65. Caput habentur, magis pertinent ad ultimam istam repudiationem Iudaeorum, in qua etiamnunc sunt, quam ad aliquam repulsam, quae fuit ante Christum natum. Eam ergo quum dei instinctu videret Isaias, tanta querimonia instat apud dominum.

Redi nobiscum in gratiam propter servos tuos etc. Invocationis divorum hic regulam habemus. Isaias propter patres divinam gratiam lacessit, qui prius negavit eos nostra scire. Non ergo invocabat patres, sed deum, intuitu eorum qui amici eius fuerant, sollicitat. Nunc autem quum non aliud nomen sub Sole sit, in quo salvi fieri possimus quam Christi, iuxta verbum Petri, Act. 4. et Christus per patres invocandi consuetudinem tollat, quum Ioan. 16. sic monet: Vere et sancte vobis polliceor, quod quaecunque petieritis nomine meo a patre, daturus sit vobis. Usque ad hanc horam nihil postulastis in nomine meo (Ecce ut corrigit quod hactenus non petierint in eius nomine). Petite et accipietis. Iam tolerare ipsa religio nequit, ut per aliud nomen invocemus deum, quam Christi.

Populus tuus sanctus sanctuarium tuum. Sanctum et sanctuarium vertimus ex una voce קדש, sed a fine periodi repetita, et in sequentem locum relativo eius loco posito.

Et nos quidem a condito saeculo fuimus. Hic Quidem, de nostro adiccimus, ut Antithesis clarius patefieret.

Illorum autem dominus non fuisti. Hic, Autem, alteram Antitheseos notam subdidimus. Dominatur ac régit universa deus. Sed per Hypallagen hic locus est intelligendus. Non fuisti dominus istorum, pro, Isti non agnoverunt te dominum suum esse, quomodo nos: id quod protinus adiuncta Ephexegesis probat.

EX CAPITE LXIV.

O si coelum scindas ac descendas. Equidem non tam ad primum quam ad secundum adventum Christi, haec pertinere arbitror, sed non praeter rem. Quum enim querimonia prophetae maior sit quam calamitas Iudaeorum esset suo tempore, constat omnino de aliis loqui temporibus. Sin autem nunc ad eam voles referre, quae a Babylonio eis data est, iterum non competit ipsa querimoniae magnitudo, quum viderent prophetae non tantum ex ea captivitate reditum, sed etiam tempus reditus. Sed liberum sit cuique sequi quod vero simillimum esse viderit.

Et violenti velut aqua ab igne inflammentur. Frequens est apud Hebraeos hic adparatus adventus domini: Ignis ante ipsum ambulabit, montes sicut cera liquescent etc. Quo tamen impiorum audaciam et terrent et perituram simul, ut splendoris gratia dicunt, clam insinuant. Violentos vertimus ex חמסים. Comparatio autem inflammatae aquae sic est accipienda: Sicut aqua igne inflammatur, sic inflammari istos, hoc est, igni consumi.

Descendas inquam. Hanc Epanalepsim non habent Hebraica, sed lucis causa ipsam addidimus.

Et inexpectatis operibus tuis. Inexpectata vertimus ex לא נקוה, ubi per Ellipsin deest אשר, id est, Quae, hoc sensu: Ut descendas cum admirandis operibus tuis, quae non expectamus. Ut sit alia Periphrasis miraculorum dei. Haec enim ferme pro miraculis habemus, quae inusitata et inexpectata sunt.

Nemo audire etc. voluit o deus praeter te unum etc. Vehemens accusatio ingratitudinis. Neminem perpendisse divina beneficia, qui his adfecti sunt etiam, neminem esse ipsorum memorem, praeter unum deum. Is ita benefacit, ut quum ingrati simus, iterum per bonitatem suam veniam det, ut pluribus beneficiis demereatur. Non abhorremus hac nostra interpretatione a sententia Pauli, prima Cor. 2.

Adiuvas qui iustitiam intrepide sectatur. Adiuvas, ex פגעת vertimus, Succurrendi verbum pro Occurrendi, quomodo Hieron. transtulit.

In peccatis consenescimus, et salvus non est. Hebraica sic habent ad verbum, In eis (intellige Peccatis) in perpetuum (intellige Sumus. Pro quo vertimus, Consenescimus) Et salvus. Hic per Ellipsim deest, aut interrogatio negativa: Num aliquis est? aut per Aposiopesim, Nullus est. Requirit enim contentio in qua est propheta, hunc potius sensum quam diversum.

Ecce urbes sancti tui in Eremum versae sunt. Ecce, ex ante-

riore membro est. Sancti, noluimus in Sanctuarii transferre, quamvis Sanctum credamus accipi pro tota promissa terra. Versae sunt, nobis natae sunt, ex Factae sunt.

Et omnes amoenitates nostrae in solitudinem conversae sunt. Iudaeis ista legi posse sine dolore haud arbitror.

EX CAPITE LXV.

Quaerent me qui me nunc non quaerunt. Videntur ista obstare quo minus, de ultima in qua nunc sunt calamitate, possint intelligi, quomodo nos autumare diximus, propterea quod hic Quaerent futuri temporis sit: sive Quaerar, iuxta Hebraicam proprietatem. Sed non debet hoc tanti esse, quum considerabimus, futurum fuisse Isaiae tempore cum praesentem Iudaeorum calamitatem, tum Gentium vocationem, quae post praedicatum Christum coepit, et in hunc usque diem durat.

En en me vobis. Hic locus itidem certus est, Anadiplosim nonnunquam celeritatis vim habere.

Id autem ad Gentem quae non invocat nomen meum. Hoc autem irrefragabile testimonium est cooptationis Gentium.

Expandi enim manus meas omni retro tempore. Retro tempore, vertimus pro, Die, vel Tempore, quod tamen hic pro praeterito accipitur, quo scilicet beneficiorum largitate populum Iudaicum obruerat.

In ara coctili incendendo. Vide quam eleganti Synecdocha Lateres pro Ara ex lateribus constructa, ponat. Cautum enim erat in lege, ne Ara ex lapidibus ferro caesis fieret.

Dicunt si ad eos accedas. Pulchra Hypallage est apud Hebraeos, Dicunt adpropinquando ad te: id est, Dum accedis ad eos; vel: Dum fit ut tibi paulo propiores sint.

Ne tangas me quo minus te consecrem. Sanctificandi verbum pro Consecrandi acceptum est, Consecrandi autem pro Devovendi. Ritus enim erat, ut quae sacrum attigissent, iam devota atque adeo sancta fierent, ac manciparentur sacris obsequiis.

Ne obliviscar. Tracta est similitudo ab his, qui quid in loco usitatissimo et frequentissimo adsignant quo minus excidat. Verbum autem Tacendi per Metalepsim, pro verbo Obliviscendi positum est.

Retribuam igitur in sinum vestrum, iniquitates vestras. Hanc periodum quae post, Sinum vestrum, est posita, ne Rabini quidem, quantum audio, tueri possunt, rite et post completum sensum esse positam. Respexerunt igitur aliquando potius ad numerum verborum quam sententiae finem.

In vitem sacram inciderit. Hebraica, Vitem tantum habent, non etiam Sacram. Sed ex admonitoris verbis quae sequuntur, quum dicit, Sancta enim est, facile exprimitur. Sacrae erant autem apud Hebraeos vineae, agri, et arbores quum primos fructus redderent. Hinc nulli fas erat eas attingere, donec domino primitiae ex eis essent oblatae. Hinc tam lata paraphrasi transtulimus.

Noli decerpere. Noli corrumpere, habent Hebraea. Sed ea significantia qua et Germanice dicitur, Anbrechen; hoc est, Utendi ac fruendi initium facere.

Sic propter servos meos agam. Arridebat magis Acturus eram, sed quum audiam et Pauli ad Rom. 11. verba huius loci quiddam resonare: Si primitiae sanctae, id est, Sanctificatae fuerint, etiam conspersio sancta erit; si radix sanctificata, datis videlicet primitiis, fuerit, erunt et rami sancti, reliqui Agam. Video enim negari commode non posse quin Iudaeorum gens aliquando sit in gratiam reditura cum domino. An autem Paulus istud ex spiritus instinctu praedixerit, an ex huius loci vaticinio, incertum puto. Nam quod ad primitias φαῖρος et arboris attinet, potuit ex lege ad Allegoriam suam decerpere non minus quam Isaias. Nos constanter in hac sententia sumus, ut propheta sic dicat in persona domini: Equidem elegeram mihi populum istum ut sacrosanctus esset: et quicunque volebat eum vel contrectare modo, non minus anxie tuebar quam is, qui arborem aut vitem sacram defendit: Neque unquam ad tantam indignationem me exarsurum putabam, ut universos abdicarem. Sed illi a me defecerunt etc. Sequatur quisque quod vero senserit esse propinquissimum.

Hoc est, electi mei possidebunt ipsum. Hoc est, ex Vaf transtulimus, quae fieri nequit quin hoc loco sit Ephexegetica.

Saronae gregum caulae erunt, et vallis Achor etc. Loca pascua sunt. Vide Oecolampadium.

Vos autem dominum prodidistis. Hic Vaf in ואתם, id est, Et vos, adversativa est, et pro Sed, ponitur.

Et Censui consecravistis libamen. Adparet, Thesaurum non minus esse cultum a stultis Idololatris quam Fortunam. Huius enim gratia divos coluimus, cuius maxime cupidi eramus. Consecrandi autem verbum ex מלא, quod Initiare quoque significat, vertimus.

Ecce servi mei etc. Hic clare patere arbitror vere Israëlem esse qui dominum colit, qui Fortunae ac Censui sacra non facit, sive praeputium illi sit incisum, sive minus.

Cessabit nomen vestrum esse iusiurandum electis meis. Nos hoc modo intelleximus hunc locum: Quod Iudaei, quum iurarent per nomen Dei Abraham, Isaac et Iaacob, sive Israel, praestarent iusiurandum. Negat ergo gentile ipsorum nomen ultra in iusiurandi conceptis verbis, futurum esse.

Et nomine alio vocabit servos suos. A Christo videlicet Christianos.

Qui collaudandus erit in terra etc. Negat laudi fore, si quis ex Israel glorietur sese prognatum esse: sed cognovisse deum, id esse quo gloriaturi simus, quomodo Ieremias quoque habet.

In oblivionem enim venient priores inimicitiae. צרות anceps est ad angustias et inimicitias. Nos credimus de dissidio loqui, quod inter Gentes et unum deum fuit ante lucem Evangelii.

Ecce enim ego condam coelos novos et terram etc. Haec omnium sunt Periphrasis, quasi dicat, Ecce nova faciam omnia. Ut qui hactenus sub lege moesti servierunt, sub gratia alacres exultent.

Non erunt isthic ultra aut infans aut senex etc. Isthic ex משם vertimus, quomodo et Hieronymus, Ubi, transtulit. Ubi videmus מ, non semper esse στερητικὸν μέρος, id est, Privativam particulam.

Caetera paria sunt quam quod nos Prolepsim cum partitivis coniunctionibus formavimus.

Et transgressor etiam centum annos natus damnabitur. Ego his duobus membris nihil quam vanam huius vitae spem recidi arbitror. Satis grandaevi erunt etiam iuvenes qui in fide morientur: et scelerati etiamsi ad monstrosam aetatem pervenerint, non satis diu vixerunt, quo minor fiat eorum damnatio.

Lupus et agnus pascent simul etc. Haec omnia nihil aliud quam summam tranquillitatem pollicentur, qua fruituri sunt qui deo fidunt: cum hic, dum conturbari adversitate nulla possunt, quo minus in domino sint hilares: tum isthic, quo neque aestus aut labor accedunt. Lupos efferos esse, agnos autem fide cicuratos etc. supra quoque visum est.

Serpentis autem cibus erit lutum. Obiter et iniquitatis et cacodaemonis authoris eius finem attingit. Lutum, hoc est, foveam sive mortem ac aeternas tenebras ei destinata esse perhibens.

EX CAPITE LXVI.

Coelum solium meum est, terra vero scabellum pedum meorum. Haec sunt Periphrasis divinae tum substantiae tum potentiae. Is sum, inquit, qui ubique est, quique omnia moderor. Periphrasis autem ἀνθρωποπαθῶς, hoc est, pro humani captus ratione formata est. Dignatur enim numen sibi tribuere quae nos habemus, quo planius pernoscamus quae illius sunt, per ea quae ut nostra sunt, ita commodissima via sunt per quam ad invisibilium cognitionem pervenitur. Est autem totum hoc Caput, confutatio humanae iustificationis. Ut enim, vel iuxta Epicurum hominibus insita sit numinis quaedam πρόληψις, hoc est, praeceptio, praesumptio, et ut quidam loquuntur, praesuppositio, fit ut mens scelerum sibi conscia, vereatur illius potentiam et iustitiam. Iustitiam, quod praesumit numen sanctissimum ac purissimum, et perinde scelerum esse ultorem. Potentiam, quod praecipit, quicquid velit numen posse, velle autem nihil nisi aequum et sanctum. Quae religio ubi nata est, mox cogitat quibusnam rebus numinis indignationem averruncet, placet, ac deprecetur. Hinc domino hecatombae, victimae, libamina, suffitus, lucernae, ignes, odores, musica, et quocunque nos oblectari assolemus, quasi numen eisdem gaudeat, offeruntur. Haec autem quum mediocriter prudentes frivola esse deprehenderint, iustitiaque illi quum litandum esse autumant, moliri et huius aliquid audemus, sed mancum et imperfectum exit quicquid orsi tandem sumus. Hinc ergo dei et filiorum daemonis sese ingenia aperiunt. Filii dei quum abortia sua vident, sese abiiciunt, atque ad pedes divinae bonitatis totos se dedunt: filii Diaboli contumaciter perstant in authoris sui superbo ingenio. Sua magnificant, et iustitiam suam, caeci in propria causa iudices, suis factis metiuntur. Iam inter istos certamen oritur, quod hic propheta attingit. Aperit autem deus, ut frivolis ceremoniis et nostra iustificatione nihil obtineamus: sed ipsum tandem adfore, cum liberalitate benignitatis suae, tum iustitiae severitate. Haec ferme summa est et huius Capitis, et totius Christianae religionis.

Et inter ea qua facta sunt computentur. Hic primum elegans ac potens emphasis est in יְהִיוּ, id est, Facta sunt. Significat enim verbum istud non tantum Esse, sed etiam Fieri, quomodo superius demonstratum est. Deinde ponitur haec oratio, virtute eiusdem emphaseos, cum connodatione aut Energia, creaturae videlicet: quod quaecunque facta sunt, creatore sint inferiora, et illius potestati subdita; non talia quae munus illi honorarium aut ipsa esse, aut offerre ipsa domino possint alia quam se ipsa. Perinde ut patrifamilias nemo dare aut offerre sua potest. Hinc ad istum vertimus modum: Et inter ea quae facta sunt computantur. Ut quae inter creata videantur, minora cognoscamus esse quam quae deo digna putentur.

Qui manus offert. Lege Munus. Eadem opera, vel Pari opera, ex nostro addidimus, ut comparatione aperiretur Allegoria.

Ac qui scelera laudat. אָוֶן, Scelus proprie significat: sed Hieronymus in Idolum hoc loco vertit, per antonomasiam. Nihil obsto ei versioni.

Ego quoque eligam ludibria eorum. Antithesis est. Isti propensi fuerunt ad has iustificationes, quae quid aliud sunt quam dei contemtus et lusus? Ludam et ego illos.

Dicunt fratres vestri qui vos odio habent. Hoc est dissidium carnis et spiritus. Ne ergo pudeat nos dei nostri, quum adversarii sic opprobrant: Ubi evenient quae speratis? Quando adsunt? Solatur enim nos dominus, quod non sint diuturnae ipsorum contumeliae.

Imo iam audiri incipit de urbe et templo vox domini. Hebraica nihil aliud volunt quam vel etiamnunc conscientias ita esse territas et metu plenas, ut undique credant fragorem hostilem ingruere: vel quod propheta dicat se sibi videri audire, tumultum domini ad ultionem venientis.

Perinde ac dum praegnans femina etc. Ista quoque id genus comparationem esse credimus, de qua iam saepius.

Num gignit terra die uno etc. Visus est nobis propheta a comparatione redire ad propositam contentionem, qua agit dominus quod qui sese abdicant, ac soli domino fidunt, cuiuscunque Gentis sint, intra populum peculiarem censeantur. Porro neminem sua virtute talem fieri, sed spiritus regeneratione: id quod orbis nunquam potuerit, uno videlicet momento parere, quomodo dominus.

Et pariet etiam Zion filios suos. Hic manifeste ponitur Zion pro ecclesia. Est autem hypallage: non enim gignit ecclesia, sed qui per spiritum regenerantur intra ecclesiam censentur. Sic Pauli in Gal. locus: Quae caelestis, scilicet Ierusalem, est mater nostra: ita habet, ut prosopopoeia fiat ecclesia mater, et hypallage, ut id dicatur quod nos sumus. Nos enim sumus ecclesia, quotquot coelitus per spiritum sumus renati.

Num ego perdo et non genero. Docta ratiocinatione utitur. Promiserat se uno momento generaturum. Quod quum probatione opus haberet, mox subiungit: Creditis me posse occidere et perdere? Cur non eadem ratione creditis me generare quoque posse?

Laetemini cum Ierusalem etc. Clarius ac clarius elucescunt superiora, processu prophetici sermonis. Invitat omnes Gentes, ut cum Ierusalem, hoc est Ecclesia, quae olim paupertina et angusta erat, gaudeant. Fore énim, ut ea, hoc est, Ierusalem caelesti gaudeant, non aliter quam filii matre sua.

Sugetis ergo, et in latere feremini. Hic primum deprehenditur manifesta hallucinatio Rabinorum, ne dicam malignatio: quum וינקתם ad superiorem orationem distinxerunt, reclamante nequicquam rationali Vaf. Deinde non est cur moneam, Sugo et Sugeo dicere Latinos. Postremo, elegans est hypotyposis, ab educatione liberorum, et matrum alimonia, derivata ad exponendum divinae bonitatis liberalitatem, qua nos regenerat, fovet, educat, ac beatos reddit.

Et in Ierusalem consolationem accipietis. Non quod ipsa Ierusalem nos consoletur: sed quod qui in eam venerunt, eius qui eam instinguit spiritu vegetentur et reficiantur.

Et ossa vestra tanquam gramen virescent. Proverbialiter utuntur Ossibus, non in unum sensum. Aliquando enim pro summo robore, aliquando autem pro intimo cogitatu ac mentis penetralibus. Hic vero per Synecdocham pro ipsa hominis interni securitate ac firmitate.

Et probabunt manum domini servi eius. Probandi verbum ex Cognoscendi, quomodo Psal. 1. et Rom. 7. Est autem sensus: Potentiam domini collaudabunt pii etc.

Ecce enim dominus cum igne veniet. Tendit ad finem propheta. Complectitur ergo totius libri summam, dominum adventurum esse, ut per filium suum et salvet et iudicet.

Ad reddendum cum vindicta furorem suum. Hic ex Ira, Vindictam vertimus. Sic enim אף, id est, Ira dei, ferme per omnem scripturam capitur.

Deinde qui palam inter se carnem suillam ederunt. Deinde, ex אחר est. Palam inter se, autem ex בתוך אחר, id est, Simul coram. Fit enim ut qui scelere in uno sint complices, palam inter se nefaria et tractent et agant.

Glires. Vertimus pro Muribus. In deliciis enim fuerunt glires, etiam Hieronymi tempore. Opprobrat enim eos alicubi presbyteris.

Simul tollentur ait dominus. Tollendi verbum nos ex יסת, Hieronymus vero Consumendi expressit. Sensus idem est.

Tum opera eorum. Lege, Opera et consilia eorum. Accipitur autem nostro iudicio, quae hic est hypotyposis, a regibus censum agentibus, ac in militiam deinde scribentibus. Ut dicat dominum adsciturum omnes gentes, et consilia et opera ipsorum perspecturum; deinde ad praedicandum missurum. Quomodo apud Matth. est, quod Christus quum vidisset homines, pastoribus et prophetis destitutos, errare, non aliter quam oves quibus non adest pastor, eis compassus sit ac dixerit, messem esse ingentem, sed messores paucos: Orandum igitur fore dominum messis ut extruderet messores etc. Quae ergo hic habentur, missionis apostolicae, profectus Evangelii, et vocationis Gentium, tam luculentum testimonium sunt, ut qui contra niti audeat, nihil quam impudenter cavillari didicerit.

Et adferent omnes fratres vestros de cunctis Gentibus oblationem domino. Legant hunc locum pontificii, et discent quod, ubicunque promittitur fore ut in Gentibus offeratur, nihil aliud promitti quam quod Gentes sint nomen daturae domino ad apostolorum praedicationem. Haec enim est oblatio nostra, quum mundo mortui, deo autem dediti, ad illius nutum vivimus.

Et de eis sacerdotes quoque et Levitas accipiam. Ubi vero Christus legit sacerdotes et levitas? Aut ubi legimus Apostolos constituisse sacerdotes? Sed apostolos, episcopos, presbyteros, ac diaconos legimus instituisse. Hi ergo sunt quos hic propheta sacerdotes ac Levitas adpellat, ideo quod in locum sacerdotum successerunt. Nam vere nullum habemus sacerdotem, quam summum istum agnum, qui sese, pro nobis oblatus quum esset ac resurrexisset, in coelum proripuit, ut in perpetuum advocet pro nostris sceleribus. Qui alium requirunt, hunc negant, et de illius Ecclesia non sunt.

Sicut coelum novum et terra nova quae conditurus sum. Forte melius quadraret, Quae condidi de novo, tunc scilicet quum orbem aedificaret. Haec enim sententia mihi magis probatur, quam et Oecolampadius sequitur. At volui ad hunc modum vertere, propter Petri 2. cap. 3. verba: Ut quemadmodum ratum sit, quod novos coelos conditurus sit dominus: sic permansuram esse ecclesiae posteritatem, imo in coelis perpetuo gratulaturam. Id quod novorum conditione coelorum intelligi quoque potest. Sequatur quisque quod spiritus dictet.

Eruntque perpetuae neomeniae et perpetua sabbatha. Si pergunt pontificii contendere, sacerdotes veros esse oportere qui offerant: reddant rationem cur neomenias non itidem statuant? quum aeque promittantur fore perpetuae. Porro si neomeniae sunt per allegoriam, pro piorum ac beatorum gaudio, quo vel hic vel isthic fruuntur, positae: facessant hinc cum suis sacerdotibus, qui Christi mortem, qua semel perlitavit, evacuant, imo conculcant.

Et omnis caro veniet ad adorandum coram me. Hic manifeste capitur Caro, pro omnium Gentium populis, qui Christum et hic ex fide adorant et isthic possidendo in sempiternum fruuntur.

Et exibunt ad contemplandum cadavera eorum etc. Tracta est allegoria a victoribus, qui strage peracta quum remisit furor, caesos contemplantur. Qua hic noster intelligit, beatos cum Christo ad iudicium redituros, et impiorum iustum supplicium spectaturos.

Nam vermis eorum non morietur. Per vermem non tantum conscientiarum remorsum, quantum luem miseriarum et calamitatum capio. Videant hic Catabaptistae, num damnati possint ullam restinguendi ignis spem concipere.

Et erunt fastidio omni carni. Hoc itidem a cadaverum putore et nausea tractum est, ad contemptum sive neglectum damnatorum.

CONRADUS PELLICANUS, PIO ET ERUDITO LECTORI.

Comprobationi et commendationi huius operis, locum omnem praeripuit author integerrimus praefatione sua: cui subscribo per omnia. Qua prostitutam et expositam cupit omnium pie eruditorum iudicio censuraeque, diligentiam suam, et cum fide eruditionem, Lucis plane filius, et Ecclesiasticae doctrinae assertor fortis et prudens. Vides sane quanta linguarum supplectile opus habeat, eruditione, iudicio, modestia, circumspectione quoque, supra fidem, quisquis sacrarum literarum tractator esse debet: et nihilo minus iudicium deferendum sedentibus in Ecclesia. Iudaeorum vero si quando hoc opus in manus et capacitatem invenerit, miror quid cogitaturi sint, quum videbunt regnum dei, vineam domini Sabbaoth, gloriam Synagogae omnem, et spiritus prophetarum familiaritatem, translatam in omnes Gentes, et Christi promissi et exhibiti gloriam. Velint nolint obstupescent, et vana se spe lactatos a Rabinis suis, indolebunt quam maxime. Auferat velamen dominus ab electis Gentium omnium, et ecclesiam piorum per omnium terrarum fines eripiat ab erroribus et omni impietate. Amen.







